



GASB: VOETII
Politica
ECCLESIASTICA
Tom: I.
Pars B.









4 : 10 : 0

GISBERTI VOETII

Theologiæ in Academiâ ULTRAJECTINA *Professoris.*

POLITICÆ ECCLESIASTICÆ

PARTIS PRIMÆ.

Libri duo Posteriores.



AMSTELODAMI,
Apud JOHANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE,
& ELIZÆUM WEYERSTRAET,
ANNO ƆIƆ IƆ C LXVI.

INDEX MATERIARUM
Quæ per singula Capita tractantur.

PARTIS PRIMÆ
LIBER TERTIUS
De Agendis Occasionatis, & Pseudo-Agendis.

TRACTATUS I.
DE CONJUGIO.

SECTIO II.
De MATRIMONIO.

SECTIO III.

De Conjugii Oppoſitis.

Appendicula.

LIBRI TERTII.

TRACTATUS II.

De Funere ſeu Sepulturâ mortuorum.

LIBRI TERTII

TRACTATUS III.

De aliis quibusdam quasi agendis.

LIBRI TERTII.

TRACTATUS IV.

De PSEUDO-AGENDIS.

PARTIS PRIMÆ

LIBER QUARTUS.

De Externis Agendorum Ecclesiasticorum adjunctis.

TRACTATUS I.

De Ecclesiæ Libertate, Immunitate, Dignitate.

LIBRI QUARTI

TRACTATUS II.

De Peculio Ecclesiæ, seu de bonis Ecclesiasticis.

LIBRI QUARTI

TRACTATUS III.

De STIPENDIIS MINISTRORUM.

LIBRI QUARTI.

TRACTATUS IV.

De externis agendorum sacrorum requisitis & adjunctis.

INDEX MATERIARUM.

TRACTATUS IV. SECT. II.

De Templis.

TRACTATUS IV. SECT. III.

De Utensilibus, aliisque Templorum Adjunctis.

FINIS.

PARTIS



PARTIS PRIMÆ.

LIBER TERTIUS,

De Agendis occasionatis, & Pseudo-agendis.

HACTENUS de Agendis ecclesiasticis perpetuis, οἰκείοις, propriis, & directè ad Ecclesiam spectantibus: sequuntur nunc alia nobis perstringenda: partim putatitia seu pseudo-agenda; partim occasionata & πρόσκαιρα, quę directè, per se, & ex se ad Ecclesiam non pertinent; sed hâc aut illa occasione ad Ecclesiam subinde devoluta sunt, & devolvuntur; aut per concomitantiam ab eâdem & in eadem absolvuntur, non sine intercedente potestatis Politicæ concessione. Partimur ergo hunc librum in quatuor Tractatus quorum I. de Conjugio. II. de Sepultura. III. de Curâ Scholarum, De Episcopali Audientiâ, de Unctione, aut Coronatione Regum ac Principum, &c. IV. De Putatitiis, seu Pseudo-agendis.

TRACT. I.

De Conjugio.

CAP. I.

De Præsuppositis, & Prolegomenis quibusdam, ad Tractatum de Conjugio.

PRæsupponimus hic quæ *de Iure Connubiorum* deque ejus essentiâ, §. 1.
proprietatibus, & de officiis Conjugum à *Philosophis, Iureconsultis Theologis in Locis commun. in Commentariis decalogicis, & in Digressionibus ad Genes. 2. Math. 19. 1 Corinth. 7. Ephes. 5.*, & *peculiaribus Tractatibus* fusè explicari solent. Quorum aliquos infra indicabimus. Ut insistam iis quæ magis propriè ad pragmatiam & prudentiam ecclesiasticam & ad usum Ministrorum pertinere videntur, cursim indico has quæstiones.

I. *Quæst. An Conjugium quà tale sit res sacra, per se ad vitam spiritualem, aut ad cultum Dei institutum pertinens? Resp. Neg. Quia* per se pertinet ad vitam animalem, seu potius humanam, ad hominum societatem, ad præsens hoc sæculum. *Quia* non magis, quam esca *Rom.* 14. & 1 *Corinth.* 8. & 10. quam nutritio, sanitas, agrorum cultus, &c. per se Deo nos commendat, aut partem facit cultus divini, aut viam vitæ constituit: sed est merè adiaphorum, per se nec bonum nec malum morale. Hic forte quis opponat 1. *Object.* Est à Deo institutum *Genes.* 2. *Resp.* Inde non sequitur in se, & per se formaliter esse rem sacram. Nam & ordo Parentum ac Liberorum Magistratus & Subditorum, item pacta ac fœdera, omniaque contractuum nominatorum innominatorum genera &c. à Deo tanquam Autore & Gubernatore naturæ instituta sunt: quæ tamen ideo in se & per se non sunt sacra propriè ita dicta: prout ea in 3. *Part. sel. Dispp. tit. de Benedictionibus &c.* explicuimus. 2. *Object.* Conjugium ineundum est in domino 1 *Cor.* 7. *v.*39. Ergo videtur esse sacrum. *Resp. Neg.* consequentia, de sacro per se & in se, propriè dicto. Per extrinsecam denominationem omnia quæ veri fideles licitè & rectè agunt sacra possent dici. Quia quod edunt, bibunt, &c. ad gloriam Dei faciunt 1 *Corinth.* 10. *v.* 31. Et per fidem ac preces omnia in se & per se communia, ipsis utentibus sanctificantur 1 *Timoth.* 4. *v.* 5. & sic puris seu mundis, omnia sunt munda *Tit.* I. *v.* 15.

II. *Quæst. An Conjugium sit sacramentum N. T.? Resp.* Ita quidem velint Pontificii; sed nos *Neg.* 1. *Quia*, fuit institutum & initum in statu integritatis ante lapsum: ergo non est sacramentum fœderis gratiæ. Si excipiant, fuisse demum rationem sacramenti illi additam in N. T. ita ut fidelibus Conjugibus nunc sit & debeat esse sacramentum. *Resp.* Ostende ergo verbum institutionis & promissionis. Ostende signum visibile & rem signatam invisibilem. Cum Conjugium propriè sit relatio, & relatio per se non incurrat in sensus: quomodo huic putatitio sacramento aptabunt *Augustini definitionem Lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 5. *à Catechismo Concil. Tridentini*, & ab omnibus *Scholasticis* adoptatam: *est invisibilis gratiæ visibile signum.* 2. *Quia* ante tempus N. T. Fidelium Matrimonium non fuit sacramentum; & tamen idem fuit cum Matrimonio Fidelium sub N. T. Cum ergo in essentialibus nulla differentia ostendi possit: sequitur sub N. T. non magis dici posse sacramentum, quam sub V. T. 3. *Quia* Pontificii nullam certam hujus sacramenti materiam & formam communi fide & doctrinâ ecclesiasticâ hactenus assignare potuerunt. Atqui ubi materia & forma sacramenti communi fide non creditur, nec communi doctrinâ traditur; ibi sacramentum asseri non debet: non magis, quam homo, ubi nec corpus, nec anima humana asseritur. Vide digladiationes & dubitationes eorum apud *Canum de Loc. Theol. Lib.* 8. *cap.* 5.

cap. 5. Bellarminum Recentiores ad Thomæ 3. Supplem. qu. 42. Becanum in Theol. Scholast. tom. 6. cap. 44. qu. 5. Canonistas ad c. tua nos, de Sponsal. Navarr. in Manuali c. 22. §. 20. 4. *Quia* inter Pontificios Durandus ad 4. dist. 26. vi veritatis adactus, fatetur *non esse sacramentum, sicut unum ex aliis.* Ubi citat quosdam Canonistas idem sentientes. Confer *Glossas Juris Canonici ad 31. qu. 1. cap. 9. & 32. qu. 2. cap. 13.* Objectiones eorum pro hoc suo figmento *Chemnitius*, & *Chamierus* satis superque refutarunt: quamvis refutationem vix mereantur.

III. *Quæst. An Conjugium præstet Cœlibatui*, γάμος τῇ ἀγαμίᾳ? *Resp. Pontificii absolutè affirmant* statum Virginitatis esse altiorem statu Conjugii, & majoris gratiæ ac meriti. *Nos Neg.* 1. *Quia* per se ordinatum est & facit ad propagationem & conservationem generis humani & Ecclesiæ: Cœlibatus non facit. 2. *Quia* est sub præcepto naturali affirmativo, quod semper obligat; quamvis non ad semper. *Genes.* 1. *v.* 28. & 9. *v.* 1. *Ledesma in Theologiâ Morali de Sacramentis tit. de Matrim. cap. 1. inducit. Thomistas* disputantes ad *supplem. qu. 41. art. 1.* quod hoc præceptum obliget omnes homines in particulari. Addunt *Soto, Victoria, aliique* nonnulli *Thomistæ*, si tantum Religiosi essent in mundo; quod Religiosi tenerentur contrahere Matrimonium. Sed nullum tale præceptum exstat de Cœlibatu. 3. *Quia* Deus Conjugium non Cœlibatum, peculiari dignatus est benedictione *Genes.* 1. *v.* 28. 4. *Quia* Conjugium γάμος respectu Cœlibatus ἀγαμίας est habitus, & Cœlibatus est privatio. Atqui sicuti forma materiam informans, quippe ἐντελέχεια, id est, *perfecti-habea* prętantior est privatione istius formæ (de quo ipsorum Scriptores *Conimbric. Ruvius, Masius 1. Physicor. cap. 9. & Pererius de Princip. & Affect. rerum natur. Lib. 6. c. 1* cum *Lib. 5. c. 2.* ubi non tantum perfectiorem & nobiliorem faciunt privatione, quæ est ens infimum, sed & materiâ, & nonnulli ipso composito); & sicuti bonum, ens, aliquid est præstantius τοῦ nihilo, aut τοῦ non bono, σῖτος τῆς ἀσιτίας, εὐτεκνία τῆς ἀτεκνίας, plenitudo vacuo, possessio bonorum paupertate, societas solitudine: sic Conjugium Cœlibatu. Genes. 2. v. 18. *Non est bonum hominem esse solum*, &c. Eccles. 4. v. 9. 10. *Meliores sunt duo, quam unus, &c. væ uni, &c.* Objici ab illis solet 1 *Cor.* 7. *v.* 8. 25. 32.-39. In quo prædecessorem habuerunt *Hieronymum* strenuum Conjugii Contemtorem, hyperbolicum virginitatis Præconem, *in Libris c. Jovinianum* & *Epistol.* 50. & 51. ut jam non dicam de stupido & abominando *Theologemate* sub nomine *Papæ Syricy* (qui a. 397. floruit) qui Cœlibatum Clericis imposuit, adductis verbis Pauli: *qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem jam non estis in carne sed in spiritu.* (Rom. 8.) Hæc gemmula *Corpori Canonico* inserta legitur, & in *Tomis Concilior.* sub nomine *Syricy*, & in *Epistolis Pontificum* ab Isidoro (uti fingitur) collectis, in

Epist. 4. *Siricii*, & *in Epistol. Innocentii* 2. *ad Victricium Episcopum Rhotomagensem.* Siricy, reliquasque antiquorum Pontificum Epistolas esse suppostitias. easque frustra & temerè à Jesuita Turriano defensas, jam ante annos aliquot evicit *Blondellus Tract.* a. 1628. edito, cui tit. *Pseudo-Isidorus & Turrianus vapulantes* &c. Ubi *pag.* 55. exhibet Epistolam Innocentii 2. ex quâ dictâ illa Syricii Epistola tota propemodum ad verbum descripta est; & in quâ *pag.* 555. verba illa: *qui in carne sunt* &c. *comparent. Resp.* Posterioris dictum colludit cum Manichæis, Cataphrygibus, Encratitis, Marcionitis; qui nuptias condemnabant, testibus *Epiphanio* & *Augustino*. Quod ad *Hieronymi* heterodoxas hyperbolas in *Scriptis c. Iovinianum*, quantum iis ædificaverit & ipsis piè orthodoxis placuerit, lege apud *Baronium ad Ann.* 390. §. 57.-63. *Ad locum* 1. *Cor.* 7. respondemus esse fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Apostolus loquitur non de bono aut meliori simpliciter, in se, absolutè: sed de hypothetico, in casu instantis necessitatis *vers.* 25. 26. 27. 28. & præsupposito continentiæ dono. *vers.* 7. 8. 9. idque hoc solo fine, ut tanto liberius & commodius rebus divinis vacare queant *vers.* 33. Conferri possunt, quæ pro dignitate Conjugii, præsertim Clericorum disputantur ab Antagonistis Papatus, *Martyre in* 1 *Cor.* 7. & de Votis c. Smitheum, *Daneo in* 1 *Timoth.* 4. *Chemnitio in Exam. Concil. Trident. part.* 3. Post omnes causam hanc accuratè & plenè egit *Georg. Calixtus Tract. de Conjugio Clericorum.* a. 1631. ubi etiam specialiter ineptum in theologicis & rebus gerendis judicium, ejusque absurdam sanctionem Cœlibatus clericalis & Hieronymum exorbitantem in luce ponit pag. 339.-373.

§. 2. Nunc videndum, quâ ratione res & causæ matrimoniales Theologiam & Ecclesiam tangant; & quo respectu in Politicâ ecclesiastica disquisitiones de illis locum inveniant: ne nobis dicatur. *Quod medicorum est, promittant Medici, tractent fabrilia fabri.* Præsuppono *Primum*, extra controversiam esse; tabulis Juris divini de Jure Connubiorum agi: & Ministros tanquam Antecessores & Juris divini consultos de sensu Legum & interpretatione Juris illius, ex vi vocationis suæ respondere posse & debere; & consequenter conscientias informare de licito & illicito, justo & injusto, honesto & turpi. *Malach.* 2. *v.* 7. *Deuter.* 17, *v.* 9.-12. & 33. *v.* 10. *Matth.* 23. *v.* 1. *Secundo*, preces ad Deum fusas, benedictiones votivas ac promissorias nomine Dei à Ministris ejus factas, imprimis in tam arduis negotiis, esse necessarias. Jam vero Ministros in talibus esse Antecessores supra *Lib.* 2. *Tract.* 2. *sect.* 1. demonstratum est. Sed ultra determinandum, an Matrimonii publica confirmatio, & causarum matrimonialium tractatio & dijudicatio per se sit sæcularis & politica, an vero sacra & Ecclesiastica, & an Jure divino & naturali, primo, immediatè, directè pertineat ad forum ecclesiasticum, an vero politicum?

cum? Pontificii Theologi, Canonistæ, Jureconsulti affirmant; & universalis praxis idem confirmat: idque ex illâ hypothesi, quod sit sacramentum N. T. repræsentans gratiam unionis nostræ cum Christo. Quæ si vera esset, verbum contra non faceremus, sed cum Ambrosio de sententiâ Episcoporum qui ipsi aderant per libellum Valentiniano Imperatori respondente (Epist. 34.) diceremus: *Si tractandum est, tractare in Ecclesiâ didici, quod Majores fecerunt mei: si conferendum de fide, Sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino Augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmisit sed liberum dedit judicium Sacerdotibus.* Sed cum juxta Pontificios ad *Thomæ Supplem. qu.* 41. *&* 42. *& Becanum cap.* 43. cit. in Principio, Matrimonium habeat tria, officium naturæ, contractum civilem, sacramentum; ipsique Ecclesiæ illud tanquam οἰκεῖον non vindicent respectu duorum priorum, sed tantam respectu tertii: sequitur, tertio illo negato, (uti paulo ante *Qu.* 1. & 2. negavimus) soli politiæ propriam potestatem ratihabendi ac confirmandi, ut & judicium publicum decisivum in & de talibus, relinquendum esse; quod per se ipsos aut alios potestate delegatâ ab ipsis instructos exequantur. Contra *Becanus in Theol. Scholast. tom.* 6. *post. qu.* 49. de sacramento Matrimonii *cap.* 1. *de Indice causarum matrimonialium*, Lutheranos & Calvinistas accusat, quod doceant causas matrimoniales simpliciter pertinere ad Magistratum secularem. *ibidem* tamen excipit *Chemnitium in Exam. Concil. Trid. parte* 2. distinguentem inter responsa ad casus conscientiæ pendentia ex interpretatione Scripturę; & inter leges de Matrimonio, audientiam causarum, sententias coactivas &c. Quarum illa ad forum ecclesiasticum, ista ad politicum pertineant. Ipse autem causas matrimoniales facit triplices 1. omnino politicas; ut de dotibus, successionibus, hæreditatibus. 2. omnino spirituales, ut de materiâ, formâ, ministro sacramenti, de benedictione sacerdotali, & similes. 3. partim politicas partim spirituales; ut de gradibus consanguinitatis, de divortiis, repudiis, de impedimentis, & de aliis rebus ad contractum Matrimonii pertinentibus. Nam hic, inquit, *contractus partim spectatur, ut civilis, partim ut in eo fundatur ratio sacramenti.* Causas primi generis relinquit Magistratui. Secundi generis soli Ecclesiæ vindicat. Tertii generis, *tametsi*, inquit, *possint aliquo modo pertinere ad Magistratum politicum cum subordinatione ad magistratum ecclesiasticum: simpliciter tamen & de facto pertinent ad Ecclesiasticum.* Ita *Tridentin. Sess.* 24. *can.* 2. Probationes adfert duas: quorum prior desumitur ex perpetuâ praxi totius Ecclesiæ, à Christo usque ad nostra tempora. Christus *Math.* 5. & 19. & Paulus 1 *Corinth.* 7. & post eos Pontifices & Concilia (uti constat ex eorum *Decretis & Rescriptis*) causas matrimoniales judicârunt, quid in foro poli licitum sit: sicuti omnibus aliis agendis sæcularibus e. gr. de hæreditate dividendâ,

dendâ, de delictis puniendis, &c. Theologi ex verbo Dei similiter judicare & consulere possunt: leges tamen & sententias publicas ac coactivas de iisdem ferre non possunt. Ita Christus *Joh.8. v.6.* juxta *Augustinum, Jansenium, Euthymium, Fr. Lucam* (referente *ibid. A Lapide*), ipso facto ostendit, *quod non esset Judex civilis, nec Peccatorum Damnator, sed Medicus & Salvator.* Hinc *v.11.* in foro conscientiæ eam instruit, sententiam vero in foro soli juxta legem Mosaicam non fert. Et tamen pertinebat hoc ad causas matrimoniales. Similiter *Luc.12. v.13. 14.* petenti ab illo sententiam aut mandatum in foro soli super divisione hæreditatis, respondet, *quis me constituit Judicem,* &c. *Sensus* est, inquit A Lapide, *quasi dicat, judicium est forensium, qui terrenam, non meum, qui cœlestem hæreditatem doceo.* Alioquin si Quæsitor ille & Frater ejus ipsum aut Apostolum, aut alium quem Theologum, in casu conscientiæ consuluissent; an & quid bonâ conscientiâ faciendum esset, pro ratione muneris respondere potuissent; ut tamen potestatem & munus judicum sæcularium sibi non usurpassent. Concilia & Pastores antiquæ Ecclesiæ, cum ex necessitate tales causas judicarunt; à litigantibus Christianis ad judicium seu mavis arbitrium suum delatas, eique submissas: ad solum forum ecclesiasticum easdem Jure divino pertinere non docuerunt; non magis, quam omnes alias causas sæculares, ad subsellia eorum, *qui nulli habentur in Ecclesiâ* 1 Corinth.6. v. 4. aut ad Episcoporum audientiam olim per Imperatores constitutam, aut concessam: secundum quam Fidelium lites se judicasse testatur *Augustinus Lib. de Opere Monachorum cap.29.*

„ *Altera probatio* Becani est: Quia Matrimonium non solum est contra-„ ctus civilis, sed etiam sacramentum, & pleræque quæstiones, quæ circa „ illud excitantur, pertinent ad forum conscientiæ. Ergo nullo modo sunt „ deferendæ ad judicem sæcularem. *Resp.* De sacramento jam responsum est. Quæstiones ad forum conscientiæ pertinentes circa idem negotium, ad Ecclesiam & Theologum deferri possunt; e. gr. an liceat in conscientiâ & foro soli adulteram *Joh.8.* morte plectere: & nihilominus judicium coactivum & publicum de pœnâ adultero aut adulteræ infligendâ per se & propriè in foro soli pertinet ad Magistratum. Idem dicendum de divisione hæreditatis *Luc.12. v.13.14.* Sed Pontificii ad hominem sic contra nos argumentari possent.

I. *Object.* in antiquâ Ecclesiâ Matrimoniorum ratihabitio, & confirmatio, cum totâ pragmatiâ pertinuit ad Ecclesiam. *Resp.* Aliter & alibi publicum aliquod & solenne judicium ratihabitionis & confirmationis à Fidelibus tutò quæri non poterat: quod omnis publica potestas politica & jurisdictio esset penes Dominos ac Judices Gentiles. Huc applica illud 1 Cor.6.

v. 1. *Sustinet aliquis vestrum, negotium habens adversus alterum, judicio experiri sub injustis, ac non sub sanctis?* *Secunda* erat, quod Gentiles in Matrimoniis rati habendis & dissolvendis varia statuerent, & adhiberent, quæ Juri divino repugnabant: quibus se miscere non poterat conscientia Christianorum. *Tertia ratio*, Quod in publicis Nuptiarum solennitatibus vacuæ & superstitiosæ temporum, sacrificiorum, aliorumque rituum Gentilium observationes intercurrerent, quas vide in *Tract. Brissonii, Tiraquelli, Antonii Hotmanni JC. de veteri Ritu Nuptiarum*; aut in *Rosini* & *Demsteri lib. 5. Antiquit. Roman. cap.* 37. Debuerunt ergo seorsim, à communi usu, coram & à Præfectis ecclesiasticis omnia illa tractari, peragi, haut aliter ac in sepulturâ mortuorum. *Quarta ratio* erat, quod preces Ecclesiæ, & benedictionem Ministrorum requirerent. Apud illos ergo Sponsalia sua & nomina profitebantur; atque unà publicum judicium, publicam ac solennem matrimonii ratihabitionem, comprobationem, confirmationem, & testificationem, petebant ac sumebant: ne in concubinatu, aut scortatione viderentur cohabitare, & Liberi eorum tanquam illegitimè nati haberentur.

Instantia: Cum jam sub Principibus Christianis publicâ libertate Ecclesia frueretur, permansit nihilominus tota hæc practica penes Ecclesiam. *Resp.* fateor: primum quidem, quia Præfecti, Senatores, Judices tum Romæ tum in Provinciis, non obstante Imperatorum erga fidem & Ecclesiam Christianam favore, plerique in Gentilismo persistebant. Sicuti ergo Episcoporum audientiæ & judicia, ob præsentem necessitatem, Fidelibus concessa & usurpata sunt: sic ob similem rationem, tractatio negotiorum & causarum matrimonialium ab Ecclesiis amandata non fuit. Sequioribus sæculis, cum necessitas illa minimè urgeret, consuetæ per sæcula aliquot χρήσει & κλήσει ecclesiastici inhæserunt: crescente scil. paulatim benedictionum aliorumque rituum superstitione, nec decrescente Pastorum avaritiâ, qui ex tractatione conjugalium, lucrum suum captabant & capiebant. Donec tandem colophom huic operi impositus, per fictionem sacramenti novi fœderis. Moribus ergo illis antiquis res stat Romana virisque, de novo stabilita in Concil. Trid. sess. 8. can. 1. *Si quis dixerit Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis euangelicæ sacramentis*, &c. *anathema sit.* Et can. 12. *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices ecclesiasticos, anathema sit.*

II. *Object.* Ecclesiæ orthodoxæ Pedemontanæ, Waldenses, Bohemicæ, jam inde post ἀκμὴν Antichristianismi, & reformatæ post annum 1517. pragmatiam illam sibi vindicarunt: quod absque crimine ἀλλοτριοεπισκοπῆς facere non potuissent, siquidem Matrimonium ad forum politicum spectaret. *Resp.* De prioribus, fidem facit *Ordo ecclesiasticus Fratrum unitatis*

Bohe-

Bohemicæ. De posterioribus tot edita *Liturgica & Statuta ecclesiastica. Resp.* 1. *Quia* Papatus, à quo semper separatæ fuerunt, aut secesserunt, sub formâ sacramenti Matrimonia celebrabat. 2. *quia*, juxta præscriptum Ecclesiæ Romanæ (in *Rituali tit. de Sacramento Matrimonii*) Conjuges, antequam contrahunt, peccata Sacerdoti confitentur, & eucharistiam sumunt; asperguntur aquâ benedictâ; annulus benedicitur, & aquâ benedictâ aspergitur in modum crucis; missa pro Sponso & Sponsâ celebratur. In quæ superstitiosa agenda, se Reformatus neutiquam immittere potest; multo minus si illud fieret in communione Ecclesiæ Romanæ, in quâ nunquam fuit, aut ex quâ justè exivit *Apocal.* 18. *v.* 4. cum 2 *Cor.* 6. *v.* 14- 18. Magistratus Papatui addictus Matrimonia celebrare nec ausus fuisset, nec voluisset. Nihil ergo restabat, quam ut à communitate & Præfectis Ecclesiæ requisita ad comprobationem & solennia Matrimonii (tolerante aut connivente illo Magistratu) implerentur. Hodie in Ecclesiis Reformatis, ubi Magistratus ejus religionis consors est ordinariò inita sponsalia aliquoties denuntiantur; solennis confirmatio in Ecclesia peragitur, sed potestate (dicendum enim, quod res est) delegatâ; in multis, non in omnibus etiam contractorum Sponsalium, & nominum professio: sed judicium causarum matrimonialium ad judicem politicum defertur. In quibusdam Germaniæ partibus peculiaria Collegia (dicta *Consistoria*) ex Jureconsultis & Theologis composita, causis & negotiis illis tractandis, salubri sane consilio, destinantur. In quibusdam Belgii Civitatibus, delegati aliquot ex Magistratu cum Secretario iisdem præficiuntur. Ecclesiastica sunt & Ministris propria, casus conscientiæ circa Conjugia incidentes ex Jure divino determinare; Conjuges ex Verbo Dei instruere de divinâ institutione, & honorabili Conjugii statu, mutuisque Conjugum officiis; Deum in Ecclesiâ pro iisdem precari; votivam benedictionem proloqui, Deique promissionem, iisdem denuntiare. Reliqua, quæ modo retulimus, à Ministris eâdem operâ si agantur, sciant se id facere potestate delegatâ, non propriâ & οἰκείᾳ, ex essentiâ ministerii emanante. In V. T. fatentibus Pontificiis, Sacerdotes hæc non agebant: sed in N.T., cujus factum est sacramentum, putant Conjugum copulationem ad solum Sacerdotem, non minus ac aliorum sacramentorum administrationem pertinere. Sed supra falsam hypothesim de sacramento Matrimonii rejecimus. Ex nostris *Chemnitius in Exam. part.* 2. & post eum *Paulus Tarnovius tract. de Conjugio cap.* 37. statuunt judicium de causis matrimonialibus pertinere ad Magistratum & ad Ecclesiam. Sed indistinctè hæc ita accipienda non sunt. Nos jam distinximus: & judicium publicum, antecessorium, coactivum, in foro externo, Magistratui tribuendum dicimus.

CAP.

CAP. II.

De Sponsalibus.

IN tractatu de Matrimonio consideranda sunt. 1. Sponsalia. 2. Nuptiæ, earumque requisita, & impedimenta; insuper indicium & Publica & solennis professio, denuntiatio, ac confirmatio. 3. Opposita. §. 1.

In Sponsalibus consideranda, definitio, & requisita ad valorem eorum 2. Conditiones Contrahentium Sponsalia. 3. Quomodo, seu per quæ verba contrahantur Sponsalia. 4. Quæ eorundem obligatio. 5. Quæ distinctio à nuptiis.

Quod ad Sponsalia *sunt futurarum Nuptiarum promissio.* Ita *Jus Canonicum c. Nostrates.* 30. *qu.* 5. & *Jus Civile L.* 1. *D. de Sponsalibus.*

Requisitæ conditiones ad valorem sponsalium sunt tres: quarum *Prima*, ut sint promissio futuri matrimonii. *Secunda*, ut sint inter personas jure habiles ad contrahendum: *Tertia*, ut verbis aut signis æquipollentibus manifestentur.

Quæstiones de Sponsalibus, eorumque valore sunt.

I. *Quæst. An sint & dici possint ac debeant Sponsus & Sponsa, aut Maritus & Uxor, qui Sponsalia contraxerunt? Resp. Canonistæ ad cap. in nostra, De injuriis* hic variant: Quidam dicunt Sponsum de futuro, esse dicendum Sponsum. Alii per distinctionem in materiâ odiosâ, nomine Mariti aut Uxoris non intelligendos putant Sponsum aut Sponsam de futuro; Sed in materiâ favorabili. Et hic rursum disquirunt, unde constare possit, dispositionem aliquam legis esse favorabilem aut odiosam. Sed nos missis istis & ad Jureconsultos remissis; censemus Uxoris nomen secundum usum scripturę, tribui Mulieri in foro conscientiæ licitè & legitimè desponsatæ. Math. 1. v. 20. *Ne metuas accipere* τὴν γυναῖκά σου, id est, *Uxorem tuam*: Mariam scil. ipsi μεμνηστευμένην, id est, *desponsatam* Luc. 1. v. 26. Porro per vocem γυνὴ notari in scripturâ non tantum sexum, sed & uxorem, constat ex 1 *Corinth.* 7. *v.* 2. 3. 4. imprimis ex *v.* 8. ubi Viduis opponitur, & *v.* 14. ubi Maritum infidelem sanctificatum dicit ἐν τῇ γυναικὶ πιστῇ *per uxorem* fidelem *v.* 33. distinctam dicit γυναῖκα à παρθένῳ καὶ ἀγάμῳ à Virgine innuptâ. Ubi per γυναῖκα sexus non potest intelligi. Adde *Ephes.* 5. *v.* 21 - 33. In V. T. vox Hebræa אִשָּׁה & אשת frequenter notat Uxorem, ut *Genes.* 1. *v.* 24. 25. Jacob *Genes.* 29. *v.* 21. dicit Labani, da mihi אשתי *Uxorem meam.* Esse autem desponsatam in foro conscientiæ & pro suâ parte ac suo judicio, Uxorem, & legitimum ex legitimo contractu & consensu matrimonium intrinsecè, atque essentialiter istic habendum, & consequenter consummandum (nisi

foris impedimentum aliquod interveniat); ex eo colligi poteſt, quod concubitum cum deſponſatâ, eâdem pœnâ, quâ adulterium, lege forenſi puniri præceperit *Deuter.* 22. *v.*24. *Pontificii apud Thomam Zanchez Lib.* 1. *de Sacramento Matrimonii diſp.*2. inter ſe digladiantur an ſit adulterium nec ne; *Sanchez* cum citatis *ibid.* & *Caſtaldus* in candelabro *p.*226. negant.

II. *Quæſt. An in Sponſalibus debeat eſſe mutua promiſſio; verbis ſcil., aut ſignis æquipollentibus & uſitatis expreſſa? Reſp. Aff.* Quia cum Matrimonium ſit fœdus Dei, *Prov.*2.*v.*17. & inter bonos benè agi oporteat, æquivocationibus & amphiboliis non eſt ludendum in re tam gravi. Inter Scholaſticos & Caſuiſtas Pontificios diſceptatur, an ſi alteruter non expreſſè repromittat, ſed acceptet promiſſionem dicendo *placet*, vel *accepto*, vel *contentus* aut *contenta* ſum; illud reſponſum habendum ſit pro verâ repromiſſione, quâ acceptans obligetur. Negant *Soto*, *Ledeſma*, *Becanus*, *Thom. Sanchez Lib.* 1. *diſp.* 5. cum *Canoniſtis ibid. cit.* Non deſunt tamen qui affirment, *Summa Roſella*, *Sylveſtrina*, &c. quibus ego accedo.

III. *Quæſt. An promiſſio debeat eſſe deliberata & non ſimulata; & an ex defectu deliberationis, aut voluntatis promiſſio ſufficiat, ad valorem Sponſalium, & qui ſic promiſit obligetur? Reſp. Pontificii Caſuiſtæ* communiter *Aff. pr.* & *Neg. poſter.* apud *Sanchez Libr.* 1. *diſp.* 8. §. 5. Requiri ajunt ad minimum talem deliberationem, attentionem & advertentiam, qualis requiritur ad mortale peccatum, ad meritum, & ad votum validum: Et talem promiſſionem, quæ ficto animo facta non ſit. Nobis hęc videntur præſupponere aut implicare Theologiam ipſorum de motibus primo primis, de licitis fraudibus, & mentalibus reſervationibus. De Furioſo & Amente, quod huc referunt, facile admittimus. Sed de Ebrio non item: eſt enim factum ejus voluntarium in causâ. Aliter ſi quis feſtinatis aut ſimulatis promiſſionibus, ſe implicuerit, non putamus eum ſic reſilire & liberari poſſe. Indebitè ſi quid fecit, id ſibi imputet: cum factum eſt, tenendum putet. Quod ſi in hoc contractu & fœdere Dei ſic ludere liceat, & in foro conſcientiæ fidem datam fallere, ac reſilire; quis contractus cum hominibus in conſcientiâ tutò iniri & validus eſſe poterit? Applicari huc poteſt Proverb. 6. v. 1. *Fili mi, ſi ſpoſponderis pro amico tuo, defixiſti alieno manu tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, captus es eloquiis oris tui.* Si verbis à te prolatis in tali contractu obligatus es, quamvis ficto animo, ſeu abſque voluntate non obligandi, ſpoſpondiſſes: cur minus in hoc contractu διπλεύρῳ, & fœdere Dei. Quanto magis, ſi ſacramentum eſſet, uti volunt *Pontificii.* Abſurda abſurdis addunt: cum dicunt apud *Becanum Cap.cit.qu.*6. & *Sanchez Lib.cit.qu.*10. *alioſque ibid. cit.* non teneri ſic promittentem, etiam ex vi ſuperadditi per ipſum juramenti. Ne quidem (ut alii addunt) ſi fictè promiſſo Matrimonio, ſub eâ

ſpecie defloret Virginem. *Becanus* hic videtur velle diſſentire; ob has rationes: „ 1. *quia* juſtitia commutativa non ſolum poſtulat, ut reddatur æquale, ſed ut idem numero vel ſpecie, ſi dari poteſt. Atqui Promiſſor, *inquit*, „ ex juſtitiâ tenebatur præſtare conſenſum; quia hoc neceſſe eſt in omni „ contractu. Et eum conſenſum adhuc præſtare poteſt. Ergo. 2. *quia*, quamvis damnum violatæ virginitati non poſſit in propriâ ſpecie reſarcire; poteſt tamen injuſtam deceptionem in propriâ ſpecie reſarcire, ſi nimirum præſtet conſenſum in Matrimonium. Ac proinde debet illud facere. Hæc dicendo videtur modo dicta tollere, & nos in ſententiâ noſtrâ magis confirmare. Sed ſubjunctæ limitationes *ex Sanchez* rurſum hæc melius dicta tollunt. Niſi, *inquit*, Vir ſit nobilis: niſi Fœmina ex verbis vel aliis claris conjecturis facilè intelligat, alterum fictè promiſiſſe: niſi magnum ſcandalum ex eo Matrimonio probabiliter timeatur: niſi Fœmina deceperit Virum, dicendo ſe eſſe Virginem, cum non eſſet. Quam egregiè laxa, lubrica, fluctuans, ſophiſtica hæc caſuiſtica conſcientias informabit ac ſtabiliet! Longè aliter lex Moſaica *Exod.* 22. *v.* 16. 17. ubi agitur de ducendâ virgine pellectâ ad concubitum. De quo infra nobis dicendum.

IV. *Quæſt. An Sponſalia clandeſtina ſint licita, & valeant? Reſp.* Pontificii occaſione Decreti Tridentini ſeſſ. 22. de Matrimonio cap. 1. inter ſe contendunt, an valida ſint, quæ non fiunt coram Parocho & Teſtibus: ut videre eſt apud *Ledeſma* & *Sanchez. Lib.* 1. *diſp.* 13. Nos diſtinguimus inter ipſam Sponſalium contractionem; & inter Contractorum profeſſionem apud eos, qui publicam habent autoritatem ea examinandi, ratihabendi, publicè in Eccleſiâ aut foro promulgandi, ante ſolemnem Matrimonii confirmationem. Ipſe Sponſalium contractus eſt vel clandeſtinus vel non-clandeſtinus. Ille fit inter Contrahentes, qui ſui juris ſunt; quales pro arbitrio ſuo vel ſolis verbis, aut ſcripto hoc agere poterunt; vel coram aliis Amicis, neceſſariis, Notariis; tanquam Teſtibus. *Iſte fit*, coram Parentibus, Tutoribus, Cognatis, Notariis, aliiſque, quotquot Parentibus aut Tutoribus viſum fuerit advocare: quando ſcil. Contrahentes ſui juris non ſunt. Quibus tamen ex mandato aut conceſſione Parentum aut Tutorum ſolis Sponſalia peremtoriè & in formâ contrahere haut illicitum eſt. His diſtinctionibus obſervatis, facile eſt diſceptationes de clandeſtinis Sponſalibus diſſipare. Sed infra, ubi de conſenſu Parentum quæritur, denuo de clandeſtinis dicendum.

CAP. III.

De Contrahentibus Sponſalia.

Hic quæritur de habilitate & de ætate Contrahentium.

I. *Quæſt. Quænam perſonæ habiles ſint? Reſp.* Illæ ſolæ, inter quas conſiſtere poteſt Matrimonium: ſunt enim Sponſalia promiſſio futuri Matrimonii. Inhabiles ergo ſunt vel qui licitè contrahere non poſſunt propter impedimenta in præſenti Matrimonium impedientia; vel qui inhabiles ſunt ad validè contrahendum; propter impedimenta non tantum impedientia, ſed etiam dirimentia Matrimonium. Qualia infra *Sect.* 3. enumerabuntur.

II. *Quæſt An impedimentum quod tantum impedit, & non dirimit Matrimonium; etiam impediat tantum & non dirimat Sponſalia? Reſp. Neg.* ſi ſcil. tale impedimentum præcedat Sponſalia: quia promiſſio rei illicitæ eſt invalida & non obligat. E. gr. ſi Sponſalia abſolutè contrahantur ſine ullâ conditione habendi conſenſus Parentum. Sicuti ergo illicitum eſt inire Matrimonium ſine conſenſu Parentum: ſic pariter illicitum eſt promittere talis Matrimonii conſummationem ſine habito conſenſu Parentum.

III. *Quæſt. An ætas ſeptennii ſufficiat ad contrahenda Sponſalia? Reſp. Aff.* communiter *Canoniſtæ ad c. literas, & c. acceſſit & c. ad diſſolvendum de Deſponſatione impuberum.* Quibus *Caſuiſtæ* & *Scholaſtici* accedunt. Inter *quos autor. Supplem. Thomæ qu.* 43. *art.* 2. rationem hanc adfert, quia tunc communiter incipit uſus rationis. Qui *ibidem* addit, ſi parum diſtant à ſeptennio, nihil diſtare videntur. Et cum eo *Becanus Cap.* 43. *qu.* 8. *Sanches Diſp.* 16. *Ledeſma in Theol. morali de Sacramentis tit. de Matrimonio cap.* 3. malitia ſcil. ætatem ſupplente *cap.* 3. Sed in his aliiſque quæſtionibus & caſibus decidendis, ſæpe non diſtinguunt forum poli & ſoli. In iſto ſaltem Sponſalia ejuſmodi invalida & irrita eſſe, non arbitror eos negaturos. Si enim ab aliis contractibus removentur Infantes aut Pueruli, Pupilli, & ſi illi paciſcentes nec naturaliter, nec civiliter obligentur; juxta *Jureconſultos L. pupillus* apud *Tholoſ. Lib.* 2. *c.* 5.: multo magis à Sponſalibus. An illi eâ ætatula communiter intelligere poſſunt & ſolent, quid ſit res promiſſa, & quæ ſit utriuſque ad ſtatum Conjugii aut Cœlibatus in ſe conſideratum diſpoſitio, & quæ qualiſque diſpoſitio alterius ad alterum, quæ morum convenientia, ad individuam vitæ ſocietatem ſuo tempore ineundam, quę Conjugum officia mutuò pręſtanda. Immo cum ſecundum ipſorum theologiam ſit ſacramentum N. T. quibus indiciis docebunt illi Infantes, ſe myſteria illa intelligere? Se

debitâ cum deliberatione futuri Conjugii promissionem facere? Et quomodo dicent, promissionem illam esse rationalem? Si forum poli & internum conscientiæ respiciunt, quomodo dicent infantes ad conscientiam suam in tantæ rei promissione satis debitè posse attendere; quos aliàs negant ante 12. aut 13. annum remedio contra peccatum mortale indigere; confessione scil. auriculari, totoque sacramentalis pœnitentiæ apparatu, tanquam secundâ post naufragium tabulâ? Vide contra jus civile & morem hunc disputantes *Hotomannum* de Nuptiis *cap. 6.* imprimis *Arnisæum de jure connubior. cap. 3. sect. 2.* Ex theologis *Beza p. 116.* & *Tarnovius lib. 1. cap. 69.* eadem improbant.

IV. *Quæst. An Parentes pro Filiis possint contrahere Sponsalia? Resp. Canonistæ ad c. 1. de desponſ. impub.* Et Recentiores *Sanches Disp. 23. §. 5. Becanus cap. cit. qu. 12.* quamvis inter se nonnihil varient, in hoc tamen conveniunt, quod Pater validè contrahit Sponsalia pro Filiis, qui defectu ætatis non possunt consentire. Mihi plane negandum videtur hæc esse vera Sponsalia: sed tantum præparatoriam & antecedentem consensus paterni declarationem ac promissionem hypotheticam; si scil. Filius, ubi ad justam ætatem pervenerit, ita velit & consentiat.

CAP. IV.

De Verbis & Signis Sponsalium.

I. *Quæst. Per quæ verba & signa contrahantur Sponsalia? Resp.* per verba affirmantia, aut nutus, aliave signa ex instituto & usu communi tantundem significantia. Possunt etiam contrahi ab unâ parte per negationem, quâ respondetur interrogationi alterius, an me deseres in hoc statu extra honorem Conjugii antehac promissi (erat autem humiliata): Ubi si quis neget se deserturum (quamvis nunc ob graves rationes adhuc impletionem differre se dicat), & Mulierem conquerentem bono animo esse jubeat, verbis illis implicatus & obligatus esse dicendus est. Memini aliquem reluctantem, & à se factam promissionem Conjugii negantem, tali in casu à judice condemnatum fuisse.

II. *Quæst. Quid statuendum de jactatâ distinctione Sponsalium, de præsenti & de futuro? Resp.* Eam accuratum examen non posse sustinere. Si quis enim dicat verba de præsenti, *volo te in Uxorem*; & altera annuat: quid hic magis minusve dicitur, quam si utatur istis verbis de futuro: *Accipiam te in meam, habebo te Uxorem, promitto me te ducturum?* Atqui priora verba, (inquit *Becanus qu. 11.*) important consensum de præsenti, & per ea tunc contra-

trahitur Matrimonium; posteriora vero important consensum de futuro, & per ea contrahuntur Sponsalia. Sed hæc otiosè & ineptè mihi dici videntur. *Qui dicit volo te Uxorem, aut volo esse Maritus tuus*; is in præsenti quidem tunc loquitur & animi sui placitum, pro suâ parte declarat; sicuti mulier consentiendo, pro suâ parte suum: sed objectum promissionis seu res promissa (Nuptiæ scil. aut Matrimonium) non est præsens; sed futura. Neque enim actus ille promittendi, seu promissio Matrimonii, realiter idem est cum ipso Matrimonio: nedum ut simul Sponsalia & plenum seu consummatum Matrimonium eodem momento contrahi, iniri, ac celebrari possint: quia hoc fieret in præjudicium aliorum, quibus Contrahentes per priora & legitima Sponsalia obligati essent, aut in præjudicium aliorum impedimentorum, & potestatis publicæ, quæ judicio & directioni Matrimonii præest. Sicuti in aliis sacramentis (καὶ ἄνθρωπον hoc simile allego, quia Matrimonium ipsis est sacramentum) promissio de suscipiendo baptismo, differt ab ipso baptismo, & actuali per aquæ signaculum in communione gratiæ Christi & novi fœderis obsignatione. Similiter judicandum de actuali perceptione cœnæ, de sacramento ordinis, de pœnitentiâ, &c. Et cum ipsi distinguant Sponsalia à Matrimonio; etiam temporis aliquod intervallum (quamvis sæpe per lucrosam dispensationem contractum nimis) inter eorum actus intercedere velint; saltem sponsalia præcedere Matrimonium; affirment insuper Sponsalia de futuro seu promissiones puberum in foro conscientiæ obligare: cui bonæ rei illis distinctionibus, non ad dextrè & simpliciter Informandas conscientias, sed potius ad turbandas aut irretiendas, inhærent? Dicamus ergo de omnibus Sponsalibus, quod *JCC. de Sponsalibus Impuberum*, quamvis fiant verbis de præsenti, re tamen & juris interpretatione esse de futuro. Nullis captionibus & cascis effugiis locus hic relinquendus est. Inter bonos bene agier oportet: præsertim in illo fœdere Dei. Si per Sponsalia *de futuro*, intelligi quis velit conditionata; & *de præsenti* absoluta à particularibus conditionibus (generales enim semper subintelligendæ aut præsupponendæ sint, nisi scil. legitimè quid impedierit, aut si vixero &c.): non repugno. Reperio ex nostris *Zanchium de Oper. creat. part.* 2. *Lib.* 4. *cap.* 1. *in explic. thesios* 2. fateri, se in Scripturis non observasse aliud genus Sponsalium quam per verba de præsenti, & quo inchoatur Matrimonium: & citat ibi textus *Deuter.* 22. *v.* 24. *Genes.* 19. *v.* 8. cum 14. Nos addimus, Sponsalia per verba de futuro, quæ à Nuptiis seu Matrimonio distinguuntur, æquivalere Sponsalibus per verba de præsenti; & utrobique contrahentes obligari. Vide hanc Canonistarum distinctionem ab *Hotomanno lib.* de castis nuptiis *cap.* 7. *Cypræo cap.* 4. §. 4-13. & *c.* 12. & *c.* 12. §. 12. & *Tarnovio lib.* 1. *c.* 83. refutatam.

III. *Quæst.*

III. *Quæst. An annulum, aut aliud quid in arrham dare aut dextram dextræ jungere, sit sufficiens signum Sponsalium? Resp.* Annulus datus & acceptus non est proprium & certum signum: nisi verba pronuntiata & scripta præcesserint aut accesserint, saltem unius partis annulum in arrham Sponsalium offerentis; quem si acceptet altera pars & digitum suum eo induat, aut sine resistentiâ verbali aut reali indui patiatur, aut in sacculum mittat, quamvis absque expressis verbis, annuere dicenda est. Par ratio est, cum Vir verbis expressis fidem dat, ac vicissim dari petit; & Mulier requisita sponte manum dederit. Consentiunt *Glossæ Juris Canonici ad c. tua, de Sponsal.* & cum iis *Sylvester aliique Casuistæ. Sanchez Disp.* 5. negat sufficere acceptationem promissionis; ut censeatur repromissio: & varios adducit Canonistas. Sed forum conscientiæ ita nimis laxatur. Omnino præstat & tutissimum est in tanti momenti contractu, ob tantam hominum varietatem, mutabilitatem, fraudem, non tantum exsertis verbis, sed insuper iisdem coram testibus primâ occasione repetitis, aut scriptis agere: ut ita Synedrio aut judicio politico aliquid certi de illo contractu constare possit: siquidem alteram artem vacillare, aut pœnitere contingeret. Experti sumus, partem postea à fide datâ resilientem, facile negasse dictam subarrationem: & pretexuisse ex generali liberalitate annulum, aut nummum, aut aliud quod cimelium, in signum alicujus familiaritatis, aut amicitiæ solummodo donatum fuisse. Si verba Sponsalibus convenientia traditioni annuli aut nummi addita fuerint, eaque à parte Sponsalium impletionem urgente obtendantur, alteri in foro soli proclive est dicta indicta dicere, aut verba interpolare ac tantum mutare, ut obligationem nullam inferant. Refero quid fiat: quamvis in foro conscientiæ coram Deo omnium teste & judice fieri non debeat. Siquidem ad πέρας omnis controversiæ juramentum scil. pars fidem servans provocandum putet, & illud deferatur parti resilienti, alios amores alia Sponsalia jam meditanti, si non iisdem implicitæ, quid parti innocenti inde accedere & quid præter ludibria & expensas molitionibus illis lucrari poterit? Præstat ergo cum honestè fecerit, quod in se est, & animam suam liberaverit, Deo hoc totum committere, & partis resilientis conscientiæ relinquere. Hoc in tali casu maximè consultum putarem. Interim perfidus ille aut perfida sciat se impune non habiturum partis innocentis, post tractos & excitatos amores, & amotas alterius honesti Matrimonii occasiones, tristem & pudendam desertionem, delusionem, prostitutionem. Experientiâ hoc compertum habemus.

CAP.

CAP. V.

De Obligatione Sponsalium.

I. QUæst. *An Sponsalia obligent ad præstandum Matrimonium promissum? Resp. Aff.* Quia jure divino & naturali tenemur in omnibus (exceptis in se malis & illicitis) fidem servare, & præstare quod promisimus. Multo ergo magis in re tanti momenti. De fide & promissione servandâ ad 9. Decalogi præceptum agi debet: & nos inde hic præsupponimus. Quod ad Sponsalia, *Becanus* dicit hanc esse communem sententiam & triplicem hic ostendit obligationem, ex triplici virtute veritatis, fidelitatis, justitiæ. *Veritas* duo requirit, ut sincere, non fictè agamus & ut opere prestemus, quod promissum est. Utrumque enim, inquit, requiritur, ut quis sit verax in dicendo & in promittendo. *Fidelitas* ad unum nos obligat: nempe, ut quod promisimus, opere prestemus. Sed hæc cum veritate (potius dicendum *veracitate*), quod ad actum ejus seu officium secundum coincidit: quidquid *Becanus* otiosè *ibidem* distinguat. *Justitia* quæ locum habet in contractibus & promissionibus onerosis, obligat nos, ut tribuamus unicuique suum, ratione contractus. Hec hactenus bene. Sed limitationem, cum ipse & *Sanches*, *aliique Canonistæ* & *Casuistæ ibidem cit.*, addunt, de virtute veritatis hic per se non obligante sub mortali, sed tantum sub veniali, cogunt nos applicare laxis illis Casuistis, hemistichium Poëtæ; *Laxat claustra Sinon.*

II. *Quæst. Quando teneatur promittens implere promissum? Resp.* Si certus temporis terminus præfixus sit, eo ipso tempore: nisi vis major, aut inevitabilis necessitas impediat. Saltem ipse tenetur hoc agere, quantum in se est. *Sin* terminus non sit præfixus, tenetur ad implendum eo tempore; quo illud altera pars, cui promissio facta, fieri requirit: nisi inevitabile impedimentum hoc vetet. Non male exceptio (quam Navarrus cap. 17. Manual. §. 79. habet de exolutione debiti pecuniarii nisi creditor *pro timore reverentiali non audeat petere*) huic presenti negotio applicatur. Agitur enim de licito, honesto, & jure in foro conscientiæ: secundum quod promissi præstatio presenti die debetur, si alter id exigat. Decipiunt ergo, & conscientiam lædunt, qui promissis se stare protestantur: sed interim per annos aliquot omnem καίρον inveniunt aut invenire se fingunt ἄκαιρον; atque ita non sine gravissimâ injuriâ alteram partem fructibus Conjugii tantisper defraudant, & omnes alterius Conjugii occasiones, si quæ se offerre possent, avertunt, quantum in se est. Quid dicam de illis, qui cum per multos annos patientiam partis inno-

innocentis exercuerunt, tandem perfidè & peremtoriè ſponſalibus renunciant. Atque ita ſæpe defraudatę ac deluſę partis ἀκμὴ, & honeſti ac commodi conjugii occaſio præteriit. An Deus non foret ultor iſtorum? *1 Theſſ.* 4. *v.* 6.

III. *Quæſt.* *An compelli poſſit, qui injuſtè moras nectit? Reſp.* Omnino compelli poteſt, per monitiones, correptiones, & cenſuras eccleſiaſticas. Cogi etiam poteſt, & debet à Magiſtratu: ſiquidem pars altera jus ſuum proſequatur. Rejicimus ergo 1. *Opinionem* quorundam Scholaſticorum & Caſuiſtarum, *Angeli de Clavaſio, Joſephi Angles in Floribus &c.* quæ ſtatuit etiamſi Sponſalia juramento ſtabilita eſſent, non tamen cogendum Promiſſorem, ut ſervet fidem Sponſalium; ſed tantum monitis agendum, & ſi monitis non acquieverit, relinquendum. 2. *opinionem*, quæ ſtatuit non eſſe cogendum, quando juramento confirmata non ſunt. *Soto in* 4. *Diſt.* 27. *qu.* 2. Quæ eſt *Viguerii in Inſtit. cap.* 16. §. 7. *v.* 7. *Thomæ in Supplemento qu.* 43. *art.* 1. Ubi Alagona in Epitomę Summę Thomę: *Qui non ſervat promiſſum Matrimonii peccat mortaliter; ſed Eccleſia non cogit in foro exteriori: quia ſolent habere malos exitus.* Item, *ſi cum promiſſione poneretur pœna, non valet, nec exigenda, quia Matrimonia debent eſſe libera.* Pluribus de his diſputat *Sanches Lib.* 1. *Diſp.* 29. & *Becanus cap.* 43. *qu.* 15. 16. 17. quæ non niſi conſcientiis irretiendis, pervertendis, laxandis, inſervire videntur: uti faciunt infinitæ alię diſtinctiones, exceptiones, clauſulæ non tam ſalutares quam inſalutares, non tam ὑγιαίνοντες λόγοι quam νοσοῦντες) ut loquar cum *Clemente Alexandrino*); quibus tacitè evertuntur, quæ in Principio convenienter veritati & juſtitię videntur conceſſa.

Object. 1. Eccleſiæ non videtur conſultum coactione hic uti. *Reſp.* videatur ergo conſultum Magiſtratui; quibus competit poteſtas dominans & coactiva; quæ Eccleſiæ non competit 2 *Corinth.* 10. *v.* 3. & 1. *v. ult.* 1 *Petr.* 5. *v.* 3.

Object. 2. Scandala ſi inde oritura prudenter metuantur ex perpetuis diſſenſionibus aut divortiis: jam non eſt compellendus. Sic *Becanus qu.* 15. cum *Henriqu.* & *Navarro*; qui tamen antea pro verâ ſententiâ determinaverat. *Reſp.* Hoc eſt Eccleſię prudentiæ, & judicio Magiſtratus committendum: an propter conjecturas de futuro, cum res non ſit in integro, Eccleſia deſertori in caſu conſcientiæ conſulere aut permittere debeat talem perfidiam; aut Magiſtratus à compulſoriis in judicio externo abſtinere debeat; qui ex conſcientiâ muneris cuivis jus ſuum proſequenti poteſtate ſuâ adeſſe tenetur. Incommoda ſi quę eveniant, fœdi fragus ſi ea procurare velit aut procuret animę, capiti, famę, fortunis ſuis à vindictâ divinâ & Magiſtratu metuat: ſin ea paſſurus ſit, ſibi imputet. Quod ad Eccleſiam, poſſet parti in-

innocenti aliquo in caſu ſuadere; ut à perſecutione juris ſui in foro ſoli deſiſtat.

Object. 3. In Jure Canonico additur exceptio, cogendum eſſe promiſſorem: *niſi rationabilis cauſa obſtiterit.* Quam probat *Becanus loco cit. Reſp.* Hâc panacæa frequenter utuntur Caſuiſtæ: quâ admiſsâ nihil certum erit.

Object. 4. Si compulſio admittatur, Matrimonia non erunt libera. *Reſp.* Sunt libera in causâ, ſeu ex hypotheſi Sponſalium liberè initorum. *Inſtantiam*, (invalidè contrahere Matrimonium, qui metu excommunicationis compellitur) ſic profligari putat *Becanus*, *qu.* 15. *in fine*: „ Metus ex- „ communicationis vel juſtè incurritur, vel injuſtè. Si injuſtè, cadit in „ conſtantem Virum, & irritat contractum. Si juſtè, contra ſe res „ habet.

IV. *Quæſt. An Sponſalia diſſolvantur per ſubſequens votum ſeu ſubſequentem ſuſceptionem ſacri ordinis, aut per ingreſſum religionis, aut per ſimplex votum caſtitatis. Reſp.* De his variè diſputatur à Pontificiis apud *Sanches Diſp.* 42-48. Nos hic tantum ſpectatores ſumus.

V. *Quæſt. An Parentes, aut ſaltem Pater poſſit negatione conſenſus ſui diſſolvere, aut potius irrita reddere Sponſalia? Reſp.* Præſuppono peccari, ſi ſine conſenſu Parentum abſoluta contrahantur Sponſalia: cum autem contracta ſunt, tenent in foro conſcientiæ, quod ad conſcientiam contrahentium. Illi ergo quamvis reſipiſcentes de peccato, quod contractum illum comitabatur, nec directè nec indirectè fidem datam, forte & juramento confirmatam, fallere debent: ſed contra interceſſionibus Amicorum & Miniſtrorum Eccleſiæ, precibus & quibuſcunque officiis ſuis parentum gratiam & conſenſum ſollicitare: denique omnibus tentatis, tandem præhabitâ veniâ ad Magiſtratum cauſam deferre; ubi ſi eâ cadant, in Dei gubernatione acquieſcere, peccatum ſuum cauſam hujus miſeriæ ad animum revocare; denique rationibus ipſorum ita ferentibus, meliora molliora tempora expectare. Quid Parentibus in talibus caſibus conſulendum ſit: hic dici non poteſt: quia circumſtantiæ variant. Interim in genere ſuademus, ut parentes habitâ ratione conſcientiæ Liberorum, & præſentis luctus atque afflictionis ob fidem non impletam, & exoptati conjugii carentiam; mitiora conſilia (ſiquidem ulla ratione fieri poſſit) ſequantur, & acerbiora infortunia ſubinde non vanè metuenda præveniant.

VI. *An dirimantur Sponſalia per Matrimonium poſtea cum aliâ contractum? Reſp.* ſi illegitimè ſit contractum, & conſequenter irritum, nullum præſtare poteſt impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum. Quod autem *Sanches Diſp.* 48. cum cit. ibidem Canoniſtis, & *Becanus qu.* 24. aſſerunt nemini dubium eſſe quin priora Sponſalia diſſoluta ſint per po-

ſterius

ſterius Matrimonium ſi jure validum ſit;videntur mihi ſumere falſam hypotheſin,de ejuſmodi Matrimonio valido. Nos dicimus, illud ipſo jure nullum eſſe; nec poſſe talem obligatum contrahere in foro poli & ſoli Sponſalia cum aliquâ, multo minus inire Matrimonium tale, quod eſſet fortius vinculum, quam Sponſalia: *Reſpondemus* ergo, non debere non poſſe in foro conſcientię deſponſatos vinculum tale ſumere & ſibi nectere: quod revera eſſet γάμος ἄγαμος, vinculum non-vinculum; & conſequenter non eſſet, nec verè dici poſſet vinculum fortius. Sed arbitror totam hanc determinationem oriri ex falſa hypotheſi, quod Matrimonium ſit ſacramentum. Apud nos errore illo profligato, impediuntur affectata aut intenta Matrimonia eorum qui antea cum aliâ aut alio legitimo Sponſalia contraxerunt.

VII. *Quæſt. An priora Sponſalia Diſſolvantur per poſteriora: ſi his acceſſerit concubitus, aut confirmatio per juramentum? Reſp. Neg.* Peccatum promittentis, quod ad adulterium reducitur (*Deut.*22.*v.* 24.) non debet illi cedere in præmium ſcil. & privilegium libertatis ab obligatione Sponſalium *Concil.Trid. Seſſ.*24. *cap.* 1. *de Matrimonio* ſimiliter in partem negantem determinat. Ante quod affirmantem in Eccleſiâ Romanâ obtinuiſſe fatentur *Remiſſiones & Notæ* cum Concilio in poſter. edit. excuſę & *Becanus Quæſt.* 25. Juramentum illud de re iniquâ, & in præjudicium tertii præſtitum non obligare, à Theologis & JCC. ſtatuitur. Minus autem dicit *Becanus*, cum *loc. cit.* ſententiam hanc ſolummodo probabiliorem appellat.

VIII. *Quæſt. An Sponſus, aut Sponſa à Sponſalibus reſilire poſſit, ſi altera pars poſt Sponſalia adulterio, aut ſtupro, aut ſcortatione ſe polluerit. Reſp. Aff.* Hoc in caſu pars, innocens niſi delictum condonare velit & nihilominus Matrimonium implere, in foro conſcientiæ non tenetur, nec in foro ſoli compelli aut cogi poterit ad Matrimonium. Si enim à vinculo Matrimonii ob partis alterius adulterium pars innocens ſoluta eſt *Math.* 19. *v.* 9. quid ni à vinculo Sponſalium; in caſu commiſſi adulterii *Deuter.* 22.*v.* 24. Quod *Jus Orientale Græcorum Tom.* 1. *Lib.* 3. *p.* 213. & *Lib.* 8. *p.* 510. abſolutè vocat adulterium. Et ſic Theologi noſtri *Beza de Repudiis & Divortiis*, *Zanchius Part.* 2. *de Oper. creat. lib.* 2. *cap.* 2. *Polanus Lib.* 10. *c.* 53. Et *Jureconſulti*, *Althuſius Lib.* 1. *c.* 79. §. 19. ubi alii citantur. Pontificii recentiores Canoniſtæ & Caſuiſtæ, ajunt eſſe adulterium incompletum, & reduci ad adulterium. Diſſolutionem tali in caſu concedunt *Canoniſtæ ad c. quemadmodum, de Jure iurando.* & *Jureconſulti ad L.* 5. *C. de Sponſalibus.* Pariter *Jus Orientale Græcorum, apud Harmenopulum Lib.* 4. *tit.* 2. Hoc autem locum habere æque in Muliere ac in Viro, ex eo patet, quod in foro conſcientiæ non minus adulterii peccatum committatur à Viro

ro ac à Muliere. Et antiquo Juri Romano, merito obloquitur *Lactantius Lib. 6. cap. 23.* „Non enim ſicut juris publici ratio eſt, ſola Mulier adulte-„ra eſt, quæ habet alium; Maritus autem etiamſi plures habet, à crimine „adulterii ſolutus eſt. Sed divina lex ita duos in Matrimonium, quod eſt in „corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quiſquis com-„pagem corporis in diverſa contraxerit. Et *Clemens Alexandr. Lib. 2. Pædagogi cap. 10. Auguſtinus*, cujus dictum *Juri Canonico inſertum c. ſi ducturi 32. qu. 7.* Pro hâc ſententiâ congeſſit nonnulla *Tiraquellus Lib. 9. Connubial. num. 131.* Sed ex Jure divino & ex primâ Conjugii inſtitutione utriuſque mutua obligatio, & conſequenter tentatum adulterii in obligationis illius violatione tam manifeſtè evincitur; ut nulla hominum indulgentia, nulla prava conſuetudo, nulla voluntas Prætoris, nulla ſcita, nullæ leges Imperatorum, regum Magiſtratum dubium aliquod hic facere debeant. 1 Corinth. 7. v. 4. *Uxor non habet in poteſtate proprium corpus ſed Vir: ſimiliter autem & Vir non habet in poteſtate proprium corpus; ſed Uxor. Geneſ. 2. v. 24.* cum Math. 19. v. 4. 5. *Et qui duo fuerant, erunt una caro. Itaque non amplius ſunt duo, ſed una caro.*

IX. *Quæſt. An quis obligetur Sponſalibus dolo malo initis? Reſp. Neg.* ſiquidem dolus conſenſui ſit contrarius; & talis qui ſi adhibitus non fuiſſet, non ſit veriſimile coitura fuiſſe Sponſalia. Probatur ex eo, quod quæ dolo malo inita ſunt, nullam vim habent, immo jure reſcinduntur *L. cum quis ff. de dolo.* Ut ſi dos eximia à Parentibus aut Tutoribus offeratur ac promittatur: cum tamen ne obolus quidem præſtari poſſit. Alii addunt caſum; ſi philtro amatorio dementatus, aut ſi ſtudio malorum proxenetarum inebriatus promittat. De philtro inſaniam aliquam aut mentis alienationem, & rationis perturbationem inducente facilè crediderim: ſed de philtro in impotentem hujus ſingularis Puellæ amorem inducente, credat Judæus Apella. Quod ergo quis aliorum ſcelere in mentis perturbationem conjectus in quocumq; contractu ait aut negat, id ipſo jure nullum eſt: quanto magis in contractu Sponſalium. Et ſic in caſu ebrietatis dolo alieno inductæ, ſiquidem deceptus ἄπειρος ſit potus iſtius quamvis parvâ quantitate ſumti, tantopere inebriantis: idem judicarem in foro poli. Quia intercedit hic ignorantia invincibilis. Sed ſi nimium ingurgitando ſe inebriaverit, ipſe culpâ non caret. In caſu Mulieris vitiatæ, aut meretricis, aut aliis flagitiis, e. gr. furto, perjurio, &c. coopertæ, aut familiâ infami; infamibuſve Parentibus oriundæ; quam proxenetæ tanquam honeſtam & bonis prognatam commendârunt, ipsâ etiam has qualitates præ ſe ferente & mentiente; deceptus abſolvitur.

X. *Quæſt. An & quis error Sponſalia diſſolvat aut irrita reddat? Reſp.* Prius

Prius in genere *Aff.* Quia conſenſui nihil magis eſt contrarium quam error: Sponſalia autem conſenſu & quidem liberrimo, conſtitui debent. Ad poſterius præmiſſa diſtinctione *Scholaſticorum ad* 4. *Diſp.* 30. erroris *perſonæ fortunæ*, *conditionis*, *qualitatis*, per diſtinctas conditiones reſpondetur 1. *concl.* Error perſonę, qui contingit circa perſonam, aut circa qualitates perſonæ non tantum Sponſalia ſed & Matrimonium dirimit. Eſt autem e. gr. error perſonę, quando quis putat ſe Cajæ promittere, & promittit Semproniæ; aut quando Rachel Jacobo deſponſata non traditur, ſed Lea. *Geneſ.* 29. De quâ fraude & injuriâ Jacobus graviter conqueſtus fuit *v.* 25. Quæritur ab interpretibus, An Jacob & Lea peccaverint? *Reſp.* De Jacobi primo concubitu, ſiquidem ignorantia invincibilis interceſſerit (quod ego in medio relinquo) *Neg.* Sed de ſequenti quovis concubitu, poſtquam fraudem deprehendiſſet, *Aff.* quia deſponſatus cum eſſet Racheli, eandemque duceret in Uxorem, commiſit adulterium & inceſtum. Ex Recentioribus nonnulli hic confugiunt ad peculiarem Dei diſpenſationem, per quam uſus conjugalis ab adulterio & inceſtu immunis fuiſſet. Et quod lex *Levitic.* 18. de non ducendis duabus Sororibus tunc nondum lata fuiſſet. *Lombardus in* 4. *Diſt* 30. „Sed quod ibi factum, in Myſterio geſtum non „improbè traditur: ibi tamen etſi non præceſſit, ſecutus eſt conſenſus: nec „ex illo concubitu, qui conſenſum præceſſit, fornicari judicantur, cum „ille maritali affectu eam cognoverit: & illa uxorio affectu debitum per„ſolverit: putans lege primogenitarum & paternis imperiis ſe illi jure „copulatam. Excuſatur etiam quia de conſilio in myſterio ita actum eſt. Quem *Sententiarii* communiter ſequuntur. *A Lapide in Comentar. ad Geneſ.* 29. agnoſcit peccatum adulterii & inceſtus. Sed de polygamiâ & inceſtu infra ſuo loco diſputabitur. 2. *concl.* Error fortunæ eſt, cum quis pauper eſt, qui divitem ſe jactabat. Hic error Sponſalia non vitiat: quia divitiæ ad ſubſtantiam, aut formam eorum non pertinent. Et ſibi debet imputare, quiſquis Sponſalia contrahit, antequam ſtatum ejus, cum quo contrahit, exploraverit. Hæc ratio (teſte *Cypræo in Tract. de Jure Connubiorum cap.* 13. §. 35.) Conſtitutioni Friderici Daniæ Regis 2. ſubjicitur: *quod ſit levitas non ferenda, rem tanti momenti tractare, & alteri fidem de Conjugio dare, antequam ejus conditionem & facultates exploratas habeas.* Hæc eſt communis ſententia *Canoniſtarum*, Et *Alexandri* 3. *in Antiquâ Collectione Decretal. Ant. Auguſtini Collect.* 1. *tit.* 4. *n.* 3. & cum iis Theologorum Papalium *Lombardi Lib.* 4. *diſt.* 30. *Angeli*, *Sylveſtri*, *Antonini*, *Toleti in Summis*: & noſtrorum *Melanthonis* & *Pezelii in Exam. Theolog. c. de Conjugio. Bezæ de Repud. & Divort. p.* 124. edit. in 8. *Zanchii Part.* 2. *de Oper. creat. lib.* 4. *cap.* 2. *Polani Lib.* 10. *Syntagm. cap.* 53. De nobilitate, quæ etiam ad bona fortunæ refertur, aliter judicat

Lombardus Dist. cit. Hanc sententiam moribus & institutis probari ostendit *Cypræus Cap. cit.* §. 36. Sed ratio nulla adfertur quæ Jure divino aut naturali dissolutionem hanc in foro conscientiæ licitam esse probet. Ratio enim à *Cypræo* ex Constitutione Frederici 2. Regis Daniæ modo allata & hic locum habet. Aut enimscivit esse ignobilem, aut non scivit. *Si illud*; jam nullo dolo ipse sciens circumventus & deceptus fuit. Sin istud; imputet negligentię propriæ, non minus ac in errore circa divitias. Quod si tamen eą conditione Sponsalia inita sint, ut tantam dotem conferat, aut Sponsus tantum habeat in bonis, aut non sit obrutus ære alieno, cui exolvendo utriusque bona non sufficiant: jam puto posse rescindi, conditione non pręstitâ. 2. *Concl.* Error conditionis seu status est, cum Servus pro libero sese gerens ingenuam duxit. Hic error Sponsalia dirimit à parte deceptæ: siquidem hoc ignoraverit, & adhibitâ mediocri diligentiâ certò scire nequiverit. Intelligimus autem hic Servum, qualis in Jure civili describitur: qui sine Domini consensu nihil de se polliceri, nec corpus suum alteri tradere potest; cum ejus non habeat potestatem. Sic *Canonistæ ad c. significasti, de Divortiis & ad c. proposuit, & c. ad nostras Extravag. Lib. 4. tit. 9.* Et communiter *Scholastici ad 4. Dist. 30. Thomas* & ex ac cum eo *Orbellis*. Ex nostris *Zanchius Lib. 4. cap. 1. quæst. 3. th. 5.* non malè addit hanc exceptionem: nisi post cognitam personæ conditionem secuta sit carnalis copula. 4. *concl.* Error qualitatis est, si corrupta inveniatur, quæ pro virgine per errorem fuit desponsata. Quæritur An in foro conscientiæ absolvat partem deceptam, & eadem in foro externo, si petat, absolvi debeat. *Resp.* Negant communiter *Canonistæ ad c. 29. qu. 1.* & *Scholastici ad 4. Dist. 30.* Contra *Aff.* Nostri *Melanthon in Tract. de Conjugio, Beza de Repud. & Divort. Zanchius Quæst. cit. th. 4.* Ratio adfertur ex *Deuter. 22. v. 21.* ubi Deus impositâ lapidationis pœnâ (quæ eadem cum pœnâ adulterii) ad vitiatam etiam domum ductam, & carnaliter cognitam retinendam non obligavit: quanto magis dissolvi poterunt Sponsalia ante initum Conjugium & copulam carnalem. Addunt piis & honestis in Israele religioni fuisse, patefacto dolo, ad conjugium & ad copulam progredi: idque probant exemplo Josephi *Math. 1. v. 18. 19.* Ubi curiosè de multis quæstionibus disputatur ab *Abulensi*; & à *Corn. à Lapide*; specialiter prolixe de istâ, An Maria jam esset conjugata & domum ducta, an vero tantum desponsata? Cui annectit & alias: Cur Deus voluerit Christum nasci ex desponsata aut conjugatâ? An Maria votum castitatis emiserit? Cur ac quando Josephus eam voluerit dimittere? Nostri superfluis rejectis, necessariò corrigendą Corrigunt: inter quos *Christoph. Pelargus in Euangel. Quæst. & Resp. ad Mathæum.*

Toßanus

Toßanus in commentar. ad Matheum. Frid. Spanhemius Dub. euangel. Part. 1. *dub.* 27.-33. Monent *Melanthon* & *Zanchius loc. cit.* prudenter hic agendum, ne multæ tragœdiæ excitentur, familiæ committantur, piæ alioquin Matronæ committantur, neque temere adverſus leges Magiſtratuum, & conſuetudines receptas aliquid tèntetur. „Illud, inquit *Zanchius* „mihi ſemper placuit, *charitas operit multitudinem peccatorum.* Tantum „diximus, quid liceat per legem Dei, & quorundam etiam Imperatorum: „non autem quid ſemper expediat definimus. Lex Imperatoris, quam hic reſpiciunt, eſt *Leonis Novella conſtitutio* 93. *Beza pag.* 125. quamvis jure hoc juſtiſſimis rationibus & verbi divini autoritate ſubnixo Genevæ uterentur, pleriſque tamen in locis aliter judicari fatetur. Ego arbitror rationem explorandi hujus delicti vix inveniri poſſe; ſaltem difficillimam eſſe: & tam difficile ſuo modo haberi tanquam impoſſibile. Deſponſatus de corruptione ante Sponſalia, aut poſt Sponſalia ante Nuptias quomodo decorè inquiret? & quomodo ſine eâ ipſi conſtabit? niſi uterum geſtet? Extra hunc caſum, quidnam certum indicium præſtabit? Si quis ſit, qui ipſe propriam turpitudinem detegat, & teſtetur, ſe illam carnaliter cognoviſſe: an hoc juſtam probationem præſtabit? Quod ſi ad diſſolutionem Sponſalium via tam invia? an planam eam magis putabimus ad diſſolutionem Matrimonii jam initi, & per ſubſequentem copulam confirmati. Fateor in lege forenſi Moſaicâ, de exploratione integritatis per judices aliquid ſtatutum eſſe *Deuter.* 22. *v.* 15-22. Hic variant *Interpretes*; alii enim τὸ *expandere veſtimentum* propriè accipiunt, *Interpretes* ſcil. *Chriſtiani:* alii metaphoricè, Rabbini ſcil. inter quos, *Sel. Jarchi:* הרי זה משל מחוורין הרברים כשמלה, id eſt, *ecce hoc metaphoricum* eſt q. d. perſpicuis verbis explanantes, ſeu perſpicuum vel dilucidum reddentes tanquam veſtimentum, tanquam purum linteum ut *Thalmudici* loquuntur. Et hæc eſt interpretatio *Thalmudicorum.* Quam approbat *Lyranus in Poſtillâ*: qui putat abſurdum eſſe, ſi dicatur, veſtimenta aut lintea illa, ſuper quibus nupti primo cubârant, expandi debuiſſe coram Judicibus. Fuiſſe ergo à Parentibus accuſatæ integritatem Filiæ ſuæ probatam, per teſtes Fæminas huic rei explorandæ adhibitas. *A Lapide* & *Marius in Commentar. ad locum cit.* propriam ſignificationem retinent, & modum ac rationem hujus ſigni cum Medicis exponunt; in quo ipſis præivit celeberrimus Medicus *Valeſius in Philoſ. ſacrâ cap.* 25. *Marius* fatetur non eſſe ſignum illud infallibile: tale tamen eſſe, quo certius haberi nequeat & quod in judicio ſufficiat. Forte quis diſtinguat, abſentiam illius ſigni certum eſſe indicium corruptionis: præſentiam ejuſdem non eſſe τεκμήριον integritatis. Sed & illud inſtantiam patitur. Vide *Valeſium.* Nos ἐπέχειν malumus, quam veriſimilia aut incertas conjecturas promere: præſertim

cum

cum istiusmodi disquisitiones magis decorè à Physicis aut Medicis scribantur, quam à theologis. Interim, si quem necessitas aliqua adigat ad penitiorem istorum cognitionem, is adeat Scriptores anatomicos, & *Valesium modo cit.*; tract. *Pinei de Notis Virginitatis*; imprimis *Epistolicas Quæstiones Beverovicii* anno 1644. ubi *pag.* 30-65. *Epistola Beverovicii*, & *Balthaz. Lydii ad eandem Responsum.* & *Pauli Zachiæ Quæstiones medico-legales Lib.* 3. *tit.* 2. *quæst.* 7. & *Lib.* 4. *tit.* 2. *qui est de Virginitate & Stupro.* ubi tandem concludit, non posse certo de virginitate constare; minimum vero ex signo quod indicari putatur *Deuter.* 22. Quod corruptæ illud adesse, & integræ illud non adesse contingere possit §. 26-33. Alias omnes notas *ibid.* examinat. *Quæst.* 2. & 3. & nihil nisi præsumtiones & conjecturas restare haut obscurè fatetur; & non alienum se esse à Lyrani & Rabbinorum expositione loci *Deuter.* 22. paulo ante relatâ. Ex Nostris Theologis *Franc. Junius in analyt. Explicatione Deuteron.* 22. aliam quam conjecturam refert: unde & cujus, ibid. non indicat. Ipse tamen eam non comprobat. Si quis dicat fuisse signum aliquod miraculosè absque ullâ exceptione semper ita eveniens & signans tunc temporis extraordinarium; quale *Numer.* 5. *v.* 12. & *seqq.* In casu zelotypiæ, aut signum lepræ *Levitic.* 13. & 14., non admodum repugnarem. Atque hactenus de præcipuis quibusdam causis; de quibus disceptatur, an Sponsalia dirimant. Antehac Glossatores Canonistæ ad cap. *Sic quippe* 27. qu. 2. casus dissolutionis Sponsalium his versiculis complectebantur

Lepra superveniens, furor, ordo, sanguis, & absens,
Læsaque virginitas, membri damnum, minor ætas,
Ac hæresis lapsus, fideique remissio, prorsus
Sponsos dissociant, & vota futura retractant.

Hodie *Recentiores Casuistæ* sequentes causas enumerant. 1. per Matrimonium subsequens valide celebratum. 2. per mutuum consensum, & mutuam Sponsalium remissionem. 3. per fornicationem sequentem. 4. per morbum quemlibet contagiosum supervenientem. 5. quoties denuo agnoscitur notabilis morum asperitas, & sævitia alterius. 6. per superveniens impedimentum juris Matrimonium dirimens. 7. per votum simplex religionis & castitatis præcedens. 8. per ingressum religionis. 9. per non observationem temporis præstituti. 10. per absentiam alterius absque licentiâ. 11. per supervenientem affinitatem. 12. per dolum ipso jure irritantem Sponsalia. 13. quando non implentur conditiones sub quibus celebrata sunt Sponsalia. Hæc omnia vide à *Recentioribus* explicata & disputata. Nos judicamus omnibus illis in casu conscientiæ standum non esse: & de præcipuis quibusdam sententiam jam diximus.

XI. *Quæst. An si quibus legitima Sponsalia Sponsam per certam illam matrimonii*

trimonii ſpem & promiſſionem ad concubitum pellexerit, à vinculo illo liberari poſſit; ut aliam ducat, aut ſaltem in cœlibatu, quamdiu Virgo violata vivit, ætatem tranſigat? *Reſp.* in foro conſcientiæ *Neg.* Repugnaret hoc omni æquitati & juſtitiæ. Quin tales perjuri Deſertores & Stupratores in foro ſoli gravibus cenſuris, & pœnis cohibendi eſſent. Inter Pontificios non defuerunt, qui diſputarent, Deſertorem poſſe liberari ſive per ingreſſum in religionem, ſive per caſtitatis votum ſimplex poſt contracta Sponſalia emiſſum. Ita refert *Sanches Diſp.* 44. Sed ipſe de communi ſententiâ Doctorum contrarium tuetur. Noſtri communiter negant, Rationes ad *Quæſt. ſequ.* allatæ accedentes ad rationem de fide & promiſſione ſervandâ validiſſime hoc evincunt.

XII. *Quæſt. An ſi honeſta Virgo ad concubitum pellecta fuerit, ſed per promiſſionem ſolummodo conditionatam, aut doloſam ambiguis verbis conceptam, aut etiam abſque expreſſâ aliquâ Conjugii promiſſione, per aſſiduas blanditias ac ſollicitationes; Stuprator in foro conſcientiæ eam ducere teneatur? Reſp. Aff.* aliter enim Virgini illi non fit reſtitutio. Virgini enim â Stupratore ablatum eſt præcipuum decus, & cum eo occaſio honeſti Matrimonii. Illa autem in pudore & mœrore ſolitaria contabeſcit, aut ſpe conjugii decollante diaboli & carnis inſidiis patet, quibus facile ad impuritatem ſeduci & prolabi poſſet. Nec minus infamia, contumelia, injuria ſtupratæ Parentibus totique familiæ illata aliquando ſeverè vindicanda incumbit conſcientiæ Stupratoris. Vide quomodo Deus peccatum ſtupri peccato puniverit *Geneſ.* 34. *v.* 15. 31. Obſervatum eſt Stupratoribus reſtitutionem per ſubſequens Conjugium negantibus, in Conjugio aut in vitâ cœlibe, etiam in morte omnia adverſa plerumque evenire. Et quamvis externa mala antecedentem ſcelestum non ſemper ita ſequantur, experitur tamen illud quod Auguſtinus de quolibet alio peccato loquitur, *peccatum tranſit, vermis manet.* Non fruſtra apud Germanos jactatur hoc proverbium: *Qui vitiat* (violat) *Virginem bonâ morte non moritur.* Cogitet quis illud juris naturalis & divini axioma Math. 7. v. 12. *Omnia quæcunque volueritis ut faciant vobis, homines,* &c. Textus *Exod.* 22. evincit tunc in foro ſoli Stupratorem ad Matrimonium compulſum fuiſſe. Quæ legis ſanctio quamvis in ſpecie & poſitivè omnes Reſpublicas non obliget (poſſunt enim pro re natâ gravioribus pœnis ſtupra coërcere), hoc ſaltem oſtendit, non repugnare eam juri divino aut naturali, quippe à Deo immediatè poſitam; & inde conſequentiam educi poſſe, multo magis talem reſtitutionem in foro poli deberi. Cauſam hanc agunt ex Noſtris Theologis, *Lutherus Tom.* 5. Jenenſi *pag.* 246. a. Ejus verba *in Deuter.* 22. hic exhibeo: „Addit autem ibidem habendum pro Uxore, ſi

„ Pater Puellę voluerit. Si non voluerit, nihilominus dotem ejusmodi red-
„ dat. *Utinam ista quoque lex apud nos in exemplum traheretur, propter mise-*
„ *rum illum sexum mulierum. Brentius in Exod. 22.* Sed & hæc lex postea
„ mitigata est à Jure canonico. Ac forum quidem civile sua habeat jura,
„ nos autem observemus ea quæ ad conscientiam pertinent. Primum enim
„ qui stupraverit Virginem, non existimet se peccatum expiasse coram Deo
„ vel dote vel conjugio. Hoc enim scelus (N. B.) dignum est æterno suppli-
„ cio, &c. Fidem autem sequuntur opera, & fructus fidei. Inter fructus
„ autem fidei etiam hic enumeratur, ut quod quisque alteri abstulit, hoc,
„ si fieri potest, restituat. Jam stuprator abstulit Virgini summum decus
„ & honorem. Et hunc honorem non potest commodè Virgini reddere,
„ nisi ducat eam in Uxorem.

Paulus Tarnovius Lib. 1. de Conjugio cap. 31. ex professo pro hâc sententià disputat & objectiones solvit. Hemmingius in Tract. de Conjugio, in casibus subjectis pag 1020. (edit. Opusculorum in fol. a. 1586.) At si
„ reus fatetur factum, & nulla promissio de nuptiis est interposita, sed
„ simplex virgo blanditiis illecta, admisit stupratorem, quid hîc facien-
„ dum? Lex Dei mandat, ut eam quam violavit, ducat & dotet. Impe-
„ ratoria verò ut aut ducat aut dotet. Sed qui Christiani esse & nominari
„ volunt, nimium laxant frena libidinibus, dum relinquunt in stupratoris
„ potestate, velit ne eam ducere aut dotare, nec ne, quam stupravit.
„ Quod profectò dolendum est inter Christianos fieri. Nam ut corrigatur,
„ non est sperandum, prętertim ubi hîc magnarum quotidianus lusus est,
„ quorum arbitrio leges rogantur & abrogantur. Vellem profectò magistra-
„ tum hîc ad minimum cogere stupratores, ad elocandum cum dote eas
„ quas stuprarunt, Et abrogare legem, bono quidem consilio latam, de
„ mulcta novem marcarum; præsertim cum videat magistratus eventum
„ suæ expectationi non respondere: putavit enim, ut istọ pacto frænaretur
„ libido in puellis, ne tam facile se prostituerent.

Dedekenus in Consil. Theolog. vol. 3. & ex eo Pruknerus in Manuali 1000. Quæst. centur. 8. qu. 92 409. Ad quæstionem an qui Virginem nondum desponsatam vitiavit, eam ducere teneatur? Respondet: „ Vi conscientiæ
„ tenetur, siquidem tantum opprobrium, in quod proximam suam nefa-
„ riè conjecit, resarcire nequit, quàm *conjugio*: quanquam ad hoc *cogi* non
„ debet, præsertim si pater virginis eandem stupratam stupratori dare recu-
„ set, *Exod. 22. v. 16. Dedekenn.* vol. 3. Consil. Theol. p. 121.

Martyr in Thesibus & Quæst. ad Levitic. pag. 1034. Loc. commun. quærit de lege Exod. 22. an in Republicâ Christiana sit retinenda; & respondet non esse *prorsus necesse, quoniàm ibi additur, quod si Pater eam Corrupto-*

vuptori dare noluerit, &c. Et paulo post: *Mihi non videtur consultum*, &c. *ut lex de corruptâ & à se vitiatâ ducendâ in Uxorem, abrogetur*, &c. Agit ergo de lege & pœnis coercentibus in foro soli. Sed nobis hic prima & præcipua quæstio est, quid conveniat fieri in foro conscientiæ, ad fidem conjugalem, & debitam restitutionem præstandam. Hoc Theologi & non pauci Jure-consulti affirmant. Secunda, quæstio est, An Pater jure suo uti possit, negando consensum ad tale Matrimonium. De quo nemo Nostrum dubitat: ut infra videbitur. Tertia quæstio est, An Magistratus bono publico, vel sanctione similis pœnæ, *Exod.* 22. aut levioris, aut etiam gravioris stupra coërcere debeat. Et hic Theologi non dissentiunt à consiliis, monitis, votis Lutheri, Melanthonis, Brentii, Hemmingii, &c. Hanc 3. *quæst. tangit Beza epist.* 10.

„ *Zanchius Part.* 2. *de Oper. Creat. lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 1017. (edit. in 4.) „ Cum eâ solutâ, quam quis solutus cognoverit, contrahi potest Conju- „ gium: immo nisi aut Puellæ Parentes recusent, aut sanguinitatis vel af- „ finitatis gradus, aliquidve aliud impediat, contrahi debet. Lex Dei exstat „ perspicua *Exod.* 22. *v.* 16. 17. & idem prorsus confirmatur *Extrav. Lib.* 5. „ *tit.* 16. *can.* 10.

„ *Ibid. cap.* 2. *pag.* 1028. Si quis erret in conditione personæ; ut qui con- „ traxit Sponsalia cum Servâ, quam putabat esse liberam: is nisi post cogni- „ tam personæ conditionem, secuta sit carnalis copula, renuntiare potest „ Sponsalibus.

„ *Amesius Lib.* 5. *de Casibus cap.* 4. §. 31. Inter illas personas, quibus absque „ graviore incommodo licet inter sese contrahere Matrimonium, illa resti- „ tutio est maximè probanda *Exod.* 22. *v.* 16.

„ *Ibid.* §. 34. Magna differentia est, quoad restitutionis obligationem, in- „ ter eum qui inductus fuit ad Puellam vitiandam, & illum qui eam eo in- „ duxit. Inducens enim per vim, dolum, fraudem, aut solicitationes impor- „ tunas, tenetur ad restitutionem tam Puellæ quam Patri, tam in damnis a- „ liis quam in honore.

„ *Andreas Osiander in Notis ad Biblia*, *Exod.* 22. *v.* 16. Etsi autem politico „ Magistratui, Parentibus, & Virgini *hoc modo satisfieri* potuit: tamen coram „ Deo stuprum neque dote, neque Matrimonio subsequente expiatur.

„ *Idem in Notis ad Deuter.* 22. *v.* 28. Hodierna jura non cogunt Suprato- „ rem, ut à se violatam ducat, si Matrimonium non promisit: sed tamen si „ quis est vir bonus & æquus, non dedignabitur eam sibi Matrimonio jun- „ gere, cui summum Puellæ ornamentum, virginitatem abstulit.

„ *Franc. Junius in Notis ad Deuter.* 22. *v.* 28. Non quidem polliciens eam „ sponsione & spe Conjugii, cujus speciei lex fertur *Exod.* 22. *v.* 17. sed im- „ prudentem citra sponsionem, joco, vino aut astu circumveniens.

Targum Jonathan *Exod.* 22. *v.* 17. cum contra fidem Paraphrastę ex pravis moribus aut placitis humanis additamentum hoc intrusisset: *si non visum fuerit ei, vel si noluerit Pater ejus dare eam illi*, meritò à *Christoph. Cartwrigto in Notis ad Exod.* 22. hâc censurâ notatur: „ Quasi non solum in arbitrio Pa-„ tris situm esset, verum etiam in ejus arbitrio, qui Virginem pellexit, utrum „ eam in Uxorem ducere, nec ne; sed hoc est sapere supra id quod scriptum est. „ Adde *Melanthonem* cum *Pezelio in Exam. theol. Po'anum lib* 10. *syntagm. c.* 53.

Pontificii habent determinationem *Juris Canonici c. si seduxerit, de Adulteriis & stupro* (qui est *Tit.* 16. *Lib.* 5. *decretalium*) ex *Exod.* 22. qui ibi citatur. *Eodem Tit. c. pervenit*, sic casus determinatur: „ Pervenit ad nos, „ quod Felix quandam virginem stupro decepit: quod si verum est, quam-„ vis esset de lege pœna plectendus, nos aliquatenus legis duritiem molli-„ entes, hoc modo disponimus, ut aut quam stupravit uxorem habeat: „ aut si renuendum putaverit, corporaliter castigatus, excommunicatusque „ in monasterio, in quo agat pœnitentiam, detrudatur, de quo nulla sit egre-„ diendi sine præceptione licentia.

Ubi notat *Joh. Baptista Vivianus in suo Rationali Juris Pontificii, legis* imperatoriæ *duritiem* (*Instit. de Publ. Jud.* §. 2.) aliquatenus per *Jus canonicum* fuisse emollitam. *Rubrica* sic habet: „ Stuprans virginem, tenetur eam do-„ tare & ducere in uxorem: & si non vult cum eâ contrahere, ultra dotem „ corporaliter castigabitur. Confer & *Thomam* 22. *Qu.* 154. *art.* 6. probat stuprum esse determinatam luxuriæ speciem ab aliis distinctam; & peccatum illud fieri deformius ex peccato injustitiæ &c. Quod duplicem injuriam annexam habeat: unam ex parte Virginis; quam etsi non vi corrumpat, tamen eam seducat, & *sic teneatur ei satisfacere.* Unde Exod. 22. *si seduxerit &c. Alteram*, quæ fit Patri Puellæ. Unde & ei secundum legem tenetur ad pœnam: dicitur enim Deuter. 22. *Si invenerit Vir Puellam* &c. His non obstantibus, Recentiores nihilominus hic fluctuant apud *Lessium Lib.* 2. *de Justitiâ & Jure cap.* 10. *dub.* 2. *Primo* Corruptor Virginis, si Puella liberè consensit, & ipse non promisit eidem Conjugium, ad nihil ei tenetur: quia violenti non fit injuria; neque etiam Patri quidquam debetur. *Ratio est; quia nec illi fit injuria; nisi forte quatenus censetur lædi honor & dedecorari familia. Puella enim est Domina sui corporis.* An laxa hæc casuistica convenit cum 1. *Corinth.* 7. *v.* 37. 38. ubi Parens dicitur Virginem suam servare, & nuptum dare aut non dare nuptum. Et cum *Ps.* 127. *v.* 3. Filii respectu Parentum, dicuntur possessio, merces aut sagittæ in manu robusti. Et cum iis, quæ de voto Filiæ emisso in familiâ Patris irritando habentur *Numer.* 30. Immo cum iis quæ *Thomas* ejusque *Commentatores*, nominatim *Cajetanus* 22. *Quæst.* 1154. *art.* 6. ex *Deuter.* 22. philosophantur de naturali curâ & cu-

stodiâ

stodiâ virginitatis Filiarum suarum quæ sit penes Patrem; quamque illi servare student usque ad Conjugium. Hanc si quis eripit Virgini sub Patris aut Tutorum custodiâ constitutę, quæ sola non est Domina sui corporis, injuria etiàm fit Patri; ac propterea illi etiam satisfaciendum: uti docet *Thomas loco cit.* Sed pergamus. *Secunda Lessii* conclusio est. Si corruptor vi aut fraude usuram corporis extorsit, etsi absque promissione, tenetur eam sibi Matrimonio copulare, vel damnum reparare. Et sic *Navarrus in Manuali cap. 16. §. 16. & seqq.* Sed illud nec ex Jure naturali, nec ex divino, nec ex *Canonico, c. si quis, de Adulteriis & stupro deduci poterit. Lessius* contra textum Juris canonici cum *Sylvestro* & *Covarruvia* excipit: intelligendum esse textum de obligatione Stupratoris ad utrumque juxta *Exodi* 22. post sententiam Judicis; sed ante sententiam judicis non teneri, nisi ad alterum. *Resp.* ubi lex non excipit, non distinguit, *Lessii* exceptio tam facile rejicitur, ac ab illo adfertur. Præterea agitur hic de naturali & divino Jure, quo quis in foro poli & conscientiæ suæ obligatur ad satisfactionem pro eo, quod Virginem humiliavit, & Parentes ac familiam injuriâ affecit. *Instat Lessius:* Si Stuprata velit Matrimonium, non tamen tenetur Stuprator ante sententiam: sed sufficit in foro conscientiæ, damni illati compensationem præstare sive vi, sive fraude & mendaciis illam induxerit; modo promissio non intervenerit. *Resp.* Vę conscientiis, quæ talibus Magistris commissæ sunt. Si ageretur, de pœnâ capitis, aut aliâ aliquâ corporali, aut fortunarum omnium jacturâ subeundâ, nemo iis sponte se induere deberet; & judicis sententiam prævertere. Sed cum agitur de erigendâ honestâ Virgine ex ruinâ tum suâ tum familiæ suæ, in quam Stuprator eas præcipitavit; cur potius sponte ex amore justitiæ, ex visceribus miserationis, ex caritate non fictâ, etiam suo quocunque damno & incommodo (quandoquidem res non est integra) non liberat animam suam, non levat dolorem desolatæ & humiliatæ Virginis, atque una Parentum, Cognatorum, Tutorum ejus; quam cogi se patitur? Applica ad opus hoc justitiæ & æquitatis dictum illud eleemosynarium: *Bis dat, qui cito dat*, &c. & 1 Cor. 9. v. 7. *hilarem datorem diligit Deus.* Certè non est optima amicitiæ conjugalis, & cum Virginis Parentibus ac Cognatis Pręparatio ac conciliatio, futuri Sponsi ad Conjugium compulsio & coactio cum antecedentibus in foro externo litibus, ac productis probationibus. Non omittendum, quod *Navarrus* cum *Lessio loc. cit.* emphasim aliquam tribuunt precibus importunis, metui reverentiali (ut si erat illius Dominus, aut Superior, aut magnæ autoritatis) aut *importunæ atq; improbæ sollicitationi*, quâ assiduè ei molestus fuit. *Tertia* conclusio *Lessii*, quam habet *dub.* 3. Si promisit Conjugium, & ea spe seu conditione concubitum impetravit, tenetur eam ducere, etiamsi ficte promisisset.

Hanc dicit esse communem sententiam Doctorum. Et hactenus bene: sed exceptiones subjectæ tam bene dicta haut parum concutiunt. Primum & secundum casus exceptos, reliquis preteritis, hic suffecerit indicasse, refutasse. *Primus* est, si ipse longè sit nobilior vel opulentior; idque ipsa sciverit. Sed ex quo Jure divino ac naturali conscientiæ hoc persuadebis? Quomodo hoc convenit cum ipsorum casuisticâ, quâ statuunt, nec Sponsalia, nec matrimonium dissolvi ob inæqualitatem in bonis fortunæ? Et quomodo hic post vulneratam causam dissolventur in foro conscientiæ; si libere promissionem dedit, & sub illâ concubitum impetravit? Et si Virgini fraudi esse deberet, quod majorem proci sui nobilitatem aut majores divitias scivisset; cur non magis fraudi esset proco, quod minorem Virginis nobilitatem & minores divitias scivisset, & nihilominus Conjugium ipsi promisisset, ac postea stante hac promissione concubitum impetrasset. An ergo nefas esset Virgini si Conjugium à ditiori offeratur, ei annuere? *Secundus casus* est, Si Puella ex aliis conjecturis facile deprehendere poterat, ipsum sincere non agere, nihil seriò promittere, sed se judificare? *Resp.* Meræ nugæ: Cur unà non advocat æquivocationes, & mentales reservationes? Spectandum ergo *primo* quid debeat fieri in foro conscientię; & *deinde* quid in bene constitutis Rebuspublicis & Ecclesiis circa stupra & circa restitutionem pro iis constitui & fieri debeat. Hęc in quęstionibus proponendis & decidendis non sunt confundenda: uti sæpe hoc fieri solet. Ratio desumta ex honesto, justo, & æquo naturali *Deuter.* 22. manifestè indicat agi hic de eo quod in foro poli & conscientiæ fieri conveniat: & quod stuprator hic deficiens, per publicam potestatem compelli debeat.

Audiantur insuper *Jureconsulti.* Ex protestantibus hanc causam agunt conformiter doctrinæ Lutheri, *Cypræus in Tract. de Jure Connubiorum cap.* 10. §. 9. 10. 11. 12. ubi legem *Exod.* 22. adducit & rationes Juris atque æquitatis naturalis, etiam Jura Atheniensium, aliarumque Rerumpublicarum; insuper præcipuas oppositę sententiæ objectiones diluit: primo distinguendo inter filiumfamilias, qui Virginem ad stuprum pellexit ac seduxit; & inter Filiamfamilias quæ seducta est. Ille per potestatem patriam subtrahi non potest sanctioni legis *Exod.* 22. Objectio de disparitate opum facillimè ab eo difflatur. Objectio de Nobilitate in hypothesi (in Germaniâ scil.) ibid. eo ipso non tollitur: quod scil. moribus & legibus vetita sint Conjugia Nobilium cum plebejis; etiam antiquo Jure Saxonico, sub pœnâ capitis. Hęc cum vulgò istic nota sint, monere debent plebejas ne Sponsalia cum Nobilibus ineant, & consequenter ipsis aliquam sui copiam faciant. Sed hæc jus & tribunal soli respiciunt; in quo Virgo à Nobili desponsato humiliata

miliata triumphare nequit. Interim eo ipso non tollitur obligatio in foro conscientiæ, quà Nobilis liberè contractis Sponsalibus, & secuto concubitu, teneretur vitiatam ducere. Accedunt huic sententię *Althusius* & *Autores* ab illo *citati Lib. 1. Dicajologiæ cap. 125. §. 20.* Unde colligimus aut ducendam esse vitiatam, aut Stupratorem à Judice castigandum. Et hæc quidem præcipuè respiciunt forum soli. Propius jus & forum conscientiæ apparet in determinatione *Thomæ Sanches Lib. 1. Disp. 45.* quâ contra *Navarrum, Vivaldum*, &c. statuitur, eum qui prius fide datâ de Matrimonio Virginem defloravit, & postea votum religionis aut castitatis emisit, teneri potius ad Matrimonii, quam ad voti impletionem. Summa dicendorum huc redit quidquid de pœnâ, & de coactione ad Matrimonium leges humanæ hic remittant aut intendant ob rationes necessarias: solum tamen Jus divinum & naturale conscientiam cujusque obligare non desinit.

CAP. VI.

De Distinctione Sponsalium à Nuptiis, & de aliquo temporis inter utraque intervallo.

PRima *Quæstio est an distinguantur. Resp. Affirmant* communiter Theologi & Jureconsulti: inter istos Franciscus Hotmannus in Tract. de Castis incestisque Nuptiis sect. 3. cap. 4. non malè probare mihi videtur ex Deuter 20. v. 7. *Et quis est Vir, qui Uxorem desponsavit, & non accepit eam? Vadat & revertatur ad domum suam: ne forte moriatur in prœlio, & Vir alius accipiat eam.* Adde quod Josephus *Matth. 1. v. 18. 20.* & *Luc. 1. v. 26.* desponsaverat eam, sed nondum *convenerant*; nondum Josephus eam *acceperat*. Et sola definitio Sponsalium distinctionem evincit; sunt enim promissio Matrimonii futuri. Alias differentię rationes à Jureconsultis allatas hic prætereo: quia intentioni nostræ non inserviunt.

Secunda quæstio. An aliquod temporis intervallum inter Sponsalia & Nuptias constituendum? Resp. Aff. cum *Zanchio Lib. 4. cap. 1. thesi 3. qui ibid.* adfert rationes: quarum *prima*, ut conjunctio animorum prius inter ipsos confirmetur, quam corporibus conjungantur: tanto magis ad preces excitari, iisque vacare possint. *Secunda*, ut si quid fortasse lateat justę causæ, quo promissum Conjugium ipso jure nullum judicaretur, id ante consummationem tempestivè cognoscatur; & sic ulterius non promoveatur dum res adhuc sunt integrę. *Tertia*, ut honestum & decorum naturale servetur; nec homines instar bestiarum eò procurrant, quo sensus propellunt. Media ratio est peremtoria, & universalis, & tam in foro

poli

poli quam in foro soli circa omnium tam Infidelium quam Fidelium conjugia necessitatem inferens.

Tertia Quæst. Quantum temporis intervallum? Resp. Certum & definitum tempus omnibus, ubique præscribi non potest. Saltem tantum intercedere debet, ut si quis justè aliquod impedimentum, quod irritum redderet Conjugium, allegare possit; tempus habeat cognoscendi promulgata Sponsalia & impedimentum debitè iis indicandi, ad quos pertinet judicium. Moribus nostris, aliarumque Ecclesiarum ad minimum dimidii mensis spatium præfigitur. *Zanchius* putat integri mensis spacium concedendum.

Quarta quæstio: An positis Sponsalibus licitus sit concubitus ante solemnem Matrimonii confirmationem? Resp. Neg. cum communi doctrinâ Nostrorum & receptâ praxi Ecclesiarum in Galliâ, Belgio, Germaniâ, &c. quæ sine censurâ & testificatione pœnitentiæ tale peccatum in suis non præterit. Distingue autem concubitum solutorum absque præeuntibus Sponsalibus; qui tamen, quantum post vulneratam causam tunc fieri potest, per subsequens Conjugium emendant quod peccatum est: à concubitu eorundem, post inita Sponsalia ante Matrimonii confirmationem. De illo hic propriè non quæritur: sed de isto. Ex Pontificiis *Cajetanus ad* 22. *Qu.* 154. *art.* 4. *Navarrus in Manuali cap.* 16. §. 12. *Ledesma in Theol. Morali de Sacramentis tract. de Matrimonio cap.* 3. *dub.* 5. in partem negantem determinant. Ex Protestantibus *Balth. Mentzerus in Tract. de Conjugio* a. 1612. hanc sententiam & praxin Ecclesiarum Augustanæ confessionis proposuit ac defendit, quam postea *Peculiari Disputatione* in Acad. Giessenâ a. 1634. 4. Martii, propositâ contra Anonymum quendam, & sibi ignotum Politicum, vindicavit: Sponsum scil. qui ante solemnem benedictionem cum Sponsâ consuevit, ad publicam pœnitentiam & deprecationem cogendum esse. Præmittit ibi hanc hypothesin: Deum eo peccato graviter offendi, conscientiam sauciari, & Ecclesiam scandalizari. Et inde infert suarum Ecclesiarum Statuta & Ordinem esse necessarium & utilem conservandæ disciplinę & publicæ honestati, &c. conformem legi Dei & praxi primitivę Ecclesiæ. Rationes quę pro hac sententiâ adferri solent, hic studio pręterimus. Unica hæc nunc suffecerit, quod qui concumbit cum desponsatâ, adulterium committit *Deuter.* 22. An autem Sponsa tua alteri prius desponsata sit, & consequenter sic agendo crimen adulterii incurras, tu ne morali quidem certitudine certus esse potes; nisi adhibitis omnibus requisitis & per publicam autoritatem stabilitis explorationis mediis: quæ sunt publicæ proclamationes Sponsalium & solemnis ac Publica Matrimonii confirmatio. Tantum nunc objectiones refutandæ.

1. *Object.* Sponsus per Sponsalia aliquod jus justitiæ acquirit in corpus Sponsę.

Sponsæ. Hanc habet *Ledesma loco cit.* *Resp.* ibidem non acquirere jus & dominium perfectum in corpus Sponsæ, sed solum imperfectum. Nos sic respondendum putamus; acquirere eum jus; sed non juris χρῆσιν absolutam ac præsentem; sed tantum conditionatam ac futuram; tunc positis ponendis, & si nihil de jure impediat aut impedire ac conjugium irritare possit, capessendam.

2. *Object.* Quia est peccatum tantum commissum contra legem civilem seu positivam Magistratus: & non immediatè contra Deum aut ejus legem; & per consequens, non censuræ ecclesiasticæ sed pœnis civilibus subjacet.
„ *Resp. Mentzerus* defendens ibi praxin Ecclesiarum suarum respondet, &
„ rectè: Etiam peccari in sextum (quod nobis septimum) Præceptum, & con-
„ tra ipsum Deum legis autorem. Est ergo peccatum, quo Deus gravissimè
„ offenditur, conscientia vulneratur, & scandalum datur publicum; ad
„ quod avertendum & tranquillandam conscientiam, & ne ira Dei contra
„ totum cœtum ingravescat, *requiritur seria pœnitentia, publica confessio, &*
„ *seria deprecatio.* Ostendit *ibidem* Deum graviter offendi confusione & turbatione boni ordinis à se præscripti: uti colligitur ex discrimine, quod inter Sponsalia & Matrimonium ipse Deus *Deuter.* 22. *v.* 15. 17. constituit. Hic adde consuetudinem populi Dei *Deuter.* 10. *v.* 7. & Sanctorum *Math.* 1. *v.* 18. cum 24. *Genes.* 29. 20. & 19. *v.* 14. *Judic.* 14. *v.* 7. 1 *Sam.* 8. *v.* 17. quæ postea à *Mentzero thesi* 36. adducuntur. „ *Conscientiam* vulnerari pro-
„ bat, quia scientes & volentes peccant contra ordinem & præceptum Dei,
„ contra ordinem Ecclesiæ, contra legem Magistratus, & honoratas familias;
„ & hostibus suis dant occasionem & materiam, religionem Christianam
„ traducendi? Ego & alteram rationem peremtoriè concludentem hic addo: quia juris divini & naturalis est, ut nihil errante aut dubitante conscientiâ agatur, præsertim in re tanti momenti. Jam vero talis concubitus fieri non potest certâ (de certitudine morali, quanta scil. in talibus haberi potest & sufficit) utriusque partis scientâ & conscientiâ. Sed utriusque partis de alterius libertate aut per antegressam desponsationem obligatione, perpetua est aut esse debet sive dubitatio, sive simplex ignorantia; & consequenter dubitat aut ignorat an Sponsum aut Sponsam alterius tangendo, adulterium non committat. Atqui vult Apostolus, ut *unusquisque in animo suo plene certus* sit Rom. 14. v. 5. *Qui vero dubitat, si ederit condemnatus est, quoniam non ex fide, quidquid vero ex fide non est, peccatum est.* Ibid. v. 23. Hic excipi non potest, Ignorantiam aut dubitationem illam esse invincibilem, & inculpabilem: cum sit purè affectata; quia ordinariam & ad minimum debitam diligentiam non adhibuit: cujus ultimus terminus est in habito publico eorum judicio, qui ordini Sponsalium & Conjugiorum præ-

 sunt,

ſunt, hoc eſt, Eccleſiæ & Magiſtratus. Et ſi iſto præhabito, evenire tamen poſſet ut aſſumta Uxor alteri antea deſponſata fuiſſet, qui non obſtante hoc Matrimonio & concubitu jus ſuum indicaret atque urgeret, deceptus cum Abimelecho *Geneſ.* 20. *v.* 5. reſpondere poſſet: *in integritate cordis mei, & in munditiâ manuum mearum feci hoc. Scandalizari* Eccleſiam & extraneos ab eâ, modo civilem aliquam honeſtatem & εὐταξίαν politicam agnoſcant. „Ipſa praxis, inquit *Mentzerus*, oſtendit in excommunicatio-„ne; dum à ſacræ cœnæ uſu arcentur Sponſi prævaricantes; & Sponſis non „permittitur, quando certo conſtat læſam eſſe virginitatem, ut virgineo ha-„bitu ad Eccleſiam progrediantur. Et ſolet hoc ipſum publicis tabulis teſti-„moniorum legitimæ nativitatis inſeri, quod Mater illius, cui datur teſti-„monium, ornatu virgineo (non jam loquar de Viduis) publicè per plateas „ad ſacram Nuptiarum benedictionem ducta fuerit. Ex quibus theſi proximè ſequenti 30. concludit, *deſponſatorum concubitum ante Nuptias dignum eſſe excommunicatione*. Hæc volui ex Mentzero hic potius adducere quam meis cogitatis & verbis cauſam hanc agere: ut omnis præjudicii occaſio præveniatur; & Noſtrates exemplo Germanorum excitentur ad exercitium diſciplinæ ob intempeſtivos & inordinatos ejuſmodi concubitus; & magis ob ſtupra honeſtis Virginibus illata; etiam ante deſponſatis, & perfidè ac nefariè in luctuoſo illo & quaſi deſperato ſtatu abſque reſtitutione per ſubſequens Matrimonium, deſertis. An iſta iram Dei (uti modo loquentem audivimus *Mentzerum* conformiter noſtræ *Catecheſi Quæſt.* 82.) in Eccleſiam univerſam, in Rempublicam (ubi talia impunè fiunt) non concitarent, & ignem Sodomæ, aut cladem Sichemiticam, aut aliud aliquid malum θεήλατον de cœlo non deducerent? Si Germania, de cujus tepido aut ferè nullo in aliis peccatis diſciplinæ eccleſiaſticæ, ob potentiæ impedimenta, exercitio, præſtantiſſimi iſtic Theologi paſſim conqueruntur; hâc tamen in parte oſtendit antiquum Germanorum ingenium & morem in honorandis caſtis Nuptiis etiamnum vigere: nec ſolorum, Calviniſtarum, Genevenſium, Puritanorum hunc eſſe rigorem: An Germanicarum Eccleſiarum pudica non tantum ſententia, ſed & praxis, dormire nos ſinent? Addit *ibidem* „*Mentzerus theſi* 32. ſe commendare & defendere ſuarum Eccleſiarum Sta-„tuta, & Ordinem tanquam conformem legi Dei, & praxi primitivæ Ec-„cleſiæ, & valde neceſſarium & utilem ſervandæ diſciplinæ, & publicæ honeſtati. Poſtea *Theſi* 39. citat Conſtitutionem Alexii Commenii Imperatoris Orientalis intempeſtivos concubitus prohibentem.

3. *Object.* In oculis Dei inter Deſponſatos eſt perfectum Conjugium: & ipſa Scriptura Sponſam vocat Uxorem *Deuter.* 22. *v.* 23. Ergo licitus eſt concubitus. Et adulterii crimine tenetur quiſquis alteri Deſponſatam attingit.

tingit. Ergo Jure divino non est illicitus concubitus Desponsatorum. *Resp. Mentzerus thesi* 46. Verum quidem esse neminem corporis quod alteri desponsatum est, potestatem habere: sed inde non sequi, ipsos Desponsatos mutuam corporum potestatem habere. Plus, inquit, Sponsalium beneficio habere non possunt, quam quod à Sponso petitum, à Sponsâ & Parentibus promissum: atqui præsens aut ante-nuptialis concubitus, nec petitus nec promissus, nec à publicâ potestate Conjugiorum directrice concessus & approbatus. Vinculum Conjugii promissi, & statuto tempore implendi validè obligat Desponsatos: sed cohabitatio conjugalis Nuptiis reservatur; ut jus cuique tertio & publicę potestati suprema jurisdictionis jura (si quod impedimentum Sponsalia irrita reddens, aut legitimum Conjugium prohibens) integra sint. Si quis intempestivè præoccupet, jam jus tertii salvum non est, nec suum cuique tribuitur: dum concupiscit & violat alterius Sponsam, & tangit eam, quæ Jure divino in foro conscientiæ ipsius non est, nec esse debet, sed Proximi; cujus ea vel Uxor est domum ducta, vel Sponsa: saltem de posteriori nunquam aliquâ certitudine ipsi constare potest: de priori haut raro incertum est, præsertim si ad extranei non ita aut vix noti concubitum, initis Sponsalibus, festinetur. *Sed instet quis*; non pertinere hoc ad forum poli, sed tantum ad externum, & quidem politicum: quia Lex divina aut naturalis hic nulla est, contra quam peccatur; sed tantum civilis, aut Ecclesiastica? *Resp.* 1. *Neg.* tantum Lege positiva civili, (quod volebat Anonymus à Menzero refutatus); aut etiam ecclesiasticâ intempestivum concubitum prohiberi. Lex enim divina & naturalis prohibet alteri Desponsatam carnaliter cognoscere: & mandat ut quisque propriâ fruatur Uxore; non alienâ: & salvum cuique tertio atque integrum Jus reservandum esse, & quod tibi fieri nolis, alteri non esse faciendum. Hæc autem omnia directè, immediatè, per se conscientiam cujusque obligant: quod Legibus humanis purè positivis, non est tribuendum. Positivæ Leges, ut Jus divinum & naturale observetur, peristatica quædam circumscribunt, ac præscribunt; ut scil., tot publicis proclamationibus Sponsalium ac futuri Matrimonii (nisi quis impediat) indicium fiat; atque Matrimonii solennitas, ratihabitio, & confirmatio post tantum temporis intervallum à Sponsalibus, & seu mavis à legitimâ Sponsalium professione, inchoanda absolvatur. *Resp.* 2. Dato, non concesso, tantum Lege politicâ concubitum prohiberi: inde tamen non sequitur, transgressione illius Legis politicæ non peccari in Deum, nec dari scandalum. Lex enim illa, si tantum pœnalis esset (uti non est): nihilominus cum præcipiat, quod in se utile, honestum, & Juri divino ac naturali conforme, seu non repugnans est, ab omnibus servanda est; non tantum ob metum, sed propter conscientiam. Quin præsupponit Jus divinum &

 natu-

naturale, ex necessitate suam cuique Uxorem tribuendi, & pericula adulterii avertendi ac præveniendi, oriundum; inque eâ fundatum. Talia autem pericula nunquam averti ac præveniri possent; siquidem Sponsalibus initis extemporaneus aut saltem antenuptialis concubitus non esset illicitus. Est ergo hic casus in poli & interioris conscientiæ foro. Unde sequitur duplici jure pertinere ad Ecclesiam; & sub ratione formali informationis conscientiæ, & promotionis Fidelium ad sanctitatem, & liberationis ab omni immunditiâ, &c. 2 *Corinth. 7. v. 1.*: & sub ratione formali scandali sistendi aut tollendi. Quo ipso judicio, jurisdictioni, & pœnæ à potestate civili secundum Leges infligendæ nullo modo præjudicatur. Ut enim circa alia contra Legem Dei peccata, materialiter eadem versantur Politia & Ecclesia; sed illa sub aliâ ratione formali, quam ista: sic etiam in peccatis contra septimum Præceptum. Haut aliter ac Physicus, Medicus, Pictor versantur circa unum idemque corpus humanum, sed sub longè diversâ ratione: ita ut Physicus Medico, nec hic Pictori, nec vice versa quidquam præjudicet.

2. *Instantia.* Sunt qui nullâ lege divinâ concubitum talem prohiberi, atque adeo in Legem Dei non peccari concedunt. *Tarnovius Lib. 2. de Conjugio cap. 34.* *Resp.* Fateor eum hoc unico tibicine ordinis scil. humani causam hanc fulcire. Sed melius, nostro judicio, *Mentzerus*; qui in Lege divinâ fundari defendit: quod nos supra probavimus.

4. *Object.* Sponsalia quatenus à Matrimonio distincta, non sunt absolutè necessaria: uti hoc concedit *Wendelinus Lib. 1. Systematis cap. 30. ad thesim 5.* Unde forte quis inferret, esse meræ constitutionis humanæ; & consequenter simul & Sponsalia & Matrimonium celebrari posse. *Resp.* Absolutè respectu partis innocentis ab omnibus impedimentis in rei veritate & in conscientiæ foro liberrimæ, nulla temporis distinctio, nullum spatium est necessarium. Sed propter communitatem (uti *ibid.* §. 3. *Wendelinus* loquitur) est necessaria publica Matrimonii celebratio & copulatio: ejus enim interest, ut ritè Matrimonia ordinentur, & de justis impedimentis prius judicetur. Deinde necessaria sunt, ad juris cujuscumque tertii, si quis forte justè impedire posset, integritatem à præjudicio & violatione conservandam. Addit *ibid.* §. 2. ex *Riveto Exercit. in Genesim 95.* honestum esse, interponi aliquod temporis spatium inter Sponsalia & Nuptias. Si unus tantum esset, Adolescens & una Virgo in Orbe terrarum, aut, quod de Deucalione & Pyrrhâ Ovidius 1. Metamorphos. *Et superesse videt de tot modo millibus unum*, &c., utique nec tanto temporis spatio, nec proclamationibus, nec publicæ potestatis cognitione, judicio, ratihabitione esset opus. Esset enim illud (quod heurema alicubi jactari audio) Matrimonium conscientiæ: ubi consensu duorum illorum habito, & precatione ad Deum cum justâ deliberatione

præcedente, in domino contraheretur Conjugium. Sed nunc hominibus multiplicatis, & communitatibus ac ſocietatibus, earumque poteſtatibus conſtitutis, longè aliter ſe res habet.

5. *Object.* Omnes aliquo ſecundum naturam concubitu peccantes, aut ſcortationem aut adulterium committunt. Sed Deſponſati concumbentes neutrum committunt: Ergo. Quæ exſtat apud *Tarnovium loc. cit. Reſp.* Tarnovius ſuæ hypotheſi modo memoratæ inſiſtens, reſpondet, nec eſſe ſcortationem nec adulterium contra Legem divinam; ſed eſſe peccatum contra Legem humanam. Mihi hæc reſponſio præfractis non ſatisfactura videtur. Ego dicerem peccatum eſſe reducendum ad adulterium hypotheticum: quia conſcientia dubia eſt, & eſſe debet, an ſit immunis ab adulterio; Quidquid autem ex fide non eſt, peccatum eſt: & quidem in hoc ſpeciali caſu, peccatum adulterii. Non refugit enim præſumtum, aut poſſibile, aut metuendum peccatum adulterii (nedum ut omnem mali ſpeciem vitaret); ut voluntati ſuę ſatisfaciat.

6. *Object.* Omnes Liberi ex concubitu contra Leges connubiales nati, ſunt Spurii. Liberi ex concubitu ante-nuptiali Deſponſatorum nati, non ſunt, Spurii. Ergo. *Reſp* Habet hanc *Tarnovius Lib.* 2. *c.* 34. Si latam τȣ̃ *Spurii* ſignificationem & interius conſcientiæ forum reſpicias, dici poſſunt & debent Spurii, hoc eſt, extra legitimè impletum aut conſummatum Matrimonium ex illicito concubitu concepti aut nati: præſertim, quamdiu poſt Sponſalia illa nunquam ſequitur Matrimonium: magis autem ſi utraque pars in cœlibatu vitam tranſigat: maximè vero, ſi altera pars cum alio quo aut aliâ quâ conjungatur. Sin ſtrictius vocem *Spurii* accipias, & forum externum reſpicias, in quo per ſubſequens Matrimonium plenè legitimantur, negari poteſt eſſe Spurios: neque enim ex injuſto Matrimonio, aut ex alterius Conjuge, aut ex Pellice, aut ex Concubinâ, aut ex Meretrice, aut ex Cognatâ aut ex Affine in gradu prohibito, aut ex Virgine Viduâve, honeſtâ, ſed non deſponſatâ, progeniti ſunt. *Tarnovius loc. cit.* docet nos, tales dictos *Præcoces* ad honeſta artificum & mechanicorum ſodalitia (vernaculè dicta ampt und gilde) non admitti: in Germaniâ ſcil. Quod ego de *Præcocibus* per ſubſequentem promiſſi Matrimonii legitimam impletionem non reſtitutis aut legitimatis intelligendum arbitror.

7. *Object.* Neglectio adiaphori non eſt peccatum. Copulatio publica & benedictio ſacerdotalis eſt res adiaphora: quia neque præcepta neque prohibita verbo Dei. Ergo ejus neglectio, quæ fit per concubitum præproperum & intempeſtivum, non eſt peccatum. *Reſp.* Hæc exſtat *ibid.* apud *Tarnovium.* Ad quam ille reſpondet, limitando majorem, & diſtinguendo minorem. Major ſic limitatur: adiaphori obſervatio eſt libera, & neglectio non eſt

 peccatum;

peccatum; quamdiu ex præcepto & usu Ecclesiæ non est necessaria: accedente enim præcepto Ecclesiæ desinit esse libera. Minor sic distinguitur, species ritus illius benedictionis scil., & copulationis non est in verbo Dei præscripta: sed genus est præscriptum 1 Cor.14.v.40. *Omnia fiant decorè*, &c. Sed hæc minus certa & tuta sunt. Ego negarem minorem. Copulatio seu confirmatio & ratihabitio Conjugii, cum anteambulis est necessaria, ad reservandam integritatem juris eorum, si qui prius sponsalia cum alterutrâ parte contraxissent; & consequenter ob jus & ordinem Reipublicæ, quæ legitimis Conjugiis præest; denique ad consulendum conscientiæ utriusque Contrahentis, ne forte adulterio se polluat, aut dubitet de adulterio à se committendo.

8. *Object.* Multa alia peccata committuntur, quæ longè etiam graviora sunt; nec tamen subjiciuntur excommunicationi, qui ea perpetrant? *Resp.* Hæc est *Anonymi* apud *Mentzerum Thesi* 31. *Resp.* Quidquid sit de facto & executione disciplinæ in Ecclesiâ aliquâ in hoc aliisve casibus: hinc tamen non evincitur τὸ honestum & licitum antenuptialis concubitus, in foro conscientiæ; nec etiam immunitas talis scandali à correptione & censurâ ecclesiasticâ.

9. *Object.* Ante Nuptias, immo & ante Sponsalia potuerunt fundi, & fusæ fuerunt ad Deum preces pro felici intenti aut futuri ac promissi Conjugii successu. *Resp.* hoc quidem dicit, non absque præambulis precibus utriusque aut alterutrius contrahentis huc deventum fuisse: sed non tangit *Mentzerum* aliosque Theologos ipsi ὁμοψήφους, *Tarnovium* scil., & citatum *Thesi* 52. *Joh. Gerhardum Tom.* 7. *Locor. theolog. de Conjugio quæst.* 5. §. 475. qui omnes loquuntur de precibus Ecclesiæ, & solenni benedictione Pastoris.

10. *Object.* Non concubitus, sed consensus facit Matrimonium: juxta communem regulam. Ergo positâ promissione Sponsalitiâ, jam actu est Conjugium; & consequenter, licitus est usus conjugalis? *Resp.* Est Conjugium: non absolutè, sed sub conditione, si quidem à tertio, qui prior Sponsalia iniit, & potior jure est, aut à potestate publicâ ob sonticas causas consecuturus effectus Sponsalium, hoc est, Matrimonii ratihabitio & confirmatio non impediatur. Et hinc est, quod inter Sponsalia & Nuptias aliquod tempus intercedit: cujus oppositum *Anonymus* frustra probare conatur exemplis ex *Genes.* 16.v.3. & 24.v.51.67. & 29.v.20. 1 *Sam.* 18.v.22.27. & 25.v.40.41. *Josuæ* 15.v.17.18.

11. *Object.* Ex hypothesi distinctionis Sponsalium de præsenti & de futuro, excipitur, per ista non licere: sed illa ubi adsunt, esse Conjugium, & consequenter licitum esse usum conjugalem. *Resp.* Exstat apud *Mentzerum*

rum th. 62. Nos ſupra diſtinctionem hanc tanquam ineptam, cum *Jurecon-ſultis & Theologis ibid. citatis* rejecimus. Quod ſi per Sponſalia de præſenti intelligantur non-conditionata: negamus tamen per ea uſum eſſe licitum. Quamvis enim abſoluta ſint à conditione particulari per contrahentes appoſitâ: non tamen abſoluta ſunt à conditionibus generalibus ſemper ſubintellectis, niſi ſcil. aliquod legitimum ſit impedimentum, aut etiam ſuperveniat. De prioris generis impedimentis hujus *Tract. Sectione* 2. de poſterioris generis *Quæſt.* proximè *ſequ.*

12. *Object.* In notoriè conſummato Matrimonio, ubi quis impregnavit, quam poſtea in Uxorem ducit, eadem benedictio iiſdem verbis pronuntiatur. *Reſp.* Eſt *Anonymi* apud *Mentzerum th.* 71. quam ſic *ibid.* refutat: Niſi „ antegreſſâ peccati confeſſione & deprecatione talibus Stupratoribus be- „ nedictio ſolennis non datur: reſipiſcentes autem à communione ſancto- „ rum non repelluntur. Nos principali argumento, ab integritate juris tum tertio, tum poteſtati publicæ reſervandâ inhæremus: quod in omnibus Conjugiis tum Fidelium tum Infidelium locum habet.

Quæſtio quinta, An & quæ ſint, quæ ſi poſt Sponſalia demum eveniant, aut innoteſcant, alteram partem liberare poſſint à perficiendo Matrimonio? Reſp. Multi caſus à *Canoniſtis* numerantur, his verſiculis à Gloſſa ad tit. de Sponſal. & Matrim. comprehenſi

Lepra ſuperveniens, furor, ordo, ſanguis, & abſens,
Læſaque virginitas, membri damnum, minor ætas,
Ac hæreſis lapſus, fideique remiſſio, prorſus
Sponſos diſſociant, & vota, futura retractant.

De caſibus ſupervenientis elephantiaſis ſeu lepræ, aut paralyſis immedicabilis, aut furoris, aut frigiditatis incurabilis, aut apoſtaſiæ ad infidelitatem Ethnicam, Judaicam, Muhammedicam, Antitrinitariam, &c. aut mutilationis pedis, manus, naſi, aut infamis flagitii, &c. aut notabilis cujuſdam fœditatis, nec Pontificii inter ſe, nec Noſtri per omnia conveniunt. Sunt qui per quidvis ferè non tantum ſuperveniens, ſed & ante Sponſalia exiſtens, non tamen tunc notum, ubi poſt Sponſalia demum alteri parti innotuerit, obligationem tolli putent. *Zypæus in Jure Pontificio novo lib.* 4. *cap.* 1. §. 8 cenſet Sponſam ignaram cum Sponſalia iniret, poſtea edoctam Spon- „ ſum præſertim ebrium poſtico falli ſæpe, & viciniam inficere, juſtè Spon- „ ſalium ſolutionem petere poſſe: quod notabilis ſit deformitas, quæ igno- „ rata Sponſalia ſolvit, & aggravat immenſum obſequium conjugale. Sed nimia hæc juris laxatio: abſque ullâ diſtinctione ignorantiæ, inculpabilem & inculpabilem; idque per debitam diligentiam (uti in talibus fieri deberet), adhibitam aut non adhibitam. Plus concedi poſſe videtur, ſi tale-

quid

quid ſuperveniat, quod omnem Conjugii uſum, fructum, & cohabitationem tollit; ut furor, frigiditas incurabilis, aut alia quædam violenti eunuchiſmi ſpecies, aut damnatio ad perpetuos carceres, aut ad remum. De ſupervenien te membri mutilatione, exilio, deportatione, morbo comitiali, elephantiaſi, alioque morbo dicto incurabili, haut pariter judicare auderem: quamvis ex Noſtris *Beza*, *pag.* 137. & *Daneus Part.* 3. *Lib.* 4. *c.* 13. aliique de leprâ concedant. *Cypræus cap.* 13. §. 65. etiam Conjugi diſſolutionem concedit. Argumentum, cui innititur, deſumit ex eo, quod Deus ipſe à Leproſorum conſuetudine abſtinere juſſit. *Levitic.* 13. & 14. Sed lepra hodierna in partibus Europeis nec ceremonialiter, nec naturaliter talis eſt, qualis *Levitic.* 13. & 14. deſcribitur, nec etiam ſimpliciter incurabilis, nec tam contagioſa. De quo ſupra *Lib.* 2. *Tract.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 3. & citatus ibi *Zypæus Lib.* 4. *pag.* 305. ubi quamvis exemplis probet nuptas Leproſis non fuiſſe infectas, & proles ſanas peperiſſe, & quoſdam à vitioſâ ſcabie curatos fuiſſe: nihilominus concludit, *ignoratam Sponſalia ſolvere, ob generalem doctrinam ex cap. quemadmodum Extravag. de Jurejurando.* Et cum *Zypæo Sanches Lib.* 1. *diſp.* 57. De morbo Gallico poſt Sponſalia non ſine propriâ adulterii culpâ contracto abſque ullâ hæſitatione affirmarem. Sed quid ſi alteram partem, abſque ullâ culpâ, hoc malo infici contingeret? Hoc in caſu diſſolutionem negarem, & morbi curationem exſpectandam dicerem. In caſu ſupervenientis apoſtaſiæ ad infidelitatem, aut hæreſin, inclinarem in partem *aff.* ſiquidem converſionis, omnibus tentatis, nulla ſpes eſſet. Sed longe aliter judicandum de hæreſi aut infidelitate ante Sponſaliâ alteri parti ſatis notâ. Quamvis enim orthodoxus aut orthodoxa malè contraxerit, cum tamen ſciens & volens hoc fecerit, factum tenet. Pontificii in tres opiniones dividuntur. Sunt enim qui cenſent, Sponſalia illa eſſe irrita & invalida: ut *Navarrus in Conſil.* Alii concedunt valida eſſe: ſed poſſe reſcindi, niſi hæreticus velit converti. Alii, inter quos *Azorius Lib.* 8. *inſtit. Moral. c.* 11. & *Sanchez, Lib.* 7. *Diſp.* 17. volunt eſſe valida iis in locis: ubi Hæretici & Catholici vivunt permixti; ut in Germaniâ, Belgio, &c. *Becanus* poſt allatas limitationes, tandem concludit, probabile eſſe talia Sponſalia in Germaniâ eſſe valida. Videat, cui vacat, totam illam incruſtationem, quâ auribus Proteſtantium & Moderatiorum iſtic Pontificiorum aliquid tribuere ſatagit: facto ex Theologiâ ſuâ naſo cereo. Conferendum ejuſdem *Manuale Lib.* 5. *cap.* 13.

SECTIO

SECTIO II.

DE MATRIMONIO.

CAP. I.

De Causis & Conditionibus ad Matrimonium requisitis, ejusdemque Impedimentis.

Efficiens Matrimonii universalis est institutio divina *Genes.* 2. particularis, propria, proxima cujusque singularis Matrimonii est mutuus istarum partium contrahentium consensus; qui perperam forma dicitur à *Thomâ in* 4. *Dist.* 26. *qu.* 2. *artic.* 1. Quasi fundamentum relationis diceretur ejusdem forma. Plane ἀφιλοσόφως. Consensus debet esse legitimus, liber, plenus seu perfectus, sincerus, mutuus, verbis apertè declaratus. Irritum ergo est Matrimonium, quod per raptum violentum, aut per incussum metum qui cadit in Virum fortem, aut per errorem personæ substantialem contrahitur. Sed consequens liber consensus ratum facit Matrimonium, sic ut tum demum fiat legitimum Matrimonium. Quæstiones circa hunc consensum à *Casuistis*, & *Jureconsultis*, imprimis operosissimè à *Sanchez libris* 2.3.4.5. moveri solitas studio præterimus: contenti unicam in praxi maximè necessariam, de Parentum consensu, hic explicuisse. §. 1.

Quæritur ergo, An Parentum, aut saltem Patris, aut eo defuncto Matris consensus sit de honestate, an vero de necessitate? Resp. Pontificii Theologi & *Canonistæ*, quos *Juristæ* illic sequi debent, *Aff. pr. Neg. poster.* Estque hic error eorum jam authentizatus anathemate *Concil. Trident. Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformatione.* Ubi vide *Remissiones Augustini Barbosæ.* Nostri errorem hunc ex Jure divino & naturali, (cui accedit civile, & Statuta omnium Politiarum quæ reformatam religionem amplexæ sunt) validè refutant: Videantur præter *Scriptores de Conjugio* tum *Theologos* tum *Jureconsultos*, infra indicandos, *Chemnitius in Exam. Concil. Trident.*; *Amesius c. Bellarminum*, *Chamierus in Panstratiâ*, *Thummius*, *Danhauwerus*, *Rivetus in Decalogum*: qui tenent irritum & invalidum esse absque tali consensu, quamvis copulâ carnalis accesserit. Ne autem solis Statutis & Moribus Politiarum, aut Canonibus ac Decretis Ecclesiarum sententia hæc nostra niti videatur, indico breviter has rationes.

I. *Rat.* Ex *Exod.* 22. *v.* 16. 17. Si Pater Virginis dare noluerit, &c. Ubi defectus consensus Paterni irritum facit Matrimonium Virginis, quamvis

jam vitiatæ; ad quod Stuprator vi divinę Legis tenebatur v. 16. *dotabit eam & habebit in Uxorem.*

II. *Rat.* Ex *Numer.* 30. *v.* 5. ubi omnia vota & *ligamina* (ut habet versio *Pagnini*) quibus Filia Ligavit se super animam suam, negantur esse *stabilia*, quia Pater ejus *irritavit*, (ita *Pagninus*) propriè *rupit*, *fregit*, *infregit*, vel *infringere fecit*. Græcus vertit ἀνένευσεν, id est, *renuit*. Sic etiam versio *Tigurina*. *Munsterus*, *prohibuit eam*. *Onkelosi* Paraphasis אעדי, id est, *amovit, removit, transire fecit*. Quod si ergo juramentum & votum Deo factum à Virgine sub potestate Patris constitutâ, per voluntatem Patris irritum est: ergo multo magis promissio homini facta.

III. *Rat.* Ex 1 *Corinth.* 7. *v.* 37. 38. ubi dicitur Matrimonio jungere Virginem suam. Et *Exod.* 35. *v.* 16. *Deuter.* 7. *v.* 3. *Jerem.* 29. *v.* 6. ubi Parentibus injungitur, ut Filiis suis dent Uxores, & Filiabus Maritos. Quibus adde exempla Piorum Abrahami *Genes.* 24. Isaaci *Genes.* 27. 28.

IV. *Rat.* Ex *Psalm.* 127. *v.* 3. Filii dicuntur *hæreditas* Parentum: hoc est, sunt ipsorum possessio, ut loquuntur *Jureconsulti*. Et hoc ex lumine naturali rectâque ratione probari potest; & multis probavit *Ærodius JC. Gallus*, Judex quæstionum, peculiari Tractatu, tit. *de Patrio Jure ad Filium pseudo-Jesuitam dissertatio.* Editus est anno 1589. & recusus Argentorati typis Joh. Caroli anno 1610. Jam vero nemo inscio vel invito domino alterius possessiones alicui addicere & tradere & ejusdem potestati subjicere potest. Hoc autem faciunt Liberi, qui sine consensu Parentum, etiam illis invitis, Matrimonium ineunt.

V. *Rat.* A minori ad majus negativè: si Liberi non possunt disponere de bonis fortunæ Parentum suorum, eaque alienare absque furto (vide Proverb. 28. v. 24. *qui rapit bona Patris sui*, &c.) ergo multo minus alienare possunt bona præstantissima Parentum suorum, eaque in alienam potestatem tradere. Jam vero bona præstantissima sunt Liberi; cum quibus nulli fundi, nullæ domus, nulli thesauri comparandi. Liberos autem non posse alienare bona Parentum probatur ex *Galat.* 4. *v.* 2. ubi Filius sub Tutoribus constitutus, à Servo non differre dicitur.

VI. *Rat.* Ex variis absurdis consequentibus: quæ vide enumerata à *Johanne Gerardo in confess. cathol. Lib.* 2. *speciali Part.* 3. *artic.* 19. *cap.* 3.

VII. Accedat consensus antiquorum ab ipso *Jure Canonico* indicatus; & testes veritatis in ipso Papatu (quorum aliqui integris tract. hoc egerunt) tum ante tum post Reformationem: à *Joh. Gerardo ibid.* indicati; quibus adde, *Gropperi Institutionem Coloniensem*, cujus verba *Chemnitius loco cit.* exhibet. Memini anno 1639. contra ejusmodi Conjugia edictum *Ludovici* XIII. *Galliarum Regis* promulgatum & typis editum fuisse. De Jure Ci-

Civili, deque Statutis Anglicanis, Genevensibus, &c. certum est. Vide ea, atque antiquorum Gentilium mores & placita notata à *Cypræo cap.* 6. §. 6.

II. *Quæst. An ad Conjugium Filii emancipati æque necessarius sit consensus Parentum; ac ad Conjugium non emancipati? Resp. Neg.* Pone e. gr. Filium justæ ætatis extra domum Parentum propriam familiam alere, res suas habere & agere; aut Viduum ad secundas aut tertias Nuptias transire. Is quidem in foro conscientiæ honorem Parentibus habere tenetur: non tamen in foro exteriori ob dissensum Parentum, necessitas desistendi ab intento Conjugio illi imponenda est; nec Moribus nostris imponitur. In primo Conjugio semel deserunt Patrem & Matrem *Genes.* 2. *v.* 24. Illo per mortem Uxoris dissoluto, viduitate non compellitur ad priorem statum & subjectionem revertendi: ut iterum deserat, quoties ad Novas Nuptias transit. Hinc est quod non tantum *Jureconsulti*, sed & *Theologi* cum defendunt necessitatem consensus, eam restringant ad Liberos non emancipatos. Vide *Rivetum in Decalogum.* Quod ad Fœminas, si semel nuptæ extra familiam & potestatem Patris ad familiam & potestatem Mariti translatæ sunt *Numer.* 30. *v.* 6. 7. cum *Psalm.* 45. *v.* 11. non est verisimile eas per viduitatem denuo inseri & restitui familiæ paternæ.

III. *Quæst. An Liberi non emancipati, sive minorennes, & sive majorennes, secundum leges civiles dicti & habiti, ob Parentum negatum consensum, ab uno non tantum atque altero, sed forte etiam à quovis intentato Conjugio in perpetuum frustrari debeant. Resp. Neg.* Si enim Parentes justitiâ & æquitate nullâ Liberorum suorum conscientiis consulere, & honesta Conjugia permittere nolint: Liberis licebit, post omnia per consanguineos, amicos, fautores, tentata, ab eorum austeritate & iniquitate ad Magistratum confugere, & ejus potestatem ac judicium implorare. Hoc communiter Theologi & Jureconsulti concedunt ac consulunt, quando Parentes potestate suâ abutuntur. Et tenentur Magistratus inter Parentes & Liberos tali in casu, absque omni prosolepsiâ, justè judicare. Vide inter *Scriptores de Conjugio Hemmingium, Tarnovium, Cypræum, Arniseum.* De quo infra sect. 3.

IV. *Quæst. An necessariò utriusque Parentis consensus requiratur? Resp. Neg.* si Pater modo consentiat, quamvis Mater dissentiat, Conjugium impediri non debet.

V. *Quæst. An expressus consensus requiratur? Resp. Neg.* Sæpe Parentes, quamvis non planè à consensu alieni sint; nolunt tamen ob rationes, eundem quasi approbando declarare. Sufficit ergo iis qui Conjugia publicaturi & confirmaturi sunt, si expresè non prohibeant; sed conniveant dicendo: se filium aut filiam suam sibi & consilio ac ausui suo relinquere: se nec ipsos, nec Conjugium ipsorum curare, &c.

VI. *Quæſt. Quid ſi peregrini ex remotiſſimis orbis partibus confirmationem petant, quomodo conſtabit de conſenſu Parentum? Reſp.* Si nulli adſint, qui de conſenſu quid teſtari poſſint, nec Sponſus expenſas ſuſtinere queat quæ in procurando hujus conſenſus teſtimonio requirerentur: ſæpe hic connivendum, & ex non curâ Parentum circa Liberos, aut ex permiſſis ad loca longinqua peregrinationibus, aut ex profectionibus in militiam, tacitus quaſi & implicitus conſenſus eorum præſumendus; analogus præterea conſenſus Herorum, aut Hoſpitum, aut Præfectorum militarium, aut ſaltem eorundem teſtimonium aliquod exquirendum.

§.2. Conditiones requiſitæ ſunt iſtæ 1. ut ſint Mas unus & Fæmina una. 2. ut juſtam habeant ætatem. 3. ut ad cohabitationem conjugalem ſint idonei. 4 ut mentis compotes. 5. Ut immunes à Sponſalibus & Matrimonio. 6. Ut veræ religionis ſint conſortes. Unde colligimus quæ ſint Matrimonii impedimenta: alia ſcil. à naturâ, alia à lege. *Illa* ſunt ætas immatura, mentis impotentia, corporis ad cohabitationem impotentia. *Iſta* ſunt à morbo incurabili, ut e.gr. leprâ: à culpâ: à diverſitate religionis: à propinquitate ſanguinis. De prioribus has quæſtiones proponimus.

I. *Quæſt. An certa ætatis menſura ex natura deſumi, & lege communi deſcribi queat? Reſp. Neg.* quia totum hoc judicum cognitioni & arbitrio reſervandum videtur. Quia in omnibus mundi climatibus non eſt par corporum & complexionum ratio: uti hoc ex Medicis & Topographis, communique experientiâ cognoſcitur: nec etiam uno eodemque in climate, natione, regione, ſingulorum Marium & Fæminarum, quod ad opus conjugale, par ratio. Vide de pubertate, Baptiſtam Codronchium in methodo teſtificandi cap. 9. Ordinariò quidem in Maribus annus 14. in Fæminis 12. aſſignatur. Sed puto hoc velle leges, ſaltem neminem ante annum 14. & 12. admittendum eſſe. Exemplum unum atque alterum, quod adfertur, de Pueris 10 aut 11. annorum, qui genuerant, apud me fidem vix inveniunt. *Hieronymus Epiſt.* 32. *ad Vitalem*, & ex eo *Danæus Lib.* 2. *Ethicæ cap.* 14. habet exemplum Pueri; & *ibidem* ex *Joh. Fuſchio Medico* & exemplum alterius Pueri decennis, & Puellæ novennis. *Scaliger in Elencho* 1. *Orat. chronolog. Parei* refert Puerum infra annum 12. ex Puellâ conſobrinâ nondum decenni genuiſſe: idque vulgo in Aquitaniâ ſuâ memoriâ notum fuiſſe. *Gloſſa Juris Canonici ad* 20. *qu.* 1. *cap. quod intra*, ex *Gregorii Dialogo* quodam (quis & quotus non vacat inquirere) refert *de quodam Puero novenni, qui Nutricem ſuam gravidavit. Tiraquellus lib.* 6. *connubial. n.* 37. multa adfert exempla ex Autoribus petita Puerorum, qui nono, decimo, & undecimo anno genuere; & Fæminarum, quæ nono anno conceperunt. *Albertus M. in* 4. *Sentent.* refert nono anno quandam redditam prægnantem, decimo peperiſſe. *Rhodiginus Lib.* 14. *Antiquit.*

cap. 18. Mulierculam à Puero decenni imprægnatam. Fidem omnem superat, quod ἱστορεῖ, potius μυθολογεῖ *Plinius Lib. 7. cap. 2.* de Mulieribus quibusdam septimo anno parientibus. Omnes fere *Chronologi* tum *Nostri* tum *Pontificii*, ut calculo suo consulant, juxta 2 *Reg.* 16. *v.* 1. cum 2 *Reg.* 18. *v.* 1. putant se debere concedere; *Achazum* 10. aut ad summum 11. ętatis anno genuisse Hiskiam: sed *Tostatus* & *Petavius* aliter calculum ineundum & loca citata putant explicanda. Hi rursum à *Saliano & Torniello*, aliisque refutantur. Vide *Henrici Philippi Chronologiam Veteris Testamenti*, *quæst.* 9. *in lib. Regum.* Sed tale naturæ miraculum si apud Ministros prętendatur, ut impuberum solennis confirmatio obtineatur, absque examine ullo, ad potestates sæculares ablegandi sunt; qui magis decorè & tutò explorare poterunt, an tales sint apti ad conjugia.

II. *Quæst. An nulli mentis impotes ad Conjugium admittendi? Resp.* Distinguendi Maniaci & Phrenetici, à Fatuis. Illi, quamdiu tales sunt, includendi potius & vinculis coërcendi, quam vinculo Matrimonii innodandi. *Isti*, docente experientiâ, variant: sunt enim in utroque sexu semi-fatui, qui ad conjugalia munera non plane inepti sunt; & quorum aliquos ad Conjugia admissos novimus. Certe si tales donum continentiæ non habeant, & constanter Conjugium petant, non dubito quin ipsis consulendum sit. Possent etiam incidere casus, ut in Regno, Principatu, Dominio legitimus Hæres & Successor desideretur; qui haberi non posset, nisi per Conjugium semifatui aut semifatuę. Confer de gradibus fatuitatis *part. 2. select. disp. tit. de statu elector.*

III. *Quæst. An, & qui sint, qui ob corporis impotentiam ad Conjugium non admittendi? Resp.* Dubia communiter moveri solent de Eunuchis, Hermaphroditis, frigidis, aliisque ad opus conjugale ineptis, de quibus istę conclusiones. 1. *concl.* Eunuchi distinguuntur *Math.* 19. *v.* 12. Inter eos naturâ Eunuchi seu frigidi, sunt aliquo modo apti ad opus conjugale, quamvis non prolificum. Apud *Syracidem cap.* 20. *v.* 2. paroemia est de ἐπιθυμίᾳ εὐνούχου quę devirginat Adolescentulam: & experientia docuit tales Virginum & Gynæceorum olim Custodes apud Persas atque alibi, & hodie in Aulâ Turcicâ à pruritu libidinis ejusque expletione non semper alienos fuisse. Illis ergo qui sæpe supra alios ad libidinem proni sunt, non videretur forte Conjugium negandum, siquidem petant, & Mulier hujus defectus gnara annuerit. Contrarium tuetur *Cypræus cap.* 9. §. 13. *num.* 41. Quid si huic sententiæ opponatur, quod Conjugia omnia non contrahuntur & celebrantur ad generationem Prolis; sed etiam ad remedium incontinentiæ, aliaque hujus ærumnosæ vitæ subsidia & solatia. Certe in Mulieribus tempus generationis supergressis, nulla spes Prolis spectatur. Quid de aliis eviratis, impotentibus, & semi-eunuchis statuendum sit, malim legi in *Cypræo cap. & sect. cit. &*

Thomâ Sanchez Lib.7 disp.92.102. (qui ex *Canonistis* & *Jureconsultis* plurima collegit); & in *Zachiâ Lib.4. tit. 1. Valesii phil. sacr. c. 24. Condrochi methodo testificandi c.10.11.* si cui illa cognoscendi necessitas incumbat. Minus decorè talia à Theologis & Verbi Ministris penitius excutiuntur: & quamvis meditatio & explicatio Scripturę, (*Math. 19. Jesa. 56. Deuter. 23. Levitic. 22.*) & studia Philosophica atque Historica eos sine omni cognitione non relinquant, nolim tamen eos hominibus idiotis ejusmodi naturæ secreta per modum casus conscientiæ aut querelæ pandentibus respondere; sed potius ad Judices sæculares remittere. 2. *concl.* Hermaphroditi seu Androgyni sunt quadruplices: vel ad neutrum actum conjugalem apti: vel ad utrumque: vel ad maritalem apti, sed inepti ad fæmineum: vel ad fæmineum apti, sed ad maritalem inepti. Hanc divisionem habet *Ambrosius Pareus* Chirurgus Regis Galliæ *in Operibus & Observationibus Chirurgicis* gall. & belg. editis. Post eum pluribus hanc materiam prosecutus est *Caspar Bauhinus* peculiari *Tractatu de Hermaphroditis.* Et post hunc *Paulus Zachias* Medicus Romanus, in *Quæstionibus medico legalibus Lib.3.tit.1.* Videatur & *Plinius Lib. 7. cap. 3.* Ex Theologis *Sanchez Lib. 7. Disp. 106.* Ex Jureconsultis *Cypræus cap. 1. §. 13. num. 45.46.* ubi cum Jureconsultis & Legibus *ibi cit.* determinat, esse eos redigendos ad sexum in iis prævalentem, & in eo ad Conjugia admittendos. Alii de illis in quibus uterque sexus valere dicitur, ad alterutrius electionem cogendos censent. Et sic *Daneus part. 3. Isag. Lib.4.c.15.* Sed de his viderint, qui explorationem istorum curare possunt; siquidem legitimè explorari possint: de quo dubitare, aut parum credere haut nefas. 3. *concl.* de impotentiâ Mulierum quæ exstant quæstiones, apud Canonistas & Casuistas (turbam eorum citat; *Sanchez Lib.7. disp.91.-106.*) & *Zachias Lib. 3. tit. 1. qu. 7.* magis decorè à Medicis & Jureconsultis nostris tractabuntur necessitate ita postulante. Si ergo ad Ministros aut ad Synedria ecclesiastica tales querelas, ut & omnes alias Virorum de impotentiâ, deferri contingeret: autor iis essem, ut absque aliquo responso, aut examine aut disquisitione illico ad sæculares Judices conquerentes & consulentes illos amandarent: quorum sola imperans & coactiva autoritas jus dicere; Medicos, Chirurgos, Obstetrices necessariis explorationibus adhibere; juramenta Conjugibus imponere; alios ad jurata testimonia compellere potest. In Papatu virginales scil. Sacerdotum animæ talibus dubiis, quærelis, casibus, consiliis, inquisitionibus, scrutiniis disquisitionibus familiariter exerceri solent; & in hoc scibili maximè videntur in se experiri veritatem illius axiomatis, à quo Philosophus libros Metaphysicorum inchoat. *Omnes homines naturâ scire appetunt.* Præsertim Casuistæ Jesuitici, & inter eos *Bauny*, & *Thomas Sanchez* in vasto volumine *de Matrimonii Sacramento,* im-

imprimis *Lib.* 7. & 9. ubi etiam *disp.* 17. §. 18. ἐν παρόδῳ ſuper raris & arcanis ejuſmodi caſibus ſe conſultum innuit. Diximus aliquid de curioſo & periculoſo nimis talia ſcindi & ſcribendi pruritu in *Desper. Causâ Papatus Lib.* 2. *sect.* 3. *c.* 2. Et partim ante nos, partim poſt nos pluribus hoc egerunt *Molineus in Novitate Papatus, & in Tract. de Traditionibus Ecclesiæ Romanæ; Rivetus ad 7. Decalogi præc. Idem in Mysteriis patrum Jesuitarum.* Duo ſolummodo hic addam: quorum prius eſt *Judicium Clementis* 8. *de Libro Thomæ Sanchez*, quod refertur à *Joh. Crombecio in Tract. de Studio perfectionis*, ubi ex ſuperantiſſimo elogio dictum *Sanchez* condecorat; quod ex eo excerptum præmittitur Libro Sanchez edit. Antwerp. apud Henr. Aertſſium anno 1626. *cum multis*, inquit, *Religiosarum virtutum ornamentis, tum integerrimâ vitæ sanctitate ac columbinâ simplicitate amabilis.* Idem *à Clemente VIII. Pontifice maximo, ob illa celeberrima de Matrimonio scripta eximia laudatus*; omnibus cujuſque ordinis ob excellentem paupertatem, incredibilem abſtinentiam, indefeſſoſque labores pro ſancto habitus, venerationi fuit. Confer laudes, quę in *Bibliotheca* Jeſuitarum Autore *Philippo Alegambe* eidem decantantur. His non obſtantibus, de eodem *Sanchez* & *dicto Libro* legitur judicium Sorboniſtæ Aurelii in *Vindiciis contra Spongiam Loemelii pag.* 517. cujus verba exhibita in Deſper. causâ Papatus Lib. 2. ſect. 3. cap. 2. pag. 374. hic inſerenda duxi.

„ Omnium maximè intolerandi ſunt illi Theologiæ Moralis, Inſtitutionum moralium, Præceptorum compilatores, pene omnes Jeſuitæ, inter quos Th. S. (id eſt, Thomas Sanchez) edidit denſum opus de matrimonio, opus non gloriandum ſed pudendum; tam immani curioſitate, tam inviſa in rebus ſpurciſſimis & infandis, & monſtroſis, & diabolicis perſcrutandis ſagacitate horrendum, ut mirum ſit pudoris alicujus hominem ea ſine rubore ſcripſiſſe, quæ quivis modeſtioris ingenii vix ſine rubore legat. Portenta iſta ſunt, non ſcripta: animorum inſidiæ, non mentium ſubſidia; incentiva libidinum, ſchola flagitiorum, non honeſtæ diſciplinæ, non ſcientiæ Chriſtianæ inſtrumenta: infelix ſcientia quæ omnes perdere, paucos juvare nata eſt; quæ circa ſordes & ſterquilinia volvenda & revolvenda volutatur.

Anonymus quis Theologus Sorbonicus in libello tit. *Theologia moralis Jesuitarum contra Christianorum bonos mores in genere* anno 1645. in 4. *Sect. de Sacramentis num.* 45. „ ſic judicat: Horrendum eſt quantâ ignominiâ Sanchez ſacramenti hujus ſanctitatem conſpurcavit per quęſtiones *infames, atque diabolicas*, ad quas vel ipſa impudentia erubeſcat.

Alterum hâc occaſione indicandum eſt Guidonis de monte Rocherii in Manipulo Curatorum cap. 43. fol. 65. 6.

„ De artatione quæ est in muliere ita dicas, quod si potest ei subveniri be-
„neficio medicinæ vel per continuum usum cum homine convenientis sta-
„turę non impedit matrimonium cum illo à quo potest carnaliter cognosci,
„extra defrig. & malefici c. Ex literis. Et nota quod si propter artationem se-
„paratur ab eo qui eam cognoscere non potest & per assiduum usum al-
„terius cujus se copulavit sit facta idonea, primo separanda est à secundo &
„reddenda tunc primo. Extrav. defrig. & malef. c. Fraternitati. Idem determinat *Gul. Paris. lib. de 7. sacram. fol.* 82.

CAP. II.

Quæstiones de aliis quibusdam Impedimentis ab Imparitate Ætatis, Diversitate Religionis, Culpâ Adulterii.

I. QUæst. *An Conjugia inter Senem & Juvenculam, & inter Juvenem & Vetulam permittenda. Resp.* Quod ad priora, quamvis sæpe dissuadere liceat, & admodum utile sit, ob dubiam admodum educationem Liberorum per Patrem, qui raro tam diu superest; aliasque ob causas ex ætate & complexione Juvenculæ petendas: prohiberi tamen non possunt; quia experientia docet & Proles generari, & constanti amore Conjugum, non rarò felicia esse illa Conjugia. De posterioribus major difficultas est, tum ob certam Conjugii sterilitatem; tum ob morum ac virium, juvenilium Mariti, cum Conjugis infirmæ & querulæ moribus dissimilitudinem; unde sæpe Juvenes in varias tentationes & laqueos diaboli incidere solent, & miseræ vetulæ in barathrum zelotypiæ. Hinc dissidia, suspiciones, querelæ, jurgia, & sæpe ex verbis oriuntur verbera, tandem spontanea & turpia divortia. Si tamen omnino instent, nec moniti desistant, à Ministris aut Synedriis remitti non possunt. Utile esset, à Magistratu lege aliquâ positivâ prohiberi, & nonnisi peculiaribus rationibus & circumstantiis ita suadentibus, dispensationes concedi.

II. *Quæst. An ætate provectis tam Viris, quam Mulieribus, certus ætatis terminus constitui debeat, ultra quem Conjugia ipsis non concedantur? Resp. Neg.* Quia Conjugium est honorabile inter omnes, &c. *Heb.* 13. Neque enim generatio Prolis unicus est Conjugii consequens effectus: sed & alii; quod sint una caro; quod vigeat inter eos caritas conjugalis; quod incontinentię honestum sit remedium & tegumentum. Hæc omnia locum habent in Conjugio Juniorum sterili: & quidni etiam perpetuò & necessariò in sterilibus conjugiis omnium Mulierum non tantum ætate gravium, sed etiam multarum, si non plerarumque, quæ 44. aut 45. aut 46. annum attigerunt.

III. *Quæst.*

III. *Quæst. An diversitas religionis Conjugia impediat? Resp.* 1. *Concl.* In foro conſcientiæ illicitum eſt Sponſalia cum Infidelibus, aut idololatris, aut Hæreticis inire. 1. *Quia* Deus exſertè hoc prohibet *Deuter.* 7. *v.* 34. cum *Exod.* 34. *v.* 15. 16. ubi ratio addita de periculo ſeductionis oſtendit illud mandatum non eſſe purè ſpeciale & Moſaico-politicum: ſed morale & univerſale, quod omnes obligat. Præceptum hoc & ratio ejus repetitur, explicatur, atque inculcatur *Ezræ* 9. & 10. *Nehem.* 10. *v.* 29. 30. & 13. *v.* 23.-28. *Malach.* 2. *v.* 11. 12. 2. *Quia* prohibet Apoſtolis cum Infidelibus impari jugo copulari 2 *Corinth.* 6. *v.* 14. & familiariter converſari cum dictis Fratribus, ſeu idololatris 1 *Cor.* 5. *v.* 11. Quanto magis cavendum à copulatione & jugo matrimoniali. 3. *Quia* non tantum periculum ſeductionis eſt, reſpectu partis Fidelis, ſed etiam in primis reſpectu Liberorum poſt ſe trahunt: uti experientia docuit, plerumque ſi non omnes, ſaltem aliquos Liberos apoſtaſiam aut hæreſim ſectari, aut in negotio religionis dubios, neutrales, ambidextros, Ecebolicos, libertinos, nullos ſeu ἀθέους evadere. 4. *Quia*, dato parti ſanæ & Liberis nullum fore periculum totalis ſeductionis (quod tamen non eſt veriſimile), multis tamen moleſtiis, & multis impedimentis obnoxia ſunt illa conjugia in domeſticis & publicis exercitiis pietatis. De domeſticis, ſupra *Lib.* 2. *Tract.* 3. *cap.* 6. commendatis, nemo dubitabit. Neque enim lectioni Scripturæ, hymnis, precibus reformatis ſe jungent aut miſcebunt Pontificii, qui æquo animo ea ferre nequeunt; nedum ut ea promoverent, Καιροὺς obſervarent, & contra neglectum aut oblivionem eorum juxta cum parte ſanâ vigilarent: Quod ad publica & ab Eccleſiis indicta exercitia jejuniorum ſeu ſupplicationum, euchariſtiων; nec Pontificii Noſtra, nec Noſtri viciſſim Pontificia obſervabunt. Ubi altera pars jejunat, luget, ſupplicat, coram Deo ſe humiliat, ob gravem religioni, & Eccleſiæ illatam cladem, aut ob præſentiſſimum aliquod periculum: ibi altera triumphat, gratias agit, in maximam ſpem erigitur, & dies bonos celebrat. Luctus unius eſt riſus & gaudium alterius *Pſal.* 126. *v.* 1. & vice versâ *Pſalm.* 137. *v.* 1. 2. 3. 4. *Johann.* 16. *v.* 20. *Thren.* 2. *v.* 10. 11. cum *v.* 15. 16. Ne quid dicam de Papiſticis feſtis, de vigiliis, de ξηροφαγίαις & ciborum delectu, de jejuniis quadrageſimæ, & quatuor temporum. 5. *Quia*, amor, conſpiratio, concordia, fides, integritas conjugalis ibi vigere non poteſt: ubi altera pars alteri capiti Eccleſiæ, & Miniſtris ejuſdem Sacerdotibus confeſſariis conſcientiam ſuam mancipatam habet, & partis ſanæ Inſidiatorem ac Proditorem agit, omnia, viſa, audita, dicta, conſilia, facta, ſub prætenſo confeſſionis auricularis ſigillo, hoſtibus revelando, quotieſcunque ex conſcientiâ religionis ſuæ ad id teneri ſe putat. Quod de Pontificiis hic dico, Gentilibus, Judæis, ſectarum quarumcunque conſecraneis κατ᾽ ἀναλογίαν applicari volo. Quamvis enim con-

 feſſio

fessio auricalis illic locum non habent, habet tamen dependentia à religionum istarum præfectis. Hinc animorum divulsiones, contraria studia, diffidentiæ, suspiciones, querelæ, quotidiana ac perpetua domesticæ crucis exercitia. 6. *Quia* divinæ maledictiones ejusmodi Conjugiis adhærentes; & tristia exempla omnium quæ diximus veritatem ostendunt: qualia sunt Orthodoxorum ante diluvium *Genes.6. v.2.* Simsonis, Salomonis, Achabi, Jorami. Quisque hic addat suæ ætatis exempla, præsertim Principum, Magnatum, &c. quorum Conjugia cum parte infideli aut idololatricâ, aut turpis apostasia, & per eam rerum conversio, Ecclesiarum dissipatio, aut maxima rerum mutatio secuta est. Qui videtur sibi stare, videat ne cadat 1 *Cor.* 10. Dominum Deum tuum non tentabis *Math.* 4. Deus non irridetur *Galat.6. v.7.* Accedat consensus Antiquorum in *Concil. Laodic. can.* 10. 31. *Chalcedon. art.* 15. *c.*14. allegatum à *Gratiano Dist.* 32. *c. quoniam Eliberin. can.* 15. 16. 17. *Arelat.* 1. *can.*2. *Constantino p.* 6. *in Trullo. can.* 72. *Carthagin.* 3. *can.* 12. Supersedeo à verbis omnium hic exhibendis: contentus lectori indicare *Lib.2. Tertulliani ad Uxorem:* ubi à principio usque ad finem validè & disertè Conjugia ista dissuadet. Excerpam solummodo elogium Conjugii inter fideles cap.9. quo librum concludit p.201. edit. Pamelii.

„ Unde, inquit, sufficiam ad enarrandam fœlicitatem ejus matrimonii. „ quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum angeli „ renunciant, pater ratum habet? Nam nec in terris filii sine consensu pa- „ trum rite & jure nubent: Quale jugum Filiorum duorum unius spei, unius „ voti, unius disciplinæ, ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conservi, „ nulla spiritus carnisve discretio. Atquin vere duo in carne una. Ubi caro „ una; unus & spiritus. Simul orant, simul volutantur, & simul jejunia tran- „ sigunt, alterutro ducentes, alterutro hortantes. In Ecclesia Dei pariter, in „ connubio Dei pariter. In angustiis, in refrigeriis, neuter alterum cælat, neu- „ ter alterum vitat, neuter alteri gravis est. Libere æger visitatur, indigens su- „ stentatur. Eleemosynæ sine tormento, Sacrificia sine scrupulo, quoti- „ diana diligentia sine impedimento. Non furtiva signatio, non trepida gra- „ tulatio, non muta benedictio: sonant inter duos Psalmi & Hymni, & „ mutuo provocant quis melius Deo suo canet. Talia Christus videns & „ audiens gaudet. His pacem suam mittit. Ubi duo, ibi & ipse; ubi & ipse, „ ibi & Malus non est.

Recentiores omnes tum Nostri tum Pontificii, in hac veritate & thesi generali consentiunt: nisi quod Jesuita *Becanus in Theol. Scholast. loco cit.* & in *Manuali lib.* 5. scenæ subserviens, contra religionis Romano-Papalis & propria sua θεολογέμενα in hypothesi, licita facit suorum Conjugia, cum Protestantibus: in Germania scil.; quæ tamen alibi essent illicita. Et hæc fides tem-

temporum, aut locorum : ſicque oſtendit veriſſimum eſſe illud diverbium : *Jeſuita eſt omnis homo.* 2. *Concl.* Si quis aut quæ Fidelis cum Infideli aut Hæretico, quem ſciebat talem eſſe, Sponſalia iniverit, graviter quidem peccavit: ſed in foro conſcientię meo judicio reſilire non poteſt. Ut enim omnia pacta, ſic imprimis hoc ſervandum. Hic allegari non debet vulgatum illud, *In malis promiſſis reſcinde fidem :* ne perfidiæ Artifices & Patroni, idem pari fere (uti putarent) jure allegent, in quæſtione, de fide hoſtibus, rebellibus, hæreticis non ſervandâ. 3. *Concl.* Si quis aut quæ Conjugium cum Infideli aut Hæretico conſummaverit graviter in foro conſcientiæ peccando : illud tamen, cum factum eſt tenet : nec in foro interiori conſcientiæ irritum credi debet. 4. *Concl.* Poteſt tamen in foro exteriori Sponſalium, & Conjugiorum cum Infidelibus Apoſtatis, Idololatris, nullam emendationis ſpem relinquentibus, prohibitio fieri ; ad mala & incommoda ſupra memorata prævenienda. Et Jure Romano tale quid ſancitum legimus de Judęis *L. ne quis* 5. *de Judæis* C. *lib.* 1. *tit.* 12. & *L. fin. de ſponſal.* 5. *C. tit.* 1. Poteſt etiam Eccleſia poteſtate ſibi conceſsâ Cives ſuos ab infelicibus illis Conjugiis præſervare.

IV. *Quæſt. An culpa adulterii cum aliquo aut aliquâ commiſſi impedire debeat Conjugium poſt partis innocentis mortem cum eodem aut eadem ineundum, aut jam initum, diſſolvendum? Reſp.* Adulterium eſt vel qualificatum, cum quis uxoratus alterius Uxorem corrumpit ; aut quæ maritata conſueſcit cum alterius Marito : vel non qualificatum, cum quis ἄγαμος alterius Uxorem corrumpit ; aut quis uxoratus, cum aliâ ſolutâ rem habet. De poſterioribus *Beza* negat *p.* 144. & ait hanc fuiſſe ſententiam *Concil. Eliberini can.* 72. & *Concil. Tribuatienſis* & *Auguſtini de Nupti & Concupiſc. Lib.* 1. *cap.* 12. Rationes addit, quod ſit adulterii continuatio : & quod in adulterio non ſit defectus aliquis, qui poſtea poſſit emendari ; ſed quod ipſum nihil ſit niſi horrendum crimen, quod prætensâ reſipiſcentiâ emendari non poteſt ab illis qui rurſum conjungi poſtulant, cum potius commiſſum adulterium lugere, omnemque adeo inter ſe copulam horrere oportuerit. *Denique*, inquit, *non patitur quodammodo ipſa rerum natura, ut ratum ſit Conjugium, ab eo ipſo, nempe ab adulterio, incipiens, quo uno rata alioquin Conjugia ſeparantur.* Poſt *Bezam* etiam abſolutè *Neg. Zanchius Lib.* 4. *cap.* 1. §. *de divino.* & *Zepperus Lib.* 4. *de Legibus Moſaicis cap.* 19. Prior addit hanc rationem : quia duo illi capite plectendi ſunt juxta legem Dei. *Mortuis autem*, inquit, *quomodo licet Matrimonium contrahere?* Poſterior nullam rationem adfert, quam, *per Concilia & Patres eccleſiaſticos non licere, ubi juxta legem Dei capitaliter in adulteros non animadvertitur.* Noſtrates in Belgio non uno modo hic determinârunt. *Synodus Zuydhollandica Iſelſtadienſis* anno 1626. *artic.* 42. negat.

In *Synodo Nationali Hagiensi* anno 1586. *ad quæst. partic.* 10. quæstio in utramque partem ventilata, & indecisa relinquitur Decisioni politiæ: & sic in *Synodo Zuydholland. Schoonhovianâ* anno 1597. *art.* 41. Secunda sententia est *Juris Canonici*; ubi cum *Leone c. nullus* 31. *qu.* 1. absolutè negatum fuisset; & *cap.* proximè *sequ. Nullus* absolutè affirmatum, ex malè cit. Augustino, per mutationem enuntiationis negantis in affirmantem (quod notæ correctæ editioni Gregor. 13. adjectæ diffiteri non possunt) capiti proximè sequ. (quod est 3.) ex concil. apud Althæum absolutè neganti, in notis additur hæc limitatio sive exceptio: si scil. Adulter aut Adultera Uxori aut Marito mortem machinata sit. Et *cap.* 4. *Relatum* altera exceptio seu limitatio ex *Tribun. can.* 40. adjicitur si stante Matrimonio priore, intervenerit aliqua promissio & juramento de posteriore cum Moecho aut Moechâ ineundo. *Capite sequ. Si quis*, statuitur post peractam pœnitentiam posse Viduam in Conjugem duci, quam Viro vivente per adulterium polluit. *Tertia sententia* est, Hemmingii in Explicatione Decalogi §. 14. num. 28. 29. 30. pag. 890. edit. oper. in fol.

„ 28. Si quis contraxerit cum ea, cum qua turpiter consuevit, vivente marito, „ tametsi Papistæ contractum istum continuatum adulterium statuunt: ta„ men ego istud simpliciter affirmare non audeo, sed distinctione opus esse „ judico, in hunc modum.

„ 29. Aut turpido præcedens fuit publicè nota, vel saltem justè suspecta: „ aut fuit sine omni suspicione. Si turpido fuit publicè nota, contractus se„ quens peccat scandalo, nec potest unquam probari: nisi publicè nota pœ„ nitentia ut in Davide, præcesserit. At si turpido sequens, nec publicè no„ ta, nec justè suspecta fuit, doctus & prudens pastor potest conscientias „ eorum qui contraxerunt, sic sanare, ut usus ejus conjugii fiat sanctus.

„ 30. Verùm, quoniam rarò bene succedit iis qui sic contrahunt, horte„ rer omnes qui Christiani dici & esse volunt, ut id non tentent, de quo justa „ possit esse dubitatio, & ex quo insuavis conversationis imminere pericu„ lum, & insanabile scandalum.

Quarta affirmans est *Melanthonis in Exam. Theolog. part.* 2. *pag.* 615. & ibi *Pezelii in Commentar.* qui adducunt exemplum Davidis ducentis Batsebam: & censent hodie à Judicibus ἐπιείκειαν adhibendam. Addit Pezelius: in *consistoriis harum Regionum ita pronuntiari solet, præcedente pœnitentiâ publicâ, propter admissum atrox scandalum.* Idem judicant *Martyr* in 2 *Sam.* 11. Et *Daneus Lib.* 2. *Ethicæ Christianæ cap.* 14.: sed prior trepidè. *Cythræus* in *Levit.* 18. *Mentzerus de Conjugio p.* 149. *Gerhardus Locor. p.* 275. *comm. tom.* 7. *cap. de Matrimonio*; *Tarnovius Lib.* 1. *c.* 49. quibus omnibus prævivit *Lutherus ibid. cit.* Idem censet ex Jureconsultis *Christenius de Jure matrimonii Dissert.* 3. *quæst.*

quæſt. 17. qui ex profeſſo hanc cauſam agit. Nos ſententiam noſtram ſeqq. concluſionibus explicamus. 1. *concl Beza* alios ſupra citatos habuit antecedentes, ut *Concil. Triburtienſe*, *Auguſtinum*, *Jus canonicum in Extrav. tit. Ne quis ducat eam*, *Viretum in Inſtitut.* (qui *ibidem* citat *Extrav.*); habuit & ſequentes *Zanchium*, *Zepperum*. Præterquam, quod *Beza* peremtoriè non determinet, ut quidem alii ipſi ὁμόψηφοι: *Ego igitur*, inquit, *hâc de re ita exiſtimo*, *tantiſper dum meliora quiſpiam doceat.* Interim nec ipſe, nec contrariæ ſententiæ Autores, in præcognitis hujus quæſtionis accuratè diſtinguunt inter forum poli, ſeu interius conſcientiæ Jure divino immediatè obligatæ; & inter forum ſoli ſeu exterius. 2. *concl.* adulterium eſſe graviſſimum peccatum verâ reſipiſcentiâ emendandum, & cenſuris eccleſiaſticis, ac pœnis politicis coërcendum. An autem cujuſcunque adulterii pœna politica, Jure divino & immutabili debeat eſſe ſupplicium capitale, & an alio genere pœnæ nunquam à Magiſtratu vindicari poſſit (uti *Zanchius loc. cit.* præſupponere videtur), hic non diſquiram. Pertinet hoc ad 7. Decalogi præceptum, & ad locum communem, de Lege forenſi Moſaicâ, & delictorum pœnis eâdem ſancitis. 3. *concl.* Ubi vel lege, vel peculiari Magiſtratus diſpenſatione Moechus aut Moecha extremo ſupplicio non afficiuntur; poſſe tamen & debere juſtè ac prudenter leges ferri contra ejuſmodi Matrimonia. Rationes, quæ à malis moribus, à periculoſis & noxiis metuendis conſequentibus, communiter pro legibus humanis militant, etiam hic ſufficiunt. *Beza Tract. cit. pag.* 345. hanc rationem (*quod periculum ſit ne hâc occaſione mariti Uxoribus & viciſſim Uxorem Maritis mortem machinentur*) non putat eſſe unicam, nec etiam pręcipuam: ſed iſtam, quod nihil aliud ſint, quam adulterii quędam continuatio. Sed diſtinctione adhibitâ inter forum poli & ſoli, ajo rationem illam ſolidam eſſe, & unam ex pręcipuis. Cui addi poſſit iſta, Quod per modum pœnæ propter delictum adulterii juxta cum aliis mulctis infligendę, prohibitio talis Conjugii ſanciri poſſit; aut ſaltem pręveniri, ne quis tanquam criminis antecedentis præmio, dilecti Moechi ſui aut Moechæ Conjugio ſe potiri aut potiturum gaudeat. 4. *concl.* De hâc lege poſſe in aliquo peculiari caſu, conſideratis omnibus circumſtantiis & graviſſimis de cauſis, ad publicum & familiæ alicujus privatum bonum, & ad alia graviſſima mala prævenienda, à ſupremis Poteſtatibus diſpenſari. 5. *concl.* à Miniſterio eccleſiaſtico, & rerum ac ne cauſarum Connubialium Præfectis, omnes tales à Sponſalium profeſſione, eorundem ſolenni promulgatione, & Conjugii confirmatione ſimpliciter eſſe rejiciendos; niſi legitimum obtentæ diſpenſationis decretum exhibeant. Quo in caſu præſtaret eos, à Magiſtratu, & non à Miniſtris confirmari: tum ob ſcandalum infirmorum; tum ob conſcientiam Miniſtrorum, de ſpeciali determinatione

diſpenſationis, aliter forte ſentientium, aut ſaltem dubitantium. Cur enim dubitante conſcientiâ aut contra conſcientiam quid agerent? *6. concl.* Non eſſe in foro poli & conſcientiæ intrinſecè. per ſe, & abſolute malum, ſi quis Moechus aut quæ Moecha (prȩſertim ſi adulterium non fuerit qualificatum, & liberi ex adulterio nati non ſint) actâ ſuper prȩcedenti peccato ſuo reſipiſcentiâ, cæteris paribus & poſitis ponendis, de tali Conjugio cogitet, legitimis modis & mediis, veniam, indultum, & diſpenſationem à ſupremis Poteſtatibus ad hoc impetret, & ſic Matrimonium ineat. Ratio illa, ab exemplo Davidis, quam partis affirmantis *Autores Theologi* & *Jureconſulti* adferunt, mihi minus ſolida videtur. Oppono illi vulgatum illud iiſdem aliiſque Theologis alibi uſurpatum: *Non exemplis, ſed legibus vivendum eſt.* Alioquin polygamiam & inceſtum Jacobi, polygamiam Davidis, Elkanæ, Salomonis, &c. Conjugibus hodiernis, eâdem conſequentiâ ad imitationem proponi poſſent. Sumatur ergo firmiſſima hæc ratio, ex Roman. 7. v. 3. *Si autem mortuus fuerit vir ejus, libera eſt à lege illâ, ut non ſit Moecha, ſi fiat alterius viri.* Si dicatur Semproniam poſſe quidem alteri cuicunque Viro (ſive Juveni, ſive Viduo) nubere: minime vero Titio, cum quo adulterium commiſit; quia eſſet adulterii continuatio. *Reſp.* Non eſſe continuatum adulterium; quia non eſt adulterium. Definitio enim adulterii nullâ ratione competit cohabitationi ſoluti cum ſolutâ. Si regeras injuriam à Semproniâ adulterante commiſſam in Maritum defunctum ejuſque familiam, morte non tolli. *Reſp.* peccatum hoc eſſe tranſiens, & mortuos non habere partem inter vivos, *Eccleſ.* 7. Nec eſſe defunctum illum nunc Maritum Semproniæ, cui ipſa lege devincta ſit. Quod ad familiam utramque & Semproniæ & Mariti defuncti, & quod ad liberos Semproniæ tam ex defuncto Marito, quam ex Moecho conceptos, poſſe de judicio Magiſtratus ignominiæ & injuriarum diminutionem aut tegmen aliquod, in Semproniȩ, omniumque, quorum intereſt, bonum, hujus Conjugii promotione inveniri. Sed ut verbo dicam, non magis eſt continuatio adulterii, quam Conjugium cum Virgine à ſe ſtupratâ continuatio ſtupri, & Conjugium cum Viduâ aut Puella ſolutâ quâ vir quis antea fornicando abuſus eſt, continuata fornicatio. Eſt & aliud quod objicitur: Non fore reſipiſcentiam, ſi Titius ſolutus cogitet de cohabitatione conjugali cum Semproniâ, quam antehac maritatam, aut Mævius cum Cajâ ſolutâ, quam uxoratus adulterio polluit. Ratio hæc à Beza adfertur: *Denique non patitur quodammodo ipſa rerum natura, ut ratum ſit Conjugium, ab eo ipſo, nempe ab adulterio incipiens, quo uno rata alioquin Conjugia ſeparantur. Reſp.* Non incepit Conjugium ab adulterio. Neque enim adulterium ex ſe aut per ſe eſt cauſa, aut principium, aut medium, aut conditio Conjugii: ne quidem ex opinione & intentione omnium Adulterorum.
Si

Si quæ vulgaris sortis Puella aut Vidua cum Rege aut Principe uxorato adulteretur; quis dicet utrumque suâ intentione, in illo peccato ponere principium secuturi Conjugii. Est quidem antecedens & occasio passiva (ita loqui liceat) æque subsequentis resipiscentiæ, ac Conjugii legitimè postulati ac initi. Præcessit lapsus adulterii & abominanda impuritas: excipit eam salutaris resipiscentia, & honorabile Conjugium inter omnes & κοίτη ἀμίαντος. *Hebr.* 13. A quo hoc, de quo agitur, Conjugium nusquam excipitur. Ubi autem lex non excipit, nobis non est excipiendum. *Concil. Triburiense* celebratum circa annum 900. tantæ apud Nos autoritatis non est. *Eliberinum* (aliter *Illibertinum* & *Eliberitanum*) à 19. episcopis celebratum fuit ante *Constantinum*: uti ex *can.* 25. colligi videtur: de quo Possevinus in appar. Ejus canon 72. cit. sic habet: *Si quæ Vidua fuerit moechata, & eundem postea & habuerit Maritum post quenquennii tempus, actâ legitimâ pœnitentiâ, placuit eam communioni reconciliari: si alium duxerit relicto illo, nec in fine dandam esse communionem.* Unde non liquet talis conjugii simplex & absoluta condemnatio. Atque hæc mea sententia de quæstione, An tale Conjugium tanquam intrinsecè malum in foro conscientiæ, per jus divinum & naturale, absolutè sit illicitum: & an nullo in casu, positis ponendis honestari possit. Quid in foro soli per leges, aut specialia indulta & dispensationes Magistratuum licitum sit, & impune; & quomodo talia Conjugia ordinario prohiberi possint, modo determinavimus. Indulti specialis & dispensationis exemplum unum atque alterum in tali casu, ex *Decreto Illustr. ac Præpot. DD. Ordd. Hollandiæ*, mihi antehac visa indicârunt. Insuper de Synodi Noort-Hollandicæ sententia, Alckmar. 1620. & Amstelodam. 1622. tales conjugati & in statu conjugali perseverantes, denuo post debita pœnitentiæ signa, ad cœnæ communionem admissi fuerunt. Ministri Sylvæ-ducis a. 1630. in plantatione & ordinatione istius Ecclesiæ laborantes, & Ego cum illis casu aliquo istic deprehenso, autores ipsis fuimus, ut dispensationem peterent à supremâ Curiâ. Ego postea in professione Academicâ constitutus aliquoties consultus idem semper respondi. Est enim lex juris humani positivi, in quâ ob rationes dispensari potest.

CAP. III.

De Cognatione & Affinitate Matrimonium impedientibus.

IMpedimenta Matrimonii à *Canonistis* & *Casuistis* distinguuntur in impedientia tantum & in dirimentia. Priora sunt quæ Matrimonium licitè contrahi impediunt: at contractum cum illis fit firmum & ratum: quia non adversantur essentiæ Matrimonii, sed solennitati §. 1.

&

& ornamento accidentario. Sunt autem illa duum generum: alia quę consurgantur ex crimine, alia quæ non consurgunt. *Illa* sunt septem

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris.
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyterialis
Vel si pœniteat solenniter, aut monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.

Ista sunt quinque

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Posteriora Jure antiquo sunt 12. sed Jure novo 14. duobus à *Concil. Trident.* additis, Antiqua tribus istis versiculis continentur

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coïre nequibis.

Nove addita seqq. versiculis Sanchez complexus est

Si parochi & duplicis desit præsentia testis.
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Hæc apud *Sanchez Lib. 7. disp. 6.* & seqq. fusè explicata & ventilata videri possunt. Nos illis præteritis, in usum Nostrorum solummodo perstringemus impedimentum à Cognatione & Affinitate: per quæstiones generales & quasdam speciales.

Quæstiones generales sunt istæ.

I. *Quæst. An impedimentum hoc sit Juris divini moralis, naturalis, & consequenter perpetui atque immutabilis? Resp. Aff.* 1. *Rat.* Ex *Levitic.* 18. & 20. ubi ratio addita *cap.* 18. *v.* 24. quod fuerint abominationes Gentilium, propter quas Deus eosdem ejecit, ostendit, non fuisse illa Juris positivi specialis, hoc est, forensis Mosaici, quo soli Israelitæ tanquam Populus & Respublica Dei specialiter teneretur. *Ibid. v.* 17. & *Cap.* 20. *v.* 8. tales concubitus dicuntur זמה *scelus* & *Levit.* 20. *v.* 21. נדה, id est, *impuritas.* 2. *Rat.* quod ex lumine naturali hæc lex humano generi lata cognosci possit, & honestatis hujus naturalis axioma animis hominum insculptum sit. Ut pudor naturalis avertat illos à tali mixtione, immo & à conspectu *Levitic.* 20. *v.* 17. cum *Genes.* 9. *v.* 22. 23. 25. 26. Et hoc quidem ante latam legem Mosaicam. Naturale hoc honestum & decorum docet Apostolus 1 Corinth. 5. v. 1. *Omnino auditur inter vos scortatio, & ejusmodi scortatio, quæ ne inter Gentes quidem nominatur, adeo ut quis Uxorem Patris habeat.* Inter Gentiles legibus & moribus excultos ne quidem nominata fuisse talia Conjugia, constat ex testimonio

nio Apostoli. Cui adde *L. Sororis Proneptem D. de Ritu Nupt.* ubi prohibetur Conjugium cum Pronepte Sororis: additâ hâc ratione, *quod ei sit loco Parentis.* Et *L. adoptivus d. tit.* ubi prohibetur Conjugium cum Privignâ, ejusdemque Filiâ & Nepte. Et *Historias de Moribus Gentium.* Exemplum insuper Seleuci, de quo *Plutarchus* refert, quod volens Stratonicem Uxorem Filio suo Antiocho concedere, veritus fuerit, ne ipsa offenderetur τῷ μὴ νενομισμένῳ, id est, *quod esset illegitimum.* Denique Ciceronis detestationem in Orat. pro Cluentio, ubi de scelere cujusdam Sassiæ Generi sui Conjugium, per repudium Filiæ affectantis: *O mulieris scelus incredibile, & præter hanc unam in hâc vitâ inauditum! O libidinem effrænatam & indomitam! ô audaciam singularem! perfregit ac prostravit omnia cupiditate ac furore: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* 3. *Rat.* Quia ob Conjugium cum Novercâ, Apostolus 1 *Cor.* 5. *v.* 2. - 5. τὸν δεῖνα ex Ecclesiâ ejiciendum statuit. Ergo non prohibetur merâ Lege forensi; quæ Corinthios sub N. T. & extra omnem politiam Judaicam constitutos minime obligabat; & per quam tale Conjugium, non poterat incestus damnari. 4. Accedat consensus *Augustin. Lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 16. Nescio quomodo inest humanæ vere-„ cundiæ quiddam naturale atque laudabile: ut cui debet causa propinqui-„ tatis verecundum honorem, ab eâ contineat, quamvis generatricem, ta-„ men libidinem, de quâ erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem. *Ibid.* dicit, quod Gentilium melior consuetudo *exhorreat illam licentiam.* Thomę Aquin. in 22. Qu. 154. art. 9. ubi ad quæstionem, An incestus sit determinata species luxuriæ respondet:

„ Ibi necesse est inveniri determinatam speciem luxuriæ, ubi invenitur „ aliquid repugnans usui debito venereorum. In usu autem consanguineo-„ rum vel affinium invenitur aliquid incongruum commistioni venereæ tri-„ plici ratione. Primò quidem, quia naturaliter homo debet quandam ho-„ norificentiam parentibus, & per consequens aliis consanguineis qui ex eis-„ dem parentibus de propinquo originem trahunt: in tantum quòd apud „ antiquos, ut Maximus Valerius refert, non erat fas filium simul cum pa-„ tre balneari, ne se invicem nudos conspicerent. Manifestum est autem „ secundum prædicta, quòd in actibus venereis maxime consistit quædam „ turpitudo honorificentiæ contraria: unde de his homines verecundantur. „ Et ideo incongruum est quòd commistio venerea fiat talium personarum „ adinvicem. Et hæc causa videtur exprimi *Levit.* 18. ubi dicitur, Mater tua „ est, non revelabis turpitudinem ejus. Et idem postea dicitur in aliis.

Contrariam sententiam tenent Leges sive Consuetudines Antiquorum Arabum, Maurorum, Babyloniorum, ubi Liberorum cum Parentibus; & Ægyptiorum, ubi Fratrum cum Sororibus licita. Fuerunt etiam apud Ro-

manos celebria aliquot incestus exempla : quamvis legibus non probarentur. De quibus vide *Alexandrum ab Alexandro Lib.* 1.*genial.dierum cap.* 24. & ibi *Tiraquellum.*

Pontificii apud *Cajetanum in* 22.*qu.* 154. *artic.* 9., quem *Recentiores Commentatores* sequuntur, & apud *Bellarmin. Tom.* 3. *controv. gener.* 5. *Lib. de Matrimonio cap.* 27. *Corn. à Lapide in Levitic.* 18. *v.* 18. negant omnes illos gradus *Levit.* 18. prohibitos esse Lege & Jure naturali, qui irritent Matrimonium ; & affirmant Ecclesiam seu Papam posse in quibusdam dispensare. Addit *A Lapide* hoc esse de fide, & citat *Concil. Trid. Sess.* 24. *can.* 3. Argumenta eorum sunt.

I. *Argum.* Quia *cap.* 20. *Levitici* quidam gradus prohibiti pœna mortis puniendi; alii pœnâ leviori. Ergo illi prohibentur Jure & Lege naturæ: isti Jure proprio & Lege positivà Judæorum. *Resp.* 1. diversitas pœnarum ex textu non demonstratur. 2. Quidquid sit, sanctio pœnæ, non est lex prohibens aut præscribens. Hic quæritur de ipsâ Lege, an sit Juris naturalis, & moralis. Sicuti adulterium, furtum, scortatio, calumnia, blasphemia, sacrilegium, usura mordens sunt peccata. Jure & Lege naturali ac morali prohibita, in quibus ab Ecclesiâ aut Politiâ, dispensari non potest: quæ tamen nec Lege forensi Mosaicâ, nec Legibus Christianorum æquali pœnâ puniuntur. 3. Siquidem una species incestus gravius per legem Mosaicam punita fuisset quam altera : inde solum inferri posset illam non fuisse aut in se æque abominandam aut publico æque damnosam. Sed ex gradibus peccatorum, & quod unum sit gravius altero, non sequitur illud nullum esse. Auferre pallium, aut loculum Divitis, non tantum est peccatum; ac auferre Pauperi unicum tegumentum carnis, aut Viduæ (*Luc.* 21. *v.* 2. 3.) paucula minuta, aut depeculari ærarium Pauperum, aut cum Achane (*Jos.* 7.) rapere peculium sacrum.

II. *Argum.* Si omnia illa præcepta essent naturalia, semper obligassent, ante Legem Mosis. Sed non obligasse probatur, ex exemplis Sanctorum, Jacobi *Genes.* 29.; Judæ *Genes.* 38. qui Viduam primogeniti dedit secundo filio, eandemque promisit tertio; Amram *Exod.* 6. *Resp.* Exempla non faciunt legem: non magis quam Sanctorum quorundam polygamia tum post tum ante legem (e. gr. Jacobi *Genes.* 29.); quam *Bellarminus cap.* 10. Juri & Legi naturæ repugnare ostendit.

III. *Argum.* Si præcepta illa essent Juris naturalis, tum essent universalia ; & omnia Matrimonia intra eundem gradum essent illicita. Atqui *Levit.* 18. quædam prohibentur, quædam permittuntur, e. gr. prohibetur Nepotis cum Materterâ aut Amitâ ; non prohibetur Patrui aut Avunculi cum Nepte ex Sorore aut Fratre, &c. *Resp.* Si exsertè non prohibetur,

per

per analogiam tamen prohiberi intelligitur. Alioquin pari consequentiâ concludi posset, licitum esse Conjugium Novercæ cum Privigno; quia illud *Levitic.* 18. exsertè non prohibetur.

IV. *Argum.* Ex *Deuter.* 25. ubi præcipitur Conjugium cum Viduâ Fratris primo geniti. Et *Levit.* 18. *v.* 9. prohibetur Conjugium cum Uxore Fratris sui. Unde sequitur hanc legem esse positivam & forensem; non naturalem: contra quam Legislator non potest præcipere? *Resp.* *Deuter.* 25. est præceptum peculiare, seu exceptio à lege communi, aut potius ex specialis & hypothetica, non quidem contra, sed præter & juxta legem communem *Levitic.* 18. lata ac promulgata. Posse autem Legislatorem tale quid præcipere, absque implicatione contradictionis, aut eversione Juris naturalis, patet ex Filiis Adæ, qui volente & jubente Deo Sorores suas duxerunt. Ut jam non dicam, de præcepto speciali dato Abrahamo *Genes.* 22. Pinehas *Numer.* 25. cum *Psal.* 106. &c. Vide & confer, quæ de naturali Jure diximus in 1. *Part. sel. Dispp. tit. de Jure & Justitiâ Dei.*

V. *Excipit* Bellarminus contra 1. argum. modo allatum ex *Levit.* 18. præcepta illa de gradibus esse aliquo modo naturalia, si scil. nudè ac solitariè sumantur gradus Cognationis: non vero si iidem sumantur cum circumstantiis, quæ sufficiant ad Matrimonia illa honestanda. *Resp.* Memor sit verborum suorum in deductione argum. sui ex Deuter. 25. *Non enim*, *quod est intrinsecè malum*, *per ullam circumstantiam potest fieri bonum.* Atqui Conjugia cum Matre, Filia, Noverca, Privigno, Fratre, Sorore, Affine, Leviro, Nuru, Genero esse intrinsecè mala & turpia (quamvis unum sit turpius altero, sicuti adulterium scortatione, sacrilegium furto, blasphemia calumniâ, &c.) probamus & præsupponimus ex Scripturâ: contra quod allata distinctione nihil excipitur, nisi utrumque ejus membrum ex Jure divino aut naturali solidè probetur. Quod à Bellarmino minimè factum; ne quidem tentatum: quamvis multa dicat ad distinctionis suæ explicationem. Sed explicatio non est demonstratio.

VI. *Excipit ibid.* „Peccasse quidem Gentes in ejusmodi Conjugiis con-„trahendis; sed non ita graviter, ut propterea ejiciendæ essent ex terrâ. Ista „enim pœna propriè respicit crimen idololatriæ, & adulteria, ac flagitia illa „prodigiosa cum bestiis & masculis. Cum enim Scriptura dicit, *Omnia hæc* „*fecerunt*, &c. non intelligit tantum Conjugia in gradibus prohibitis, sed „omnia scelera supra nominata. Nec dicit Scriptura, propter singula pec-„cata fuisse dignos illos, qui à terrâ evomerentur; sed propter omnia, quia „nimirum inter omnia illa erant quędam gravissima & enormia. *Refut.* Abominandos concubitus Patrum cum Filiabus, & Matrum cum Filiis, Fratrum cum Sororibus, Gentilibus quibusdam, ut Persis, Medis, Æthiopibus, Ægy-

ptiis Cananæis frequentatos, (de quibus *Alexander ab Alex. modo cit.* & *A Lapide in Levitic. 18. v. 7.*) fuisse impuritates & scelera & propterea terram Gentes suas evomuisse textus loquitur, nec A Lapide diffiteri potest ad v. 18. quamvis addat, *gentes illas magis ob idololatriam, sodomiam, aliaque scelera expulsas fuisse.* Sit ita: manet nihilominus ob scelera incestus expulsas fuisse. Bellarminus audacius: *ista enim pœna propriè respicit crimen idololatriæ, & adulteria*, &c. Ergone aut non erant tunc peccata, aut saltem venialia, si Filia Patri, Filius Matri misceretur? Et si infandum atque in Gentibus inauditum nefas fuerit, novercæ misceri 1 *Corinth.* 5. propter quod Satanæ quis tradendus judicetur, quid dicemus de commixtione cum Matre aut Patre? Mox tamen Bellarminus sibi contradicens subjicit: *Non intelligit tantum Conjugia in gradibus prohibitis, sed omnia scelera supra nominata.* Sic est: sed hoc minimè causam tam infamem juvat.

Pergit *ibid.* Veram esse hanc solutionem confirmari potest exemplis, Ja-„ cob, Juda, Amram, addo etiam Abrahamum ex opinione Theodori Bezæ, „ qui in gradibus prohibitis Conjugia contraxerunt, & tamen à Deo puniti „ non sunt, &c. Refut. ex illo Poetæ, *Si quoties peccant homines sua fulmina mittat Jupiter, exiguo tempore inermis erit.* Israelitę quamvis toties per idololatriam, magiam, divinationem, adulteria, Deum in terrâ promissâ offendissent, tamen ex eâ ejecti non fuerunt, uti ante ipsos Cananæi: sed in eâdem manserunt usque ad transmigrationem Assyriam & Babylonicam. Sodomiæ peccata in Romanâ sede & curiâ sedem posuerunt, & Roma est jam tota lupanar, juxta descriptionem *Petrarchæ, Baptistæ Mantuani, Espencei*, &c.), & tamen ignis Sodomæ, aut gladius hostilis nondum Romam absumsit, evertit. Quid hinc pro dispensatione in adulterio, scortatione, idololatriâ, magiâ, sodomiâ concluderet Sophista?

VII. *Excipit* adversus argumentum ex 1 Cor 5. „ probabile esse; primum „ gradum Affinitatis in lineâ rectâ, simpliciter prohibitum esse Juræ naturę: „ sed non ideo præcepta omnia de gradibus esse naturalia, quia unum aut „ alterum est naturale. *Refut.* Hoc non sequi fatemur; nec sic argumentamur: sed hoc modo, Quæ Deus exsertè prohibet tanquam impuritates & scelera, & quidem Gentilibus ęque ac Judæis, illa communi jure & lege naturę prohibet: non vero lege particulari politica Israelitarum Reipublicæ propriâ.

Reliquorum argumentorum, quę à Nostris antehac allata dicit, Vindicias hic non prosequimur; nec eorum soliditatem examinamus. Sufficiunt & perstant supra allata: nec vel umbram probationis pro exceptione & distinctione graduum dispensabilium & non-dispensabilium hactenus obtendere potuerunt.

Huic

Huic primæ quæſtioni cohærent tres ſequentes

II. *Quæſt. An leges prohibentes inceſta Conjugia primum latæ ſint per Moſem* Levitic. 18. *& conſequenter uſque ad illud tempus, lege tali non exiſtente, non fuerint peccata. Reſp. Neg. utrumque.* Etiamſi non fuerit Lex ſcripta, fuit tamen Lex divina per Patriarchas & Prophetas tradita; fuit etiam Lex naturalis cordibus eorum inſcripta, qui lege ſcriptâ, & revelatione ſupernaturali, & verbo prophetico carebant. Huc pertinet *Rom.* 1. *v.* 19. 20. - 31. cum 2. *v.* 14. 15. Inceſtus Lothi, Jacobi, ſcortatio Judæ, polygamia Lamechi, Eſaui, Caini fratricidium, Hemoris ſtuprum & raptus, Simeonis & Levi crudele factum, Rubenis adulterium & inceſtus erant peccata contra Legem divinam & naturalem: quamvis lex per Moſem nondum tunc data eſſet. Eſt falſa hypotheſis, quæ & in hâc & in aliis multis controverſiis ſumitur: Quidquid doctrinæ legalis & euangelicæ per modum didaſcalicæ catechezios, aut per modum ſimplicis & hiſtorici indicii in capitibus Geneſios Ante diluvianis exſertè ſcriptum non invenitur, illud non fuit in rerum naturâ, nec pertinuit ad fidem & pietatem hominum per annos 1656. Rurſum quidquid alterutro modo ſcriptum non invenitur à cap. 10. Geneſios uſque Exodi cap. 20. illud ab anno mundi 1656. uſque 2470. in mundo prædicatum, auditum, cognitum, creditum, factum non fuit; nec etiam credi, aut fieri debuit. Falſa hęc hypotheſis, quę orthodoxæ & ſolidę Theologiæ non exiguam ſubinde cladem inferre poſſet, alibi refutanda eſt.

III. *Quæſt. An ab aliquâ Poteſtate humanâ ſive ſæculari ſive eccleſiaſticâ in gradibus* Levitic. 18. *prohibitis diſpenſari poſſit. Reſp. Neg.* Quia contra Legem divinam & naturalem nulla eſt diſpenſatio: fatente *Bellarmino cap.* 25. qui *ibid.* Chemnitium mendacii arguit, quod hoc Papę imponat. Quaſi vero Canoniſtæ eorum tam cruda non evomuiſſent; & à Noſtris, nominatim à Principibus Proteſtantibus *in Libro c. Concil. Trident.* anno 1564. evulgato *pag.* 279. - 346. edit German. in 4. hoc abunde non fuiſſet probatum. Pontificii cum Concilio Trident. affirmant; & communiter factum Papæ Romani huc advocant, ut ſaltem apud ſuos jus probent. Cajetanus ad 22. qu. 154. art. 9. adducit aliquot exempla.

„ Quod Papa poſſit, ex geſtis Romanorum pontificum patet. Nam mo-
„ dernus rex Portugalliæ Emanuel, duas ſorores, quarum altera ſupereſt, ſuc-
„ ceſſive uxores habuit: ita quòd etiam cum prima conſummaverat ma-
„ trimonium. Moderna quoque Regina Angliæ, conſummaverat prius ma-
„ trimonium cum olim fratre iſtius Regis Angliæ ſui mariti. Ferdinandus
„ quoque junior Rex Siciliæ citra Pharum, ſororem patris ſui Joannam, quæ
„ adhuc ſupereſt, in uxorem duxit, diſpenſante Alex. 6. Hæc autem conſtat
„ eſſe in divina lege prohibita, in dicto cap. Ergo.

Adde exempla Sigiſmundi Regis Poloniæ, & hodierni Regis, qui Viduam Fratris & in Regno Prædeceſſoris ſui Vladiſlai duxit: Philippi 2. Hiſpaniarum Regis, cui per retorſionem hoc exprobrabat celsiſſ. *Princeps Arauſionienſis Wilhelmus I. in Apologia* a. 1580. *contra Proſcriptionem Philippi, pag.* 28. edit. lat. in 8. „Verſatur quotidie ante oculos ipſorum Rex incæ-„ſtuoſus, dimidiato gradu Jovi proximus Junonis & Viro & Fratri, &c.

„ Qui igitur neptem ſuam in uxorem duxit, matrimonium meum mihi „exprobare audet? matrimonium inquam legitimè atque ex conſtitutione „divina contractum? qui ut incæſtas nuptias faceret, uxorem ſuam, ean-„demque filiam ac ſororem regum Galliæ, crudeliſſimè necavit; ut audio „in Galliis haberi deſcripta teſtimonia: uxorem inquam legitimam, dua-„rum filiarum matrem: quæ quoniam regni Hiſpanici juſtiſſimæ ſunt hæ-„redes, non dubito quin ſi Gallus priſtinæ virtuti ſuę conſtare volet, quem-„admodum olim Caſtilię regnum, ejecto tyranno quamuis legitimo, ſpurio „cuidam dedit, à quo genus ſuum Philippus hic traxit, ſic tradere veris his „hæredibus poſſit; niſi fortè juſtus ille judex Deus, qui hujuſmodi ſcelera „impunita non ſinit, ipſe de eo dum adhuc vivit vindictam ſumpſerit, „eumque regno quo vel ob hunc unum incæſtum cum parricidio conjun-„ctum pelli merebatur, diſpoliarit. Sed habuit diſpenſationem: à quo? à „Pontifice Romano, orbis terrarum Deo. Credo equidem, neque enim „cęlorum Deus unquam indulſiſſet. At, quod hujus cœno cæleſtis diſpen-„ſationis fundamentum fuit? quòd tam nobile regnum, abſque hærede re-„linquendum non fuit: En, cur ad priora crimina nefarium adjectum eſt „parricidium; pater eſt crudeliſſimè necans hæredem filium, ut Pontifici „ſternatur via ad diſpenſationem incęſtus, tam execrandi, tam Deo homi-„nibuſque deteſtandi.

Adde exemplum Comitis Friſiæ Orientalis, qui ex diſpenſatione Romanâ Fratris ſui natu maximi Comitis Ennonis Filiam duxit. De caſu Henrici VIII. Angliæ Regis, infra dicemus. Non eſt prætereundum Papas etiam contra diſpenſationem Papalem diſſolvere ſeu mavis irritare Matrimonium contractum, conſummatum, multis annis ſervatum. Exemplum habes in Henrico IV. Galliarum Rege; cui cum Catharina Valeſia in tertio Cognationis gradu prohibito (ſecundum jus Papale) per Papæ anno 1572. diſpenſationem nupſiſſet; multis annis poſt per alium Papam Conjugium illud diſſolutum, aut potius irritatum fuit tanquam inceſtuoſum: quod Rex nunc per conſcientiam Pontificiam nollet continuare inceſtum, quem anno 1572. per conſcientiam hæreticam ſeu Calviniſticam judicabat non eſſe inceſtum, & Papæ diſpenſationem ac poteſtatem per eandem conſcientiam tunc nullius faceret. Ita illi ludunt in proprio jure, in propriis diſpenſationibus, pro

ſcenæ

ſcenæ mutatione. Vide hujus luſus hypotypoſim, in *Conſultatione de diſſolvendo Conjugio Titii & Sejæ* ex latino in Gallicum traductâ, & cum Epiſtolis Cardinalis D'Oſſat poſtr. edit. a. 1627. in 8. editâ.

IV. *Quæſt. An Conjugia inceſtuoſa toleranda ſint, an vero diſſolvenda? Reſp.* In caſu & foro conſcientiæ quiſque qui infeliciter ejuſmodi Conjugiis implicatus eſt, peccatum illud actuali ſeparatione abrumpere tenetur. Quod ſi non fiat, ſaltem tolerantia eccleſiaſtica ejuſmodi pertinacium & quidem in tam fœdis & abominandis peccatis, hic locum habere nequit: juxta 1 Cor. 5. v. 2. *ac non potius luxiſtis, ut tolleretur è medio veſtri, qui facinus hoc patravit?* & v. 6. 7. *An neſcitis paululo fermenti totam maſſam fermentari? Expurgate igitur vetus fermentum*, &c. Tolerantia politica, nedum approbatio ejuſmodi Conjugiorum nulla eſſe debebat: nequid Reſpublica detrimenti capiat. Propter talia enim everſiones Rerumpublicarum, Populorum clades & diſſipationes divinitus immitti ſolent: uti conſtat ex *Levit.* 18. *v.* 24. Quod ſi tamen alicubi qui præſunt Reipublicæ ſive Infideles, ſive Hæretici, ſive Fideles ea tolerent, aut per diſpenſationem eadem approbent; Eccleſia tamen ad communionem incæſtuoſos illos aut de novo admittere, aut ante hoc factum admiſſos in eâdem retinere non debet. Ut enim forum conſcientiæ appendix & pediſſequa, non eſt fori cujuſcunque civilis: ſic nec forum eccleſiaſticum. In civili ſpectatur bonum publicum ſocietatis politicæ & ſæcularis: & illius intuitu bona quævis promoventur, mala & noxia aut ejiciuntur, aut tolerantur. In eccleſiaſtico ſpectatur ædificatio conſcientiæ & Eccleſiæ, promotio pietatis, peccatorum & ſcandalorum amotio, aut præventio. An autem hic & nunc χρῆσις communionis ſolummodo, an etiam κλῆσις ſimul ac ſemel abrumpenda, alterius conſilii eſt ſecundum particulares rerum & factorum circumſtantias capiendi.

V. *Quæſt. An nulli gradus ſint prohibiti, præter eos, qui* Levitic. 18. *indicantur. Reſp. Neg.* Nam cum *v.* 6. in genere prohibita eſſet acceſſio ad propinquam carnis: ſeqq. *verſibus uſque* v. 19. ſpecialiter explicatur, quæ & qui ſint propinqui carnis, & indigitantur gradus partim Conſanguinitatis partim Affinitatis undecim: ſub quibus reliqui analogicè continentur. Contraria opinio ſtatuens nullos eſſe gradus prohibitos pręter undecim expreſſis verbis illic indicatos, ſic refutatur 1. *Rat.* Quia rationes quæ adduntur *v.* 7. 8. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. æque valent in gradibus analogicè iiſdem, quamvis exſertè illic non nominatis. e. gr. *v.* 10. vir non debet *revelare* (aut *detegere*) *turpitudinem Filiæ* ſui *Filii*, vel ſuæ *Filiæ*; hoc eſt Neptis: Ratio additur: *quia turpitudo tua ſunt.* Ergo nec Mulier debet revelare turpitudinem Filii ſui Filii, nec Filii ſuæ Filię; hoc eſt Nepotis ſui: eadem enim ratio hic valet: *quia turpitudo tua ſunt.* Tam enim propinqua eſt Mulier ſuo Nepoti,

ac

ac Vir ſuæ Nepti. 2. *Rat.* Quia ſiquidem ſub illis legibus non intelligi deberent contenta eſſe omnia illa quæ quamvis verbis non exprimantur, κατὰ διάνοιαν tamen per ſubſumtionem ſcil. particularis ſub generali, aut per analogiam ſeu rationem analogicam inde educantur: ſequeretur cadere receptam apud omnes rationem ac methodum interpretandi Decalogum, & inde atque ex aliis V. aut N.T. textibus tot particulares theſes ac concluſiones morales, totidem verbis illic non ſcriptas, demonſtrandi; & multo magis receptam methodum particulares conſcientiæ caſus determinandi. 3. *Rat.* quia pari conſequentiâ ſequeretur, nec Chriſti deitatem ὁμοούσιον, nec myſterii aſſumtionis & unionis perſonalis τὸ ἄτρεπτον, ἀσύγχυτον, &c. & complura alia ad catecheticam, dogmaticam, elencticam Theologiam pertinentia eſſe ἄγραφα & conſequenter ἀθεολόγητα: quia ſcil. exſertis verbis ſcripta non leguntur. Quod abſurdiſſimum eſt. De quo vide *Part. 1. ſel. Diſpp. tit. de Ratione humanâ in rebus fidei.* 4. *Rat.* Quia ſequeretur Viro licitam eſſe acceſſionem ad Filiam, ad Aviam, ad Proaviam; & mulieri ad privignum, ad generum: quod hęc totidem verbis *Levitic.* 18. non prohibeantur. Sed hoc abſurdiſſimum eſt.

VI. *Quæſt. An ſi ex carnali conjunctione illegitimâ ſive in prætenſo Conjugio, ſive extra Conjugium, etiam extra Sponſalia, nulli ſuperſint, aut unquam nati ſint Liberi, omnis inceſtus tollatur, aut ſaltem ſic minuatur, ut ſi in foro conſcientiæ licitum non ſit, ſaltem in foro civili & in Eccleſiæ communione permitti aut tolerari debeat? Reſp.* Communiter illi quorum intereſt, & qui caſus illos proponunt, addere ſolent, liberos nullos ſupereſſe, & quod majus eſt, nullos ex priori Conjugio natos. Sed popularis hic error convincitur ſolâ inſpectione *Levitic.* 18. ubi nulla Liberorum fit mentio: ſed tantum *acceſſionis*, & *detectionis*, &c. hoc eſt, carnalis conjunctionis. Illi ergo ſive abſint ſive adſint, nihil omnino faciunt ad ponendum, aut tollendum, aut minuendum inceſtum. Concubitus & cohabitatio ſi ſterilis, à ſcelere inceſtus nec in totum nec in tantum excuſat. e. gr. Ruben quamvis non ſuſcepiſſet Prolem ex Concubinâ Patris (uti de Prole nihil legitur), inceſtum tamen, & quidem primarii gradus commiſit. Si quod monſtrum hominis cum Matre, aut Patre abominationem commiſiſſet (qualia exempla non deſunt) ſed abſque ſecutâ Prole: an ideo & genere, & gradu non eſſet tantus inceſtus? Minimè.

VII. *Quæſt. An tollatur inceſtus, ſi extra Conjugium aut Sponſalia, ſolutus cum ſolutâ ſcortatus fuiſſet; & poſtea ejuſdem Matrem, aut Filiam, aut Sororem, aut Materteram, aut Neptem ex Fratre aut Sorore, Uxorem duceret? Reſp. Neg.* 1. *Rat. Quia* inceſtus immediatè formaliter & propriè in *acceſſione ad propinquum ſanguinis*, & in *detectione nuditatis* conſiſtit *Levitic.* 18. *v.* 6. hoc

eſt, in opere conjugali: mediatè autem & conſequenter in contractu matrimoniali. Ubi ergo illud adeſt, etiamſi iſtud abeſſet, ibi eſt inceſtus. Malè ergo *Petrus Serranus* Complutenſis Canonicus in *Commentar. in Leviticum* anno 1572. τὸ *accedere* exponit per *Matrimonio copulare*. Ex hâc ratione, quod *prohibitio ſoluti acceſſus in Decalogo poſita eſſet*. Sed refutatur, 1. ex phraſi adjuncta *nuditatem detegere;* quæ ſatis indicat concubitum hic intelligi. 2. ex ſignificatione vocis קרב; id eſt, *accedere*, *appropinquare ad* aliquam; quæ juxta cum aliis ſynonymis ילך *ire ad* aliquam *Amos* 2. *v.* 7. ירע *cognoſcere*, *Geneſ.* 4. *v.* 1. שכב *cubare cum* aliquâ *Geneſ.* 26. *v.* 10. בוא *ingredi*, *congredi Pſalm.* 51. *v.* 2. concubitum Viri cum Muliere ſive intra ſive extra legitimum Matrimonium notare ſolet. Vide *Geneſ.* 20. *v.* 4. ubi verbum קרב *acceſſit*, *appropinquavit ad* gr. exponunt per ἥψατο, id eſt, *attigit*, (quæ phraſis exſtat 1 *Corinth.* 7. *v.* 1.) 3. *ex eo*, quod *Levit.* 18. *v.* 20. prohibetur adulterium, quod tamen in Decalogo prohibitum ipſe fatetur. Adeo ut plane infirma ſit ratiuncula; quaſi quæ in Decalogo prohibita ſunt, iterum iterumque in *Exodo* & *ſeqq.* libris Pentateuchi non prohibeantur. 2. *Rat. Quia* tanquam abominandum ſcelus & Populi excidium præſagiens notatur Amos 2. v. 7. quod *Vir & Pater ejus irent ad Puellam*, & *nomen ſanctum* Dei *violarent*. Quod ſcelus abſque copulâ Matrimonii perpetratum fuit. Non enim veriſimile eſt Patrem & Filium unam Puellam ſimul ſibi Matrimonio junxiſſe. 3. *Rat.* Quia hinc ſequeretur Lothum cum Filiabus *Geneſ.* 19. *v.* 31. Ruben cum Concubinâ Patris *Geneſ.* 35. *v.* 22. cum 49. *v.* 4. Ammonem 2 *Sam.* 13. *v.* 14. Abſolonem 2 *Sam.* 16. *v.* 22. non commiſiſſe inceſtum: quippe peccantes extra ſtatum Conjugii. Conſentiunt Beza p. 64. Tarnovius *Lib.* 1. *c.* 67. ex Jureconſultis Chriſtenius pag. 281. Malè ergo à *Bellarmino cap.* 25. in fine excuſatur Papa Martinus V. quod Conjugium permiſerit cum Sorore ejus, quam antea cognoverat per fornicationem. Rationes ejus ſunt duæ, *prior:* quod hanc Affinitatem non legimus expreſsè in Levitico. *Reſp.* De luſu *expreſſi* ad *Quæſt. præced.* monuimus. „ *Altera*, Neque negare poſſunt adverſarii longè tole„rabilius eſſe, ducere Affinem ex copulâ fornicariâ factam, quam Affinem, „ex legitimo Matrimonio, vel Conſanguineam in primo gradu, &c. *Addit* „*ibid.* ob ſcandalum ingens, quod ex illius Conjugii ſeparatione timebatur, „cum caſus eſſet occultus: idque ex maturo conſilio, & longâ diſceptatio„ne multorum Theologorum, ut ex eodem S. Antonino, qui eodem tem„pore vixit, intelligi poteſt. *Reſp.* Non quæritur de quantitate, quid comparativè ſit majus aut minus malum: ſed de qualitate, an malum & illicitum, an vero bonum & licitum ſit. Majus malum & fœdior inceſtus eſt, ſi quis cum Matre aut Filia conſueſcat (quod tamen *cap.* 28. diſpenſabile pu-

tat à Deo, non ab hominibus), quam si cum Sorore; & si adulteretur, quam si scortetur. Hinc tamen non sequitur istud non esse peccatum; aut Papam posse ex peccato facere non peccatum: uti alibi loquitur, in *Lib. c. Barclayum de Papæ potestate temporali.* Frustra vero amplificationes interjicit de scandalo, & de consilio deque disceptatione Doctorum: Manet enim regula, Non sunt facienda mala, &c. *Rom.* 3. Ubi sic commentatur Cajetanus, *peccata non sunt eligenda ut media ad quemcunque bonum finem: quia suapte natura repugnat peccato quod sit eligibile.* Et si casus offerretur, de Conjugio cum germanâ Sorore, an propter scandalum illud Papali potestate approbandum, & secundum illam approbationem continuandum esset, propter scandalum scil.? Quid si idem quæratur de Conjugio cum Matre, Filiâ, Nepte, &c. Doctorum consilium & disceptatio nec ponit nec tollit præsumtam Papæ infallibilitatem, nec ejus culpam in hâc determinatione aufert aut minuit. Mera ergo verba dantur, cum tales amplificationes insparguntur. Addo *Bellarminum* iniquè Bezam mendacii arguere, ut & annotatores Anglo-Rhem[illegible]nses (referente *Willeto in Levitic.* 18. *v.* 2.) quod in Lib. de Repud. & Divort. pag. 49. Martini V. *factum* dixerit *sceleratissimum, quem non puduisse scribunt cujusdam Matrimonium cum Sorore germana*, &c. *relaxare.* Beza solummodo dicit *scribunt.* Ipse, uti arbitror, aliquem aut aliquos legit ex Pontificiis Scriptoribus, qui tale quid retulerint: ita ut Bezæ nihil hic sit imputandum: sed domesticis Papatus. Si quæris quinam illi sint, indico celebris *Summæ angelicæ* autorem *Angelum de Clavasio*, qui in voce *Papa* hoc refert: fatentibus *Genebrardo in Chronol. ad* annum 1414. & Jesuita *Gretsero*, qui supinam Angeli negligentiam in legendo Antonino satis mirari nequit *in Lib. contra Mysterium Iniquit. Plessei cap.* 63. Ipsi præstent dicta suorum. Non tenebatur autem Beza, ut nec Plesseus (quem *Couffetellus* malæ fidei, Gretserus sycophantiæ accusat) Antoninum ipsum anxiè conferre: quia erat testis domesticus, & quia non tam ἀπίθανον erat, quod narrabat *Clavasius*; quippe qui *ibid. de Canonistis* ingenuè fatetur, quod de quæstione an dispensari possit in præceptis Juris divini & naturalis, ex *Canonistis* certi quid statui nequeat: quod hic ita varient. Nolumus hic camarinam Canonistarum movere. Scholastici citati à *Sanchez Lib.* 7. *disp.* 52. §. 10.. negant Jure naturali irritum esse Matrimonium Fratris & Sororis. Et hoc merito objectum à Riveto in defensione Plessei contra Couffetellum part. 2. pag. 599. Quod ad Antoninum, *Beza* eum non citavit, nec dixit illum hoc scribere: nihil itaque ad ipsum. Nec solus est Angelus, qui verba *Antonini* 3. *Part. Summæ tit.* 1. *cap.* 11. aliter accepit ac *Bellarminus, Couffetellus, Gretserus*: cum ex recentioribus *Lorinus in Levit.* 18. *v.* 9. (si accuratè ejus verba exhibeat *Willetus loc. cit.* librum enim Lorini ipse inspicere nequeo, quia nunc ad manum

non

non eſt) non ſine amphibologicâ aut homonymicâ obſcuritate ſic ex Antonino refert, ,, Papam diſpenſaſſe cum eo, *qui contraxerat & conſummaverat matrimonium cum germana, quam cognoverat fornicare. Angeli de Clavaſio* verba in edit. ,, Pariſ. 1519. in 8. ſunt fol. 307. Utrum Papa poſſit diſpenſare ,, in omnibus præceptis moralibus, & legis naturæ vel divinæ. Ad quod pręmiſsâ diſtinctione Præceptorum naturalium divinorum, moralium, ſic reſpondet:

,, Sunt & alia de lege naturæ non tanquam principia, aut concluſiones ,, neceſſario à primis principiis deductę: ſed quod ſunt multum conſona ,, prædictis principiis & concluſionibus: cujuſmodi ſunt præcepta ſecundę tabulæ, & omnia moralia data in lege Moſaicâ & euangelicâ. Ex primo enim ,, principio & concluſionibus neceſſariis ſequentibus ex eo non eſt quo ad ,, proximum: niſi unum præceptum, ſcil. diliges Deum, ſed quia proximus fuit ,, mutatus per peccatum & factus pronus ad malum: ideo addita fuerunt plu- ,, ra præcepta tanquam multum conſona primis principiis & concluſionibus ,, prædictis. Et in iſtis quantum ad rationem ipſorum non poteſt cadere ,, diſpenſatio: ſed bene quantum ad obſervantiam ſanctionum, ſicut & Aug. ,, in li. confeſſi. ponit exemplum dicens quod ſicut medicina eſt ars immu- ,, tabilis: tamen medicus aliquando mutat pręcepta languentibus: & tamen ,, ratio præcepti artis in ſe eſt immutabilis. unde licet Papa non poſſit diſpen- ,, ſare univerſaliter in præceptis ſecundæ tabulæ, quia ut communiter & in ,, pluribus in eis ineſt ratio legis. Unde ſi occurreret caſus particularis in ,, quo deficeret ratio legis propter cauſas ſpeciales impedientes obſerva- ,, tionem præceptorum legis ex applicatione ipſorum ad diverſas materias. ,, Tunc Papa poſſet diſpenſare, aliter ut dicit Ricar. in iiij. di. xxxviij. non ,, videretur Deus fuiſſe bonus paterfamilias: niſi demiſiſſet paſtorem ſuper ,, gregem ſuum quod poſſet conſulere omnibus occurrentibus neceſſario ex- ,, pediendis. Nec etiam poſſet dici quod Papa ſit generalis commiſſarius Dei ,, aſſumptus in plenitudine poteſtatis: cujus contrarium determinatur ij. ,, q. vi. c. quæ ſe ſcit. & xxiiij. q. i. quodcunque. Et quod dico de præceptis ,, ſecundæ tabulæ: idem dic de omnibus præceptis veteris & novi Teſtamen- ,, ti. Unde dominus Archi. floren. in ſumma dicit ſe audiviſſe à fide dignis ,, quod Papa Martinus quintus habita conſultatione cum multis doctiſſimis ,, viris in ſacra theologia & jure canonico diſpenſavit cum quodam qui ac- ,, ceperat germanam ſuam in uxorem propter multa mala & ſcandala quæ e- ,, veniſſent ſi eam dimiſiſſet & quæ evitari non poterant niſi ſic diſpenſaretur. ,, Et idem ego dico de ſimilibus ar. ij. q. i. c. multi. in fi. & d. c. quę ſe ſcit. ,, cum ſimilibus. Et ſic ſecundum hanc diſtinctionem intellige & limita. d. c. ,, literas & ſimilia quæ videntur dicere quod contra legem divinam & euan-

„ gelicam aut apostolum non potest Papa dispensare, ut in c. sunt quædam „ xxv. q. i. Quia verum est ubi ratio legis non cessat. Et in prædictis opi- „ nionibus concurrunt omnes canonistæ si bene intelligantur quando di- „ cunt quod Papa potest declarare, interpretari, & limitare, ac distinguere jus „ divinum quod nihil aliud est dicere nisi videre ubi ratio cessat vel non, ut „ sic non dispenset vel dispenset, & sic tene firmiter.

„ Sed quid poterit quando ratio legis deficit in aliquo casu: Resp. quia „ istud aliquando habemus ex exemplo ipsius Dei qui multoties dispensavit „ in sua lege. Unde in simili casu possumus & nos cognoscere. Sed quando „ talis dispensationis vel similis non habemus exemplum in sacra Scriptura: „ tunc ad solum Papam pertinet ipsius declaratio, cui dictum est quodcun- „ que ligaveris super terram in d.c. quodcunque: qui quidem multa declara- „ vit ut in materia voti, juramenti, & hujusmodi. Et aliquando etiam ex ipsa „ naturali ratione colligimus, ut facimus in gladio deposito quem dicimus „ non fore reddendum, deponenti effecto furioso, ut in c. ne quis xxij. q. ij. „ & similibus. Unde firmiter credo quod si aliquis petens dispensationem „ in aliquo casu contra legem Dei, non interponat importunitatem mune- „ rum vel precum: sed simpliciter ponat se in manibus ipsius Papæ expri- „ mendo casum suum quod Deus non permittet errare vicarium suum in „ dispensando.

Ex quibus distinctionibus Clavasii & toto discursu patet defendi talem permissionem & dispensationem, atque adeo potestatem Papæ: quidquid fuisset de facto Martini. Applica nunc distinctionem inter sanctionem seu rationem precepti divini; & inter observantiam illius sanctionis; de quâ dispensari possit; applica inquam, ad Conjugia Fratrum cum Sororibus, Liberorum cum Parentibus, & Avis, Privigni cum Novercâ, Vitrici cum Privignâ; & vide quibus Conjugiis orbis Papalis brevi replendus sit. Ex *Antonini* verbis idem patet: quamvis Historiam facti non ita proponant, ac verba Clavasii. Exstant ea *loco cit. Part* 3. *tit.* 1. *cap.* 11. §. *ultimo notandum:*

„ Ex his adverte diligenter: quod cum affinitas contrahatur ita per for- „ nicationem, sicut per actum conjugalem, ille qui cognovit aliquam mu- „ lierem fornicarie, non potest contrahere cum filia ejus, vel germana ejus, „ sicut non posset contrahere matrimonium cum filia uxoris suæ ex alio vi- „ ro, nec cum sorore ejus ea mortua. Et secundum Pe. (*Petrum de Pa-* „ *lude in* 4. *dist.* 32. *qu.* 1.) Papa in hoc dispensare non potest, qui „ tamen casus sæpe pervenit ad audientiam confessorum, reperitur ta- „ men Papa Martinus quintus dispensasse cum quodam, qui contraxe- „ rat & consumaverat matrimonium cum quadam ejus germana, quam co- „ gnoverat fornicarie, cum magna tamen difficultare, & quia res erat oc-

culta,

„ culta, nec ille erat aptus ad religionem, vel ad remota eundum. Unde „ ſcandalum ex divortio, ſi factum fuiſſet ſequendum erat. Prius ordinavit „ plures theologos & canoniſtas ſuper hac re habere collationem, utrum „ ipſe poſſet in hoc diſpenſare, nec convenerunt in concluſione. ſed aliqui „ dixerunt quod poterat, alii contrarium affirmaverunt. Et quia tenendum eſt „ certum & dimittendum incertum ſecundum Auguſtinum de *pe.di.7.* ſi quis, „ & ad inſtar ſacrilegii eſt diſputare de poteſtate principis, præcipue *Pape 17.* „ *q.* 4. §. committitur & c. ſequenti, ubi dicit Nicolaus Papa. Nemini eſt „ de ſedis Apoſtolicæ judicio judicare aut illius ſententiam retractare per- „ miſſum, videlicet propter Romanę Eccleſię primatum Chriſti munere in „ beato Petro collatum, ubi dicit gloſſa, nemini ſcil. qui ſit inferior Papa: nam „ ipſemet Papa vel ſucceſſor ejus poteſt ſententiam ſuam vel alterius Papæ „ predeceſſoris retractare, ut 35. q. 9. ſententiam. exemplum patet, quia „ quod prius determinatum fuerat per eccleſiam, id eſt, conſanguinitatem „ & affinitatem durare uſque ad ſeptimum gradum, ut notant Iſido. Grego. „ & Alex. 35. q. 5. ad ſedem, Greg. ix. retractavit & terminavit non durare „ niſi uſque ad quartum gradum, extra. de conſan. & affi. non dum. Et ſic „ hodie ſervatur quantum ad contrahendum matrimonium, ideo nulli con- „ ſulendum eſt, ſed omnino prohibendum procurare diſpenſationem etiam à „ Papa contrahendi cum tali, cujus ſcil. matrem vel germanam carnaliter „ cognovit, ſed ſi poſt contractum & multo magis conſummatum tale ma- „ trimonium obtinuit diſpenſationem remanendi cum illa, dimittendum „ eſt negotium judicio Dei, nec condemnandus.

Adde his torrentem Doctorum apud *Sanchez Lib. 7. diſp. 61. §. 19.* qui ſtatuunt jure naturæ non prohiberi Conjugium cum Aviâ, abaviâ, &c. cum Nepte, Pronepte, &c. Multo ergo minus cum Sorore. Interim hoc habet *Antoninus*, & fatetur *Bellarminus* cum ſuis, diſpenſatum à Martino in Conjugio cum eâ Muliere, cujus Germanâ per fornicationem antea abuſus erat. Atqui hoc eſſe inceſtum; exſerte ab *Antonino* verbis modo exhibitis determinatum erat: uti etiam à *Bellarmino cap. 30.* qui ſolidè ex Scripturâ hoc eſt, ex jure divino illud probat *pag.* 2464. edit. in 8.

„ Eſſe autem, inquit, Affinitatem veram eam, quę oritur ex fornicatio- „ ne, perſpicuum eſt. Nam affinitas naſcitur ex eo, quod per conjugium „ duæ perſonæ efficiuntur una caro: at per fornicationem etiam duæ perſo- „ næ efficiuntur una caro, dicente Apoſtolo 1 Cor. 6. *Qui meretrici adgluti- „ natur, unum corpus efficitur. Erunt enim*, inquit, *duo in carne una.* Præterea ex „ fornicatione oritur vera cognatio, cùm ſit verè pater, qui ſic generat, & „ verè filius, qui ſic generatur: cur igitur ex fornicatione oriri non poſſit „ affinitas? Adde, quòd legimus in lib. 2. Regum, cap. 20. decem con-

„cubinas, David, quas filius ejus Abſalon violaverat; incluſas ab eodem „Davide fuiſſe & nunquam amplius ab eo cognitas; quia nimirum factæ „erant illæ omnes, quaſi nurus, ob conjunctionem cum filio ſuo.

VIII. *Quæſt. An ſolus contractus ſponſalitius abſque Matrimonio & ſecuto concubitu inducat inceſtum, & conſequenter Matrimonium impediat? Reſp. Neg.* Quia abominatio inceſtus ſita eſt, non in verbis, nec in contractu ſponſalitio, aut in promiſſione aliquâ nunquam impletâ; ſed in concubitu, uti ex *Levitic.* 18. ſupra probatum eſt. Detur contractus ſponſalium inter Titium & Cajam, & ille aut iſta ante conſummatum Matrimonium moriatur; nihil vetat, quin ille cum Sorore aut Matterterâ Cajæ, iſta cum Fratre aut avunculo Titii Matrimonium contrahat. Sic *Beza pag.* 88. *Hemmingius*, *Cythræus in Levitic.* 18. Et in hunc finem allegatur ex Jure Canonico *c. Non eſt dubium* 17. *pu.* 2. *Non eſt dubium illam Mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum quâ commiſtio ſexus non docetur fuiſſe.* Citatur hoc à *Gratiano*, ut & à *Lombardo Lib.* 4. *diſt.* 26. tanquam Auguſtini. Sed corpus Canonicum juſſu Gregorii XIII. emendatum, hanc notam adſcribit. *Caput hoc non eſt inventum apud B. Auguſtinum: & videtur ſumma ſequentis capitis.* Caput ſequens (quod eſt 17.) ex Leone Papâ, ſic ſe habet in omnibus etiàm à Gregor. XIII. emendatis editionibus. „Cum ſo„cietas Nuptiarum ità à principio conſtituta ſit, ut præter commixtionem „ſexuum non habeant in ſe nuptiæ conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ ſacra„mentum, non dubium eſt illam Mulierem non pertinere ad Matrimoni„um cum quâ docetur non fuiſſe nuptiale miniſterium. Ubi notæ adſcriptæ monent in MSS. & impreſſis *Codicibus Leonis Epiſt.* 92. *ad Ruſticum cap.* 4. itemque apud Burchardum & Ivonem longè aliter haberi hunc locum: *verum ut reſpondeat verbis Gratiani, qui manifeſtè utitur hoc loco depravato, itemque Magiſtri, & gloſſæ, & poſteriorum doctorum, nihil eſſe in textu mutatum.* A Pontificiis Theologis communiter id negatur: quia prohibetur ab Eccleſiâ Romanâ tanquam inchoata Affinitas; ſicuti per fornicationem vera eſt Affinitas, quamvis imperfectior eâ quę eſt per Conjugium. Sic ratiocinatur *Bellarmin. cap.* 3. & 30. Hæc inchoata Affinitas ſpeciali titulo, *publicæ honeſtatis* inſignitur. De quâ videat; cui vacat, diſputantem *Sanchez Lib.* 7. *diſp.* 68. Jureconſulti, ſed ex alio fundamento, impedimentum in nudo Sponſalium contractu inveniunt. Vide *Beuſtium pag.* 242. & *Cypræum.* Nec diffitemur, ob hominum lubricitatem, Sponſalia diu ante contracta non ſemper immunia eſſe à ſuſpicione; ideoque talia conjugia communiter in aliquâ gente à Magiſtratu prohiberi poſſe nec diſpenſationem petendam niſi ab eo qui in foro conſcientiæ; certus ſit ſe Sponſæ ſuę cum viveret, carnaliter junctum non fuiſſe; atque una paratus juramento, ſi opus ſit, hoc confirmare.

IX. *Quæst. An solum Matrimonium in Ecclesiâ publicè promulgatum, aut etiam confirmatum, absque subsecuto concubitu; per subitaneam alterius partis mortem, impediat & dirimat partis superstitis Conjugium cum defuncti aut defunctæ Fratre aut Sorore. Resp. Neg.* cum dist. ad præced. quæst. allatâ. Ubi non est corporalis conjunctio, ibi propriè & formaliter non oritur incestus,

Nunc videndum quomodo gradus prohibiti supputandi: præsuppositâ arbore Cognationis & Affinitatis; cujus delineatio cum vocum singularum explicatione apud *Jureconsultos* quærenda: aut si illi ad manum non sint, consulatur ex Theologis *Beza*, *Melanthon*, *Hemmingius*, &c. Voces etiam lat. gr. & vernaculis linguis explicatas habes in *Nomenclatoribus Hadr. Junii* & *Frischlini* §. 2.

Nos breviter ex omnibus præcognitorum loco hic repetimus terminos Cognationis, Affinitatis, stipitis, lineę, gradus. *Consanguinei* qui ab eodem stipite orti & propagati. Cujus synonymum est vox *cognati*, generaliter scil. accepta. Alioquin vox cognati speciali acceptione notat consanguineos ex linea fœmineâ: oppositè ad *agnatos*. Et *consanguinitas* est vinculum personarum, quæ ortæ ab eodem stipite, sanguinis & naturę societate proprius junctæ sunt.

Affinitas est propinquitas personarum, quæ sunt junctæ copulâ carnali.

Stipes seu truncus est Persona illa, à quâ cæteræ, de quarum Cognatione aut affinitate quæritur originem ducunt; & quę constituitur tanquam certum initium numerationis Graduum Consanguinitatis vel Affinitatis.

Arbor est series, in quâ Personæ attingentes se quadam Consanguinitate aut Affinitate certo ordine collocantur, & lineis ac gradibus distinguuntur.

Linea est, per quam ordines Cognatorum perpendiculariter vel ex transverso describuntur.

Est ergo duplex recta & transversa. *Recta* est, ascendentium, & descendentium Parentum scil. & liberorum. Ut e. gr. David sit stipes; supra quem ascendentes Isai, Obed, Boas; & infra quem descendentes Salomon, Rehabeam, Abia, &c.

Transversa linea seu collateralis est eorum, qui nobis à latere juncti sunt hoc est, à quibus neque nos originem ducimus, nec illi à nobis: qui tamen ratione ejusdem stirpis & sanguinis conjuncti sunt.

Linea transversa seu collateralis est vel æqualis vel inęqualis.

Æqualis est Personarum quæ pariter seu æqualiter distant à communi stipite quales sunt Fratres & Sorores, Patrueles, Propatrueles, &c.

Inæqualis est Personarum, quæ inæqualiter distant à communi stipite: ut

e. gr.

e. gr. Abraham & Lothus Consanguinei, seu Fratres (uti phrasi hebræâ communiter appellantur *Genes.* 13. *v.* 8.) distant inæqualiter à communi stipite Thare: qui Pater erat Abrahami & Avus Lothi; hujus autem Patruus erat Abrahamus, & ipse Abrahami ex Fratre Nepos.

Gradus est intervallum seu numerus distantiæ aut propinquitatis respectu communis stipitis.

Graduum supputatio est vel secundum Jus civile; vel secundum Jus canonicum.

Illa tot gradus constituit, quot sunt Personæ in lineâ rectâ & collaterali, dempto stipite.

Ista, in lineâ collaterali non numerat singulas Personas, sed duas Personas e. gr. Esau & Jacob, pro uno gradu connumerat.

Et sic Esau & Joseph aut quivis alius Jacobi filius distant gradu tertio secundum Jus civile, sed gradu secundo, secundum Jus canonicum. Fratres ergo & sorores secundum illud in secundo, sed secundum istud in primo gradu se attingunt.

Attingentiæ seu *Propinquitatis* Personarum est genus duplex: unum per Consanguinitatem: alterum per Affinitatem; quæ Propinquitas oritur ex Conjugio per quod Maritus & Uxor sunt una caro, ita ut Mariti Titii Pater, Mater, Soror, Frater, sint etiam Pater, Mater, Soror, Frater, Uxoris Semproniæ: & vice versâ.

Genus attingentiæ distinguendum est à gradu attingentiæ. Qui enim diverso genere attingentiæ attingunt, eodem tamen gradu attingunt ut e. gr. Abraham & Zara Lothum attingunt eodem gradu attingentiæ: sed ille genere atttingentię per Consanguinitatem, ista per Affinitatem. His præmissis tenendæ sint regulę.

1. In lineâ rectâ nulli ascendentes & descendentes inter se possunt Connubia contrahere.

Non opus est hic multis disceptare, An Adamus si nunc viveret, mortuâ Evâ, ullam Mulierem ducere posset; quod omnes sint ipsius Filię in rectâ lineâ ab eo descendentes: nec etiam, an hodie quis ducere posset Abaviam, aut Ataviam, seu Tritaviam. Prior enim quæstio est ex hypothesi ob peccati & mortis ingressum, impossibili; posterior ex hypothesi non aut saltem vix possibili *Psal.* 90. *v.* 10. Et dato inter millenas Mulierem aliquam pervenire ad annum 140. aut 150. (qualia Virorum μακροβίων exempla duo aut tria referuntur à Disceptatoribus chronologis, nominatim à *Scaligero in Elencho orat. chronolog. Parei*) quis Adolescens tale vivum cadaver in Uxorem sibi posceret? De Adami casu per impossibile posito disputant pro parte negante autores apud *Sanchez Lib.* 7. *cap.* 51. *§.* 12. citati; In eandem hanc partem

Nostri

Nostri tum Theologi tum Jureconsulti communiter determinant. Contrariam sententiam tanquam probabiliorem tenet *Sanchez cap. cit.* quæ est, non prohiberi nec irritari Jure naturæ Conjugia ascendentium & descendentium in infinitum; sed ad aliquem gradum eam prohibitionem terminari. Quotus autem ille gradus sit, inter ipsos non convenit. Sunt qui indefinitè hoc impedimentum durare asserunt, quamdiu durat amicitia & communicatio proprietatum individualium inter ascendentes & descendentes. Sic *Ledesma* & *Verracruz*. Qui dicendo nihil dicere mihi videntur: quia nec designant certum limitem, nec à se designari posse fatentur. *Alii* nullo certo gradu præfinito, putant non excedere vigesimum gradum. Sic *Covarruvias*. *Alii* protendi usque ad septimum gradum. Sic *Ludov. Lopez*. *Alii*, usque ad quartum gradum protendi. Sic *Jus Canonicum c. Non debet. de consanguin. & affinit.* Et *Summæ Goffredi*, *Monaldi*, *Angeli*. *Alii*, usque ad secundum, ut inter Parentes & Filios, Avos & Nepotes: nec ulterius progredi. Sic *Sotus*, *Angles*, *Valentia*. *Alii*, in solo primo gradu ascendentium & descendentium, hoc est, inter solos Parentes & liberos ita prohibitum esse Jure naturæ, ut irritum sit. Consequenter Jure naturæ irritante, non esse prohibita Conjugia inter Avos & Nepotes, Abavos, & Pronepotes, &c. Sic expressè *Cajetanus ad 22. qu. 154. art. 9. ad 3.* qui pro hac sententiâ allegat *Thomam loc. cit.* & in *Magistrum Lib. 4. dist. 40.* Cum quibus facit *Sanchez*, & *Vega*, *Sa*, *Ledesma*, *Victoria* aliique Recentiores ab illo citati. Ratio ipsorum peremtoria hæc est, quia Avus non est causa & principium Nepotum per se, sed per accidens: ad rationem enim Filii, ut Filius est, solum desideratur, ut à Parentibus originem trahat: ac per accidens, ut Pater ejus alium Patrem habuerit: Filii enim Adami carentes Avo, ita veri Filii fuerunt, ac illum habentes; ac proinde reverentia debita Avis à Nepotibus, non est debita necessario & per se, sed per accidens; utpote quę in solâ ratione principii & causæ per accidens fundatur, &c. *Res.* totus hic discursus dijudicetur ex gemello isto: Non debet Filius Patri & Matri reverentiam, obedientiam, amorem Jure naturali: quia Pater & Mater non sunt causa & principium Filiorum suorum per se, sed per accidens. Ad rationem enim productionis hominum solum desideratur ut causa quocunque modo producens, non ut Pater & Mater producant per generationem. Adamus enim qui erat Filius Dei *Luc. 3. v. ult.* quamvis Patrem & Matrem non habuerit, & Christus quamvis Patrem non habuerit, æque sunt homines ac alii, qui Patrem & Matrem habent. Hunc discursum ubi probè refutârint, etiam suum refutatum videbunt. Subsidiarium ipsorum argumentum apud Sanchez est: *Quia Avus respectu Nepotis non habet rationem genitoris, sed solum rationem causæ quasi applicantis Genitorem: at causa applicans aliam causam suo effectui non est*

 per

per ſe, ſed per accidens cauſa illius effectus. Sed craſſa hæc ſubtilitas tum ex naturali Philoſophiâ, tum ex ſcripturâ refutatur. *Math.* 1. *v.* 18. ubi Joram dicitur genuiſſe abnepotem: ergo erant Genitores. Et Athalia dicitur Filia Omri 2 *Reg.* 8. *v.* 26. & Chriſtus aliique deſcendentes Davidis dicuntur Filii Davidis *Math.* 1. *v.* 1. & 22. *v.* 42 & quod ἐμφατικώτερον eſt, fructus lumborum Davidis *Actor.* 2. *v.* 30. In ſanâ & ſobriâ Philoſophiâ cauſæ ex ordine efficiendi diſtinctę in ſubordinantes, & ſubordinatas; in primas, remotas, propinquas, contra-diſtinctè ad proximas ſeu immediatas, non dicuntur cauſæ per accidens, nec cauſæ applicantes ſolummodo cauſam proximam ſuo effectui, ita ut effectus illius ſint cauſa per accidens. Minimè. Alioquin Deus qui eſt cauſa prima & motor primus reſpectu omnium effectuum in creaturis, & cœlum quod eſt cauſa prima inter omnes cauſas ſecundas, reſpectu omnium effectuum naturalium in ſublunaribus, dicendi erunt cauſæ per accidens illorum effectuum; quippe cauſæ ſolummodo applicantes cauſam propriam ac proximam ad effectus ſuos. Erit ergo poſthac corrigendus ſtylus Scripturę, omniumque qui Hiſtorias & Genealogias ſcribunt, apud quos omnes aſcendentes in lineâ rectâ dicuntur Patres, Genitores, Progenitores gr. πρόγονοι, προπάτορες: quibus opponuntur poſteri, gr. ἔκγονοι, ἀπόγονοι. Quid fiet acribologiis de verâ & antiquâ nobilitate eorum, qui indubitatè poſſunt *pictos oſtendere vultus Majorum & ſtantes in curribus Æmilianos.* An dici poterit Avos, Proavos, Abavos, Atavos, &c. immo & primum nobilitatis ſuæ ſtipitem, per accidens eſſe principium & ſui eſſe, & ſuę nobilitatis, & conſequenter non eſſe verè ſanguine & nativitate nobiles? Hæc philoſophemata nobilibus, & ſapientibus genealogicis atque heraldis excutienda relinquimus. Nos noſtra agamus, & ex Scripturis genus electum, & Dei progeniem, hoc eſt, hominem per ſpiritum Dei regenitum, ad cauſam & principium ſuum, hoc eſt ad Deum redemtorem in Chriſto reducamus. An cum Deus operatur in nobis & velle & perficere per gratiam ſecundam, ſeu ſubſequentem; & nos tanquam cauſa ſecunda, particularis, propria ex, ſub, cum illâ gratiâ operamur bonum opus: an Deus illius effectus ſeu operis boni dicetur cauſa per accidens, quippe tantum applicans nos ad illum effectum? Sed pluribus exceptionem hanc pro Conjugio Avi cum Nepte, aut Nepotis cum Aviâ mox premam. Et hinc patet, non ſatis accuratè philoſophari *Scholaſticos ad* 4. *diſt.* 40. & cum iis *Canoniſtas* cum dicunt vinculum Conſanguinitatis impedire Matrimonium in aliquo ſui gradu propter dictamen legis naturę: in aliquo vero propter prohibitionem legis divinæ: in aliquo propter ſtatutum Eccleſiæ. Primi generis impedimentum ſtatuunt in ſolis Parentibus & Liberis. Et rationes has ex lumine naturę adferre conantur, inter alios Bonaventura: *Unde naturale eſt apud omnes, quod filius non coniungatur Matri,*

tri, & quod Filia non coniungatur Patri. Et si quæratur ratio hujus, est dicendum quod hoc est propter reverentiam & honorem qui debent commisceri. Vel propter generationis successionem, quæ debet procedere non retrocedere. Unde non debet proles genita coniungi suo principio, ut gignat. Et hinc est, quod natura dictat, quod alio affectu tractandi sint Parentes: alio affectu tractari debent Conjuges, Ideo propter dictamen naturæ impeditur Matrimonium per Consanguinitatis primum vinculum: quæ est Prolis genitæ ad suum principium. Sed deficit hic discursus; quod non distinguatur dictamen Juris naturalis sic dicti, quod ad Deum seu respectu Dei, à dictamine Juris naturalis ita dicti quod ad hominem, seu respectu hominis. *Jus naturale respectu hominis*, est legis moralis, perpetuæ, immutabilis: estque illud Jus tum absolutum, primigenium, primum: tum hypotheticum, seu secundum, ex hypothesi peccati in mundum ingressi. *Prioris* exemplum est Conjugium Viri & Mulieris unius: cui repugnat Polygamia. *Math.* 19. *v.* 4.-9. cum *Genes.* 2. *v.* 24. *Posterioris* exemplum est justa & legitima sui defensio contra aggressorem, & communitatis per justum bellum defensivum contra injustam hostium invasionem. *Jus naturale respectu Dei* est, quando aliquid ita Deo naturale est; ut oppositum nullo modo velle, mandare, facere, ab alio factum approbare possit: quippe simpliciter impossibile, & contradictionem implicans. e. gr. Deus non potest velle mentiri, aut alicui mendacium mandare, aut odium sui, aut divinam fidem, fiduciam, spem, in creaturam tanquam primam & summam veritatem ac bonitatem. Vide hæc explicata in 1. *Part. sel. Dispp. tit. de Jure & Justitiâ Dei.* Hâc ergo Juris naturalis distinctione neglectâ nihil dicit dictamen eorum: utriusque enim Juris naturalis dictamen, lumen, principium hominibus innatum & insculptum est. Quin & ipsi Pontificii quamvis distinctionem nostram in actu signato & in terminis non proponant atq; explicent, rem tamen ipsam inscii & inviti admittere coguntur, & in actu exercito admittunt; cum disputant apud *Sanchez. Lib.* 7. *disp.* 51. *quæst.* 3. §. 19,-23. solum Matrimonium in gradu primo ascendentium & descendentium (hoc est inter Parentes & Liberos) prohiberi Jure naturali irritante. Et nihilominus *ibidem quæst.* 1. §.- 11. non esse tamen ita intrinsece malum, ut nullo in casu possit honestari, idque per dispensationem humanam (uti hoc ipse cum *citatis ibidem* probabilius judicat,) aut saltem divinam. Quod posterius si verum sit, sequitur non repugnare tale Conjugium Juri naturali Dei, seu ipsi naturæ & perfectioni divinæ: quamvis repugnet Juri naturali, quod ad hominem, lege divinâ morali ab initio hominibus datâ atque inditâ, expresso. *Lege divinâ Levitic.* 18. (quam etiam nos naturalem appellamus, quippe moralem & perpetuam) prohiberi dicunt Mulieres his versiculis à Glossatoribus Juris canonici comprehensas

Nata : Soror : Neptis : Matertera : Fratris & Uxor :
Et Patrui Conjux ; Mater ; Privigna, Noverca ;
Uxorisque Soror : Privigni Nata : Nurusque :
Atque Soror Patris conjungi lege vetantur.

Lege ecclesiasticâ prohiberi dicunt, usque ad quartum gradum inclusivè. Si quæras, quare Ecclesia (Romana scil. hoc est, Papa) ita statuerit : respondent, *Scholastici* & *Canonistæ :* quia Congruum erat, utile erat, necesse erat. Rationes istius congruitatis vide apud *Lombardum*, & *Sententiarios loc. cit.*

II. *Regula :* Affinitatis attingentia, propinquitas, vinculum prohibet. Conjugia inter ascendentes & descendentes : quia Maritus & Uxor sunt in carnem unam. Non potest ergo Privignus Novercam ducere ; consequenter nec Matrem Novercæ, aut Aviam, &c. Non potest Vitricus Privignam ducere, nec Filiam ejus, aut Neptem, &c. Non potest Socer Nurum ducere, aut ejus Filiam Neptemve, quam ex Matrimonio alterius Viri ante aut post Conjugium cum Soceri hujus Filio peperit. Pariter non potest Socrus nubere Genero, aut Filio, aut Nepoti ejus, &c.

III. *Regula*, In lineâ transversâ æquali sola Consanguinitas primi gradus impedit & irritat. Illicita ergo sunt Conjugia Fratrum & Sororum.

IV. *Regula ;* In lineâ transversâ æquali Affinitas in solo primo gradu impedit. Quia Titius Frater Hermachi ejusdem uxorem nominat Fratriam : & Sempronia Uxor Ploni Almoni, Fratrem ejus nominat Levirum, quasi lævum Virum, uti notat *Nonius Marcellus.*

V. *Regula*, In lineâ transversa inæquali Consanguinitas impedit, Conjugia inter Patruos & Avunculos Materteras & Amitas eorumque ascendentes ; cum Nepotibus & Neptibus, eorumque descendentibus.

Subjicimus nunc unam atque alteram Quęstionem.

I. *Quæst. Quot impedimenta ob Consanguinitatem, & Affinitatem* Levitic. 18. *exsertè prohibeantur, ex quibus & alia illic non nominata analogicè colliguntur. Resp.* undecim. 1. est Patris & Matris, & Filiorum ac Filiarum *v.* 7. Quo refer Liberos illegitimè natos, & Pellices ac Concubinas. Non potest ergo Vir appropinquare ad Filiam suam non tantum legitimè, sed & illegitime (ex scortatione, scil., adulterio, concubinatu, incestu) natam ; nec Filius, ad Patris scortum, aut Concubinam, aut Pellicem. Expendenda hic exempla Ruben, Absolomi, Filiarum Lothi : quamvis secus de iis disputent nonnulli : sed perperam. 2. *est*, Uxoris Patris seu Novercæ *v.* 8. quo refer omnes alias, quas extra Matrimonium Pater attigit per stuprum, scortationem, concubinatum, adulterium : uti supra ex phrasi *appropinquandi*, *nuditatem detegendi*, imprimis ex 1 *Cor.* 6. *v.* 15. 16. invictè probatum est. 3. *est*, Fratrum & Sororum, ex uno Patre, aut ex unâ Matre *v.* 9. Quo analogicè Germani per con-

consequentiam à minori ad majus reducendi sunt: quamvis exsertè non nominentur. 4. *est*, Viri cum Nepte ex Filio aut Filia suâ. *v.* 10. 5. *est*, Viri cum Sorore ex eodem Patre, sed ex aliâ Matre. *v.* 11. variantes hujus loci interpretationes, videat, cui vacat, apud *Interpretes*. 6. *est*, Nepotis cum Amitâ suâ *v.* 12. 7. *est*, Nepotis cum Materterâ *v.* 13. 8. *est*, Nepotis cum Viduâ Patrui sui. *v.* 14. 9. *est*, Viri cum Nuru suâ *v.* 15. 10. *est*, Viri & Fratriæ suæ. *v.* 16. Exceptio autem illa *Deuter.* 25. *v.* 5. 6. de Fratre ducente Viduam Fratris primogeniti sine Liberis defuncti, non tollit, sed confirmat regulam, & præceptum speciale legem communem: haut aliter Conjugia Fratrum & Sororum germanorum in primâ generis humani propagatione. Jam vero dispensationem de lege prohibente Conjugia Fratrum & Sororum ex hoc speciali præcepto Adami Filiis vi necessitatis naturalis, & legis illius *Genes.* 1. *v.* 28. *crescite & multiplicamini*, coll. cum *Actor.* 17. *v.* 26. *ex uno sanguine*, &c. imposito, Pontificii nec volunt nec possunt exsculpere. Et cur magis ex speciali illo præcepto de Fratris primogeniti Viduâ ἀτέκνῳ ducendâ? 11. *est*, Viri cum Privignâ, aut ejus Filiâ, aut ejusdem Nepte, ex Filio aut Filia. *v.* 17. Atque hi quidem undecim gradus expressè prohibiti. Sunt qui duodecim aut tredecim numerârunt: sed minus accuratè. Ex Pontificiis Casuistis & Canonistis, qui 12. impedimenta numerant, addunt ex *v.* 19. Mulierem ex menstruo immundam. Sed hoc non magis facit ad species & gradus propinquitatis carnis, *v.* 6. de quâ hic quæritur; quam sequentes prohibitiones *v.* 20. & seqq. Ex undecim illis gradibus prohibitis

- 7. sunt Cognationis
  - In lineâ rectâ; *primus*, *quartus*
  - In lineâ transversâ
    - æquali, *tertius*, *quintus*,
    - inæquali, *sextus*, *septimus*,
- 4. sunt affinitatis
  - In linea rectâ, *secundus*, *nonus*, *undecimus*.
  - In lineâ transversâ
    - æquali, *decimus*
    - inæquali, *octavus*.

II. *Quæst. Utra supputatio graduum juridica an canonistica in quæstionibus de incestu sit præferenda? Resp.* tangunt hanc quæstionem ex Theologis *Bellarminus Lib.* 1. *cap.* 26. *Melanthon in Exam. cum Pezelio in Commentariis ad dictum Examen. Chemnitius in loc. comm. part.* 3. *loco ult. Johann. Gerhardus in Loc. comm tit. de Conjugio. Tarnovius Lib.* 1. *cap.* 52. Ex Jureconsultis *Hotomannus de Castis Nupt. part.* 2. *cap.* 3. *Albericus Gentilis de Nuptiis lib.* 5. *cap.* 6. *Carpzovius in Dispp. de Usu practico Arboris Consanguinitatis & Affinitatis in foro Saxonico a.* 1648. *part.* 1. Theologi cum Canonistis in sua supputatione respiciunt potissimum Conjugia; ideoque graduum supputationem canonicam præferunt. Jureconsulti imprimis respiciunt successiones in bona

defunctorum: & consequenter suam supputationem preferunt: consentiente ipsis *Beza pag.* 22. & *Cotterio in tract. gallico de gradibus*, &c. *cap.* 10. Nos putamus in hoc negotio parum nobis laborandum esse unde inchoetur primus gradus, & quo numero is sit designandus; modo undecim illi gradus prohibiti ex *Levitic.* 18. discantur, & analogicè alii omnes inde colligantur.

III. *Quæst. An Incestus non tantum censuris ecclesiasticis sit coercendus, sed & in foro politico graviter puniendus? Resp.* quod ad censuras ecclesiasticas, supra dictum est, non esse in communionem ecclesiasticam recipiendos, aut in ea retinendos (saltem communiter; aut ordinariò) quicunque in Conjugio incestuoso contra jus divinum *Levit.* 18. aut in aliâ quavis illegitimâ & scandalosâ cohabitatione perseverant. In Ecclesiâ nostrâ nullæ obtinent & vigent Papales dispensationes, nulla Juris canonici indulta. Quod ad pœnas à Magistratu infligendas recurrendum ad sanctiones jam conditas, aut porro à supremis cujusque Nationis, Regionis, terræ potestatibus condendas. Variæ à *Cypræo Lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. referuntur: qui videndus, aut *Tholosanus Lib.* 9. *c.* 11. cum *Lib.* 36. *c.* 7. Contra Incestus ex consanguinitate in lineâ rectâ, Parentum & Liberorum sive intra sive extra Conjugium, apud multas Gentes legibus excultas, pœnæ non statuuntur: haut aliter ac Solon parricidii pœnam nullam se statuisse dicebat, quod putaret neminem illud commissurum. Quia tamen non desunt abominanda ejusmodi exempla, Magistratus in hâc parte muneri suo deesse non debent: si non legibus ferendis, saltem executione vindictæ. Uti hoc nostrâ memoriâ aliquando factum. Non est ubique consultum de infandis & abominandis quibusdam sceleribus (qualia *Levit.* 18. *v.* 21. 23. & 20. *v.* 13. - 17. referuntur) leges ferri & promulgari: ne prava & inhabitans etiam prædominans concupiscentia irritetur *Rom.* 7. *v.* 8. - 14. aut ne talia dum nominantur, videantur doceri. Exemplis aliis abominationum tum antiquis tum novis præteritis, tantum ἐν παρόδῳ hic repeto vulgatum illud epitaphium Filiæ Alexandri VI. conscriptum.

Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri Filia, Sponsa, Nurus.

CAP. IV.

Quæstiones particulares, de impedimentis Fratriæ, Neptis per affinitatem, Viduæ Privigni, &c.

SEquuntur quæstiones quædam particulares, de gradibus Lege divinâ prohibitis, in quibus subindè ab hominibus dispensatum, aut de quibus aliquando dubitatum fuit.

I. *Quæst. An licitum sit Conjugium cum Fratriâ, seu Fratris defuncti Viduâ?*

Resp.

Resp. Casus hic agitatus fuit tempore Henrici VIII. Regis Angliȩ; qui Fratris sui Arturi Viduam Catharinam dispensante Papâ Romano Julio II. duxerat; eandemque postea ob scrupulum de incestu conatus fuerat repudiare: inque eum finem judicia Academiar. Oxoniensis & Cantabrigiensis, & compluri-um exterarum, inter quas Parisiensis, exquisiverat: à quibus respon-sum erat, Conjugium illud cum Catharinâ esse incestuosum; nec posse in eo dispensari. Jesuita *à Lapide in Levitic.* 18. *v.* 18. exprobrat Doctoribus istarum Academiarum, quod Henrici VIII. *angelottis corrupti eßent. Sleidanus Lib.* 9. *ad ann.* 1534. communem hanc de largitione opinionem innuit. „ Rex, „ *inquit*, &c. missis internuntiis, per Galliam, Italiam, Germaniam ex-„ quirit Theologorum sententias; & Parisienses quidem videbantur approba-„ re (*Divortium scil.*) non sine largitionis opinione; sicut alii plerique. Prȩ-ter largitionem, alterius cujusdam rationis ventus Parisienses huc propulisse videtur; uti conjicere licet ex verbis *Sleidani pag. sequ.* „ Galliæ, *inquit*, „ Rex Franciscus, non putatur non minimum attulisse momentum ad hoc „ divortium, ut sic illum ab amicitiâ Cæsaris totum averteret. Duæ illæ ra-tiones de hoc mundo, non de Theologiâ etiam Pontifices moverunt: Ju-lium scil. 2. largitio Henrici ad dispensationem: Clementem VII. metus of-fensionis Cæsaris, ad negandum divortium, quod tamen antea concesserat. De quo vide *Sleidanum*, *Lib. cit.* imprimis *Anti-Sanderum* a. 1593. Cantabri-giæ editum; ubi tota hujus processus Historia plenissimè refertur; & ad fi-nem adjiciuntur, dispensatio Julii 2. data a. 1503. & Bulla Clementis VII. qua irritato Henrici Conjugio cum Catharinâ, secundæ nuptiæ contrahen-dæ eidem conceduntur: censuræ exterarum Academiarum de Conjugio le-viri cum suâ Fratria; Aurelianensis; Facultatis Decretorum Parisiensis; Fa-cultatum Juris Pontificii & Legum Acad. Andegavensis; Facultatis sacræ Theologiæ Universitatis Parisiensis; Facultatis Theologicæ Universitatis Bituricensis; Facultatis Theologiæ Universitatis Bononiensis; Facultatis Theolog. Universit. Pataviensis; Facultatum Theologiæ & Juris utriusque Acad. Tholosanæ. Agmen claudit Sententia diffinitiva Clementis VII. contra dictum divortium Henrici VIII. Romæ publicè in consistorio a. 1532. Martii 23. lata. Rationes generales pro Conjugio Leviri cum Fratria & in reliquis gradibus prohibitis tum lineæ rectæ, tum transversæ (exceptis solum Parentibus & Liberis, & Fratribus ac Sororibus) supra à nobis re-jectæ sunt. Specialis ratio, quâ Conjugium Henrici VIII. cum Fratriâ defen-ditur à *Corn. à Lapide in Levitic.* 18. sumitur ex *Deuter.* 25. *v.* 5. 6. quo textu textum *Levitic.* 18. explicari dicit: ita ut non tantum licitum fuerit, sed & necessarium hoc Conjugium; quo Henricus Fratri primogenito sine relictâ prole defuncto, semen suscitaret. *Cajetanus* a. 1530. *Tractatulum de hoc*

Con-

Conjugio conſcripſit; qui poſt obitum ejus editus fuit cum *Commentariis in Jobum*; & anno 1652. Lugduni recuſus cum *Opuſculis Cajetani Tom.* 3. *tract.* 13. Ubi fatetur Conjugium Leviri cum Fratriâ lege divinâ *Levit.* 18. *v.* 16. eſſe prohibitum: non tamen omne; licitum quippe & neceſſarium eſt, in caſu quando primo genitus ſine prole diſcedit, ex *Deuter.* 25. *v.* 5. 6. Quem textum comparatum cum *Math.* 22. dicit intelligendum eſſe de Fratribus propriè dictis. In Levitico dicit legem ferri de Genere, de Uxore ſcil. Fratris, non ſpecificando vivi vel defuncti, relictæ prolis aut non relictæ: ſed in Deuteron. legem ferri. ſpecificando de Fratre defuncto, & ſine relictâ prole, & Viduâ ejus non vetulâ, quæ apta ſit ad generationem; ut ſemen Fratri ſuſcitari poſſit. Tale ergo Conjugium tot ante dictis conditionibus vallatum (uti loquitur) eſſe moraliter bonum. *Et ſi*, inquit, *altius ſcrutatus fueris, invenies majus bonum moraliter eſſe in Conjugio ſic honeſtato, quam ſit turpitudo conſequens Conjugium inter eoſdem abſolutè.* Hinc ergo concludit non eſſe tale Conjugium ſecundum Jus naturæ inhoneſtum: adhęc non tantum propter ſuſcitatum ſemen & nomen defuncti, ſed & propter aliam cauſam, ſecundum Legem divinam & naturalem tale Conjugium honeſtari. Si enim majus bonum, (commune ſcil. bonum) quam ex conditionibus *Deuter.* 25. expreſſus exſurgens ex tali Conjugio, poſcat illud celebrari. Quin & *cap.* 9. huc aſſurgit, ut dicat ſive Lex divina *Levitic.* 18. cum *Deuter.* 25. hodie liget ſive non liget, Conjugium hoc eſſe honeſtum. Si nunc non ligent, nulla tali Conjugio fit injuria: ſin vero ligent, ex *Deuter.* 17. patere, quod diffinitio cauſæ ambiguæ ac difficilis ſpectet ad Pontificem, qui diſpenſando tale Conjugium honeſtare poſſit. Hæc ſumma diſcurſus *Cajetani*: qui totus collabaſcit, diſtinctione allatâ inter Jus naturale quod ad Deum, & quod ad hominem: ſecundum utrumque aliquid eſt morale. *Illo* Jure, honeſtari poteſt Conjugium Fratris cum Sorore; per mutationem ſtatus rei ſeu objecti, quod peculiari ſeu ſpeciali præcepto divino ſubjicitur poteſtati Fratris ad copulam conjugalem; quod alioquin lege generali Fratris poteſtati non ſubjicitur. Et ſic Filię Adami fuerunt idoneum ſubjectum Conjugii cum Fratribus. Nec hoc repugnabat Juri naturali quod ad Deum. Quia enim ita factum eſt, à Deo, ſequitur potuiſſe fieri, & Deum potuiſſe facere, abſque implicatione contradictionis, abſque abnegatione ſui ipſius. Quomodo occiſio Filii innocentis honeſtata & ab Abrahamo corde peracta fuit *Hebr.* 11. *v.* 27. Et contrectatio bonorum Cananiticorum; & Pinehaſi Sacerdotis uſus gladii *Numer.* 25. *Iſto* jure, ut conjugium Fratris cum Sorore, ſic nec Leviri cum Fratriâ honeſtari poteſt; ita ut prohibitio legis communis ac perpetuę nos conſtringat; nec quiſquam præter eam tale quid agere poſſit: niſi Deus peculiariter hoc alicui revelaret, & ſpeciali mandato talem materiam lege com-

communem inhabilem & indebitam, habilem & debitam faceret. Quod cum hactenus factum non ſit, ſequitur lege communi prohibente Conjugia cum Sorore, & cum Fratriâ nos teneri: nec imaginarias rationes à communi bono, à poteſtate Papæ petitas hic tantum valere, ut non peccatum ex peccato facere queant. Atque hæc communis Noſtrorum, ſententia. Unus quod ſciam, *Melanthon Diſputatione & Conſultatione ſcriptâ* a. 1531. 23. Auguſti & *Conſiliis Theologicis part.* 1. *pag.* 128. inſertâ contrariam ſuſtinet. Rationes, hypotheſes, & exceptiones ejus cum Pontificiis, quod ad ſummam rei coincidentes, de novo hic non examinabo. Interim mirari non poſſum, quomodo inter alia dixerit, Polygamiam non eſſe contra Jus divinum; & profuturum ad vitandas quaſdam offenſiones, ut à Rege Angliæ petatur diſpenſatio Pontificia, *ut permittatur Regi Polygamia*; *idque credo*, inquit, *Romæ impetrari poſſe. Nam divinum Jus non repugnat, & Pontifices ante conceſſerunt aliis*, &c.

II. *Quæſt. An licitum ſit Conjugium cum Nepte defunctæ Uxoris? Reſp.* Miſſis Pontificiis ad Papæ diſpenſationem confugientibus, populari Idiotarum quorundam ex Noſtris dubitatione, ſubinde de hoc caſu diſceptatum fuit. Neminem tamen ex Proteſtantibus & Reformatis Theologis novimus qui hic fluctuârit præter *Bezam* & *Sanchium*. Sed nulla fuit ratio.

Nam quod *Beza* illud concedere videtur, id abſque ſolidâ ratione factum. Quod enim adfert, attingentiam inter eos, morte Materteræ aut Amitæ nunc finitam & ſublatam, non tantum infirmum eſt; ſed in conſequentiâ admodum periculoſum. Si enim morte omnis propinquitas per affinitatem ceſſat, & ſic omnis ratio inceſtus tollitur, quomodo ergo non licebit Vitrico Novercam, hoc eſt, Patris ſui defuncti Viduam, & Leviro Fratriam hoc eſt, Fratris ſui defuncti Viduam, & Nepoti Amitam per Affinitatem hoc eſt, Patrui defuncti Viduam ducere, & Nurus Socero hoc eſt, defuncti ſui Mariti Patri nubere? Atqui omnia hæc Conjugia à Beza, & quidem merito, inceſtus damnantur.

Pontificii communiter Conjugia hæc faciunt licita, ex Papæ ſcil. diſpenſatione. Nec mirum cum etiam multa alia ſupra memorata in lineâ transverſa tum æquali tum inæquali defendant: cum tamen exſertè prohibita ſint *Levit.* 18. *v.* 14. Fundantur autem illæ defenſiones in iſtis hypotheſibus, quod varia præcepta *Levitic.* 18. *ſint ſimpliciter judicialia*; & quod *pertineant ad ceremoniam peculiarem ejus Gentis*; & *quod hæreticum ſit dicere* gradus illos Lege veteri prohibitos, *noſtrâ lege euangelicâ* prohiberi & nos obſtringere: apud *Sanchez Lib.* 7. *diſp.* 92. §. 3. 6. Et quidni præſtructis his hypotheſibus Conjugia Fratrum & Sororum ſuperſtruantur. De Carolo Magno refert *Antoninus Partis* 3. *part.* 1. *cap.* 11. §. *Tertium eſt*; quod duxerit Sororem,

L ex

„ ex quâ genuit Rolandum Filium & Nepotem, ipſe Pater & Avunculus ;
„ quia Frater Matris ut dicitur. Et in flagrante Epiſcoporum, nominatim Romanorum gratiâ fuit, etiàm à Papâ Paſchali III. (quamvis hodie inter ſciſmaticos numerato) in numerum Deorum relatus eſt a. 1164. & tanquam ſanctus ab Aquiſgranenſibus uſque in hodiernum diem colitur. Vide 2. *Part. ſelect. Diſpp. tit. Methodus elidendi ſucceſſionem*, &c. Neſcio tamen cujus fide hæc narret Antoninus. Illius ætatis Hiſtorici, & Scriptores vitæ Caroli M. nihil tale, quod ſciam, de illo commemorant: ſed tantummodo Rolandum fuiſſe Nepotem ex Caroli Sorore. De Patre vero nihil. Sed redeamus ad conjugium cum Nepte ex Sorore Uxoris defunctæ. Pręter modo nominatos, licitum aut diſpenſabile illud faciunt (quippe Juris divini tabulis non prohibitum) inter Jureconſultos *Petrus Weſembecius Conſil.* 23. & *Fichard. Vol.* 2. *Conſil.* 68. Diſpenſatum aliquando fuiſſe in Hollandiâ, quamvis communi lege prohibitum, teſtatur *Grotius in Juriſprudentia Hollandicâ* vernaculo idiomate conſcriptâ. Credo has diſpenſationes incidiſſe in tempus libertatis à jugo Papali & Hiſpanico, & profectas ab Illuſtr. & Præpot. Hollandiæ Ordd. tanquam ſupremis poteſtatibus religionem reformatam profitentibus, & non ſine graviſſ. Juriſconſultorum conſiliis tale quid ſtatuentibus. Quod tamen veritati & rectæ Juris divini interpretationi, melíorique conſcientiarum informationi præjudicare non debet: nedum, ut quis illico Theologis meliora ex verbo Dei in foro conſcientiæ monentibus μορμολυκεῖῳ illo de crimine ſacrilegii ex Corpore juris terrorem incutere conetur: eo ferre modo, quo Antoninus pro poteſtate & infallibilitate Papæ inſaniens ad quæſt. præced. citatus. Antehac in ſupremâ hujus Provinciæ curiâ ſimili in caſu admiſſum fuit tale Conjugium. Sed a. 1638. 8. Aprilis ab Illuſtr. & Potent. Ultrajectinæ Provinciæ Ordinibus decretum fuit, ut ſuper hâc quęſtione reſponſa à Theologicâ Facultate cum Miniſtris, & ſeorſim à Juridicâ Facultate cum quatuor eruditis & exercitatis Jureconſultis, & quidem rationibus probè munita poſtularentur. Quod cum executioni mandatum fuiſſet à Nobiliſſ. & Ampliſſ. Illuſtr. Ordinum Deputatis 2. Auguſti 1637. viſum fuit Fratribus mihi ſcriptionem reſponſi Ill. DD. Ordinibus tradendi imponere. Quod à me tunc conceptum, ab illis lectum, relectum & unanimiter probatum, ac manuum ſubſignatione confirmatum fuit. Subſcripſerant autem Meinardus Schotanus Theologiæ Prof. & Eccleſiaſtes, Bernh. Bushof, Arn. Teckmannus, Joh. Flaman, Andr. Suavius, Joh. Breierus Eccleſiaſtæ Ultrajectini, & Ego cum illis. Profeſſores Juris Bernhardus Schotanus & Ant. Matheus cum celebribus Advocatis Arn. Buchelio & Adriano de Raet, in eandem ſententiam (uti poſtea comperi) in quam Theologi determinârant: quamvis Theologi ipſorum deliberationes

ones & responsa, & hi vicissim Theologorum ignorarent. Ex quatuor designatis Advocatis unus per absentiam ab Urbe aut aliam ob causam deliberationi non interfuerat : alter in contrarium determinaverat & responsum suum seorsim conscripserat ; inter alia allegato consensu *Bezæ* & *Zanchii*; ad quod infra respondebitur. His responsis exhibitis & in consessu Ill. DD. Ordd. lectis atque expensis, conditum fuit Decretum Conjugia ejusmodi absolutè prohibens. Et ab eo tempore nunquam in hâc Provinciâ amplius admissa aut dispensabilia fuerunt : quamvis in eâ, & in vicinis Provinciis admissio aut dispensatio aliquoties à nonnullis, sive per ignorantiam sive quod res non esset in integro, ab ecclesiasticis & fervidè atque impotenter postulata fuerit. Responsi nostri, sed contracti & pauculis mutatis, summam hic exhibeo. Quæstio, ab Ill. & Pot. DD. Ordd. proposita his verbis concepta erat ? *An quis ducere possit Filiam sororis defunctæ suæ Uxoris ?*

Negantem sententiam his argumentis confirmabam

I. *Argum.* Quia omnis appropinquatio ad propinquam sanguine, sive extra sive intra prætensum Conjugium, *Levitic.* 18. *v.* 6. prohibetur. Jam vero inter propinquas etiam Amitæ, Materteræ, Neptes *Levitic.* 18. *v.* 12. 13. & 20. *v.* 19. 20. numerantur non tantum tales per Consanguinitatem, sed etiam per Affininitatem. Communis enim regula est secundum quam Theologi & Jureconsulti, & Statuta Hollandica, Zelandica, Frisica, TransIsalanica, Ultrajectina in Decreto a. 1584. artic. gradus prohibitos numerant, *Persona addita personæ per carnalem copulam, mutat genus attingentiæ sed non gradum.* Quousque ergo prohibitio procedit in Consanguinitate, eousque etiam procedere debet in affinitate. Nec hactenus dissentit *Jus Canonicum c. porro* 35. *qu.* 5. cujus sensum perspicuè ita proponit *Lancelotus in Institut. Juris Canonici lib.* 3. *tit.* 13. „ Admonendi etiam sumus, perinde „ virum à consanguineis & propinquis uxoris abstinere debere, & Uxorem à „ propinquis Viri, atque à propriis. Hujus autem rei manifesta ratio illa est; „ quia, si secundum divinam sententiam ego & Uxor mea una caro sumus, „ profecto mihi & illi mea suaque cognatio una propinquitas efficitur.

2. *Argum.* Quia *Levit.* 18. *v.* 14. & 20. *v.* 20. prohibetur Conjugium Viri cum Uxore Fratris Patris sui, hoc est, cum Amitâ : sic enim habet textus דדתך הוא, id est, *Amita tua est :* uti ab omnibus Interpretibus hoc transfertur, & transferendum videtur; ob verba antecedentia, quæ dicunt esse eam nuditatem & Uxorem אחי-אביך, id est, *Fratris Patris tui. Paraphrasis Chald. Jonathani* adscripta, & *Interpretes Latini* & *Vernaculi*, cum *Lexico-graphis* communiter דוד masculinum, quod in genere *amicum* & *dilectum* significat, acceptione exponunt synechdochicâ *Patruum* 1. *Sam.*

10. *v.* 15. 16. Quod quâ ratione factum sit, fateor me non videre: Nihil enim ex circumstantiis textus adferri potest, quod evincat hanc acceptionem. Et ipsa vox quamvis alibi vel *Amicum*, *dilectum*, vel Patruelem, vel Patruum (uti 1 *Sam.* 14. *v.* 51. coll. cum. 1. *Paral.* 8. *v.* 33.) significet; hoc tamen loco Patruum (πατράδελφον; ut vertit *Aquila*) notare nullâ majori probabilitate dici potest, quam in genere *amicum*, aut οἰκεῖον, id est, *familiarem domesticum*: uti habet vulgata *Versio Græca.* Puto ex conjecturis Rabbinorum hoc profectum: uti ex Rabbinizante *Jonathanis Paraphrasi* facile colligitur; & *Vatablus in Notis suis*, satis innuit. Nihil tamen habet *Commentarius R. Levi ben Gerson ad locum*: nec *Kimchi* illud exserte definit. Solus ex iis qui mihi nunc ad manum sunt, *R. Sel. ben Melech* (cujus *Commenta. grammaticus in Biblia* a. 1554. Constantinopoli editus, & a. 1660. Amstelodami recusus) exponit per אחי־אביו, id est, *Fratrem Patris sui.* Sed missâ hâc criticâ digressiunculâ, sumimus certum esse prohiberi *Levitic.* 18. *v.* 14. Conjugium cum Uxore *Fratris Patris tui.* Quomodocunque ergo vox דודה *doda* hic vertatur sive specificè & synechdochicè *Amita*, sive genericè cum vulgatâ Græcâ translatione συγγενής *cognata*, *propinqua*: habemus tamen argumentum nostrorum in verbis, *nuditatem Fratris Patris tui non revelabis*: & in comminatione, Levit. 20. v. 20. *Vir autem qui dormierit cum Uxore Fratris Patris sui, turpitudinem Fratris Patris sui revelavit; pœnam suam portabunt, orbati morientur.* Unde solidam ducimus consequentiam, Ergo nec nubere potest Mulier Marito vel viduo Sororis Matris suæ, quia ipsius Avunculus est, per affinitatem scil.: fuit enim Maritus Materteræ suæ. Est autem firma hæc analogica consequentia: ęque ac illa; Si Vir non potest ducere Sororem Patris aut Matris suæ *Levitic.* 18. *v* 12. 13. Ergo Mulier non potest nubere Fratri Patris sui, aut Matris suæ. Quia idem utrobique gradus attingentiæ est per consanguinitatem. Et sic idem gradus est per affinitatem in casu nostro, & in casu *Levitic.* 18. *v.* 14. expresse prohibito. Et hoc unicum argumentum sufficit huic quęstioni decidendæ. Exceptiones adversus illud infra refutabimus.

3. *Argum.* Quia Vir Sororem Uxoris suæ ducere non debet *Levitic.* 18. *v.* 18. ergo nec Filiam Sororis Uxoris suæ. Consequentia probatur: quia Mater & Filia ad unum genus consanguinitatis, aut affinitatis reducuntur. Idque analogicè colligitur ex *Levitic.* 18. *v.* 17. ubi Vir prohibetur Uxoris suæ Filiam (seu Privignam suam) ducere, ejusque Filiam & Neptem. Et hoc de affinitate in lineâ rectâ. Unde ad affinitatem in lineâ transversâ rectè consequentia ducitur: Matrem si ducere non possum; ergo nec Filiam ejus aut neptem aut Proneptem. „ Sed nec Neptem Fratris vel Sororis quis „ ducere potest, &c. cujus enim Filiam Uxorem ducere non licet, ejus neque

„ que Neptem permittitur. §. *Fratris Instit. de Nuptiis.* Quod etiam ad Sororis Proneptem extenditur *in l. sororis proneptem ff. de Ritu Nuptiar.* Et hoc de consanguinitate. „ De affinitate similiter: Privigna quoque non solum ea „ mihi intelligitur, quæ Uxoris meæ Filia est, sed & Neptis & Proneptis: „ ut nullam earum ducere possim. *L. adoptivus ff. de Ritu Nuptiar.* Ratio ibidem additur: *quoniam Parentis ei loco sum.*

4. *Argum.* Quia naturali Jure decorum & indecorum in *Jure civili L. modo cit.* & *L. si qua* & *L. per adoptionem h. t.* allegatum, etiam in hoc casu attendi debet. Ut enim Conjugium indecorè contrahitur inter Virum & Patrui Viduam, quæ fuit loco Matris, & ipse Amitæ suæ fuit loco Filii: sic pariter Vir indecorè ducit Neptem Uxoris suæ defunctæ, cui ipse per contractam ex Conjugio affinitatem fuit loco Patris; & ipsa vicissim illi loco Filiæ.

5. *Argum.* Generale argumentum contra incestas Nuptias in lineà rectâ & transversâ in quibus humana autoritas dispensare non potest, supra propositum & diductum, hic repetatur; & huic casui applicetur.

6. *Accedat* consensus reformatæ Religionis Politiarum, Ecclesiarum, Theologorum, Jureconsultorum: Indico ex omnibus, qui mihi nunc suppetunt, Electoratum Saxonicum apud *Joach. Beust. de Jure Connub. part.* 2. *pag.* 95. Hollandiam *in Statutis politicis part.* 5. Transisalaniam in *Statutis a.* 1603. *conditis artic.* 22. Ecclesias Belgicas *in Synodo Nationali Middelburgensi a.* 1581, *Quæst. partic.* 88. *in Synodo provinciali Zuydhollandicâ Woerdenâ a.* 1604. *artic.* 27. 28. *Gorcomiensi* 1606. *artic.* 51. *Leidensi* 1639. *artic.* 9. *In Synodo Provinciali Ultrajectinâ a.* 1634. *In Synodo provinciali Geldricâ a.* 1663. Ecclesias Gallicas, testibus *Riveto in Beverovicii Quæstionib. Epistol. pag.* 21. & *Mathæo Cotterio in Tract. gallico de Gradibus consanguin. & affinit. cap.* 12. *pag.* 264. coll. cum *cap.* 27. *pag.* 407. ubi unum atque alterum exemplum referunt, eorum qui dispensatione politicâ obtentâ, in communione de sententiâ Synodorum Nationalium tolerabantur: minime tamen probato Conjugio. Inter Theologos indico *Melanthonem in Consil. Theolog. part.* 1. *pag.* 646. *edit. in* 8. *Zepperum in Legibus Mosaicis lib.* 4. *cap.* 19. *Danhauwerum in Collegio decalogico disp.* 14. *part.* 2. *Pruknerum Centur.* 9. *quæst.* 87. & *ibid.* citatos *Joh. Gerardum loc.* 28. §. 351. *Brochmannum tom.* 2. *System. de Conjugio cap.* 4. *qu.* 43. *Franc. Junium in Quæst M.* SS. quas à Studiosis domesticis propositas determinare solet. quęst. 32. 33. Adde hic relationem Pezelii Melanthonis responso subjectam pag. 646. modo indicata:

„ Quidam Pastor contemnens hoc judicium D. Philippi, duxit in uxo„rem filiam sororis suæ conjugis mortuæ. Sed Deus executor suæ legis, „ hunc contemptum punivit. Prima nocte cùm ei pro more solito sponsam

„adducerent, paralysi in dextro latere laborare cœpit. Quo morbo adeò de- „bilitatus est, ut septimo die à nuptiis moreretur.

Ex Jureconsultis indico *Anton. Matheum.* Antecessorem in Acad. Marpurg. & Groninganâ, qui *in Dispp. ad Pandectas disp.* 34. §. 42. non tantum sententiam suam aperit, sed etiam testatur à Facultate juridica Marpurgensi 19. annorum spatio, quo professus erat, semper ad casum hunc oblatum, ita responsum fuisse. *Cypræum de Jure Connubiorum part. 2. cap. 6. §. 2. pag.* 888. *Carpzovium in Dispp. de Usu practico Arboris consanguinit. & affinit. part. anno* 1648. *disp.* 1. §. 39. Verba ipsius, quæ rationes & citationes continent, in gratiam nostrorum & ob celebritatem autoris hic exscribo: „Non itaque est, quod dubitemus à nuptiis cum conjugis defunctæ sororis „filiâ: patrui viduâ: materteræ defunctæ viduo: & filio gloris abstinendum „fore, scilicet quod omnes hæ personæ in parili affinitatis gradu, secundo „nempe lineæ inæqualis, invicem sint constitutæ. Quo de fidem facit ple- „nissimam *Responsum Consistorii supremi, Superintendenti Haynensi datum die* „*5. Februarii anno* 1620. Dieweil in Ehesachen seitwarts der andere grad un- „gleicher linien der Schwägerschafft / so wol als dem geblüt nach in göttlicher „heiliger Schrifft / unnd gemeinen auch landüblichen Rechten verbotten; So kan „Andreas K. zu Plessa seines vorigen Weibes Schwester Ursulen Martin T. Doch- „ter zu ehelichen nicht verstattet werden V. R. W. Nititur hoc responsum non „modò jure civili & municipali, de quo forsan minus dubium, ex traditis „*th.* 29. sed & jure divino, quod licet negent Petr. Wesemb. *consil.* 23. & „Fichard. *vol.* 2. *cons..* 68. eò quod in sacro Codice nullibi verbis expressis „connubium hisce personis fuerit interdictum; fallunt tamen, si verba sum- „mi Nomothetæ pensitemus: *Nuditatem patrui tui non revelabis, nec accedes* „*ad uxorem ejus, uxor patrui tui ipsa, Levit.* 18. *vers.* 14. *& cap.* 20. *vers.* 20. „Quibus alios eodem gradu junctos affines inclusos, fatebitur quisque, qui „non modò personarum verbis recensitarum, sed etiam pari in gradu exi- „stentium nuptias lege Mosaicâ *Levit.* 18. *&* 20. prohiberi perspectum ha- „bet, *super th.* 24. Casp. Erasm. Brochmand. *in art. de conjug. cap.* 4. *quæst.* „43. Hafenreffer *in loc. pag.* 634. Chemnit. *de conjug. cap.* 3. *reg.* 10. Ger- „hard. *de conjug.* §. 351. *pag.* 522. Bidenbach. *de caus. matrim. pag.* 50. Al- „ber. Gentil. *lib.* 5. *de Nupt. cap.* 10. *pag.* 549. Frid. Pruckman. *part.* 2. *con-* „*sil.* 11. Cypr. *de matrim. pag.* 689.

Diluamus nunc exceptiones

I. *Except.* Non prohiberi in Scripturâ. *Resp.* Sic communiter excipere solent, quicunque tale Conjugium aut meditantur, aut inierunt, aut initum sive approbatione sive dispensatione aliquâ confirmatum velint. Sed supra ostendimus contineri talem prohibitionem in Scripturâ, quamvis non expressis verbis.

verbis. Quomodo multa ad fidem moresque vivendi pertinentia, illic revera continentur. De quo in 1. *Part. select. Dispp. tit. de Ratione humanâ*, &c.

II. *Except.* Non contineri *Levit.* 18. *v.* 14. nec inde per consequentiam elici posse: quod dispar sit ratio. Prohibetur enim Conjugium cum Amitâ, quod propter ingravescentem Amitæ ætatem, tale Conjugium foret sterile? Sed aliter se habet Conjugium Viri cum Nepte Uxoris. *Resp.* 1. hæc conjectura tam facile rejicitur atque adfertur. Erubescamus sine lege loqui. Nec est excipiendum, ubi lex non excipit. Excipienti incumbit probatio: quam si non præstat, frustranea est exceptio. *Resp.* 2. Exceptio repugnat textui: qui propriè agit de abominationibus Gentilium, carnali scil. commixtione cum propinquis carne *v.* 6. & *seqq.*: non vero de Conjugio εὐτέκνῳ, aut sterili, seu ἀτέκνῳ, hoc est, de Conjugum εὐτεκνίᾳ & ἀτεκνίᾳ. Hoc inde patet, quod sterilitas per accidens Conjugia multa consequens, non facit per prius seu antecedenter Conjugia illa illicita, flagitiosa, & incestuosa. Ratio formalis & distinctiva incestus à licito Conjugio non consistit in sterilitate, quæ incestus pœnale consequens est: uti *Levitic.* 20. *v.* 20. certę speciei incestus talis pœna denuntiatur. Jam vero, ut omne peccatum à pœnâ illud consequente formali ratione distinguitur; & similiter Conjugium à prolis susceptione, atque adeo, omne antecedens à suo consequente, omnis causa à suo effectu: sic incestus à sterilitate. *Resp.* 3. Malè hic pręsupponitur, Conjugia Viri cum Patrui Viduâ naturaliter & ordinariò sterilia esse; atque hanc ob causam prohiberi. Quasi scil. omnes, aut etiam pleræque Patruorum & Avunculorum Viduæ essent ὑπέρακμοι & ad conceptionem naturaliter ineptæ; magis quam Amitæ & Materteræ: quas naturaliter & ordinariò ineptas non esse evincit comminatio sterilitatis iisdem *Levit.* 20. *v.* 20. tanquam peculiaris & θεηλάτου mali, facta. Docet insuper experientia non paucas Patruorum aut Avunculorum Viduas ex primis, & præsertim ex secundis aut tertiis Nuptiis, esse juvenculas, saltem non esse ὑπεράκμους: & quasdam defunctarum Uxorum Neptes ex Fratribus aut Sororibus esse provectioris ætatis. Ita ut ineptitudo Amitæ ad generationem, & aptitudo Neptis, non sint, nec possint esse adæquata hujus prohibitionis ratio.

III. *Except.* Non procedere consequentiam analogicam à Patrui Viduâ *Levit.* 18. *v.* 14. ad Neptem defunctæ Uxoris: quod longè dispar sit ratio. Illic enim monstrosa nimis mutatio fieret: quia Amita quæ Viro illi fuerat loco Matris, nunc per novum hoc Conjugium illi tanquam capiti suo subjiceretur. Sed contra Vir ducens Neptem, cui antea fuerat loco Patris, atque adeo illâ superior, maneret in illâ superioritate. *Resp.* Hæc dissimilitudo à *Bellarmino cap.* 26. allegatur tanquam ratio cur *Levitic.* 18. *v.* 14. prohibeatur Conjugium Nepotis cum Amitâ, & non Avunculi

cum

cum Nepte. Sed committitur fallacia non causæ ut causæ. Negamus hanc esse causam ; nec ille, aut quispiam cum illo sentiens hoc unquam probabit. *Deinde* , dato à parte Viri in controverso Conjugio indecorum illud tantum non esse : non tamen tollitur à parte Mulieris : quippe quæ depònit reverentiam & subjectionem , quam tanquam Filia Avunculo suo tanquam Patri debuerat, & induit honorem Uxoris, & quasi collateralitatem aliquam, immo & unitatem cum Avunculo suo tanquam Marito. *Genes.* 2. *v.* 18. כנגדו , id est, *coram eo* , *è regione ipsius* , ut sit tanquam *alter ipse* , quæ ideo v. 23. אשה , id est , *Vira* aut *Virißa* gr. ἀνδρὶς (sic vertit *Symmachus*) vocatur : & est cum Viro *in carnem unam v.* 24. Hæc collateralis quasi superioritas Viri respectu Uxoris à superioritate ejusdem respectu Filiorum specie distincta scitè sic explicatur à Philosopho Lib. 1 Politicor. cap. 8. *Vir & in Uxorem & filios imperium habet, in utrosque quidem ut in liberos; verum non eodem genere imperii* (Sic gr. οὐ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον τῆς ἀρχῆς, vertit Lambinus) : *sed in Uxorem quidem civiliter* , *in Filios verò regiè.* Quomodo autem differat imperium civile à regio , *ibidem* explicat. Hinc est quod indecorum hoc non tollatur respectu Viri: quia depositâ à Neptè Uxoris , quæ erat ipsi loco Filiæ, subjectione, unà deponitur superioritas Viri qui tanquam Avunculus fuerat ipsi loco Parentis. Relata enim se mutuo ponunt & tollunt. Atqui communis regula & Theologor. ex *Levitic.* 18. *v.* 14. & Jureconsultorum est, non contrahendum cum illis qui sunt loco Patris aut Matris, aut Filii aut Filiæ. Et hæc ratio prohibitionis Conjugii cum Privigna aut Nuru, §. *affinitatis* , *Instit. de Nupt. allegatur: Quia utraque Filiæ loco sunt.*

IV. *Except.* Filius Titii ducere potest Filiam Novercæ suæ Semproniæ , non vero Semproniam , hoc est Filiæ istius Matrem , & Novercam suam: unde patet non esse parem rationem Matris & Filiæ. Quid si ergo analogicè hoc applicetur casui præsenti ; ut prohibeatur quidem Conjugium cum Amitâ aut Materterâ per affinitatem, concedatur autem cum Filiâ ejusdem *Resp.* Dispar est ratio. Quia in priori casu sunt personæ merè collaterales ; nec invenitur in iis aliqua repræsentatio Parentum & Liberorum, superioritatis & inferioritatis. In posteriori vero casu invenitur. Hinc etiam est, quod ille expresè excipiatur §. *mariti Instit. de Nupt.* & *L. Titia* 134. *ff. de verb. obligat.*

V. *Except.* A sæculari potestate , aliquando dispensatum fuit in tali Conjugio : e. gr. in Galliâ testibus *Cotterio tract. cit. cap.* 12. *pag.* 265. & *cap.* 16. *p.* 407. & *Riveto in Berovicii Quæst. Epistol.* In Hollandiâ & Belgio Fœderato testibus *Berovicio in Quæst. Epistol. & Grotio in Jurisprud. Hollandicâ. Resp.* Super hoc casu variæ quæstiones institui possunt : quæ accuratè distin-

distinguendæ 1. *An* in casu conscientię & in foro poli licitum sit tale Conjugium inire, aut initum continuare. 2. *An* potestas sęcularis in Republicâ illud approbare, aut saltem tolerare possit. 3. *An* Ecclesia ad communionem tales conjugatos admittere, aut ante initum Conjugium in eâ existentes jam post indebitè initum Conjugium in eâ saltem ad tempus aliquod, tam quod ad χρῆσιν quam quod ad κτῆσιν retinere aut per conniventiam tolerare possit. 4. *An* dato in communi Ecclesiæ Membro pro tempore aliquid ab Ecclesiâ tolerari: an eadem Ministrum aut candidatum ministerii tali Conjugio implicitum, ad Ecclesiæ alicujus ministerium vocare; aut in ministerio constitutum in eodem, stante illo Conjugio, tolerare; aut Conjugio illo abrupto & pœnitentiâ peractâ ministerium illi in eâdem illâ Ecclesiâ continuare; aut ad aliam Ecclesiam transferre possit? 5. *An* conveniat sic conjugatum ad munera & dignitates in Republicâ promoveri; aut in iisdem constitutum retineri. Quidquid sit de dispensatione, & quidem Principum aut Magistratuum reformatorum (dispensationes Papales nullo apud nos numero sunt): nihil illæ faciunt ad forum conscientiæ & poli; ut ex peccatis fiant non-peccata. Et hoc est, de quo hic proprie quęritur. Immunitatem à pœnâ temporali, alioquin secundum leges infligendâ præstare potest dispensatio Magistratus, & quidem in locis ditioni suę subjectis: pręterea nihil. Quomodo autem per fautorem quem προσωποληψίαν, aut per Consiliarios aliosve Ministros suos, subrepticiè obrepticiè circumventi & malè informati Principes aut Magistratus tales dispensationes aliquando concesserint, non est quod hic multum scrutemur. Notum est quid ferat taxa pœnitentiaria, quid tota Romanæ curiæ negotiatio: & in dispensationibus circa Conjugia nostri hoc satis notârunt; inter eos *Cotterius cap.* 15. Nec planè ἀπίθανον est, nedum simpliciter impossibile, si similia ad curias sæculares aliquando accessum habere aut habuisse putentur. Quod ad Ecclesias nostras, nullæ illic vigant dispensationes circa Conjugia Lege divinâ prohibita. Quid quantum, quamdiu, quomodo tolerent ita peccantes, & quâ moderatione aut quo rigore, pro variantibus circumstantiis, censuras administrent: id propriè ad quęst. de disciplinâ, non vero ad præsentem pertinet. De quo in transitu ad sequentem exceptionem. Saltem Ministrum Ecclesiæ in ministerio non tolerandum, nec ad ministerium denuo post actam pœnitentiam admittendum, sed tantum ad communionem tanquam commune membrum, judicarem. Neque enim ullus est necessitatis casus, aut ullius publicæ & majoris ædificationis spes, quę suadere debeat tali probro, ignominiâ, infamiâ sacrosanctum ministerium onerare. Tolerabant in primâ Ecclesiæ apostolicæ collectione aliquot polygamos, per repudia scil. tunc Judæorum & Gentilium legibus permissa: sed minimè in Episco-

piſcopatu, 1 *Timoth.* 3. *v.* 2. & *Tit.* 1. *v.* 6. Ubi primum requiſitum eſt ut ſit μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ. Ubi vide *Notas & Commentaria Bezæ*, *Danei*, *Scaligeri*, *Crocii*, *Joh. Gerhardi*; & ex Pontificiis *Cajetani*. Sed quod tum primis illis initiis toleratum fuit ob multa incommoda, quæ conjugiorum in Judaiſmo aut Gentiliſmo initorum diſſolutionem non permittebant, poſtea toleratum non fuit: uti *Beza Canones* 3. & 7. *Concil. Neo-Cæſarienſis* & 1. *Concil. Laodiceni* de bigamiâ hoc ſenſu accipiendos putat in *Notis ad* 1. *Timoth.* 5. *v.* 9. & pluribus illud explicat *Juſtellus in Notis ad Codicem canonum*; *Concil. Laodiceni can.* 1. Pontificii tamen, & *Grotius in Notis ad* 1. *Timoth.* 3. *v.* 2. & 5. *v.* 9. & ex antiquis aliqui de digamiâ ſucceſſivâ, loca illa interpretantur. De quo infra.

VII. *Except. Synodus Gallicana* habita *Montiſpeſſuli* a. 1598. *artic.* 19. Mulierem in minori ætate nuptui traditam Avunculo per affinitatem cui etiam Liberos pepererat, poſtea cognitione veritatis imbutam, ad Cœnæ communionem admiſit; teſtè *Cotterio cap.* 12. Aliâ quadam in Synodo decretum, Centurionem quem, qui Rege diſpenſante, duxerat Filiam Neptis Uxoris ſuæ, in communione Eccleſię tolerandum eſſe: teſte *Riveto in Epiſtol. Quæſt. Berovicii pag.* 21. 22. *Reſp.* tolerando eum in communione, non appobabant ejuſdem Conjugium. De ſuo caſu Rivetus loco cit. refert ſynodi Gallicanę *ſententiâ factum fuiſſe improbatum*; *judicatum tamen tolerandum eum, qui, ut loquitur Scriptura, in ſimplicitate cordis ſui, ſe huic Coniugio implicuiſſet.* De altero caſu Cotterius cap, 16. pag. 407. *Et etiam ibi* (in Actis ſynodalibus Eccleſiar. Gallicar.) *dictum eſt Mulierem ad cœnam Domini admittendam, nihilominus absque approbatione Conjugii.* Nulla eſt ergo conſequentia à tolerantiâ Eccleſiæ aut Miniſtrorum, ſeu à non negatâ Cœnæ communione, ad facti alicujus honeſtatem. Sunt multæ hominum infirmitates, ſunt quotidianæ incurſationis (uti *Auguſtinus* loquitur) peccata, ſunt in Eccleſiâ novè plantata endemia & communis conniventiæ peccata, propter quæ homines non fiunt ἀποσυνάγωγοι. Aliquando neceſſitas & prudentia ſuadent, non evellere zizania *Math.* 13. *v.* 29. quæ ideo zizania eſſe non deſinunt. Loca 1 *Tim.* 3. *v.* 2. & *Tit.* 1. *v.* 6. docent nos in primâ Eccleſiæ Apoſtolicæ ex Judęis & Gentibus collectione, non potuiſſe omnes illos, qui antea in Gentiliſmo aut Judaiſmo per illicita repudia Conjugiis in foro conſcientiæ illicitis ſe implicuerant, ſub pœnâ excommunicationis ad diſſolutionem præſentis & repetitionem prioris Conjugii compelli. „In nemine, inquit *Joh. Crocius in Comment.* „*ad Tit.* 1. Chriſtianorum approbatur primævæ inſtitutionis transgreſſio; „quin potius reprehendebatur in omnibus: ſed quod mutari tam ſubito non „poterat, in recens converſis tolerabatur, præſertim cum ad eam quam

„duxerat in Judaiſmo vel Gentiliſmo dimittendam quenquam cogi, inhu-
„manum videretur. At in Miniſtro prorſus erat intolerabile &c. Addo potuiſſe tunc tales difficultates incidere, unde Eccleſia non potuiſſet ſe expedire. Quid ſi aliqui quia primo marito non tantum, ſed etiam à ſecundo aut inſuper tertio repudiatas Mulieres duxiſſent, aut aliquæ viris ab unâ atque alterâ Uxore ſucceſſivè repudiatis nupſiſſent; à Gentiliſmo aut Judaiſmo converſi ad fidem acceſſiſſent, (uti probabile eſt in 3000. *Actor*. 2. *v*.41. Baptizatis, & Samariæ *Actor*. 8. *v*. 12. *&* 11. *v*. 21.24. & 13. *v*. 42. & 14. *v*. 1. 21. & 17. *v*. 4. tales non paucos, ſaltem aliquos exſtitiſſe): quid hic feciſſet Eccleſia? an & quomodo illa zizania ſimul & ſemel evulſiſſet? Si dicas, non debuiſſet tales recipere juxta illud, *Turpius eiicitur quam non admittitur hoſpes:* regero, potuiſſe Eccesiam aut Inſpectores Eccleſię talem eorundem ſtatum ignorare;& ſi quorundam cognoviſſent, non potuiſſe ita conſilium in arenà capere, & miſeros illos ex labyrintho illo educere, præſertim Conjugibus illis ad fidem converſis, & in hoc poſtremo Conjugio tot annis pacificè tranſactis, non ſine ſuſceptis liberis itidem ad fidem adductis aut adducendis: acceſſerit, quod primum Conjugium reſtitui non poſſet; ſive quod repudiantes aut repudiati adhuc in cœcitate Judaicâ aut Gentili conſtituti præſentibus Conjugibus adhærere mallent; ſive quod quamvis forte huc inclinarent, ab illis ſuis Conjugibus per autoritatem Magiſtratus infidelis ſe liberare non poſſent. Militabant enim pro repudiis olim factis, & novis ſuperinductis Conjugiis, pro toto denique polygamiæ magiſterio νόμος καὶ χώρα. Vides ergo in illâ rerum converſione tot tantaſq; difficultates in hoc negotio potuiſſe occurrere, ut Miniſtri Eccleſiarum tantiſper à cenſuris & anathematis per legem caritatis & prudentiæ coacti fuerint abſtinere. Quæ à me dicuntur ut συγκατάβασιν & moderationem Synodi Gallicanæ in peculiari hoc caſu defendam: non vero ut in Eccleſiis noſtris plane canticeſcat: *Quod non toleras malos* Apocal. 2. v. 2. *expurgate vetus fermentum* 1 Corinth. 5. v. 7. & *tollatur è medio veſtri* v. 2.

VIII. *Except*. Beza & Zanchius ejuſmodi Conjugia admittunt. *Reſp*. De Bezâ ſupra reſponſum eſt, ejus ſententiam tali tibicine niti, quem in totâ hâc de gradibus prohibitis diſputatione conſtanter rejicit. Si per mortem ceſſaret Affinitas, ergo nullus Affinitatis gradus in linea tranſversâ & rectâ Conjugium impedire poſſet. Quia ſi e. gr. ut per mortem Patrui tui aut fratris tui, Conjugium inter Patruum aut Fratrem & Uxorem ejus ſolvitur (*Rom* 7. *v*. 1. 2.) ſic & omnis reſpectus & attingentia Affinitatis inter te & Viduam Patrui aut Fratris tui tolleretur: ergo nihil impedit, quo minus ducas Patrui aut Fratris tui Viduam. Quod tamen Beza rectè negat

 op-

oppugnat. Quod ad *Zanchium*, is *cap. 1. de Incestis Conjugii inter Affines thesi* 1. in genere & *thesi* 4. in specie rectè determinaverat, inter Uxorem Patrui aut Avunculi tui defuncti, & contra inter Patruum & Avunculum tuum & inter Uxorem tuam Viduam esse incestas nuptias, *quia affinitatis ratione Parentum Liberorumve vicem repræsentant, & locum tenent.* Quod ad nostrum casum, de quo *ibidem* quærit, videtur potius aliorum consuetudinem aut sententiam referre, & rem ipsam in medio relinquere, quam judicare. „*Videtur*, inquit, *hoc non inusitatum fuisse apud Romanos.* Et ratio „est, quia licet ego sim illi instar Avunculi, eoque & Patris, tamen quia „defunctâ Uxore, Affinitatis jura inter me & consanguineos Uxoris meæ „soluta esse judicantur: *idcirco posse hoc fieri censent.* Quibus tamen verbis proximè sequentibus obloquitur, negando Affinitatis jura inter me & Uxoris consanguineos solvi, si mihi Liberi ex Uxore defunctâ superstites sint: concedendo tamen solvi, si nulli superstites sint. Ubi talia Conjugia pleraque damnat. In eo tamen hallucinatur, quod excipit ἄτεκνα, & quod in Liberis superstitibus, qui effectum sunt Conjugii, fundet prohibitionem; cum fundetur in ipso Conjugio, aut potius in carnali congressu sive conjugali sive extra conjugali: uti supra abunde probavimus. Repugnat hæc ratio exceptionis toti disputationi Zanchii de Affinitatis gradibus prohibitis: Neque enim concedit Nuptias, cum Nuru, Fratriâ, Glore, Uxore Patrui, quibus nullæ proles ex defunctis Maritis superstites sunt: quasi scil. per mortem Maritorum omnia Affinitatis jura soluta essent.

IX. *Except.* Non tantum contra hanc prohibitionem sed contra omnes alias (unâ inter Parentes & Liberos exceptâ) est, quod non sit Juris naturalis & universalis: sed solius legis positivæ, & particularis sive forensis sive ceremonialis: quæ tantum posita erat illi populo, non vero nobis sub N. T.: ita ut potestas publica possit in illis mutare & dispensare. Sic communiter *Pontificii* supra indicati & refutati. Cum quibus *Grotius Lib. 2. de Jure pacis & belli cap. 5.* quodammodo videtur συμβολίζειν. *Ibidem* post alios refert facta & exempla Gentilium, quod ad hanc controversiam parum facit: nisi forte ostendere velit prohibitiones illas non esse Juris & legis naturalis. Sed alibi probavimus multa Gentiles fecisse & opinatos esse contra rectam rationem & lumen naturale. *Origenes Lib. 4. c. Celsum*, circa medium, putat factum Filiarum Lothi ἔχειν τινὰ καθ' αὐτὸ ἀπολογίαν, id est, *habere nonnihil ex ipsis circumstantiis, quo excusetur:* ut vertit Hoeschelius in edit. gr.-lat. Augustæ 1605. pro quo antiqua versio Christophori Personæ: *habet enim quod secundum se aliquatenus excusetur.* Quæ inserta est editioni lat. Origenis Paris. apud Badium Ascensium anno 1508. 1519. in fol. *Ibidem* Celso factum Filiarum Lothi immanius Thyestæis facinoribus procla-
manti

manti opponit Græcorum Philoſophos, & ſectam Stoicorum, qui Filiabus miſceri, indifferens eſſe dixerant (gr. εἶπον). Quod peſſimè & non ſine injuriâ Origenis, Chriſtoph. Perſona vertit. *Dixeram equidem cum de indifferentibus ſuo loco tractarem : indifferens eſſe, Filiabus ex ſe quempiam admiſceri, ſi modo res urgeat : tametſi minus id deceat in bene inſtitutâ Republicâ facere.* Primum, de ſuo adjecit *cum tractarem & ſuo.* Græcum εἶπον, quamvis ambiguum, non poterat ob verba proximè ſequentia hic eſſe ambiguum, & in ſingularis numeri primâ perſonâ accipi, quaſi Origenes de ſe ipſo hoc diceret; ſed in plurali 3. perſonæ, ut de Græcis accipiatur. De iiſdem enim loqui cœperat, & loquitur periodis ſeqq. non de ſeipſo. Verba proximè ſequentia ſic ſonant: Καὶ ὑποθέσεως χάριν, &c. παρειλήφασι τὸν σοφὸν μετὰ θυγατρὸς μόνης καταλελειμμένον, &c. quod ſic transfertur à Perſonâ: *Græci vero exempli gratiâ, ut id demonſtrarent indifferens eſſe, ſapientem quem hominem aſſumſerunt, &c. cum Filiâ & ſolâ relictum.* Retulit ergo Græcorum theſim, non ſuam, eorundemque hypotheticam theſios ſuæ demonſtrationem: non ut eam probaret, ſed ut exprobrationi Celſi quod ad factum Filiarum Lothi, quæ putabant ſe ſolos in orbe relictos, κατ' ἄνθρωπον aliquid reponeret. Jam vero ab illo adiaphoro Græcorum, quantum abſit opinio Pontificiorum, ex *Cap. præced.* conſtare arbitror.

Cajetanus in Tract. de Conjugio Henrici 8. Regis Angliæ a. 1630. conſcripto (de quo in *Principio hujus Capitis*) ſtrictè diſputat, de Fratriâ Fratris primogeniti Viduâ, ex quâ nulla proles ſuſcepta, ſecundum legem *Deut.* 25. neceſſariò ducendâ. Sed dato hoc ita eſſe: inde tamen conſequentia duci non poteſt ad reliquos gradus prohibitos; nec etiam ad noſtrum præſentem. Diſtinguit enim legem *Levitic.* 18. quæ ſine ſpecificatione Conjugium cum Fratriâ damnat: à lege *Deuter.* 25. quæ tot circumſtantiis vallatum honeſtat & mandat. Circumſtantiæ autem ſunt, 1. ſi Frater defunctus ſit primogenitus. 2. ſi nullum Filium reliquerit. 3. ſi quis Frater ſit ſuperſtes. 4. ſi eâ ætate ſit, ut poſſit generare. 5. ſi ſemen & nomen Fratris ſuſcitare & ſervare velit, & hunc in finem ipſius Viduam ducere. Et hæ circumſtantiæ, inquit, faciebant tunc exceptionem, ſeu aliam legem collateralem: quæ nunc non magis ceſſat quam lex *Levit.* 18. Quod utriuſq; ſit eadem ratio, idem autor, & idem genus præcepti partim ſcil. judiciale partim morale. Rationem hanc addit, Quia ſi tam incertum & particulare bonum (quale *Deut.* 25.) honeſtat illud, quod alioquin in ſe eſſet turpe & in dehoneſtationem Fratris: multò magis bonum commune Patriæ, & ſervandæ pacis inter Carolum 5. & Regem Angliæ honeſtabit. Et hic, inquit, non eſt egreſſus extra terminos, ſed à bono partis ad bonum totius, à minori ad majus. Dixerat *ibidem Cajetanus* Papam autoritativè hæc determinare, Doctores ma-

gistraliter. Sed tales consequentias nectere non docuerat *Cajetanus ad Rom. 3. v. 8.* cum explicaret illud: *faciamus mala, ut veniant bona.* Quid si eędem, & longè majores considerationes de hoc sęculo, de bono pacis, de bono publico Conjugia inter Fratrem & Sororem, inter Avum & unicam Filii unigeniti defuncti Filiam in Regnis illis, ubi Fœminæ non succedunt, valerent, An similiter honestari possent? An in priori casu exemplum Filiorum Adami allegaretur? Si *Sanchez aliosque supra cit.* audias, vix ullo in gradu humana dispensatio excluditur. Sed de hoc supra. *Grotius cap. cit. §. 14.* de Viri Conjugio cum Fratris Filiâ non quidem peremtoriè determinat, in partem tamen deteriorem inclinare videtur, cum dicit, ducere Amitam Agnatam vetitum non esse: immo ejus facti apud Hebræos extare exempla. In *Notis ad §. 14.* indicat exemplum Abrahami cum Sara, ex opinione *Fl. Josephi.* „Idem, inquit, post datam legem exempla nobis dat „in Herode, qui Fratris Filiam duxerat, & suam Filiam Fratri Phrecoræ desponderat. Vide *eum Antiquæ Historiæ* XII. *&* XVI. *Idem §. cit.* pro Conjugio Viri cum ἀδελφιδῇ, id est Fratris aut Sororis Filiâ, ut & cum duabus Sororibus successivè haut obscurè stare videtur; cum citat can. Apostolicos (quorum autoritas à Nostris satis excussa) *can. 19.*; & pro iisdem aliisque quibusdam incestis Conjugiis exceptionibus Pontificiorum utatur. Hęc ejus verba:

„ At, inquit, cæteras leges non item, ut quæ cautionem magis contine„ant, quæ cautio etiam aliis modis adhiberi potest. Certe canonibus anti„quissimis, qui Apostolici dicuntur, qui duas sorores alteram post alteram „duxisset, aut ἀδελφιδῆν id est fratris aut sororis filiam, tantum à clero arce„tur. Nec difficilis est responsio ad id, quod diximus de peccato imputato „Cananæis & finitimis populis. Potest enim locutio universalis restringi „ad præcipua ejus capitis, ut de concubitu cum masculis, cum bestiis, cum „parentibus, cum sororibus, cum nuptiis alienis: in quorum προφυλακὴν & „ut Hebræi loquuntur præmunimentum, additæ sint leges cæteræ. Nam „de singulis patribus ne intelligatur, argumento esse potest interdictum de „non habendis eodem tempore in matrimonio sororibus duabus: quod in „commune datum olim humano generi fuisse Jacobi pietas, qui contra fe„cit, credere nos non sinit. Addi potest factum Amrami qui pater Mosis „fuit. nam & is ante legis tempora amitam duxit uxorem. sicut materte„ras apud Græcos Diomedes & Iphidamas: Areten fratris filiam Alcinous. „Recte tamen fecerunt Christiani veteres, qui leges non illas tantum in „commune natas, sed alias peculiariter Hebręo populo scriptas sponte sua „observarunt: imo & ad gradus quosdam ulteriores protenderunt verecun„dię suę fines, ut hac quoque in virtute non minus quam in cęteris Hebręos

ante-

„ antecederent. Atque id pridem factum magno consensu ex canonibus ap-
„ paret. Augustinus de patruelium & consobrinorum conjugiis inter Chri-
„ stianos loquens: *Raro*, inquit, *per mores fiebat quod fieri per leges licebat,*
„ *quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana: veruntamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti.* Hanc mo-
„ rum verecundiam leges regum ac populorum secutæ sunt. sicut Theodosii
„ constitutio patruelium & consobrinorum conjugia vetuit, laudante id fa-
„ ctum, ut pietatis plenum, Ambrosio. Sed sciendum simul est non quod
„ vetitum est fieri lege humana, si fiat, irritum quoque esse, nisi & hoc lex
„ addiderit aut significaverit. Canon Eliberinus LX. Si quis post obitum
„ uxoris suæ sororem ejus duxerit & ipsa fuerit fidelis, per quinquennium
„ eum à communione abstinet: eo ipso ostendens manere vinculum matri-
„ monii. Et ut jam diximus in canonibus qui Apostolici dicuntur, qui duas
„ sorores duxerit, aut fratris filiam, tantum clericus fieri prohibetur.

CAP. V.

De secundis Nuptiis seu Digamiâ, deque Nuptiis Consobrinorum, & aliis quibusdam humanâ lege prohibitis: in se tamen & in foro conscientiæ non illicitis.

I. *QUæst. An lege aliquâ humanâ ex malis moribus vitâ, aut & ob bonum publicum necessariâ, Coniugia in se & per se secundum Jus divinum & naturale licita prohiberi possunt? Resp.* In genere *Aff.* cum omnibus Theologis & Jureconsultis qui de hâc materiâ scribunt. Hæ tamen cautelæ adhibendæ 1. *Ne* leges ferantur ab Ecclesiâ, sed à Magistratu civili. Quod est contra Pontificios, qui totum hoc ad Ecclesiam transferunt: nixi falsa hypothesi, quod Conjugium sit sacramentum. 2. *Ne* Magistratus nimis arctet libertatem Subditorum. 3. *Ne* ferat leges tanquam Persarum & Medorum perpetuas & immutabiles (*Dan.* 6. *v.* 13. 16.): sed ut cessantibus causis, ob quas leges latæ, etiam cessent leges. 4. *Ne* in casu, ubi minus incommodi & plus boni ex talis Conjugii concessione, quam ex prohibitione resultaret, dispensare graventur.

II. *Quæst. An prohiberi possint Nuptiæ secundæ aut tertiæ? Resp. Neg.* 1. *argum.* ex Rom. 7. v. 2. *Nam viro subjecta Mulier, viventi Viro devincta est per legem: quod si mortuus fuerit Vir, liberata est à lege Viri. Proinde vivente Viro Moecha vocabitur, si fiat alterius Viri: sin autem mortuus fuerit Vir ejus, libera est à lege illâ, ut non sit Moecha, si fiat alterius Viri.* Confer 1. Cor. 7. v. 39. *Mulier, quamdiu vivit Maritus ejus*, &c. *si autem obdormierit*,

rit , &c. *libera facta eſt* , &c. An hos textus dubia moveri poſſent.

1. *Dub.* An æque hoc de Viro ac de Muliere ſtatuendum. *Reſp. Aff.* quia utrobique par ratio eſt: juxta illud 1 *Cor.7.v.2.-5.* Et ſi neceſſitas adminiſtrandæ rei familiaris ac dubitationis de prole ſpectetur ; citius libertatis illius uſus Viro, quam Mulieri concedendus eſt.

2. *Dub.* An leges civiles, præter tempus dubitationis de prole iis quæ per ætatem idoneæ ſunt, ritè præſcribendum, annum luctus omnibus Viduis debitè præſcripſerint, ſub pœnâ *L. 1. de ſecund. nupt. C. Reſp. Neg.* & hic locum habet illud Hieronymi ad Oceanum: *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti; aliud Papinianus , aliud Paulus noſter præcipit.* Et leges ac mores Gentium in Chriſtianiſmo, legem hanc ſatis antiquârunt : ut nihil dicam de Jure canonico.

3. *Dub.* An Marito mortuo, ſed paulo poſt miraculosè ſuſcitato, libera maneat Vidua ejus, ad nubendum alteri cui velit. *Reſp.* Pererius in Rom.7. diſp.1.num.2. negat tali in caſu *futuram Uxorem ejus, quæ ante fuerat.* Ante ipſum Thomas in Comment. ad loc. cit. *Ex quo patet, ſi aliquis moriatur & reſurgat, ſicut in Lazaro accidit, non erit Uxor quæ fuerat, niſi de novo cum ipſo contrahat.* Paulo poſt: *aliter autem ſe habet in ſacramentis , quæ imprimunt caracterem, qui eſt quædam conſecratio animæ immortalis. Omnis autem conſecratio manet, quamdiu manet res conſecrata, ſicut patet in conſecratione Eccleſiæ vel altaris. Et ideo ſi baptizatus vel confirmatus vel ordinatus moriatur & reſurgat, non debet iterum eadem ſacramenta accipere.* Idem ſtatuunt *Lyranus*, & Dionyſ. Carthuſianus ad locum cit. iſte ſubjunctâ hâc limitatione , *in tantum ut ſi Vir ejus reſurgeret , non teneretur eum recipere, niſi ex condecentiâ quâdam, ut dicitur.* Ille vero ſub duplici hac limitatione, *niſi de condecentiâ* , & *ſuperveniente novo conſenſu.* Sed potior eſt ſententia oppoſita, hâc ratione, quod Liberi à lege quâ obligantur Parentibus hoc in caſu non liberentur: ergo multo minus Uxor à lege Mariti. Ratio conſequentiæ eſt , quia arctior eſt conjunctio & obligatio inter Maritum & Uxorem, quam inter Parentes & Liberos Geneſ.2.v.24. *propterea derelinquet homo Patrem & Matrem , & adhærebit Uxori ſuæ.* Antecedens probatur ex Hebr. 11. v. 35. *Mulieres acceperunt ex reſurrectione mortuos ſuos.* coll. cum 1 Reg.17.v.23. ubi Elias tradens puerum ſuſcitatum Matri dicit: *ecce Filius tuus vivit.* Et 2 Reg.4.v.36. 37. *tolle Filium tuum* , &c. *tulitque Filium ſuum.*

Aquinas ad locum Heb. 11.v.35. quem ſibi objicit, ſic excipit: *Sed ſciendum eſt, quod Mulieres non receperunt Maritos ſuos , ſed ſuos Filios. Reſp.* Hæc eſt mera ſciomachia: nemo enim adverſæ ſententiæ, ex illo loco immediatè & directè probat, Mulieres recepiſſe Maritos : ſed mediatè & per conſe-

consequentiam inde concludunt: si ex suscitatione acceperunt Filios; ergo pariter ex eâdem acciperent Maritos.

II. *Argum.* Ex 1 Timoth. 5. v. 14. *Velim igitur juniores* (Viduas scil.) *nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem adversario ad conviciandum.* Nihil ergo in secundis nuptiis inhonesti; nec datur adversariis, occasio conviciandi. Recentiores Pontificii *Corn. à Lapide* & *Magallianus in Commentar. ad locum cit. suasionem, indulgentiam, consilium, remedium* hic anxiè inculcant; ut à præcepto apostolico distinguant: citatis quibusdam Patribus. Sed non distinguunt præceptum in absolutum & hypotheticum. Absolutè quibusvis hominibus Conjugium non præscribitur: sed *hypotheticè*, & positis ponendis præscribitur. Si aut Prolem quis desideret, aut castitatum conjugalem in prophylacticom adversus tentationes incontinentiæ; aut societatem & auxilium in convictu domestico & rei familiaris, etiam negotiorum & mercaturæ, & cujuscunque artis lucratoriæ administratione, aut Prolis Proliumve ex priori Conjugio, commodiorem educationem; aut omnia illa simul: utique jam sciat præscribi sibi à lege divinâ, & naturali honestum Conjugium. Hoc enim ad necessitates illas supplendas, & ad commoda huic ærumnosæ vitę paranda divinitus ordinatum est. Ita ut pessimè a Magalliano verbis Hieronymi dicatur: *concessit digamiæ præcepta non bona, & justificationes pessimas: ita secundum indulgens Maritum, ut & tertium, si liberet etiam vicesimum, ut scirent sibi, non tam Viros datos, quam adulteros amputatos.* Quasi scil. medium non daretur inter honestæ Viduæ Conjugium & inter adulterium, casus scil. viduatus: quem tamen occasione divinitus oblatâ ob aliquam ex rationibus modo allatis, cum honesto Conjugio mutare potest, quamvis virilis congressus minimè appetens. Detur e. gr. Regis aut Principis Filius jam in Clero constitutus, non sine voto cœlibatus, qui tamen, quamvis à Mulierum consortio alienissimus, & continentissimus, mortuo Fratre natu maximo Regno aut Principatus designato hærede, aut mortuis Fratribus regiisque Liberis omnibus, per dispensationem Papæ primam Uxorem ducat, & hâc sine Prole mortuâ secundam; an ille credere debebit, sibi non tam Uxores datas, quam adulteras amputatas? Præcepta de resipiscentiâ aut (ut ipsorum stylo utar) de confessione auriculari, deque satisfactione, sunt hypothetica, & non nisi ex hypothesi commissorum peccatorum mortalium obligant: ergone sunt *præcepta non bona, & justificationes pessimæ*? Ergo ne illud *vade & ostende te Sacerdoti*, id est, confitere ipsi peccata tua, (juxta sensum allegoricum) non erit præceptum bonum, sed tantum suasio, indulgentia, &c.?

III. *Argum.* Ex Hebr. 13. v. 4. *honorabile est inter quosvis Conjugium, & cubile impollutum: scortatores autem & adulteros damnabit Deus.* Hic sine

ullâ exceptione Conjugium dicitur τίμιον; cui tanquam ἄτιμον opponitur scortatio & adulterium. Jam vero Conjugium secundum aut est Conjugium, aut non est. Si est, ergo est τίμιον. Si non est; ergo ad scortationem, aut adulterium, aut concubinatum, similemve illegitimam cohabitationem, referri deberet. Quod absurdum. Ubi autem lex non restringit aut excipit, non est excipiendum.

IV. *Argum.* Non est inhonestum si qui aut quæ ad Conjugium idonei, & in primo flore ætatis, sine Prole viduati, generationem Liberorum, & generis humani, atque Ecclesiæ propagationem intendunt, juxta ordinem in primâ creatione constitutum Genes. 1. v. 28. *& benedixit eis Deus, & dixit ad eos Deus: crescite & multiplicate vos*, &c. Et hunc in finem ad secundas nuptias se conferant. Quis dicet hæc esse *præcepta non bona*, & *justificationes pessimas*; quæ per indulgentiam & meram conniventiam Conjugium concedunt? *non Viduas*, inquit Hieronymus Epist. 11. ad Ageruchiam & cum eo A Lapide in 1 Timoth. 3. v. 14., vetat esse Paulus, *sed adulteras; quia melius est, digamum esse quam scortum.* An ex seipso Hieronymus tales judicabat omnes, qui eâ intentione, ut dixi, & sæpe superiorum precibus aut mandatis, & boni publici necessitate compulsi secundas nuptias amplectuntur? Quid diceret de Abrahamo jam sene decrepito Keturam ducente?

V. *Argum.* Honestum est homini remedio, incontinentię divinibus monstrato, concesso, præscripto uti; hoc est, Conjugio: Ergo etiam Viduis hoc honestum est; uti contra turpe est sapientissimum hoc Dei consiliam non sine superbiâ & vanâ sui fiduciâ spernere. Deus melius novit hominem, & quid sit in homine, quam ipse homo. Esse autem consilium hoc divinum, hoc est præceptum hypotheticum à Spiritu S. per Apostolum illo spiritu infallibili præditum & actum 1 *Corinth.* 7. *v.* 40. cum 2 *Petr.* 1. *v.* 21. constat ex 1 *Tim.* 5. *v.* 14. & 1 *Cor.* 7. *v.* 9. Ne quis autem ad posteriorem locum excipiat, hoc Virginibus dictum, non Viduis: regero analogice non tantum à Virginibus ad Viduos & Viduas, imprimis juniores, discurri debere; sed insuper à minori necessitate ad majorem argumentandum esse: Si experientiam & *Chrysostomum* audiamus citatum & laudatum à Corn. à Lapide in 1 Timoth. 5. v. 14. *Adde Apostolum loqui de Adolescentulis, non Virginibus, sed Viduis; in quibus ob habitum Conjugii difficilior & periculosior est continentia: ut dixi ex Chrysostomo. Unde etiamnum in multis monasteriis Virginum non admittuntur, vel ægre admodum Viduæ, quia vix assurgunt ad puritatem Virginum, quin in verbis & gestibus conjugem & conjugium redoleant*, &c. Atque hactenus veritatem sententiæ nostræ probavimus.

Oppositam tenent Pontificii, qui incontinentiæ infamiâ secundas nuptias

nuptias denigrant, & tanquam minus malum tolerabiles tantum faciunt: uti ex dictis quorundam antiquorum, imprimis *Tertulliani* & *Hieronymi*, huc tractis & adoptatis apparet. Magallianus in Comment. ad 1 Timoth. 5. v. 14. citat ex Hieronymo ad Geruntiam, hæc verba Paulum explicantia: *volo adolescentiores nubere*; addit, *quia nolo eas fornicari*, & *quia tolerabilius* (N.B.) *est digamam esse, quam scortum, & secundum habere Virum, quam multos adulteros.* Et infra: *Aliud est, quod vult Apostolus, aliud quod cogitur velle. Ut enim concedat talibus secunda matrimonia, meæ est incontinentiæ, non illius voluntatis. Vult enim omnes esse sicut seipsum, & ea cogitare quæ Dei sunt, & solutos nequaquam alligari; sed si labentes per incontinentiam, ad barathrum stupri viderit pervenire, ligamine porrigit manum*, &c. Quis ferat hæc verborum portenta? Ergone omnes honestæ tum Viduæ tum Virgines, si Pauli exemplum non imitatæ nubant aut nuptum dentur, ex barathro fornicationum aut adulteriorum per Conjugium educuntur, aut præcipitio istarum abominationum, in quod jam jam ruituræ essent, præripiuntur? An non multę in domino nubentes, contra superbum & contentiosum illum virginitatis affectatorem, non tamen custodem exclamare possent, *Hic pietatis honos, sic nos in sceptra reponis!* Adde nunc rhetoricationes *Hieronymi in Tom. 1. in cit. Epist. ad Gerontiam de Monogamiâ*; *in Epist. ad Demetriadem de servandâ virginitate, in Epist. ad Furiam de servandâ viduitate*; & *Tom. 2. de Excellentiâ virginitatis adversus Jovinianum.* Unde abunde constabit quam *honorabile* illi fuerit Conjugium tam primum quam secundum. Sed satis superque hæc excussa & protrita sunt ab Antagonistis Papatus supra *Sect. 1. cap. 1.* citatis. Ne quid autem choragio huic desit, ad Montanum hujus μισογαμίας Patriarcham ascendendum est, de quo *Epiphanius, Augustinus, aliique hæresiωn Scriptores*; cujus doctrinam hâc in parte expressit *Tertullianus* jam factus Montanista *in Lib. de Monogamiâ. Jus canonicum c. ut bigami*, & *c. de digamis* 27. *qu.* 1. bigamos ad sacerdotium non recipit, & ipso jure à divinorum celebratione suspensos dicit. Similia habet *Jus Orientale Græcorum Tom. 1. lib. 8. pag.* 494. ubi citantur *Can.* 17. *Apostolorum*, *Can.* 12. *Basilii*, 79. *Novell. Principis Leonis* dicti sapientis; ubi tamen mitigat pœnam *Novell. 6. Justiniani c. Cæterum si quis impositam.* Quamvis autem Pontificii secundas nuptias tantum infamare putentur, quod à clericatu bigamos excludant; rationes tamen & autoritates *Tertulliani, Hieronymi*, &c. & *Concil. Neo-Cæsar. & Laodic.* quas allegant, ad quosvis bigamos infamiam extendi docent. Idem dici potest de Græcis, in quorum *Nomocanone à Photio & Balsamone* edito tit. 8. *cap.* 16. ubi *Can.* 7. *Concil. Neo-Cæsariensis* sic explicatur *quod clericus convivari non debeat* cum *nuptias iterante* gr. τῷ δευτερογαμοῦντι: cum *Canon Neo-Cæsar.* habeat εἰς γάμους τῶν διγαμούντων *in*

N 2 *nuptiis*

nuptiis digamorum. Hunc canonem, non de Clericorum aut ad Clerum eligendorum tantum, ſed quorumvis digamiâ intelligendum eſſe, evincimus ex 1. ejuſdem *Concilii can.* ubi omne Conjugium Presbytero prohibetur. An autem per digamiam illic notetur ſimultanea, an ſucceſſiva, diſceptatur. Pontificii & cum iis *Grotius in Notis ad* 1 *Timoth.* 3. de ſucceſſivâ accipiunt: ſed rectius *Beza in Notis*, & *Juſtellus ad canones Eccleſiæ univerſæ ad can.* 1. *Laodic.* docent ſimultaneam illam intelligendam quâ uxore ob quamvis cauſam, juxta leges Judaicas & Romanas legitimè repudiatâ, & alterâ liberè ac legitimè (ἐλευθέρως καὶ νομίμως, in *can. Laodicen.*) ductâ, ſecundum *indulgentiam* à communione non excludebantur; quamvis pœnitentia aliqua imponeretur. *Can. Neo-Cæſar.* 7. & *Laodic.* 1. Et quidquid eſſet de canonibus illis, ſaltem verbo Dei nihil ſive Miniſtris ſive membris Eccleſiæ de abſtinentiâ à digamiâ ſucceſſivâ illic præſcribitur. Quod autem celeberr. *Grotius*, & ex Pontificiis eximius ac plurimæ lectionis Philologus *Priceus in Notis ad* 1 *Timoth.* 3. *v.* 1. & 5. *v.* 9. cenſent digamos ſucceſſivos (ita loquar) ab Apoſtolo *ibidem* excludi à ſacris ordinibus, quod Chriſtiani in nullâ laudis parte Gentibus cedere deberent: id ad meras conjecturas tam facile rejicere poſſumus, ac ab illis adſertur. Fatemur quidem Gentium quarundam conſuetudine & opinione nuptias ſecundas minus honoratas fuiſſe, alicubi etiam pœnis coërcitas, idque ab illo *ibid.* ex *tit. C. de ſecundis nuptiis,* & ſpeciatim de Mulieribus ad Sacerdotia & ſacra admittendis, ex *Pauſaniâ in Achaicis*, *Cicerone Epiſt. ad Atticum lib.* 13. *ep.* 29. *Valerio Maximo Lib.* 2. *cap.* 1. 3. *Feſto*, *Propertio*, *Servio ad Æneid.* 3. *Horatio*, *Catullo*, *Plauto*, *Seneca;* ſed illud omne ad diabolum honorabilis Conjugii à Deo inſtituti detractorem (uti exſertè docemur 1 *Timoth.* 4. *v.* 1. 2.) referimus. Gentilium iſtorum hâc in parte æmulos eſſe Chriſtianos, non magis voluit Apoſtolus; quam Virginum veſtalium, & hodiernarum in Indiâ Viduarum, quas ad partes adducit *Corn. à Lapide in* 1 *Timoth.* 5. *v.* 9. & Gallorum Cybeles Sacerdotum; de quorum caſtitate & caſtratione *Commentar. ad Catulli Atyn & Natalis comitis Mythol. lib.* 9. *c.* 5. & eruditiſſ. *Ouzelius ad Minutii Octavium.* Patrum dicta, *quæ* à *Pontificiis* & *Grotio* citantur, nominatim Tertulliani Montanizantis, non puto ipſis per omnia probari. Eodem illi in errore quod ad intelligentiam Scripturarum *Math.* 19. 1 *Tim.* 3. & 5. & confuſionem digamiæ ſimultaneæ cum ſucceſſivâ verſati ſunt, in quo Pontificii. Quod ad Athenagoram à *Grotio cit.*; non videtur ab illo inſpectus, ſed alienâ fide verba ipſius ſolummodo huc tranſcripta. Habentur ea fere ſub finem Apologiæ: ἢ ἐφ' ἑνὶ γάμῳ. ὁ γὰρ δεύτερος (ſcil. γάμος) εὐπρεπής ἐστι μοιχεία. id eſt, *vel unius nuptiis, copulatur, ſecundæ enim decoram quoddam adulterium ſunt.* Hæc de repudiatis aut repudiantibus & alteri Conjugio implicitis intel-

intelligenda esse ostendunt sequentia, ubi probationem desumit ex Math. 19. *qui enim Uxorem suam dimiserit, & duxerit alteram, adulteratur*, &c. *neque illam dimittere concedens, cujus delibata est pudicitia, neque alteram ducere. Nam qui primâ Uxore, etiamsi mortua fuerit, seipsum privat, adulter est, ut quanquam tectus* (παρακεκαλυμμένος), *& manum Dei transgreditur, (quoniam à principio Deus virum & mulierem unam creavit:) carnem autem carne secundum unionem ad mixtionem utriusque sexus communionem solvens*. Paulo post Christianos vocat Eunuchos & μονογάμους, opposite scil. ad polygamos, repudiantes, &c. Gentiles. Pseudo-Clementis Constitutiones & Canones Apostolorum frustra pro hac causâ allegantur: quo enim in precio merces illæ habendæ sint, invictis argumentis à Nostris ostensum est, & post omnes plenissimè à pererudito *Dailleo in Pseudepigraphis*. Instat *Grotius in Annotatis ad Caßandrum artic. 23. Ecclesiæ morem* Pauli dicta 1 *Timoth*. 3. ita interpretatum esse. Sed ἀθεόλογον est, Ecclesiæ morem facere canonem, μέτρον fidei, & supremum atque infallibilem interpretationis judicem. Quin potius ad legem & ad testimonium? Sedeat inter nos Judex Apostolus, inquit *Augustinus*: & Ecclesię consuetudo ad doctrinam Pauli flectatur ac formetur: non contra. Altera instantia est ex ipso Paulo 1 Timoth. 5. v. 9. Qui Viduam unius Viri uxorem vult eligi, id est, *semel tantum nuptam: neque enim*, inquit, *duos habere Viros Fœminis unquam licuit*. Quid? an tantus & tam vastæ lectionis Philologus & Jureconsultus ignoravit, an vero præ festinatione aut διὰ τὸ πάθος non recordari potuit verborum Tertulliani in Apologet. cap. 6. *Repudium vero jam & votum est, quasi matrimonii fructus*. Ad quæ vide notata, *Heraldo ex Plutarcho* & *L. IX. §. si mulier D. de minoribus*. & *L. 5. D. de repud. L. 5. C. eod.* De Fœminarum repudio *Seneca Lib. 3. de Beneficiis cap.* „ 16. Numquid jam ulla repudio erubescit, postquam illustres quædam ac „ nobiles Fœminę non consulum numero, sed Maritorum annos suos com- „ putant? & exeunt matrimonii causa, nubunt repudii? ubi Lipsius adducit Juvenalem: *Sic crescit numerus, sic crescunt. octo Mariti, Quinque per autumnos*. Et Martialem lib. 10. *Et nubit decimo jam Telesina Viro*. Adde Martialem lib. 12. *Veterem Proculeia maritum, Deseris*, &c. *Gruterus ad eundem locum Senecæ*, fatetur hæc sibi communicata à *Brissonio in Libro singulari ad L. Juliam de adult*. Nec tantum ea Fœminarum repudia viguisse apud Gentiles, sed & apud Judæos discimus ex Marc. 10. v. 12. *& si Mulier dimiserit*, &c. ubi notat *Grotius* exempla Salomes & Herodiadis, quarum illa etiam libellum divortii marito miserat, teste *Fl. Josepho*. Nec desunt exempla Fœminarum Christianarum, Fabiolæ scil., quæ priori repudiato alteri nupserat, apud *Hieronymum in ejusdem Epitaphio*; & alterius Fœminæ Christianæ apud *Eusebium Lib. 4. cap. 17*. Hocque innuit *Eliberini Concil. canon* 8.

Cum ergo ex notatis ad *Marc.* 10. *ad Tertullianum, Senecam, Juvenalem, Martialem, Suetonium in Augusto, Jus Civile, Canones Ecclesiæ Universæ, Canones Eliberinos*, satis superque constet de frequentatis Fæminarum divortiis; illudque à *Brissonio Lib. cit.* & *Justello in Notis ad Canones Ecclesiæ* anno 1610., & ante hunc à *Lechasserio* I. C. Parisiensi *in Libro* quodam gallico (indicante *ibid. Justello pag.* 197.), jam pridem satis superque in luce positum sit: & magnam partem illi in memoriam revocârit eximius Theologus *Andr. Rivetus*: mirari subit, quomodo Vir celeberrimus in angustias illius interpretationis suæ 1 *Timoth.* 5. *v.* 9. nos compingere velit, & causam non causam (incontinentiam scil. infra Fæminas Sacerdotes Gentilium) præcepto huic apostolico assignare. Cum in promtu sit causa, crimen adulterii juxta Jus divinum & naturale, interprete Christo *Math.* 19. quidquid νόμος καὶ χώρα hic concederent. Tales ergo volebat eligi Apostolus, quæ à criminibus ejusmodi immunes essent.

II. *Quæst. An per potestates in hoc sæculo, contra sextas, septimas, aut ulteriores nuptias ordo aliquis constitui possit? Resp.* Inter Viros & Mulieres distinguendum est. Quod ad illos quia aliquando ob graves rationes Proles & Hæres quæritur, aut, contubernium Uxoris ad Ministerium domesticum & senectutis sublevationem: non puto ipsorum iteratis nuptiis modum ponendum. Quod ad Mulieres, quia ætate graves, præsertim Vetulæ toties nubentes, absque ullâ intentione aut spe Prolis, insuper morbis atque infirmitatibus variis, ipsâque senectute, quę morbus est, plerumque graves & ingratæ sunt vegetis Juvenibus, & experientia docuit raro fausta & felicia esse ejusmodi Conjugia: non esset inconsultum, si tales in fervidâ Conjugiorum iteratione aliquo modo sufflaminarentur. *Hieronymus*, (referente *Danæo in* 1 *Timoth.* 5. *v.* 14.) tanquam rarum exemplum narrat, fuisse Vercellis apud Insubres, quæ septies nupserat. Ego aliud quid referam, quod nostrâ ætate accidit de muliere cauponâ in Hollandiæ vico dicto Sloterdijck inter Amstelodamum & Herlemum, quæ a. 1615. decimo nono Marito nupta erat: uti hoc publicè *Indiculis Chronologicis*, qui cum libellis Almanachicis quotannis edi solent, toto Belgio celebratum erat; Quam ego eodem anno cum aliis quibusdam amicis illac iter faciens, coram vidi, ætate (uti conjicere poteram) nondum sexagenariam. De ejusdem Maritorum numero usque ad 24. aucto videor mihi postea aliquoties inaudiisse: ut & de multorum curiosorum exspectatione quis & quotus Maritus tandem hanc multiviram sepeliret, & de peculiari quodam honore victori à rusticis illic habito.

III. *Quæst. An incestæ sint Nuptiæ Consobrinorum? Resp.* Consobrini sunt ejusdem Avi ex diversis Filiis aut Filiabus Nepotes: nempe in secundâ lineâ

neâ transversâ æquali. Qui subdividuntur in *Patrueles*, è Fratribus: *Matrueles* è Sororibus; qui etiam *Consobrini* in jure dicuntur: *Amitinos*, è Fratre & Sorore progenitos. Pontificii non tantum hunc gradum transversum æqualem, sed & alios usque ad septimum jure antiquo, sed usque ad quartum jure hodierno, prohibent. Et hinc est, quod errore populari aliqui inter nostros hic scrupulum aliquem inveniant. Nos negamus Jure divino, unde de incestu judicandum, tale Conjugium prohiberi: & consequenter illud in foro poli seu conscientiæ esse illicitum. Idem sentit Augustinus Lib. 15. de Civit. Dei cap. 16. *Experti sumus in connubiis Consobrinorum, etiam nostris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat: quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana.* Ubi notat *Ludovicus Vives* ex Plutarchi Quæstionibus Romanis, olim Nuptias cum necessariis prohibitas tunc lege latâ licitas factas. Ex Nostris Theologis *Lutherus de Captivit. Babylonicæ*, *Melanthon tit. de Conjugio*, *Brentius in Levit.* 18. *Bucerus in Judic.* 1. *v.* 13. *Calvinus in Levitic.* 18. *Martyr Class.* 2. *c.* 10. *sect.* 47. *Beza de Repudiis*, *Lavater. in Judic. homil.* 5. *Zanchius C.* 1. *qu.* 2. *thes.* 2. *Zepperus Lib.* 4. *de Legib. Mosaicis cap.* 19. *Bucanus in Loc. commun.* Accedat & Jus civile L. *celebrandis* 19. C. de Nuptiis. *celebrandis inter Consobrinos Matrimoniis licentia legis hujus salubritate indulta est: ut revocata prisci juris autoritate*, &c. *Matrimonium inter Consobrinos habeatur legitimum*, &c. Super quâ lege inter Juristas non parva agitatur controversia. Alii negant Justiniani tempore fuisse permissas; quippe Triboniani figmento legem eam tribuentes, eidemque nomina Arcadii & Honorii Imperatorum præscribenti crimen falsi impingentes. Alii legem non sollicitant, sed ajunt esse speciale Imperatorum indultum, non vero legem universalem. Autores & rationes opinionum habes in *Francisci Florentis* Antecessoris Aurelianensis peculiari *Tractatulo ad Præsidem Henricum Memmium* anno 1643. Francofurti recuso in 8. tit. *de Nuptiis Consobrinorum*, &c. Post quem plenius hoc egit *Jac. Gothofredus* JC. peculiari Dissertatione, quæ cum *Philostorgii Epitome Photianâ* anno 1642. edita est. Ubi contendit *Arcadio* legem illam planissimè adscribendam, nec in legis inscriptione, ejusdemque contextu, materiâ, continentiâ quidquam falsi haberi. Quod ut evincat, ex antiquitatibus & jure civili ostendit hæc tria 1. Prisco jure, quod *Theodosii* M. legem præcessit, nuptias illas fuisse licitas. 2. Medio jure per legem *Theodosii* & *Arcadii* anno 384. vel 385. latam fuisse illegitimas, & calumniarum fomentis obnoxias. 3. *Novissimo* jure per legem *Arcadii celebrandis* 19. C. de Nuptiis, fuisse licitas. Quibus peractis, & objectionibus omnibus solutis concludit: *Nobis enim illud hic in præsens abunde, quod certissimis argumentis legem celebrandis Arcadio Imperatori*

tori vindicaverimus. Albericus Gentilis in tract. de Nuptiis lib. 5. cap. 11. probat jure naturæ, divino & civili licitas esse. Vetantur tamen nuptiæ illæ jure canonico c. ult. & penult. de consang. & affinit. & qu. 3. & 4. caus. 35. hâc ratione, *sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere.* Et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Quin & ad quartum gradum, ex analogiâ scil. quatuor elementorum, immo & ad sextum juxta sex mundi ætates extendi volunt. *Quorum numeri*, ait Seldenus in Analecto Anglo-Britannico lib. 2. cap. 2. *solis accessu recessuque aurei luminis, maximas (ut Angliæ, Franciæ, Hispaniarumque Regna testantur,) sunt passi postaphæreses.* De gradibus illis ad uberiorem dispensationum materiam prohibitis ante ipsum monuerat *Beza Lib. cit.* An reges, & Respublicas aliquid aliud moverit quam concepta per errorem Ecclesiæ autoritas, ego non dicam. Certè libertas populi Anglicani non parum accisa videtur à Canuto Daniæ, Angliæ, & Norwegiæ Rege circa annum 1020. in Angliâ lege latâ (*cap.7.*) ne quis nuptias intra sextum cognationis gradum contraheret: teste ibid. *Seldeno Lib.2. cap.6.* In capitulari Pipini Regis Francorum cap. 1. anno 755. inter alios incestuosos contrahens cum consobrina aut sobrinâ, mulctatur pecuniâ suâ, si quam habet, & si emendare se noluerit, sub mulctâ omnibus mandatur ne eum recipiant, aut ei cibum donent, &c. apud *Goldastum tom. 3. constitut. Imperial. p. 118.* Jus Orientale Græcorum *tom. 1. p. 481.* easdem cum sobrinâ aut sobrini filiâ prohibet, ex decreto Synodi, per legem Manuelis Porphyrogenetæ confirmato. Cur Theophilus Græcus institutionum interpres §. *duorum Fratrum*, de Nuptiis, de fratrum & sororum liberis scripserit ἀλλήλοις οὐ δύνανται πρὸς γάμον συνάπτεσθαι, id est, *inter se matrimonio jungi non possunt* (cum à textu institutionum absit particula negans) Jureconsultis disquirendum relinquo. Sed hodie in politiis & Ecclesiis reformatis tales nuptiæ conceduntur. De quo ex Theologis *Beza p. 50. Zanchius p. 982. edit. in 4. Hemmingius p. 983. Zepperus in polit. Ecclesiast. p. 180. Cotterius p. 202. Joh. Gerhardus loc. cit. p. 526.* ex Jureconsultis *Albericus Gentilis in Lib. de Nuptiis, Cypræus pag. 879. Carpzovius Dispp. cit. part. 1. §. 32.* Quo ipso non negamus leges quasdam politicas conjugia consobrinorum prohibentes non sine ratione latas esse & observari in terris protestantium in Germaniâ, in ducatu Slesvicensi, in parte liberæ Reipublicæ uniti Belgii, in ducatu scil. Geldrico: ubi promulgatio ejusdem legis renovata est circa annum (si bene memini) 1626. aut 1627. Hanc enim potestatem Theologi citati *Hemmingius, Gerhardus & Balduinus Lib. 4. Cas. cap. 13. cas. 10.* &c. Magistratui vindicant: Quod ad rationem, quam nonnulli ex Augustino *lib. 15. de Civit. Dei cap. 16.* allegant, eam non arbitror tanti esse. *Ob multiplicandas*, ait, *affinitates, nec habeat duas necessitudi-*

nes una persona, cum duæ possint eas habere , & numerus propinquitatis augeri. Quod si aliquo in casu hoc valere contingat, in aliis tamen & forte pluribus, contrarium prævalet : ita ut haut infrequentes dispensationes concedi conveniat, forte & lege abrogatâ libertati cujusque familiæ hoc relinqui. Ditmarsus in *system. polit. Lib.* 1. & cum atque ex eo *Pruknerus centur. 9. quæst.* 79. dispensationes restringit ad *personas illustres, quando videl. publica salus id ipsum requirit:* exclusis *subditis, horum enim nuptiæ publicam salutem sibi haud habent propositam.* Sed variæ rationes à familiarum & bonorum conservatione, cognatorum unione & pace, aliæque sæpissime suadent, præstare si affinitates non multiplicentur, & consequenter expensæ non augeantur, nec bona familiæ hæreditaria in minutas partes, & tandem in pulverem secentur. Hæ rationes si in illustribus familiis quidquam valent, uti valere debent; quidni suo modo valeant in privatis minorum Nobilium, Senatorum, Patritiorum, Mercatorum, aliorumque Civium Honoratorum familiis? Quod ad me, rationem aliam prohibitionis politicæ nullam aliam (abacto præjudicio ex autoritate antiquorum ut *Ambrosii*, & 6. *Concilii Constantinopolitani* in *Trullo can.* 53. aliorumque sequioribus sæculis celebratorum, & inde Juris Canonici) excogitare potui, nisi quod Adolescentes ac Puellæ Patruorum & Avunculorum suorum ędes familiariter frequentando, absque eâ custodiâ & attentione Parentum, quam circa frequentantes alienos adhibere solent, facile Clandestina Sponsalia absque Parentum consensu & consilio contrahere, nonnunquam & stupra committere possent. Ut ergo occasiones tales præveniantur, arbitror alicubi tales Nuptias prohibitas esse: juxta vulgatum illud : *Ex malis moribus bonæ leges.* Rationes à propinquitate sanguinis, quas Theologi aliqui, *Gerhardus*, & *Pruknerus*, &c. huc advocant prætereo: ut & illam Augustini loc. cit. *Quia nescio quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile : ut cui debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab eâ contineat.* Nisi quis eo sensu hoc accipiat, quo illud: *bonorum mentium est etiam ibi culpam timere, ubi culpa non est.* Ant. Gubertus Costanus Senator Tholosanus in commentario, de Matrimoniis, Sponsalibus, & Dotibus, anno 1597. Marpurgi typis Egenolphi recuso pag. 133. illud confimare conatur autoritate Apostoli Andreæ, ex Abdiâ Babylonico lib. 3. certaminis apostolici, ubi refertur verbum divinum factum esse ad Consobrinos jam Nuptiarum diem constituentes, dicens, „nolite conjungere liberos vestros, donec huc veniat famulus meus Andreas, ipse enim vobis quæ agere debeatis ostendet. Jam autem Thalamus „præparatus erat, & Convivæ vocati erant, omnisque apparatus nuptialis in „promtu tenebatur. Interea triduo elapso advenit Apostolus, qui quum audivisset quę gesta essent, Nolite, ait, Filioli, nolite seduci, nolite seducere hos

„ Juvenes, quibus poteſt fructus apparere juſtitiæ. Sed magis pœnitentiam „ agite, quia deliquiſtis in dominum, ut *proximo* (heu vecordiam fabulato-„ ris!) *ſanguine* velletis polluere Conjugia Filiorum veſtrorum, &c. Qui-„ bus verbis citatis ſubdit Coſtanus : *Ergo perſpicuum eſt divino oraculo, & „ apoſtolicâ traditione nos doceri, inter Filios Fratrum illicitas eſſe Nuptias. Tridentina Synodus ſtatuit, ut in ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam*, &c. At quo pudore diſpenſabunt contra divinum oraculum ad Filios Eccleſiæ Novi Teſtamenti factum, contra determinationem Apoſtoli *Andreæ*, qui in terminis, de Conjugio illo pronuntiabat, referente ibid. Abdiâ. *Neque vero nos Nuptias evertimus, aut vitamus*, &c. *verum inceſta potius damnamus.* De Fabulis, Mendaciis, Abſurdis Hypobolimęi & Apocryphi Abdiæ, conſuli poterunt *Cocus in cenſurâ;* teſtes ex Papatu ibid. adducit, *Salmeronem, Poßevinum, Baronium, Heſſels, Eſpenceum, Sixtum Senenſem, Bellarminum.* Quibus additur à *Riveto* in Critico Sacro. *Baronius Ann.* 44. §. 44. *&* 51. §. 51. Et hæc quidem de Jure Divino: De Jure Civili peremtoriè ita diſſertatum à *Jac. Gothofredo Lib. ſupra cit.*, ut nullum dubium ſupereſſe poſſit. *Carpzovius* in diſpp. de practico, &c. Arboris Conſang. & Affinit. Diſp. 1. Sect. 29. Num. 63. *Jure Civili haſce* Nuptias *prohiberi tantum abeſt, ut potius expreſſis legantur permiſſæ* in §. duorum autem, Inſtit. de Nupt. *Cui vim adhibuerunt manifeſtam Franc. Hottom.* ibid. enunt. 1. & *Antonius Faber Tom.* 1. *Juriſprud. Papin.* tit. 9. pr. 6. illat. 6. p. 465. *Textum corrigentes, & particulam* (non) *inferentes, quem errorem patefaciunt*, &c. *Cypræus* part. cap. 6. §. 1. num. 19. *idque Conſiliarii Electoralis Saxonici in ſupremo Conſiſtorio extra Electoratum pronuntiando ſecuti fuerunt.* Quamvis ibid. fateatur in *Saxoniâ*, aliiſque omnibus ferè Auguſtanæ Confeſſionis Regionibus, Conjugia illa prohiberi. Videat, qui hoc requirit, Autores ibid. citatos.

IV. *Quæſt. An ducere liceat relictam Viduam Fratris defunctæ ſuæ uxoris? Reſp.* Communis ſententia Theologor. noſtrorum, & Juriſconſultorum affirmat, *Joach. Beuſt* pag. 142. qui ibid. citat *Weſenbecium* & *Scheidwinum.* Adde *Cypræum* & *Carpzovium* lib. cit. Ex Theologis *Beza, Zanchius*, &c. Quia in ſecundo genere Affinitatis ſibi invicem conjuncti ſunt, & Uxoris meæ Affines, non ſunt mei, ſed ejuſdem Conſanguinei, e. gr. Fratres & Sorores, ſunt mei Affines. Ubi ergo duplex intercedit Conjugium, ibi non eſt Affinitas ex altero Conjugio: Quia reſpectu tui non intercedit fundamentum Affinitatis, quod eſt: *Sunt hi duo in carnem unam.*

V. *Quæſt. An Viro ducere liceat Viduam Privigni ſui? Reſp.* Jure Civili hoc prohibitum eſt L. *uxorem ff. de Ritu Nuptiar.* Contra tamen Jure Canonico, iſte caſus non cenſetur prohibitus *c. non debet.* Extrav. de Conſanguinit.

&

& Affinitat. Ex illâ ratione, quia eſt ſecundum genus Affinitatis, per quod Affines Uxoris non ſunt Affines Mariti, aut vice versâ. Beza *tract. cit. pag.* 83. „De hoc caſu ſic loquitur: Exempli causâ, ſi mei quondam ſoceri uxor, „non tamen uxoris meæ mater, ſed noverca, fuerit & ſocero & meæ uxori „ſuperſtes, an ego quondam gener illam potero ducere utpote quæ uxori „meæ affinis duntaxat fuerit? Reſpondeo, non videri quidem ullam hîc „eſſe propriè affinitatem, ſed tamen, quoniam ea quæ fuit uxori meæ no- „verca, mihi fuit inſtar ſocrus, utpote ſoceri mei uxor, prohibere honeſta- „tem quominus hoc matrimonium liceat. Itaque rectè de his ſtatuiſſe vi- „detur Papinianus, his verbis: *Uxorem*, inquit, *quondam privigni conjungi* „*matrimonio vitrici non oportet: nec in matrimonium novercæ ei convenire,* „*qui privignæ maritus fuit.* Unde rectè colligit noſter Hotomannus, nec „uxoris quondam ſoceri cum genero, nec mariti defunctæ nurus cum ſo- „cru conjunctionem probari poſſe: quod etiam de uxore quondam ſororii „& leviri, fratriæ denique gloriſve marito ſit conſtituendum. Eſt enim „hæc regula univerſaliter vera, Cujus non licet inire nuptias, ejus nec con- „jugis licet; quoniam videlicet uxor pars quædam mariti videtur: eſtque „hoc de quo agimus longè diverſum & à ſecundo & à tertio affinita- „tis genere, quod Canonici temerè excogitatum meritò poſtea abroga- „runt

Joachimus Beuſt *pag.* 241. ut Bezæ opinionem *hodie in Conſiſtoriis harum terrarum improbari, & Matrimonia in ſecundo genere Affinitatis tantum concedi ita tamen, ut propter publicam honeſtatem hoc caſu aliter non concedantur, niſi hoc fiat permiſſione & conceſſione Magiſtratus Superioris, ſingulari aliquâ diſpenſatione*, &c. A quâ opinione *Beza* non longè abiiſſe videtur. Nihil aliud enim voluit, quam quod Theologi Auguſtanæ Confeſſionis *Gerhardus, Pruknerus, Tarnovius*, alii; & ipſe Beuſt *pag.* 237. *In Matrimoniis conjungendis non ſolum debet inſpici quod licet, ſed & quod honeſtum eſt.* L. *ſemper, De Regul. Jur.* Nos cenſemus abſolutè & intrinſecè tale Conjugium, in Foro Poli & Conſcientię illicitum non eſſe: interim ubi Lege prohibetur, & diſpenſatio obtineri nequit, abſtinendum eſt: aut ſi rationes alicujus omnino ferant, ut tale Conjugium ineat, & ſi forte res non eſt in integro, eò ſe conferat, ubi per leges licitum eſt.

VI. *Quæſt. An Legalis Cognatio ex Adoptione, Tutelâ, &c. impediat Matrimonium:* de quâ Lancelotus lib. 2. inſtit. Juris Canonici tit. 13. *Reſp.* Jure Divino minime. Quo tamen præjudicatum nolumus Legibus Civilibus, propter malam conſequentiam, non ſine ratione olim latis. Aſſentiuntur ergo Theologi hâc in parte legibus & Jureconſultis: inter quos Tarnovius Lib. 1. cap. 66. pag. 365. „Noſtrum de his plura tractare non eſt, qui, quid in con-

„ ſcientiæ foro fas aut nefas ſit, ſecundum ſcripturam diſquirimus. Illud „ tantum obiter addere non extra rem fuerit, cum juxta Leges Cæſareas „ Adoptio impedimentum afferat, parendum illis hominibus eſſe huic con- „ ſtitutioni, qui ſunt ſub Romano Imperio: alios eâdem non obligari ut „ cenſet Dn. Hemmingius pag. 124. de conjug. in octavo. Alicubi ſtatuta „ provincialia idem impedimentum ſtatuunt, ut de Wirtenberg. ordinatione „ aſſerit Bidernbach. pag. 73.

VII. *Quæſt. An ſint Cognationes & Affinitates Spirituales, quas ita vocant, Matrimonium impedientes? Reſp.* Ita quidem cenſent Theologi & Canoniſtæ Papatus: Quos ſequuntur ipſorum Jureconſulti: ut videre eſt apud Coſtanum pag. 135. Nos ſupra *Lib. 2. tract. 2. ſect. 3. cap.* 4. illam Cognationem rejicimus. Quæ hic non reponimus. In Eccleſiis Orientalibus eadem obtinet; uti videre eſt in *Jure Orientali tom. 2. pag.* 101. & rationes eorum & Juris Canonici Papalis complexus eſt Coſtanus *lib. cit. p.* 135. 136. „ Quum nihil aliud ſic inducere poteſt paternam affectionem & juſtam „ nuptiarum prohibitionem, quàm hujuſmodi nexus, per quem Deo me- „ diante animæ eorum copulatæ ſunt: ut ait Juſtinianus in l. ſi quis alum- „ nam. C. de nupt. qua de re extat can. 53. 6. ſynodi, quæ imperante Juſti- „ niano, qui ob truncatas nares ῥινότμητος dictus eſt, in Trullo congregata „ fuit. Ἐπειδὴ μείζον ἡ κατὰ τὸ πνεῦμα οἰκειότης τῆς τῶν σωμάτων συναφείας, ἔγνωμεν „ δ' ἔν τισι τόποις τινὰς ἐκ τοῦ ἁγίου καὶ σωτηριώδους βαπτίσματος παῖδας ἀναδεχο- „ μένους κατὰ τοῦτο ταῖς ἐκείνων μητράσι χηρευούσαις γαμικὸν συναλλάσσοντας συνοικέσιον. „ ὁρίζομεν, ἀπὸ τοῦ παρόντος μηδὲν τοιοῦτον πραχθῆναι. Contrà facientes vult „ ab hoc injuſto matrimonio deſiſtere, & pœnis fornicatorum ſubjici. In „ Baſilicis apud Harmenopulum lib. 4. tit. 6. Epit. hæc extat conſtitutio: „ Qui ſuſceperit aliquam in ſacro fonte, non poteſt eam uxorem ducere, „ ut quæ ejus filia facta ſit: neque ejus matrem vel filiam: ſed nec filius „ ejus.

„ Memorabilis eſt ſequens hiſtoria, quam refert Balſamon: Maria pepe- „ rit Conſtantinum, cujus in ſacra lotione Irenes ſuſceptrix fuit.. Deinde „ Conſtantinus genuit Theodorum, & Irene Theodoram: & rurſus Theo- „ dora genuit Annam. In ſynodo agitatum fuit, an illa cognatio ſpiritalis „ impediret nuptias inter Theodorum & Annam: & decretum eſt impe- „ dire. At Tridentina ſynodus ſeſſ. 24. ſtatuit, ut inter ſuſcipientes & ba- „ ptizatum ipſam & illius patrem & matrem, necnon inter baptiſantem „ & baptiſatum baptiſatique patrem ac matrem tantùm ſpiritalis cognatio „ contrahatur.

„ De iis qui nexu ſpiritalis cognationis ob catechiſmum vel ſacram con- „ firmationem devincti ſunt, agitur in c. contracto. & c. veniens. ext. de

cognat.

„ cognat. spirit. & in c. 1. c. per catechismum. eod. sub tit. & nos commo-
„ diore loco copiosius differemus. Sed de susceptorum in Baptismo & Confirmatione, Jure & More *supra lib. 2. loco cit.* ex professo egimus. Hic ergo non repetimus.

VIII. *Quæst. An prohibitum sit Nuptias contrahere cum Viduâ aut Viduo Consobrinorum. Resp. Neg.* Si enim Consanguinitas in illo gradu non impedit, ergo nec Affinitas. Hocque Theologi & Jureconsulti Germani pariter nobiscum profitentur: quamvis in Provinciis Electoralis Saxoniæ, & *politicè & ecclesiasticè* Conjugia illa prohibita sint: teste *Carpzovio in Jurisprudentiâ Ecclesiasticâ seu Consistoriali Lib. 2. tit. 6. Definit.* 93. 94. Qui *ibid. definit.* 95. indicat pariter prohibitum esse conjugium in gradu Affinitatis tertio lineæ inæqualis; hoc est cum Patris vel Matris suæ Consobrini Viduâ. Rationem ibidem & *definit.* 76. & 77. adfert ex *Augustino lib.* 15. *de civit. Dei c.* 16. ut propter vicinitatem illiciti, etiam ad quod Jure Divino & Naturali licitum est, horreatur; atque ita vallum quoddam ac sepimentum divinæ prohibitioni adderetur.

IX. *Quæst. An prohibitum sit in tertio genere Affinitatis;* hoc est, cum defunctæ *Uxoris Sororis defuncti Mariti Viduâ? Resp. Neg.* secundum Jus Divinum & Humanum. De Humano vide *Carpzovium lib. & tit. cit. definit.* 103.

X. *Quæst. An cum Sororis Privignâ? Resp. Neg.* uti *ibid. Carpzovius definit.* 104.

XI. *Quæst. An Privigni cum Privignâ? Resp. Neg.* Et hic nullâ difficultas. *Carpzov. definit.* 105.

XII. *Quæst. An Pater & Filius, aut duo Fratres, duas Sorores ducere possint? Resp. Aff. ibid. Carpzovius definit.* 106. cum autoribus *ibid. cit.* Notat *ibid.* à nonnullis dissuaderi, ut *Beza p.* 95. *Joh. Gerhardo in loc. commun.* Qui scribit, experientiâ compertum, raro ejusmodi Conjugia fuisse felicia. Quidquid sit, saltem prius videtur non tam decorum & εὔρυθμον esse. Quod ideo dissuaderi potest; quamvis absolutè à nobis prohiberi nequeat. Politia tamen, pensatis omnibus circumstantiis, Lege Positivâ non minus, immo & meo judicio, magis prohibere posset, quam Conjugia Consobrinorum. Sed in hoc, aliisque gradibus non paucis, tantum Lege Positivâ & Municipali non divinâ prohibitis, ibidem à *Magistratu* dispensari posse concedit *Carpzovius* & variis exemplis docet dispensatum esse *lib. cit. tit.* 7. *definit.* 110. & 113. - 123. Has tamen adjicit conditiones, ut in quibusdam Casibus dispensatio, quantum fieri potest, decinetur *definit.* 123. nec Princeps & Magistratus tam facilis sit ad dispensandum in gradibus prohibitis, *definit.* 124. Et ut Dispensatio Principis petatur in Supremo Consistorio; nec absque

certâ pecuniâ vel mulctâ decernatur, *definit.* 125. Sed de his aliisque prohibitionibus & dispensationibus, Theologis & Ministris in Belgio parum est laborandum: quandoquidem nullam ex prohibitionibus Saxonicis in Belgio nostro obtinere memini, exceptâ unâ de Consobrinis, & quidem unicâ solum (ni fallor) in Provinciâ, Ducatu scil. Geldriæ & Comitatu Zutphaniæ; ad quod Ministri istic, & in Confiniis attendere, & Nupturientes tempestivè de eo præmonere tenentur.

CAP. VI.

De Sponsalium Professione, Proclamationibus, Conjugii Benedictione, ejusdem Confirmatione, ritibus, & Convivio Nuptiali.

§. 1. Contracta Sponsalia Desponsati personaliter profitentur coram Synedrio, aut quibusdam Synedrii Delegatis, aut coram Senatu, ejusve Delegatis.

I. *Quæst. Utrum præstet coram Synedrio, an Senatu Professionem hanc fieri. Resp.* Quamvis utrobique fieri possit: mihi tamen & tutius & expeditius coram Senatu ejusve Delegatis fieri videtur: uti hoc in Majoribus Belgii nostri Civitatibus obtinet. Illis enim præsto est Autoritas remittendi, si aliquod sit impedimentum; pro Imperio rigidius examinandi, si quæ dubitatio aut suspicio oriatur; immo & juramentum imponendi, aut sub adjuratione urgendi occultæ veritatis Confessionem; denique Testes citandi, examinandi, & ad juramentum compellendi: siquidem occasio id postulare videatur. Quæ considerationes fortius stringunt; si Concionatores vel soli vel cum paucis Condeputatis Synedrii, promiscuè omnium à Religione & Ecclesiâ Alienorum, etiam Peregrinorum, & quam maximè ignotorum Sponsalia & Matrimonia tractare contingat. Domestici fidei, præsertim in sæculo Honoratiores aut Potentiores sibi plus indulgendum, suum αὐτὸς ἔφα absq; ullâ hæsitatione audiendum, causæ & intentioni suæ nihil accuratiori examine & εὐταξίας custodiâ vel minimâ specie præjudicandum putant. In perpetuo periculo versatur Concionator, ut aut nimium tribuat illis, qui aliquando invitâ & Lege & Conscientiâ Ministri, sibi nihil non tribui volunt; & consequenter in casu disceptationum super Sponsalibus, προσωποληψίαν committat: aut odium & vexationem sibi, & Ministerio suo contemtum accersat. Ut concludam, quandoquidem penes Magistratum est Jurisdictio cum Imperio; non penes Ministros, sed tantum potestas Precatoria: & quovis dubio incidente, aut contentione, ac contumaciâ partium interveniente, ilico ad Tribunal Politicum mitti solent; poterant omnia hæc commodius &

com-

compendiosius à Politicis peragi. Habent Ministri satis quod agant in negotiis magis spiritualibus.

II. *Quæst. An ipsi contrahentes sponsalia, & nomina sua profiteri debeant? Resp.* Omnino: ne qua fraus interveniat. Possent enim parentes liberis invitis Sponsalia prætendere, & proclamationes petere: posset altera pars Conjugium affectans, alteram non consentientem hac ratione circumvenire, eique factâ publicâ proclamatione invitum quasi consensum extorquere. An autem coram synedrio aut Magistratu, eorumve delegatis in camerâ ipsorum, an vero domi contrahentium facienda sit illa professio, non est de rei ipsius essentiâ. Possent tales casus incidere, ut domi ipsorum fiat: e. gr. si alter eorum decumbat, & convalescentia ob sonticas causas exspectari non possit: sive quod res non sit in integro; sive quod publici intersit, ne diutius differatur. Nec est de essentiâ rei, an coram vivâ voce, an vero manuum subsignatione, munitâ testimonio publici notarii aut actuarii, proclamationes petant. Posterius aliquo in necessitatis casu subinde fieri necesse est. Si ex. gr. virgo sponsalia contraxerit, cum aliquo Reipublicæ causâ absente: ab illo peti non debet, ut coram se sistat; cum illi hoc tempore stationem illam deserere non liceat.

III. *Quæst. Quid & quomodo cum proclamationes petentibus agendum? Resp.* Inquiri potest de annis ætatis; de mutuo consensu; de immunitate à Cognatione aut Affinitate Conjugium impediente; & ab aliis cum quoquam aut quâquam initis sponsalibus; de primis & secundis nuptiis; seu de viduitate deque certitudine & tempore mortis Mariti aut Uxoris; & de liberis, si sint, ex priori Conjugio superstitibus: de Parentum, aut saltem Patris, Tutorumve consensu: de religionis professione & exercitio. Quibus questionibus pro re natâ monita & instructiones subjiciantur.

IV. *Quæst. Quid faciendum, cum peregrini ex quibusvis Europæ, etiam remotissimis angulis proclamationes petunt? Resp.* Non parvam hic sæpe experimur difficultatem: ita ut bonâ fide & spe peregrinorum, præsertim militarium tempore belli Belgici undique confluentium proclamationes concedi necesse esset: recepto τοῦ *quid* pro *quo*, hoc est testimonio aliquo Præfecti Militaris sub quo militabant, aut hospitis, aut Heri cui in opificio famulabantur. Ipsi enim cum affirmarent se cœlibes esse, & parentibus orbos, quâ ratione ulterius de eo inquiri poterat: tenuitate ipsorum non ferente, ut ex Helvetiæ, Galliæ, Poloniæ, Bohemiæ, Styriæ, Borussiæ, Scotiæ, Hyberniæ, &c. obscurissimis sæpe vicis testimonia sibi curarent. Fateor aliquando Ministros ab improbis hominibus circumventos fuisse; ut confirmarent aliquos in matrimonio in fraudem parentum aut uxorum, quos in patriâ suâ reliquerant. Sed hoc Ministris imputari non debet: qui ibant,

quâ

quà poterant. Illi cum tanquam Parentibus orbos, tanquam Cœlibes constanter se ostentant; & nemo contrarium ostendit, ne dubium quidem contra tales istic plane Ignotos unquam movet: Deo hoc committendum est. Nullum aliud remedium excogitari potest, quam ut Magistratus in flagitiosâ hac fraude deprehensos, graviter puniat.

§. 2. Sponsalium Publica sive in Foro, sive in Ecclesiis promulgatio necessaria est, & Moribus nostris obtinet ne præjudicetur Juri Tertii. De iis ergo quæritur

I. *Quæst. Quot Proclamationes fieri debeant? Resp.* Hoc arbitrio Magistratuum & Ecclesiarum relinquendum est. Apud nos constitutæ sunt Ternæ; nec ante eas Matrimonii Confirmatio ullibi admittenda: nisi dispensante, ob rationes, Supremo Magistratu. Quod memini hic aliquando factum.

II. *Quæst. Quantum intervallum inter primam Proclamationem, & Matrimonii Confirmationem intercedere debeat? Resp.* Saltem tantum, ut ii, quorum interest, Parentes scil., & priorum sive Conjugiorum sive Sponsalium, si quæ sint, impedimentum prætendentes, hoc resciscere queant. Quod si tale quid observatur in Venditione agrorum & domuum *ex decreto* (ut loquuntur): multo magis hoc observandum in hoc negotio; ubi de majori, quam pecuniario damno agitur. Definitum intervallum omnibus ubique & semper præscribi non potest. Rationes tres hujus moris à *Zeppero lib.* 4. *leg. Mosaicar. cap.* 20. allegantur: Sed prima sola est adæquata & necessaria; quam nos *supra* & *hic* tanquam solidam recipimus: reliquæ duæ patent exceptionibus.

III. *Quæst. An Sponsus aut Sponsa ex Suggestu proclamata, Divortium à Conjugio petere potest? Resp. Neg.* Nisi alterius partis adulterium, aut malitiosa Desertio, aut pertinax renuntiatio justam præbeat causam.

IV. *Quæst. Quid agendum, si quis obloquatur? Resp.* Partes audiendæ: & si de plano cognosci possit, penes utram partem sit culpa, fideli monitione & instructione ab injustitiâ retrahendi. Sin minus, aut ipsi acquiescere nolint: ad ulteriorem Magistratus cognitionem & peremtorium Judicium ablegandi.

V. *Quæst. Num alteruter, vel uterque contrahentium, proclamationibus debitè peractis, Sponsaliorum Consummationem recusans, ad eam à Magistratu cogendus est? Resp. Gerhardus loc.* 28. de Conjugio §. 153. 154. & cum eo *Pruknerus centur.* 8. *Quæst.* 74. putant non esse consultum, ob majus malum evitandum. Ego malim distinguere: & in casu recusationis utriusque, juxta cum illis consulere, *ut aliò abire jubeantur*; aut alio quovis mulctæ genere perfidia & ἀθεξία talis vindicetur, ad alios in posterum absterrendos.

Sed

Sed in casu unius partis recusantis, idque cum maximâ alterius volentis injuriâ, puto Magistratus esse, potestatem suam coactivam interponere. Quamvis autem metuendum sit, vix fore pacificum Conjugium; experientiâ tamen edocti sumus, ejusmodi Conjugia aliquando satis felicia fuisse, & partem coactam postea grato animo salutaris illius coactionis bonum agnovisse ac prædicasse. Hoc tamen addo, moribus nostris reluctantes vel *directè* & *absolutè* (quod tamen rarius) ad Consummationem cogi: vel *indirectè* & *hypotheticè* ut nullam aliam ducere liceat, & si unquam ducturus sit hanc desponsatam; præterea, tantisper dum differt Consummationem, Pars Innocens dimidiâ parte redituum ipsius aut stipendii militaris fruatur, & si ex præmaturâ conjunctione, Proles nata fuerit; gaudeat aliquando hæreditate. Quibus compulsoriis plerumque recusantes ad saniorem mentem revocantur.

VI. *Quæst. An peractis Proclamationibus ad longum tempus differri possit Consummatio Matrimonii; & si fiat, An Ecclesia, & Magistratus intercedere debeant? Resp. Neg. pr.* Nisi necessitas aliqua dilationem imponat. *Aff. poster.* Quia altera Pars sine necessitate moras nectens, alteram fidelem injuriâ afficit, eamque variis periculis, atque incommodis & molestis suspicionibus objicit; quin tempore nimis diu aut indefinitè protracto, animorum abalienationem parit, & tandem intenti ac promissi conjugii abortum. His malis Personas, Familias, Respublicas turbantibus, quin remedium à Magistratu adhibendum sit, nemo, ut opinor, dubitabit. Memini in Synodo Zuydhollandicâ Brielanâ anno 1623. decretum fuisse, ut apud Magistratum remedia ejusmodi dilationum quærerentur. Directorium Angliacum itidem dilationem prohibet. *Zepperus Lib. 1. Polit. Eccles. cap. 16. pag. 182.* prudenter monet:

„ Admonebuntur autem simul parentes, ne inita liberorum suorum con-
„ jugia vel disponsationes perficere aut absolvere diu differant. Idque cùm
„ ne ante, quàm par est, ac deceat, hoc est, ante publicas nuptiarum solen-
„ nitates, consuetudine nondum licitâ inter se mutuò jungantur, (id ut ne
„ fiat, magistratus etiam Christiani providere est) tum, ne Diabolus, con-
„ jugii inprimis hostis ἄσπονδος, per sua, quæ ad hanc rem passim obvia &
„ conductitia quasi habet, instrumenta & flabella, amorem conjugalem,
„ inter neogamos, qui per temporis angustiam nondum rectè coaluit, &
„ affinitatem atque amicitiam inter utriusque partis parentes, propinquosque
„ dirimat, simultatesque, suspiciones sinisteriores, aut aperta etiam bella ex-
„ sufflet, taliaque interserat zizania, quæ multo non tempore, aut nunquam
„ etiam radicitus evelli & tolli queant, quemadmodum non semel fieri
„ compertum est. Quare & leges civiles initiatorum Matrimoniorum con-

 summa-

„ summationem maturari volunt. Unde statuunt, si sponsus præsens, & in „ eâdem Provinciâ sit, nec intra biennium exsequatur nuptias, puellam im- „ punè alii nubere posse, quemadmodum lex Constantii & Constantis „ *Impp. exstat C. lib.* 5. *tt.* 1.

§. 3. De solenni Matrimonii Benedictione & Confirmatione in Ecclesiis peragenda, quęritur

I. *Quæst. An & quomodo differant? Resp.* Quamvis eodem in actu conjungantur, in dubium tamen est ea differre. Benedictio enim opus *purè* ac *formaliter* Pastorale & Ecclesiasticum; quod immediatè jure divino à Pastore peragitur. Supra *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 2. actum est de Pastoralibus Benedictionibus non tantum votivis, sed & promissoriis, denuntiantibus, sub conditione. Uti ergo toti Ecclesiæ, sic etiam singulis membris benedicunt. Confirmatio autem seu ratihabitio ac legitimatio, ejusdemque ratihabitionis & legitimationis publica promulgatio propriè & directè pertinet ad communitatem & societatem humanam seu civilem, ejusque Præfectos: non vero ad Ecclesiam quà talem. Quamvis enim Conjugium à Deo institutum sit, & Fœdus Dei dicatur: inde tamen non sequitur hujus Ordinis in individuo legitimationem ac pręfecturam magis pertinere ad Ecclesiam quà talem, quam Ordinis & Regiminis Politici. Hic enim & à Deo est institutus, & Magistratus Dei Minister dicitur *Rom.* 13. Et Fideles Magistratum eligunt, suscipiunt, gerunt; haut aliter ac Fideles in Domino nubunt, edunt, bibunt, arma sumunt, vexillum erigunt, jus dicunt, manibus laborant, &c. Quas tamen actiones & relationes nemo propterea *formaliter* ac specie sacras dicturus est. Quia autem Fideles, in tanti momenti confœderatione adeundâ atque inchoandâ pastoralem Precationem & Benedictionem jure merito requirunt, eaque ipsis negari nequit: unâ operâ solennis Confirmatio seu Ratihabitio à Ministris delegatâ potestate peragitur. Quamvis negare nolim, occasionem aliquam huic delegationi apud nos datam fuisse ab inveteratâ & apud plerosq; Magistratus nostrates, post exactum Papatum tunc adhuc obtinente opinione, Matrimonium esse Sacramentum, aut saltem esse Fori Ecclesiastici. Alibi in Politiis Pontificiis, sed Religionis nostræ exercitia tolerantibus (uti in Gallia, Pedemontio, Polonia), aliter fieri non potuit; quod Magistratus causas Matrimoniales suo Foro vindicare non auderet, aut non vellet, & nostri per conscientias, Foro Romano-Ecclesiastico in iis se submittere nollent. Confer hujus libri tract. 1. cap. 1.

II. *Quæst. An Precatio & Benedictio Pastoralis in Ecclesiâ sit de Essentiâ Conjugii; aut ejus Forma: ita ut irritum sit Conjugium, ubi abest Pastoralis, solennis, Ecclesiastica illa Benedictio? Resp. Neg.* Contra Pontificios: quorum opinio nititur *partim* falsæ hypothesi, quod Conjugium sit Sacramentum,

tum, & quod Benedictio *illa instituta sit propter Sacramenti dignitatem* (sic *Sanchez lib. 7. disp. 82.*): *partim* præsumtæ Autoritati Papali, quod Benedictio hæc *firmata sit Euaristi decreto* Epist. 1. ad Episc. Africanos: allegante *Gavanto tom. 1. thesauri sacr. rituum part. 4. tit. 17.* Quid si Reformatis ante aut post Confirmationem seu publicè pronuntiatam Conjugii ratihabitionem nolit Minister quis impartiri illam Benedictionem, idque ob dissensum in dogmatis de corporali præsentiâ in Cœnâ, de Ubiquitate, de Prędestinatione, Perseverantiâ, &c. An putabit, se non esse legitimè in Matrimonio confirmatum? Et quid si ob recusationem Ministri & ab omni Confirmatione rejectionem, necesse sit eos à Magistratu Politico Confirmationem petere: ubi Pastoralis Benedictio, & communis Ecclesiæ Precatio, ipsis obtingere nequit? Quid consilii hic capiendum? An non, æquo animo ipsis ferendum: Quippe certis, non magis nocere ipsis immerito negatam Benedictionem, quam maledictum frustra immissum *Proverb. 26. v. 2.* Videntur tum Jureconsulti tum Theologi Augustanæ Confessionis hactenus à nobis cit. multum in negotio Matrimoniali tribuere Benedictioni Pastorali tanquam absolutè ad confirmationem necessariæ. Quod si de Benedictione præcisè dictâ intelligant, & sub eâ non complectantur Confirmationem seu solennem Ratihabitionis promulgationem ore Ministri factam; utique tali in casu absentiam ejus (si sine meâ culpâ eâ carere debeam) tanti non facerem, ut sine ea illegitimum aut irritum esse Conjugium putarem. Apud nos Pontificiorum & Anabaptistarum Conjugia confirmantur in Curia; ubi nulla Benedictio Pastoralis: quæ tamen ideo non desinunt essentialiter esse legitima.

III. *Quæst. An ergo susque deque habenda Benedictio & Precatio Matrimonialis? Resp.* Minimè: Quis enim pius communem Ecclesiæ pro se sive ægrotante, sive periculosum iter suscipiente, sive Conjugium ineunte, sive Munus aliquod, pręsertim Ecclesiasticum, adeunte, Precationem vilipendat? Quis solenne Votum, & Benedictionem, Pastoralem Confirmationem tum præmissam tum submissam, aspernetur? Omnes enim relationes (ut loquitur *directorium cultus publici in Angliâ* anno 1644. editum, & in Ecclesias trium Regnorum tunc introductum) *sanctificantur Verbo & Precibus.* Vide 1 *Tim. 4. v. 3. 4.* & *Quæ part. 3. sel. Dispp. de Benedictionibus* ante annos complures commentati sumus. Si quis quærat; Quæ, Qualis sit, ut à superstitiosâ tot Ritibus superstitiosis in Papatu (Quas vide in *Rituali* seu *Pastorali*, & in *Rubricis Missalis, in fine ubi de Missis Votivis*, aut apud *Gavantum tom. part. tit. modo cit.*) vallatâ distinguatur? Commonstro illi Formulas in nostrâ Liturgiâ: Prima est, *Dominus Deus qui ejus* (Conjugii scil.) *est autor, idem Nutu suo confirmet: & initium vestrum sit in nomine Domini, qui creavit*

Cœlum & Terram. Secunda est: *Pater misericordiæ, qui vos gratiâ suâ ad sanctum hunc conjugalis vitæ statum vocavit, veri vos amoris fideique vinculo copulet, ac benedictione suâ prosequatur;* AMEN. Tertia est: *Dominus Deus noster gratiâ suâ vos impleat; detque ut in omni pietate, diuturnam sanctamque vitam una traducatis.* AMEN. Confer cum his Formulas in Confirmatione Ministrorum, Seniorum, Diaconorum usitatas.

IV. *Quæst. An omnes Infideles, Apostatæ, Hæretici, Heterodoxi, Excommunicati, à Ministris in Matrimonio Confirmandi sint? Resp.* De Infidelibus, e. gr. Judæis, non puto alicubi in Politiis Protestanticis aut Reformatis, hoc Ministris imponi. In quibusdam Fœderati Belgii Civitatibus Pontificios aliosque Heterodoxos illic habitantes confirmant. De Confirmationis actu dubium non ita movetur: Quia *formaliter & per se* est Civilis ac Communis, pertinetque ad Potestatem Politicam, à quâ derivatur delegata Potestas (hâc scil. in parte) Ministrorum. Cur autem & quâ occasione, ac necessitate Potestas illa Ministris concessa sit, in principio hujus Tractatus declaratum est. Nec de Precatione ita dubitatur: qui enim conversionem Infidelium à Deo publicè privatimque assiduo petunt, quid ni cum totâ Ecclesia errantibus conversionem & consequenter Benedictiones spirituales & temporales à Deo petant. De usu formulæ precationis in liturgiâ nostrâ, aliter statuendum. Minimè omnium de instructione super Origine, statu, Naturâ & Affectionibus Conjugii atque officiis Conjugatorum, ipsis proponendâ, dubitatur. Sed merito difficultas movetur, quomodo Pastoralis Benedictio super populo Dei ponenda, Extraneis impartienda sit, & quidem sub illâ qualitate & formâ, quia & quatenus sunt *Hæredes gratiæ & vitæ;* & ipsorum Conjugii status ac vinculum, est *sanctum:* uti in Liturgiâ nostrâ verba illa habentur. Omnes promiscuè non esse in Ecclesiis nostris confirmandos, qui se offerunt, colligimus ex variis Gravaminibus, Consiliis, Decretis nostratium Synodorum. In *Synodo Zuydhollandicâ* anno 1623. *Brielæ* celebratâ, cui mihi interesse contigit, ad gravamen, An David Joristæ, aut Henric Nicolaitæ in nostris Ecclesiis aut Formulâ communi in Matrimonio confirmari possent, respon-
„ sum est in partem negantem. De Papistis vero, non posse omnes absolutè
„ & simpliciter arceri: sed à Synedriis & Classibus prudenter distinguen-
„ dum esse inter Papistas & Papistas; & quidquid scrupuli in hoc casu su-
„ peresset, ad Synodum Nationalem referendum esse.

V. *Quæst. An qui nec Baptizati sunt, nec Baptismum recipere volunt, sint Confirmandi? Resp.* Moribus & Facto nostratium negatur. Nisi enim prius editâ Fidei Christianæ Confessione Baptizati fuerint, in nostris Ecclesiis non confirmantur. De Jure quæsitum fuit, & à particularibus Synodis Hollandicis

andicis ad Nationalem Belgicam decisio remissa. Anno 1618. solidâ eruditione, prudentiâ ecclesiasticâ, morum gravitate, & multorum annorum meritis in Ecclesias Hollandicas Spectatissimus *Joh. Becius Ecclesiastes Dordracenus* Synodo Provinciali Delfensi scriptum à se super hâc quæstione ex mandato anterioris Synodi conceptum tradiderat; quod Fratres à me ab & ex eâdem Synodo ad Nationalem Dordracenam Delegati, contrahi, & argumenta in formam redigi voluerunt; ut momenta causæ compendiosè, & quasi in tabella oculis exposita tanto compendiosius expendi possent. Diatriben *D. Becii* propriâ ipsius manu exaratam, prout eam ipse μακαρίτης mihi tunc in manum dedit, hic exhibeo.

,, *De Inauguratione Conjugiorum cum sponsis initorum, qui neque*
,, *Baptizati sunt neque Baptismum recipere volunt.*

,, Non decere, ut talia Conjugia in Ecclesia inaugurentur, probatur hoc ,, argumento:

,, Quod Deus in verbo suo prohibuit & damnavit, id citra apertam impie- ,, tatis notam approbari & confirmari nequit.

,, Atqui Conjugia cum Profanis & Alienis à Fœdere suo, quales sunt ,, omnes Contemtores Baptismi, in Verbo suo prohibuit Deus.

,, Ergo talia Conjugia cum Alienis à Fœdere Dei & Contemtoribus Ba- ,, ptismi citra apertam impietatis notam confirmari nequeunt.

,, Minor, sive Assumtio hujus Argumenti liquet ex Testimoniis S. Scriptu- ,, ræ, quibus quævis Fœdera & familiarior Conversatio cum Impiis & ,, Profanis prohibentur & damnantur *Psal.* 1. 1. 2 *Cor.* 6. 14. 2 *Chron.* 19. 2.

,, Ergo & Conjugium (quod Fœderis species est: ideoque Fœdus voca- ,, tur. *Mal.* 2. 14. adeoque arctissimum inter homines vinculum est. *Gen.* 2. ,, 24. *Matt.* 19. 5.) si cum Profanis contrahatur, Deo displicet.

,, Quocirca Deus in Lege suâ talia Fœdera & nominatim Conjugia cum ,, Impiis & Incircumcisis Gentibus diserte prohibuit *Exod.* 34. (12. 18.) ,, *Deut.* 7. 3. 4.: Additâ ratione à periculo seductionis: Et Patriarchæ a- ,, liique pii in V.T. à talibus Conjugiis abhorruerunt: Abraham *Gen.* 24. 3. ,, Rebecca *Gen.* 27. 48. Et Filii Jacobi *Gen.* 34. 14. *Esdras cap.* 9. & 10.

,, Et qui talia inierunt Conjugia premium ob stultitiam tulerunt, seducti ,, ad impietatem & Idololatriam. Filii Dei in primo mundo *Gen.* 6. 2. 4. Salo- ,, mo 1 *Reg.* 11. (1. 14.)

,, Talis fructus & hodie ex talibus Conjugiis est exspectandus. Quo- ,, modo enim palam impii & Prophani homines liberos suos in cognitione ,, & timore Dei educarent, cum ipsi Deum neque noverint neque timeant?

„ Et quid ab illis ſperandum aliud, quàm ut ſua impietate etiam Conjugem „ ſeducant? Quocirca etiam in N. T. Apoſtolus ſeriò monet, ut in Domino „ Conjugia contrahantur 1 *Cor.* 7. 39.

„ Jam, pro palàm Impiis & Profanis cenſendos eſſe, qui neque in infantia „ baptizati ſunt, neque jam Adulti baptizari volunt, probatur: Quia Ba- „ ptiſmus eſt univerſale ſignum Fœderis, omnibus Confœderatis Dei com- „ mune, & neceſſarium ad Fœderis Confirmationem, quo tanquam teſſerâ „ Chriſtiani ab Ethnicis, Judæis & Turcis diſcernuntur. *Act.* 2. (38.40.) *Gal.* „ 3. 17. *Rom.* 8. 3. 4. 1 *Cor.* 12. 13. *Eph.* 5. 26.

„ Quocirca jam inde à temporibus Apoſtolorum nulli pro Chriſtianis ha- „ biti, niſi qui Baptiſmo initiati fuerunt. Et qui vel ex Judæis vel ex Genti- „ bus Chriſto nomen dederunt, ſtatim baptizari voluerunt *Act.* 2. 41. qui per „ Concionem Petri ad fidem converſi ſunt, & 8. 38. Eunuchus Candaces, & „ 10. 48. Cornelius, & 18. 15. Lydia, & v. 33. Cuſtos carceris.

„ Contra damnantur Phariſæi, qui à Johanne baptizari noluerunt, quod „ conſilium Dei ſpreverint contra ſeipſos *Luc.* 7. 30.

„ Idem liquet ex collatione Baptiſmi cum Circumciſione, ab Apoſtolo „ inſtitutâ *Col.* 2. 11. 12.

„ Quemadmodum ergo Incircumciſi à Deo judicati ſunt Alieni à Fœdere „ ipſius gratuito, ideoque illis exterminatio ex Dei Populo denunciata eſt: „ *Gen.* 17. 14. Ita & de Alienis à Baptiſmo idem judicandum. Unde & „ Apoſtolus. *Eph.* 2. 11. 12. cum eſſent Incircumciſi, Alienos fuiſſe à Re- „ publicâ Iſraëlis & à Teſtamentis Promiſſionis, & ſine Deo in Mundo.

„ Quocirca *Joſua cap.* 5. *verſ.* 9. cum circumcidiſſet Populum ex Dei „ mandato, dicit Deum ab illis abſtuliſſe dedecus vel opprobrium Æ- „ gypti.

„ Cùm ergo Baptiſmus ſucceſſerit Circumciſioni; idem de non Baptizatis „ quod hîc de Circumciſis teſtantur S. Literæ: Et ſicut Incircumciſum eſſe „ erat opprobrium Ægypti: Ita non baptizatos eſſe Adultos merito pro „ Turcarum & Judæorum opprobrio habendum.

„ Minimè ergo decet Chriſtianos, cum iis, qui Baptiſmum recipere no- „ lunt Conjugia contrahere, ne per talia Conjugia fiat commixtio Chriſtia- „ norum cum Alienis à Dei Fœdere, & ſic tollatur diſcrimen inter Chriſtia- „ nos & Barbaros à Fœdere Dei alienos.

„ Quod ſi verò non decet, Chriſtianos cum talibus Baptiſmi Contemto- „ ribus qui hoc ipſo contemtu ſe à Fœdere Dei Alienos declarant, Conju- „ gium contrahere: neque in Eccleſiâ Chriſtianâ talia Conjugia inaugurari „ decet, cum Nominis Dei Invocatione & Benedictione: quâ ſolent in Eccle- „ ſiâ Conjugia inaugurari. Quomodo enim bonâ Conſcientiâ & cum fiduciâ

ex-

„exauditionis nomen Dei invocari poterit, ut tali Conjugio benedicat, „quod disertè in verbo suo prohibuit.

„ Aut quomodo Benedictio optabitur iis ab Ecclesiâ, quibus Deus ma- „ledixit, & exstirpationem è Populo suo minatus est? Quomodo denique „ Deus rogari poterit, ut talibus Fœderis sui & Sacramentorum ejus Con- „temtoribus benedicat, tanquam Consortibus Fœderis, quam olim Deus „cum sanctis Patriarchis Abrahamo Isaaco & Jacobo pepigit (ut habet „Formula Precum quæ in Confirmatione Matrimoniorum in Ecclesiis „ nostris concipi solent) utque det illis Liberos sanctos, qui palàm impii „ sunt & Fœdus Dei prophanè contemnunt?

„ Atque hinc quidem liquet, non tantùm non permittendum, ut qui „ in nomine Christi baptizati sunt; nedum, qui Religionem puriorem pro- „ fitentur, Conjugia ineant cum talibus Fœderis Dei & S. Baptismi Con- „ temtoribus, sed neque, si inrer se Conjugia contrahant tales Baptismi „ Contemtores, eorum Conjugia confirmanda esse in Ecclesiâ, cum Nomi- „ nis Dei Invocatione.

„ Etsi enim Conjugium per se honestum est & omnibus licitum *Hebr.* „ 13. 4. Utpote à Deo etiam ante lapsum institutum, adeoque necessarium „ & à Deo mandatum omnibus, qui donum Continentiæ non habent 1 *Cor.* „ 7. 9. tamen, *ut impuris omnia sunt impura Tit.* 1. 15. ita etiam Conjugia „ Impiorum & Profanorum Hominum ipsorum impuritate & impietate „ prophanantur & inquinantur: Quia non considerant Dei Ordinatio- „ nem neque præcipuos Conjugii fines, sed tantum expletionem voluptatum „ suarum.

„ Quis enim fructus ex talibus Conjugiis sperari potest, nisi ut mundus „ quotidie proficiat in contemtu Fœderis Divini & sacramentorum, & tan- „ dem Christianismus in Ethnicam Barbariem convertatur.

„ Experientia certè docet, adversarios Pœdo-Baptismi ita educare Libe- „ ros suos, ut nullam Religionem profiteantur, & ne in virili quidem ætate „ Baptismum recipere dignentur.

„ 1. *Object.* Etsi nondum sunt baptizati: ramen cùm sint Christianorum „ Liberi, non pro Alienis à Fœdere Dei habendos esse. *Resp.* Non posse „ pro Confœderatis Dei haberi, qui non tantùm carent Symbolo illo uni- „ versali Fœderis Dei: sed & illud aspernantur & contemnunt. Sic nimirum „ reipsa declarant se non majoris æstimare Christianam Religionem, quam „ Ethnicorum aut Turcarum Superstitiones. Atque ita reipsa abnegant „ ipsam nominis Christi Confessionem.

„ 2. *Object.* Posse hac ratione per Conjuges Baptizatos lucrifieri, qui ad- „ huc à Baptismo Alieni sunt, *Resp.* Multò facilius posse Fidelem Conjugem

ab

„ ab Infideli ſeduci, quam Fidelem à Fideli lucri fieri, juxta comminationem
„ Dei *Exod.* 37. 15. 16., & exemplum Salomonis 1 *Reg.* 11.
„ 3. *Object.* Ex 1 *Cor.* 7. (14. 14.) Si quis Frater Uxorem habeat Infidelem,
„ quæ ipſi cohabitare velit, ne eam dimittat, &c. Sanctificatur nimirum Vir
„ Fidelis per Uxorem, &c. *Reſp.* Non de ineundo Conjugio ibi loqui Apo-
„ ſtolum, ſed de inito inter Conjuges Infideles, quorum Alter jam conſum-
„ mato Conjugio ad Chriſtum converſus fuerit, Altero adhuc à fide a-
„ lieno. Nam de contrahendo Conjugio eodem capite monet, ut fiat in
„ Domino.
„ 4. *Object.* Ab exemplo Abrahami, qui Filio Uxorem delegit ex Conſan-
„ guineis ſuis, qui tamen erant Idololatræ *Joſ.* 24. 2. Et ſic Jacob Uxores
„ duxit Filias Labanis Avunculi Idololatræ *Gen.* 31. 19. *Reſp.* Non tamen
„ ita fuiſſe à veri Dei cognitione Alienos, ut alias Gentes. Jehovam nimi-
„ rum adhuc agnoſcebant verum Deum, ut videre eſt, *Gen.* 24. 50. & *cap.* 31.
„ *verſ.* 49. & 53.
„ 5. *Object.* Hac ratione futurum, ut qui non ſunt Baptizati, vel Cœli-
„ bes vivere, vel Baptiſmum inviti accipere cogantur. *Reſp.* Id non ſequi:
„ quandoquidem Matrimonio jungi poſſunt à Magiſtratu juxta Leges Po-
„ ſitivas harum Regionum; quibus conſtitutum eſt, ut qui prætexunt, ſe
„ non poſſe pacatâ Conſcientiâ frequentare Cœtus noſtros Eccleſiaſticos, in
„ Curiâ, ſeu Domo civicâ Matrimonio jungantur: quanquam hîc rogandi
„ ſunt pii Magiſtratus, 1. Ut talia Matrimonia Fidelium cum iis qui Ba-
„ ptiſmum aſpernantur, impediant quantum poſſunt: 2. Ut ſi omnino im-
„ pedire nequeant talia Matrimonia, vel ſi Alieni à Religione inter ſe Matri-
„ monium contraxerint, ſaltem in Confirmatione talium Matrimoniorum
„ non adhibeant Formulam & Preces, quæ in Templis adhiberi ſolent: ne
„ Nomen Domini prophanetur in vocatione ejus ſuper Matrimonio ab ipſo
„ prohibito.

Materiam hujus ſcripti prout anno 1618. de mandato Fratrum à Synodo Zuydhollandicâ ad Synodum Nationalem Condeputatorum & de conſenſu D. *Becii* tunc in formam logicam redigebam, pauculis forte, verbis aut terminis, ſi quæ mihi tunc ad majorem illuſtrationem occurrebant (quod nunc certò & definitè recordari atque affirmare nequeo) additis, aut mutatis & reliquis contractis, non gravabor lectori communicare.

„ 1. *Quæſtio* 2. Explicatio Terminorum. 3. Theſis. 4. Argumenta pro theſi
„ 5. Antitheſis, cum Rationibus, earumque Solutionibus.
„ *Quæſtio* eſt, *An Conjugia in noſtris Eccleſiis ſolenniter confirmanda ſint eorum,*
„ *qui neque Baptizati ſunt, nec Baptiſmum recipere volunt.*
„ *Explicatio terminorum.*

1. Sunt

,, 1. Sunt Baptizati, sed Professione Contemptores Baptismi, Athei, En-,, thusiastæ. Libertini, &c.

,, 2. Sunt profani Contemptores tum sigilli Fœderis, tum ipsius fœderis, ut ,, Pagani, Muhamedistæ, Judæi, Libertini, Enthusiastæ.

,, 3. Sunt Negligentes, aut differentes Baptismum, propter considerationes, ,, aut curas, aut occupationes quasdam carnales & mundanas.

,, 4. Sunt qui tantum ex Conscientiæ infirmitate carent Baptismo; ut Cli-,, nici, &c.

THESIS I.

,, Christianis bonâ conscientiâ cum profanis Contemptoribus, aut Ne-,, glectoribus (ita loqui liceat) Baptismi Matrimonium non licet con-,, trahere.

Rationes.

,, 1. *Rat.* Cum alienis à Fœdere non est contrahendum Matrimonium. Pro-,, fani Contemptores Baptismi sunt Alieni à Fœdere. Ergo. Matrimonium ,, cum Contemptoribus Baptismi non est contrahendum.

,, *Prob. Maj.* 1. Quia nulla familiaris Conversatio habenda cum Impiis, & ,, Alienis à Fœdere *Psal.* 1. *v.* 1. 2 *Cor.* 6. 14. 2 *Paralip.* 19. *v.* 2. Ergo nec Ma-,, trimonium contrahendum.

,, 2. Quia nullum Fœdus ineundum cum illis *Exod.* 34. 12. 16. *Deuter.* ,, 7. 3. 4. Matrimonium autem est Fœdus *Malach.* 2. 14. Ergo cum illis ,, non est ineundum.

,, *Prob. Min.* 1. Qui sunt Profani Contemptores Sigilli Fœderis & Tesse-,, ræ Confœderatorum communis quâ à Profanis distinguuntur, illi Alieni ,, sunt à Fœdere. Sed Contemptores Baptismi sunt Contemptores Sigilli ,, Fœderis, &c. Ergo.

,, 2. Qui spernunt consilium Dei adversus se, illi sunt Alieni à Fœdere. ,, Sed Contemptores Baptismi spernunt consilium Dei, &c. *Luc.* 7. 30. ,, Ergo.

,, II. *Rat.* Ex quo multa oriuntur incommoda, illud Matrimonium non ,, est contrahendum. Atqui ex Matrimonio ejusmodi multa incommoda ,, oriuntur. Ergo.

,, *Prob. Min.* 1. Subeundum est periculum seductionis ipsius contrahentis ,, ex admonitione divina *Deuter.* 7. *v.* 4. Et exemplis Filiorum Dei; in primo ,, mundo *Genes.* 6. 2. 4. Simsonis, Solomonis, Achabi, &c.

,, 2. Periculum Seductionis & Defectionis Liberorum (quos in timore ,, Dei & vera fide educare jubentur Christiani *Ephes.* 4.)

,, 3. Periculum dissipationis Ecclesiæ, & commixtionis Christianorum ,, cum Alienis à Fœdere, & sublationis discriminis inter Christianos & ,, Barbaros.

„ III. *Rat.* Omne Matrimonium à Christiano contrahendum, est in Do-„mino 1 *Cor.*7. 39. Matrimonium cum Contemptoribus Baptismi non est „in Domino. Ergo, &c.

„ *Prob. Min.* 1. Quod utrimque non fit ex fide illud non est in Domino. „Atqui Matrimonium contractum cum Alieno à Fœdere, &c. Ergo.

„ 2. Quod immundum est, illud non est in Domino. Atqui Matrimonium „tale immundum, (probatur ex *Tit.*1. *v.*15.) Ergo.

„ IV. *Rat.* A Pari; Cum Incircumcisis non erat contrahendum Matri-„monium. Ergo multo minus cum Contemptoribus Baptismi.

„ Prob. Anteced. *Genes.* 17. 14. Et *Esdr. cap. ult.* ubi divortium insti-„tuitur.

„ Prob. Conseq. Quia Apostolus confert Baptismum cum Circumci-„sione. *Coloss.*2. *v.* 11. 12.

„ Antithesis huic primæ Thesi opposita.

„ Esse Matrimonium cum Contemptoribus Baptismi contrahendum.

„ 1. *Rat.* Cum omnibus Christianorum Liberis contrahendum est Ma-„trimonium. Quidam Contemptores Baptismi sunt Christianorum Li-„beri. Ergo.

„ *Resp.* Major negatur; Quia possunt esse non Christiani, ideoque cum „illis non est contrahendum.

„ 2. *Rat.* Ex quo multa possunt oriri commoda, illud Matrimonium est „contrahendum. Sed ex Matrimonio Fidelium cum Contemptoribus Ba-„ptismi, &c. Ergo.

„ *Prob. Min.* Quia potest Christianus non Christianum convertere, Libe-„ros in fide educare, Ecclesiam augere.

„ *Resp.* 2. *Ad Maj.* Non sunt facienda mala ut eveniant bona. *Rom.* 3. *v.* 8.

„ *Ad Min.* & prob. ejus, Incertum hoc est; immo contrarium sæpius fa-„ctum est: idque juxta comminationem Dei *Deut.*7. *v.* 3. 4. Et probatur ex-„emplis supra allegatis.

„ 3. *Rat.* Per quod Infidelis sanctificatur, illud Matrimonium est contra-„hendum. Sed per Matrimonium Fidelis cum Infideli, &c. Ergo.

„ *Prob. Min.* Ex 1 *Cor.*7. 12. 14.

„ *Resp. Ad Min. & Prob.* Loquitur Apostolus de iis qui jam contraxerunt „ante receptam fidem Christianam, non vero de iis, qui contracturi sunt.

„ 4. *Rat.* Quod Isaacus, Jacobus, Josephus, Moses fecerunt, &c. illud & „nobis facere licet. Sed illi cum Alienis à Fœdere contraxerunt. Ergo.

„ *Resp* 1. *Ad Maj.* Exempla non facere regulam. Deinde necessitas diffe-„rentiam statuit inter nos & illos: aliæ enim non erant cum quibus pote-„rant contrahere, nam reliqui Cananitæ erant maledicti.

„ II. *Ad Min.* Non ita fuerunt Alieni à vera Dei cognitione. *Instant.* Atqui Contemptores Baptiſmi etiam non ſunt plane Alieni à Dei cognitione. *Reſp.* hoc nullo externo ſigno produnt

„ 5. *Rat.* Ex cujus omiſſione incommoda multa in Eccleſiam redundant, illud potius eſt contrahendum: Atqui multa incommoda ex omiſſione iſtius Matrimonii, &c. Ergo.

„ *Prob. Min.* Quia hac ratione cogentur, aut uri, aut fornicari, aut Baptiſmum contra Conſcientiam abſque fide recipere.

„ *Reſp. Neg. Min. Et Prob. ejus*; Neutra pars in hæc commoda adigitur, ſi ſimilis quærat ſimilem, Fidelis Fidelem, &c.

THESIS II.

„ Matrimonium ejuſmodi non eſt confirmandum ab Eccleſia Chriſtiana.

„ I. *Rat.* Quod non contrahitur in Domino, illud non debet confirmari in Domino ab Eccleſia, &c. Quia cum confirmat, communicat peccatis illorum: quod vetat & Apoſtolus. *Epheſ.* 5.

„ II. *Rat.* Cui non poteſt benedici, illud non poteſt à miniſtro confirmari. Sed Matrimonio ejuſmodi non poteſt benedici. Ergo.

THESIS III.

„ Matrimonia ejuſmodi ſi admittat Magiſtratus Chriſtianus, ea tamen ne confirmet Ritu & Formula Chriſtianâ in Eccleſiis uſitatâ.

Quod ad deciſionem *Synodi Nationalis*, anno 1618. Non memini diſceſſum eſſe, à deciſionibus præcedentium Synodorum, ut *Nationalis Hagienſis* a. 1586. *Quæſt. partic. c.* 9. *art.* 35. aut Particularium, *Delfenſis* 1596. *artic.* 44. & 1607. *art.* 6. *Dordrac.* 1590. *art.* 32. *Leidenſis* 1600. Et moribus noſtris uſque in hodiernum diem Curiæ Sæculari tales relinquuntur: Siquidem ipſa hoc agere velit. Quamvis non Baptizatos cum Baptizatis nec in Eccleſiâ, nec à Magiſtratu confirmandos eſſe, in *Synodo Zuydhollandicâ Schiedamenſi* anno 1602. *art.* 25. concluſum ſit. In quo poſteriori membro eadem *Synodus Gorcomii* anno 1606. ampliandum putavit; & Synodi Nationalis deciſioni caſum hunc reſervandum.

VI. *Quæſt. Quæritur, quo tempore Conjugia in Cœtu Eccleſiæ, confirmanda ſint? Reſp.* Quovis tempore. Excipit Directorium Anglicum, dies publici Jejunii: ob adjunctas (uti ego accipio) Nuptiales Epulas & Solennitates, primaſque novè Nuptorum corporales conjunctiones; quæ Jejunio minimè conveniunt, juxta *Joel* 2. *v.* 16. cum *Jeſa.* 22. *v.* 12. 13. Apud Pontificios ſunt tempora, ut vocant, *clauſa*, ſeu *interdicta*, quibus Matrimoniorum Celebratio prohibita: Antiquo Jure Canonico plura c. *Capellanus*, de Feriis; & c. *Non oportet*, & c. *Non licet*, & c. *Uxorem*, 33. qu. 4.: Sed Novo Jure ex

Concil. Trident. sess. 24. cap. ult. de reformatione, ab Adventu usque ad Epiphaniam, & à die Cinerum usque ad octavam Paschæ; ita ut Epiphaniæ dies etiam inclusus sit in prohibitione, & Sabbathum præcedens Dominicam primam Adventus post vesperas, non autem dies præcedens Feriam quartam Cinerum, quia ita dierum illorum officia disponit Ecclesia. *Sic Sanchez Lib.7. disp.7. §.1.2.* Sed legem hanc prohibentem admodum esse irrationalem ex eo colligere est, quod nec extraordinaria Jejunia & Supplicationes, nec anniversaria quatuor temporum, & Vigiliarum in temporibus clausis numerent: & eandem legem tot malagmatis & correctoriis onerârint, an levârint, ut vix quidquam ejus superesse videatur. *Primum* est, quod Matrimonii Contractus ejusque Consummatio non prohibeatur: sed tantum Solennia, hoc est Epulæ & Pompæ Nuptiales. *Sanchez lib. & disp. cit. §.12. Secundum* est, quod Episcopus dispensare potest; & sic passim consuetudine obtinet. *Sanchez cap. cit. §. 6.* & cum eo *Zypæus in analyt. enarrat. Juris Canonici lib. 4. pag. 217. Tertium* est, quod Denuntiationes seu Proclamationes aut omnes aut aliquæ omittuntur, aut simul ternæ eâdem die aut eâdem horâ fiunt: idque cum ob alias causas complures, tum ut ante instans tempus clausum, Matrimonia contrahi & consummari possint. De his vide *Zypæum lib. 4. tit. 1. pag. 285. 292.*

VII. *Quæst. An Confirmatio in facie Ecclesiæ (ut vocant) peragenda sit? Resp.* Ex hypothesi, quod cum adjunctâ Benedictione, & Precatione, à Pastore Ecclesiæ peragitur, præstat id fieri publicè, & quidem Ecclesiâ præsente: ut omnium Fidelium ejusdem Corporis Membrorum Testimonio, Voto, & Apprecatione, tanquam effectis communionis Sanctorum, fruantur & gaudeant. Alioquin rerum statu & necessitate ita ferente, Confirmatio in Curiâ aut in Foro fieri potest; nonnunquam etiam in Domo privatâ; immo & in Domo luctus, aut emortuali, Altero Contrahentium graviter laborante, immo & letaliter decumbente. Ubi autem in Ecclesiâ fit, convenientissimum esset, ut ante dimissionem Cœtus & Benedictiones fieret: prout in hâc nostrâ, aliisque Ecclesiis quamplurimis.

VIII. *Quæst. Cur Diebus Dominicis minus convenienter Solemnizari putantur; & in multis præsertim frequentioribus atque Urbicis Ecclesiis ad Cœtus inter hebdomadales* (ita loquar) *Solemnizationes rejici solent? Resp.* Non propter ipsum Confirmationis seu Ratihabitionis actum; multo minus propter Benedictiones, Precationes, Instructiones Conjugales, quæ nulli Diei, quam Dominico, melius conveniunt: sed propter ἀχωρίστως adjuncta (saltem moribus antiquis,) Pompas, Epulas, Strepitus, Ludos Nuptiales, qui Diei Dominicæ sanctificationem haut parum impediunt ac turbant. Dum enim

enim alii moliuntur ac comuntur, alii opiparas Epulas, alii rotum Apparatum Pompaticum, omnes ventrem, &c. os parant, facile judicari potest, quotusquisque ex tantâ multitudine Domino feriari, & Cultui ipsius tam publico quam privato vacare possit. Ut jam non dicam, cum magis Illustres aut Potentes præ aliis confirmantur, miscellæ turbæ, præsertim puerorum, per plateas & templa concursationibus, & pressionibus publica sacra, ita turbari, ut Concio, non-Concio, Precatio non-Precatio, Hymnus non-Hymnus, Sabbathum non-Sabbathum videatur. Hæc autem omnia præveniuntur, si in Cœtibus Ecclesiasticis, extra Diem Dominicum habendis, Solennizatio fiat. Et hanc puto causam esse, cur Directorium Anglicum consulat, ne fiat Die Dominico. Et *Zepperus Lib.* 1. *Polit.Ecclesiasticæ cap.* 15. *pag.* 184. „ Diebus Dominicis Nuptiæ merito non apparantur, „ ne videlicet laboribus illis, molestiis, quibus tunc nemo non distringitur, „ curis, solennibus Nuptiarum conviviis, immo inebriationibus, etiam sal„ tationibus, aliisque quæ non secus atque muscerda piperi, ut est in pro„ verbio, immiscentur, lasciviis, levitatibus, vanitatibus, Sabbathum pro„ fanetur, & cum domesticis atque indigenis hospites invitati, & peregrè „ adventantes à Cultu Divino divellantur. Ad celebrem *Synodum Dordracenam* anno 1619. varia in particularibus Synodis Hollandicis, aliisque concepta gravamina cum deferrentur; inter alia quæ Sabbathi profanationem concernebant in unum à Deputatis Synodorum contracta, & libello petitorio inserta, & nomine ejusdem Synodi per quosdam ex suis Delegatos *Illustr. ac Præpot. DD. Ord. General.* exhibebantur his verbis: Ut gravissimæ „ illæ multiplicesque Sabbathi profanationes, quæ fiunt quotidie per Nun„ dinas, Encænia, Convivia Communitatum, Vigilium, Viciniarum, Nu„ ptiarum; per Exercitia Armorum; per Venationes, Piscationes, Aucu„ pia, Lusum pilæ; per Histrionicas Comœdiarum actiones; per Tripudia, „ Auctiones bonorum, Compotationes, per minus necessaria quælibet ope„ ra servilia; similesque aliæ quamplurimæ, quæ in hisce Regionibus magno „ cum scandalo, & Reformatæ Religionis dedecore; magnoque cum Cul„ tus Divini impedimento passim accrescunt; strictè admodum prohibean„ tur atque impediantur. Idem gravamen Cl. Theologus Ant. Walæus in Præfat. ad Tractatum suum de Sabbatho anno 1628. repetebat; Dicens *se vestigiis ejusdem & Articulorum de Sabbatho ut plurimum in defensione Sabbathi inhæsurum. Rudolphus Petri* inter præstantissimos Concionatores & Practicos in Belgio nostro per quam celebris, in tractatu suo tit. *Angusta Porta* eandem cautelam suggessit, de Conviviis Nuptialibus extra Diem Dominicum celebrandis. Hæc ergo cum nec nova nec noxia sint, nihilque salutare in Sabbathi per Choragia, Nuptias, Pompas, Strepitus, Discursationes

tiones Nuptiales profanationibus hactenus reperiri, aut commonstrari potuerit: Hoc serio agatur, ut aut heterogenea illa, à solenni Confirmatione, & Benedictionibus, Precibus, Instructionibus Conjugalibus, Die Dominico, separentur: aut si ea conjungi debeant, extra Diei istius limites, ad quascunque alias horas & dies ablegentur. Quod si quis ex Populo cum Sacerdote contendens (*Hos.* 4. *v.* 4.) imperitè effutiat, hoc esse Ἰουδαΐζειν: Responderem, blasphemare eum quæ ignorat *Jud. v.* 10. Discat prius ex Judæis, aut ex Buxdorfii Synagogâ cap. 10. & 11. Judæos esse qui & olim tempore Augustini, & deinceps usque in hunc diem Nuptias diebus Sabbathi celebrârint; atque adeo comessando, bibendo, ludendo, saltando, Sabbathum, opinione suâ, sibi delitias (*Jes.* 58. *v.* 13.) fecerint. Hinc collige, utri magis videantur Judaizare. *Sed excipiat* quis, *non posse aliis, quam Dominicis diebus, Conjugia cum appendicibus in plerisque Vicis solennizari; ubi nullæ aliæ Conciones, nulli Conventus habentur. Resp.* Facile hanc objectionem tollunt illi Concionatores, qui die Mercurii aut Jovis in Vicis & Oppidulis statas Conciones habent: quales in Belgio nostro complures reperiuntur. Deinde remedium, in Synodis nostratibus suggestum adversus postulatam Baptismi administrationem in domibus privatis, & hic non importunum esset: dies scil. hebdomadis cujusque constituatur, quo Infantes modo nati, ad Baptismum in templo, evocatis signo campanæ Senioribus, Diaconis, Vicinis, Baptizandi cognatis, necessariis, ad Baptismum offerri possent.

IX. *Quæst. An Benedictioni Conjugali cujuscunque à Pastore inferenda sint Vota, (addo, & monita) de Liberorum generatione & educatione? Resp.* Movet hanc quæstionem *Andreas Keslerus in Casibus Conscientiæ* anno 1651. Germanicè editis cap. 42. An Pastor Benedictione illâ, *Crescite & multiplicamini*, uti debeat. Et nos sæpe cum eam moveremus aliis, & alii vicissim nobis: hinc intelleximus, non esse Ministros ad singulas Liturgiæ voculas instar Infantum alphabetariorum astringendos, sed sufficere ut summam rei contentæ vel ex libro vel absque libro proponant pro re natâ: modo nihil absurdi aut verbo Dei, communique ac receptæ Liturgiæ repugnans proponant. Quomodo enim si Vidua aut Virgo provectæ ætatis sola confirmetur, hanc instructionem Liturgiæ nostræ ei aptabunt? *Altera, ut quos suscepturi sunt Liberos, in verâ Dei agnitione, &c. educent.* Et, *diligentem Liberorum* (uti constanter habuerunt antiquæ editiones Liturgiæ Belgicæ, & Palatinæ Lat. & Germ.) *& rei familiaris curam geres.* Sed τὸ *Liberorum* omiserunt nunc novæ & correctæ post habitam Synodum Dordracenam 1619. editiones: Quæ tamen in Precatione Conjugali retinuerunt: *Ut veluti cohæredes, &c. sanctos Liberos progenerent.* Ut hinc videamus, cum nobis

nobis Zaræ & Elizabethæ miracula exſpectanda non ſint, poſſe ac debere Concionatores pro re nata, & morali ſuâ certitudine in Precibus & Inſtructionibus Conjugalibus vocem ſuam mutare.

X. *Quæſt. An in Loco & Cœtu publico, ubi Miniſtri ſacra peragunt, Conjugia celebranda: An vero in ſuâ cujuſque Domo. Reſp.* Movet hoc idem *Keſlerus cap.* 33. Nos putamus nullis fidelibus (cujuſcunque ſtatus & conditionis ſint in ſęculo) talem monaſticem convenire: abſque ullâ urgente neceſſitate. Si fideles *unum ſunt corpus*, *unus ſpiritus*, *Epheſ.*4. una Domus, una Familia Chriſti, una Cognatio ſpiritualis: ſi uno Baptiſmate baptizantur, unius panis ſunt participes: & ſi in Chriſto nec Mas valet nec Fœmina, nec Liber nec Servus: & ſi fides Chriſti non ſit habenda in acceptione perſonarum *Jacob.* 2.: ſi ulla ſit communio Sanctorum; utique ea potiſſimum in communibus & publicis exercitiis ſervanda & oſtendenda. Sapit ergo carnalem faſtum & contemtum Eccleſiæ Chriſti; ſi quis propriis domibus, quas habet ad manducandum, pariter Cœnam Domini, aliaque publica exercitia vindicare velit. Confer 1 *Cor.* 11 *v.*21. cum *Jacob.*2.*v.*1-6. *Keſlerus loc. cit.* malum morem illum, ejuſque cauſas & modum graphicè depingit; atque una tum Nobiles aut Honoratos in ſæculo, tum Miniſtros illis ſubſervientes aut ſupparaſitantes, ἀποτόμως perſtringit.

XI. *Quæſt. An Miniſtri ordinem illum Confirmationis Conjugiorum in Eccleſiis noſtris, adultâ jam reformatione, non ſine approbatione Magiſtratus Civilis receptum, obſervatum, ſtabilitum, ſponte ſuâ mutare, à ſe alienare, & ſe ab illâ parte muneris abdicare debeant? Reſp. Neg.* Quia Ordinem publicè privatimque benedicendi, precandi, inſtruendi, ex Verbo Dei, qui ipſis tanquam Anteceſſoribus in verbo & precibus propriâ & peculiari quâdam ratione (*Actor.* 6. *v.*4. cum *Numer.* 6. *v.*22.) competit, deponere, aut ulli cedere non debent: Quod ad Ordinem conjunctum publicæ confirmationis & ratihabitionis, nullæ ſunt cauſæ, quare ab illis ad Magiſtratus transferri debeat, aut à conjunctis officiis Paſtoralibus divelli: præſertim, ſi ſint Oves ipſorum, qui ſolenni confirmationi Paſtoralem Benedictionem præmitti, eandemque eidem cum Precibus Eccleſiæ ſubmitti deſiderant. Invenio in Anglorum quorundam qui antehac ex Anglia profecti Amſtelodami conſederant, Apologiâ contra imputationes Oxonienſium anno 1604. Amſtelodami editâ theſi 6. determinatum: *Miniſtris non debere imponi nec in iis tolerari munera civilia; nec eos debere onerari executione negotiorum civilium, qualia ſunt celebratio Matrimonii, & Sepultura Mortuorum: quæ æque pertinent ad eos qui extra, quam ad eos qui intra Eccleſiam ſunt.* Demus occaſionem aliquam oſtendiculi forte ipſis in Patriâ datam; ubi in Ritibus quibuſdam, & in Eccleſiæ Regimine veſtigia antiquæ pragmatiæ tunc nondum

deleta

deleta erant. Amstelodami tamen nihil inveniebant, quod jure quenquam offendere debeat. Illic enim summam rerum istarum penes Senatum esse, ejusdemque ad negotia Conjugalia Delegatos, nulli non notum est. Ita ut Ministri nullus sæcularibus negotiis & Ministeriis onerentur, aut ab ἔργῳ suo ad πάρεργα abducantur. Unica tantum totius actus particula, quæ mutuam Sponsorum promissione & stipulatione exigit, excipit, approbat, & sub formâ Voti publicè promulgat, nec Ministro, nec Ecclesiæ, nec agendis sacris quidquam detrahit, nedum ut ea prophanet: cum etiam sint sanctificata & ad ὑψηλοτέραν πολιτείαν subducta. Promittunt enim in & coram Deo, sanctâque ejus Ecclesiâ, non tantum se accipere τὸν aut τὴν δεῖνα in Conjugem, sed & *sanctè* cum eo aut cum eâ *victuros*. Hic nihil est, quod Sacris non conveniat. Reliqua omnia instructionem ex Verbo Dei de Officiis Conjugum, votivas, etiam denuntiantes (ex *Psal.* 128.) Benedictiones, Precationes complectuntur, quæ in Liturgiâ nostrâ comparent; & sunt actus *propriè* & *formaliter* sacri ad Ministerium Pastoris directè pertinentes omnique, & soli convenientes: ita ut dum ista agit, nihil sæculare agat, nec sæcularia munera usurpet. Atque hæc adhibitâ distinctione ita dicta puto sufficere contra Agendorum & Liturgiæ nostræ Censuram: siquidem dictæ Apologiæ Autores eandem nostræ applicatam voluerint. Robinsonus in suâ Apologiâ *cap.*6. fatetur se cum Cœtu suo (cui Leidæ anno 1619. præerat) non posse accedere ad *sententiam & praxin inter Reformatos obtinentem, quâ Ecclesiæ Pastores publicè & ex officio Coniugia celebrare solent.* Sed *pag. sequ.* 52. subjicit, hæc aliaque istius commatis *tanta non esse ut fraternæ caritatis & communionis vinculum abrumpant.* Rationes dissensionis adducit tres.

1. *Rat.* Quia Deus nullibi Pastores instruit aut astringit. *Resp.* Quod ad Benedictiones, Precationes, Instructiones, tum publicas in Ecclesiâ tum privatas in Domibus & Familiis eos immediatè astringit. Quod ad ipsam stipulationis & promissionis exactionem & ratihabitionis declarationem, astringit eosdem immediatè quod ad Filios spirituales hâc in parte se illi subjicientes; astringit autem mediatè & consequenter; intercedente scil. Potestatis Politicæ sive delegatione, sive concessione, sive promissione.

2. *Rat.* Conjugium immediatè *spectat ad Familiam, secundariò & mediatè ad Rempublicam, & ejusdem Moderatores: qui apud Belgas ejusdem nodum inter Cives suos, qui hoc ab eis petunt honestè satis & decorè nectunt.* *Resp.* Et spectat ad ecclesiasticam communitatem ejusque Moderatores, cum Reipublicæ Moderatores ab Ecclesiâ alieni sunt, ejusque hostes. Hoc docuit experientia in antiquâ Ecclesiâ, & in Ecclesiis Pædemontanis, Waldensibus, Bohemicis, &c. ut & in hodiernis quæcunque inter Gentiles, Muhammedistas,

distas, Hæreticos & Idololatros delitescunt. *Deinde*, quatenus Conjugia Fidelium in Domino celebrantur, cum & sub Benedictione Pastorali, ecclesiasticis precibus, instructione scripturariâ: ad Politiæ Moderatores non pertinent, nec Fideles inde petunt, quippe inde nihil ablaturi. *Denique*, Ecclesia petitionem alienorum à suâ professione, & Magistratus confirmationem non tollit: modo sibi & Filiis suis, quod est Filiorum relinquatur. Sicuti Coronatio Regum, electio & inauguratio Magistratuum prçcisè sumta, non adimitur Politiæ & Politicis qua talibus: quando Christianis Magistratibus volentibus ac petentibus Ministri in tali actu Preces, Benedictiones, scripturarias instructiones & hortationes convenienter, immo convenientissimè sacro muneri suo subministrant: & per concomitantiam delegatâ à Proceribus aut Populo, aut Senatu Autoritate factam electionem aut constitutionem Principum aut Magistratuum publicè proclamant, aliave potestatis symbola tractant atque applicant, jura Regni aut Principatus & officia Superiorum atque Inferiorum inculcant, & eorum observationem mutuamque promissionem proponunt ac recipiunt.

3. *Rat.* Quia cum Papatus Conjugium ad Sacramentum provexerit, ejusque consecrationem ita à Sacerdote suspenderit, ut ex decreto Euaristi primi *incestuosum habeatur Connubium*, quod Sacerdos non consecraverit: magis cavendum putat reverendis Fratribus Ecclesiarum Euangelicarum Pastoribus, ne quid hoc suo facto patrocinii errori Pontificio accedere videatur. *Resp.* Satis præcautum putamus, si Conjugii, quà talis & ratihabitionis essentiam non constituamus in Benedictione & instructione pastorali, nec in precibus Ecclesiæ: nec ipsam confirmationem & ratihabitionem à Ministro fieri solitam ei immediatè & independenter à Republicâ ejusque Rectoribus (quod ad ortum scil. & quod ad actum) æquè competere dicamus, ac proprios & homogeneos sacri Ministerii actus.

Atque his hactenus dictis, moderatis ingeniis satisfactum puto. Sunt qui eandem sententiam Independentibus (ita dictis) tribuunt: quà certitudine, mihi hactenus non constat. In eorum confessione anno 1659. editâ nec cap. 25. quod est de Matrimonio, nihil tale invenio; ut & in Appendice de institutione & ordine Ecclesiarum, in quâ dissensum suum à Reformatorum, seu dicto Presbyteriali Regimine declarant. *Ephraimus Pagit in suâ Hæresiographiâ Anglicè* anno 1654. *quintâ vice editâ* pag. 76. tale quid ipsis adscribit: & probat exemplo *primarii cujusdam Independentis Ministri*, *qui Londini à Magistratu confirmatus sit*. Sed facile hæc conciliari possunt, si ex rerum illic gnaris, & eo ipso *Pagit* discamus, ex omnibus Sectis, primipilos quosque Sectarios & Turbones nomine Independentium se texisse, quia & quatenus à modo Presbyterialis Regiminis, dissentiebant: qui tamen in

doctrinâ & reliquis disciplinæ essentialibus, cum Independentibus strictè & propriè ita dictis, non magis conveniebant quam igni convenit cum aquâ. Et hinc est quod à nonnullis rerum istarum ignaris, promiscuè omnium ab externa publicæ Ecclesiæ communione istic abstinentium tum enormia aut absurda facta, tum hæretica & blasphema dicta ac scripta in genere & indistinctè Independentibus imputarentur: ferè uti ab Hæresiographis Pontificiis Lindano, Prateolo, Feuardentio Theodorico, &c. omnium hæreticorum & fanaticorum jam inde à tempore reformationis caput efferentium facta, dicta, scripta (non excluso bello rusticorum, & tyrannicâ seditione Monasteriensi) Luthero, & secutis ipsum Doctoribus imputantur. Cum tamen constet ipsos, stertentibus passim Pontificiis, contra ejusmodi Hæreses & Phanatismos pro fidei veritate strenuè decertasse. Idem obtigisse puto illis, qui segreges suos Cœtus *Ecclesias Congregationales* appellant, & earum nomine Confessionem suam a. 1658. ediderunt; In illis quamvis in modo Regiminis à Presbyterio dissidentibus Arminianismi, Socinianismi, Enthusiasmi, Antinomismi, Familismi (h.e. Henric-Nicolaismi) Montanismi κυρίας δόξας aut errores à reformatis Doctoribus hactenus notatos non novi: quales tamen alicui aut aliquibus inter dictos Independentes *Pagitus* pag. 79. adscribit. Quod de strictè dictis Congregationalibus seu Independentibus confessionis anno 1658. Autoribus & Sociis intelligi non potest: quippe quorum primarii Doctores & Ductores, *Thomas Goodwin*, *Ouwenus*, *Nortonus*, *Shepheard*, &c. satis noti sunt in Angliâ, & scriptis suis declarârunt, se Hæresibus illis juxta cum Reformatis adversari: ex quorum numero aliqui Cœtui orthodoxum Theologorum Londinensi tot annis interfuerunt, atque unà in ordinandâ Ecclesiâ laborârunt, conceptis & editis a. 1648. orthodoxâ confessione, & geminâ catechesi, majore & minore: tantum à fratribus illius cœtus dissentientes in modo, Regiminis Presbyterialis, tunc à Cœtu illo concepti, hoc est (uti protestantur in præfat. confessionis suæ a. 1658.) *in rebus minoribus, & circumstantiis tantum:* salvo interim pleno consensu suo cum Fratribus *antiquis Puritanis* (ita dictis) *Non-Conformistis*, in omnibus substantialibus Regiminis Ecclesiastici partibus. Quæ omnia ex ἀμοιβαίοις Cœtus Londinensis & septem Fratrum dissentientium scriptis a. 1648. editis lectori istarum rerum curioso constare poterunt. Sed missâ historicâ hâc digressiuncula, ipsas Independentium rationes & exceptiones vide *supra lib. 1. tract. 1. & infra part. 2. tit. de classibus*, &c. refutatas. Quod ad præsentem quęstionem de Solennizatione Matrimonii, putamus rationibus dissentientium abunde jam satisfactum esse, & Liturgiam ac praxin nostram defensam. Est qui causam hanc acturus sequentia Adversariis opponit: de quibus dubitare licet, an ad eos convincendos satis solida sint futura.

1. Rat.

1. *Rat.* Quia Matrimonia ſunt Juris Mixti : & non tantum ex Principum conſtitutionibus, ſed etiam ex ſcripturis leges eorum ſunt repetendæ? Atqui ſcripturæ interpretatio incumbit Miniſtris. *Reſp.* Status controverſię non attingitur, aut committitur fallacia plurimum interrogationum. Quæſtio eſt, An ſolennis confirmatio & Ratihabitio pertineat ad Communitatis Politicæ poteſtatem: non autem, An Benedictio, Inſtructio ex Verbo Dei, Precatio. Ex priori argumentum adverſariorum deſumitur : non vero ex poſteriori: quod Miniſtris non ſubtrahunt, nec ullo colore ſubtrahere poſſunt. Vide ergo an Antagoniſta Browniſt. & Independentium, rectè inferat, Quod qui *in Domino nubunt* 1 *Cor.* 7. *v.* 39. in Conjugii ſui conſummationem ruere non debent, nullis præeuntibus ſacris ſolennitatibus, publicâ ſcil. precatione, & voto totius Eccleſiæ. Excipere poſſent, etiam Magiſtratuum electionem, Regum, & Principum ſolennem introductionem, ſeu inveſtituram & coronationem apud Chriſtianos ſine ſolennibus Precibus, Votis, Benedictionibus, Verbi Prædicatione, non eſſe conſummandam, & multis in locis non conſummari. Hinc jam movetur dubium, an ipſa Electio, Conſtitutio, Inthronizatio, Regum, Principum, Magiſtratuum, in ſe & formaliter ſpectata ſit Juris Mixti, id eſt, non tantum Naturalis, ſed etiam Civilis & Eccleſiaſtici. Et quia tabulæ Juris Divini agunt de conſtitutione, introductione, officiis, regimine Regum, Principum, Magiſtratuum; quarum explicatio & promulgatio Miniſtris incumbit : An hinc ritè deduci poſſit hæc concluſio, *dubium non eſſe quin aliquid Eccleſiaſticum ad plenam & perfectam Magiſtratuum conſtitutionem* inter Chriſtianos *requiratur.* Similes conſequentiarum nexus ſi quis applicet Regimini Politico Ordinum Provincialium, & Magiſtratuum Urbicorum in Belgio Fœderato, & urgeat ſeſſionem Miniſtris in illis Conventibus Politicis competere, non minus ac Abbatibus aliiſve Eccleſiaſticis in Brabantiâ, Hannoniâ, Limburgenſi Ducatu, &c. Velim videre quid hic reſponſurus ſit.

2. *Rat.* Miniſtrorum ordinatio & inſtitutio, in Dei Verbo licet non explicitè, implicitè tamen continet quid de Hierologiâ Nuptiali peragenda. Idq; ex eo probatur, quod ad munus eorum pertineat *benedicere :* ergo & Nuptialis Benedictio ſolennis, non ſecus ac ęgrorum viſitatio: etſi nunquam ipſis ἀυτολέξει injuncta ſit. Nam locus (inquit) *Jac.* 5. *v.* 17. tantum per neceſſariam conſequentiam trahitur ad munus ordinarium Presbyterorum, quo tenentur infirmos fideles viſitare, conſolari, eorumque ſalutem ſanctis ad Deum precibus ſolenniter commendare. *Reſp.* Non erat concludendum de ſolennibus Precum, benedictionum, inſtructionum: ſed de Fœderis illius ſolenni confirmatione, & ratihabitione. Hanc enim propriè reſpiciunt opponentes; cum apud Robinſonum loc. cit. ajunt. *Conjugium propriè & imme-*

 diatè

diatè spectare ad familiam , &c. *secundario & mediatè ad Rempublicam & ejusdem Moderatores publicos : qui & officii sui memores apud Belgas, ejusdem nodum inter Cives suos, qui hoc ab eis petunt, honestè satis, & decorè nectunt.* Hæc directè & in terminis neganda erant, aut concedenda, aut cum distinctione ad ea respondendum. Alioquin committitur fallacia πολυζητήσε& ἑτεροζητήσεως. Quæ de pastorali ægrotorum visitatione huc adducuntur, nolo examinare. Hoc scio, præter textum *Jacob.* 5. *v.* 17. alia nobis ex scripturis argumenta suppetere: quod nos alibi probavimus. Benedictio, Precatio & ex jure divino instructio divina cum solenni Christiani Principis introductione, coronatione, promissione, stipulatione conjungi possent: & si fiat, an utriusque Minister possit, immo debeat esse Pastor Ecclesiæ; & an utrumque implicitè in scripturis munus Pastorale describentibus, hoc præscribatur : haut aliter ac Hierologia nuptialis, & consolatio ægrorum. Ubi ad hoc responsum fuerit, videbimus ilico lucem aut tenebras præsenti nostræ quæstioni illatas.

3. *Rat. Quia Conjugium est honorabile inter omnes* Hebr. 13. 4. Ergo nihil eorum omittendum est in Ecclesiâ, quibus honor illius magis magisque commendetur; inter quæ solennem Hierologiam primas tenere palam est. *Resp.* Quid si Adversarii dicant, Ordinem Senatorum, Judicum, Doctorum Juris aut Medecinæ esse honorabilem : & consequenter, esse eorum solennem Confirmationem, & Regum, Principum, Præfectorum, Equitum, Prætorum productionem coram populo, inthronizationem, renuntiationem, cum solennibus stipulationibus, promissionibus, juramentis pari passu & indistinctè eodum jure unà cum benedictionibus, votis, precationibus, ecclesiasticè in & coram Ecclesiâ peragenda: ex eâ ipsâ cathedrâ, ex quâ Pastor Verbum Dei annuntiat: ut plures dicant *Amen*; benedictioni Nuptiali, ipsique inaugurandi toti sacræ actioni intersint, & sic Festum illud suum à sacris exercitiis auspicentur. Secus si fieret, omitti tunc aliqua in Ecclesiâ, quibus honor eorum magis magisque commendetur. Videbimus quomodo ad hęc per negationem, aut totius concessionem, aut per distinctiones responsuri sunt.

4. *Rat.* Quia quo solennior est Hierologia Nuptialis, & à Cœtu, & à loco, & à tempore: eo magis homines abducuntur à Nuptiis clandestinis. *Resp.* Quærere possent illi, qui hic oppugnantur, an solennis confirmatio in Curiâ coram *Magistratibus nodum illum ex officio satis honestè & decorè nectentibus*, non possit homines abducere à Nuptiis clandestinis : cum æque irrita & nulla pronuntientur Conjugia, quæ absque ejusmodi solennibus sive in publicâ Ecclesiâ sive in Curiâ coaluerunt. Videantur ordinationes politicę, aliaque decreta Hollandica, cum Grotii Jurisprudentiâ Hollandicâ.

5. *Rat.*

5. *Rat.* Deus suo exemplo præluxit Ecclesiæ Ministris ad id Officii: adduxit enim Evam ad Adamum, eosque solenni Benedictione copulavit. *Resp.* Deus non copulavit eos ut Minister Euangelii aut ut redemtor: sed ut Parens & Dominus naturæ, idque Jure Creationis; & ut rerum omnium Moderator. Evam vero sponsam ad Adamum adduxit, tanquam *primus Paranymphus*: ut loquitur *Chemnitius in Exam. Concil. Trid. part. 2. tit. de Matrimonio, in principio.* Quid si Magistratus in nostro Belgio, dicant se propriè Dei imaginem gerere, seque Dei Ministros esse tanquam Domini ac Gubernatoris mundi, & generis humani & hoc respectu se copulare Conjuges: an negabis, & ab hoc opere illos dehortaberis, haut aliter ac Sacerdotes Regem Uzziam à thurificatione 2 *Paral.* 26.*v.* 18. hâc scil. ratione quod Deus non Magistratui, sed Ministris Euangelii, & quidem sub Novo Testamento; hoc quidquid est Officii exemplo suo *Genes.* 2. imposuerit? Quid hic respondendum? An dices, utrisque & Ministris & Magistratui hoc Dei facto Officium impositum, per vices aut per præventionem exercendum? Velim videre, quomodo argumentum hoc à Dei exemplo sumtum scitè à difficultatibus illis expediendum sit.

6. *Rat.* Quia Christus frequenti Convivio Nuptiali interesse haut dedignatus est; ibique realem suam Benedictionem primo, quod edidit, miraculo effundere *Joh.* 2. *Resp.* 1. Quomodo hinc sequitur necessario à Ministro, & quidem vi Muneris sui, actum copulationis, ratihabitionis, confirmationis solennis, & publicę renuntiationis (qui & quatenus ab actibus scripturarię instructionis, Pastoralis Benedictionis, & Ecclesiasticæ Precationis distinguitur) peragendum esse? Et cur Christus ad Nuptiale Convivium vocatus tanquam Caput & Dominus Ecclesiæ suæ & Ministrorum, Sponsos non copulabat, ut exemplo suo Ministris, quos missurus & daturus esset (*Math.* 28. *v.* 19. *Johann.* 20. *v.* 20. *Ephes.* 4. *v.* 11. 2 *Cor.* 5. *v.* 18.) præiret. *Resp.* 2. Nihil aliud hinc colligi potest, quam Nuptias & Convivia nuptialia esse licita. *Resp.* 3. Ex miraculo & beneficentiâ, non magis concluditur hoc Ministrorum qua talium esse officium, quam ex miraculis in domo luctus seu emortuali à Christo editis (*Math.* 9.*v.* 25. *Joh.* 11.*v.* 43. 44.) curam funeris & sepulturę, pertinere ad officium Ministrorum. Hoc velit Pastorale Romanum, hoc magno mercentur Sacerdotes; quibus *Officium Defunctorum* (sic habet titulus in Pastorali) tantum præstat beneficium, & *Funus Christianum* (sic habet titulus libri à *Jesuita Gretsero editi*) tantum Fœnus achristianum.

7. *Rat.* Quia cum de quolibet Conjugio in particulari Servator noster expresse dicat Math. 19.v.6. *Quæ Deus conjunxit, homo ne separet*, satis insinuat conjunctionem istam nomine & Authoritate Dei in Ecclesiâ esse per-

gendam. *Resp.* Si firma est consequentia (uti saltem in sensu disputantis contra Brownistas & Independentes esse debebat) pariter sequeretur ex speciali Dei providentiâ circa quævis negotia Politica & Oeconomica, fœderum, bellorum, pacis, judiciorum criminalium & civilium, quorumvis nominatorum & innominatorum contractuum, &c. omnem istorum determinationem nomine & Autoritate Dei in Ecclesiâ esse peragenda. Quia de illis omnibus cum scriptura dici posset Deus fecit, Deus procuravit, Deus conjungenda & conjuncta conjunxit, alia divisit & separavit, percussit & sanavit. Vide imprimis textus de regimine & judiciis politicis 2 *Paral.* 19. *v.*6. *Psal.* 82. *v.* 16. *Proverb.* 8. *v.*15. 16. *Hos.*13. *v.* 10. 11. cum 1 *Sam.* 8. *v.*10.-19.

8. *Rat.* Scriptura discrimen apertum ponens inter Sponsalia & Nuptias satis testatur non sufficere ut Conjuges futuri privatim inter se transigant, sed insuper requiri ut publica intercedat Solennitas, quo omnibus de legitimo eorum Matrimonio constet; iisque omnes in novo vitæ genere inchoando bene apprecentur. *Resp.* 1. De publicâ Solennitate, à communitate ejusque Præfectis peragendâ rectè procedit consequentia. Sed si per communitatem intelligis Ecclesiasticam ejusque Præfectos, & Antecessores, non vero Politicam ejusque Præfectos; jam plus esset in conclusione quam in præmissis: aut argumentum duceretur à genere ad speciem affirmative, hoc modo; Requiritur cognitio, judicium, ratihabitio, confirmatio, renuntiatio publica communitatis: Ergo Ecclesiasticæ Communitatis. Quale illud: Est animal: Ergo est equus. *Resp.* 2. Ut omnes Præsentes Sponsis bene apprecentur; est argumentum ductum à fine. Sed an eo ipso Adversarii convincentur, necessaria requisita & solennia Matrimonialia, pertinere ad Ecclesiam, ad Ministros Ecclesiæ quà tales, & in Ecclesiâ Ecclesiasticè peragenda: atq; à Magistratu in Curiâ, aut in publico foro coram evocatâ & confluente istuc Civium Concione (gr. ἐκκλησία) non posse peragi. In publicâ Inauguratione Principum coram Populo, in creatione Consulum in Curiâ, in Inauguratione Professorum in Scholâ, in promotione Doctorum in eâdem, in Inauguratione Vexilliferorum Centurionum aliorumque Præfectorum Militarium Inauguratis illis omnes Pręsentes bene precari solent: & tamen ista Solennia ob apprecationem, in Ecclesiâ à Ministro ex eâdem Cathedrâ, ex quâ Euangelium prędicat, peragenda esse nemo cum ratione concludet.

9. *Rat.* Immo licet solæ leges civiles id exigerent, ut essentialibus Matrimonii Solennitatibus accedat Hierologia Ecclesię, vel ex earum respectu is ordo esset inviolabiliter servandus. *Resp.* 1. Si vera Ecclesia, ejusque Hierologia intelligitur; conceditur: minimè vero si Hierologię & ἱερουργίας choragium

agium in Ecclesiâ Romanâ intelligitur. Neque enim fideles se illius communioni, & erroribus ac superstitionibus Matrimonialibus in Pastorali Romano descriptis miscere debent. Mandato Magistratus illis in locis, ubi tantum in Ecclesiâ, nunquam in Foro aut Curiâ Conjuges copulantur, nostri libenter parent; Pontificii, aliique à communione Ecclesiæ nostræ alieni, parere debent; nisi cohabitationem suam illegitimam, & Liberos illegitimos haberi velint. *Resp.* 2. Cum Hierologia Ecclesiæ distinguitur tanquam accessorium quid à Solennitatibus essentialibus, videtur causa tradi: ita ut Ministris & Ecclesiæ nihil relinquatur nisi Hierologia: essentialibus Solennitatibus Magistratui relictis. Quod si eas una à Ministris peragi velint (uti in Ecclesiis Reformatis peraguntur): jam manet quæstio, an eas peragant ut necessarium aut essentialem Ministerii sui actum primo, directè, & per se ad illud pertinentem, & inde dependentem: an vero ut actum, ex potestate delegatâ aut concessione Magistratus Ecclesiæ nutritii, à se exercendum. Nos supra eum distinximus ab actibus Ministerii οἰκείοις, *formaliter* sacris atque Ecclesiasticis: quo respectu Matrimoniorum publicam Solennizationem, & sepulturam, &c. numeravimus inter quasi Agenda Ecclesiastica.

10. *Rat.* Ex consensu Catholicæ Vetustatis. Qui consensus probatur ex Tertulliano 2. ad Uxor. ubi de Matrimonio sic loquitur: *Quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, Pater ratum habet.* Et ex Ambrosii Epistolâ 70. *Conjugium velamine, & Sacerdotali Benedictione sanctificari oportet.* Additur, ex *Ludovici Pii Capitulari lib.* 7. *cap.* 405. ubi præscribitur ducturis, ut Uxores suas accipiant cum Benedictione Sacerdotali. Et ex Jure Canonico c. Nullus 30. qu. 5. ubi statuitur, ne quis *occultè Nuptias faciat*, sed Benedictione acceptâ à Sacerdote publicè nubat in Domino. Similia ex Jure Orientali Græcorum adducuntur. Agmen claudit universalis ferè omnium Populorum consensus: etiam Gentilium qui Deos Deasque invocabant, & adesse credebant; & in ejusmodi solenni Maris & Fæminæ conjunctione Sacerdotem, Sacrificia, & Preces adhibebant: Quin & Judæi usque in hodiernum diem id servant, ut Sponso Sponsa solenniter tradatur ab eo, qui sacris præest. His subjicitur epiphonema: „ Quare & Gentiles & Judæi surgent in judicio contra hodiernos Nova- „ tores, qui Nuptialem Hierologiam ex sacris & religiosis piorum Cœtibus „ exterminandam præpostere asserunt. Omnes illæ sive rationes sive amplificationes consuetudini & Liturgiæ nostrarum Ecclesiarum contra gravamen dictorum Brownistarum defendendæ minime sufficiunt: ne dicam illas eidem officere. Si enim urgerent determinationem sequentium quæstionum, respondendum esset.

1. *An relictâ Ecclesiæ & Ministris sacrâ Benedictione, & Precatione, cum instructione ex Scripturis, eorum scil. Sponsorum qui inter Fideles adscripti sunt: alii omnes, qui solennibus illis sacris interesse & immisceri nolunt, à publicâ Magistratus cognitione, ratihabitione, confirmatione, renuntiatione excludendi essent; & consequenter nunquam ad legitimas Nuptias admittendi.*

2. *An Magistratus in Belgio, publicè ac solenniter confirmando, ratihabendo, legitimando, renuntiando Matrimonia; in potestatem sacram & ecclesiasticam Ministrorum involet, eamque indebitè usurpet: adeo ut iis ingerendum esset, quod Regi Uzziæ* 2 Paral. 26. v. 18.

3. *An Potestas istius publici Judicii, ratihabitionis, confirmationis, renunciationis in se, per se, & formaliter considerata (contra distinctè scil. ad sacram benedicendi, precandi, ex scripturis instruendi potestatem), sit sacra & Ecclesiastica; an vero Politica?*

4. *An eadem derivata & translata sit ab Ecclesiâ & Ecclesiasticis ad Politiam & Politicos; an contra, ab istis ad illos?*

5. *An si Magistratus alicubi potestatem illam, quâ nunc utitur Ecclesia, sibi sumere, eâque uti vellet, non minus circa reformatos, ac circa alios omnes ab Ecclesiâ nostrâ alienos; Reformatæ Ecclesiæ id tolerare possent ac deberent; An potius ob rem tanti momenti* (prout quis Brownistarum & Independentium hâc in parte Antagonista præ se ferre videtur) de separatione cogitandum esset?

6. *An legitima Electio & Vocatio Ministrorum sit magis aut minus sacra & Ecclesiastica; quam publica & solennis Coniugii ratihabitio, confirmatio, renuntiatio?* Ad has quæstiones, ubi distinctè responderetur, & cuique assertioni probatio ex Jure Divino subjiceretur: non dubito quin Adversariis melius satisfactum foret, iique à praxi & Liturgia nostrâ, quod ad hanc partem, non tam longè recessuri essent.

Quod ad consensum catholico antiquum, junceis ejusmodi hastis contra tales Adversarios non pugnarent qui eorum theses & hypotheses vel per transennam inspexerint. Præterquam quod aliquid contra allata testimonia dici posset. *Tertullianus* hoc agit ut rejectis clandestinis Nuptiis publica & solennis earum conciliatio, ratihabitio, & confirmatio suadeatur, quæ fiat publico judicio & publicâ Potestate Communitatis seu Societatis. Illa autem tunc temporis Christianis alia non erat nec alia esse poterat, quam Ecclesia seu Communitas Ecclesiastica: quod Civilis Communitatis & Potestatis ratihabitioni, & solenni renuntiationi se nullo modo subjicere possent per Conscientiam Dei, ob Gentilem idololatriam & superstitionem solennibus Matrimonialibus adjunctam. Vide de illis *Augustin. Lib.* 4. *de Civit. Dei c.* 11. *& lib.* 6. *c.* 9. Et ut compendio studeas, *Rosinum & Demsterum*

rum lib. 5. antiquitat. Romanar. cap. 37. Et ipse ex Plutarcho & Platone probat Sacerdotem, Sacrificia & Preces à Gentilibus adhibitas fuisse. Et sic Reformati in Galliâ, atque alibi, ubi Papismus publicam facit Religionem, potuerunt, immo & debuerunt, nec aliter debuerunt, quam illa solennia ab Ecclesiâ ejusve Antecessoribus petere & sumere; quæ etiam à Magistratu in hâc nostrâ Provinciâ & in vicinâ Hollandiâ ritè peragi nemo, ut opinor, Reformatus negabit. Nihil ergo ex *Tertulliano* exprimi potest, quod commune & Politicum Solenne à sacris & ecclesiasticis actibus distinctum, faciat *formaliter, per se,* & *in se* sacrum atque Ecclesiasticum. Quid sibi velit *Tertullianus* per oblationem, & quomodo Conjugium per illam confirmetur; in præsenti non disquirimus: saltem Missaticum Sacrificium, ut vult *Pamelius in notis ad loc. cit.* inde haberi non potest. *Ambrosii* Sanctificationes sacerdotales, quæ fiant per Benedictionem & Precationem, nemo, ut opinor, dicet aut ad solum Magistratum, aut promiscuè ad Magistratum & Ministrum pertinere: quæstio solummodo est, de eo quod à Magistratibus in Belgio nostro fieri novimus, & testatur *Robinsonus*; An scil. per hoc Conjugium tanquam generi humano commune; non proprium Fidelibus & Dei Fœderatis in Christo, sit ratum & legitimum; An vero Benedictionis Sacerdotalis defectus irritum reddat Conjugium. Rursum. An si prius peragatur à Magistratu, quod est commune generi humano, & postea vel publicè in Ecclesiâ, vel privatim domi, in domo propria Fidelium in Domino contrahentium, Instructio scil., Precatio, Benedictio à Ministro adjungantur; An, inquam, Conjugium illud illegitimum esset? Idque ex *Ambrosio & Tertulliano* probari posset? Ut jam non quæram quid dicturi sint Antiquarii, de sanctificatione Conjugii per Velamen? An sine eo in nostris Ecclesiis sanctificari posset? An siquidem *Ambrosium* hic recipimus, in nostras Ecclesias revocandum sit utrumque Velamen & Nupturarum, (quod *Conjugale* appellare possumus) & Virginum Deo dicatarum; quod *velamen sanctum* ab *Ambrosio* appellatur tom. 1. in lib. ad Virginem corruptam? An magis per dictum *Velamen* sanctificabitur Matrimonium, quam per Annulum Pronubum Romanorum, aut *Chuppa.* i. cono poeum, aut dictum *talles* Judæorum; de quo *Buxdorfius in synagogâ cap.* 28. Atque hæc Catholicæ Vetustatis probatio. Nam quæ ex *Harmenopulo*, ex *Leonis* & *Alexii Comneni Novellis*, ex *Capitulari Ludovici Pii* adducuntur, *Catholicam Vetustatem* (ita dictam) non magis nobis exhibere possunt, quam mores, canones, Scriptores sequiorum quorumcunque sæculorum: nedum ut Adversarii, quos oppugnat, vel hilum tali strepitu commoveri aut confundi possent. Canon *nullus* 30. *qu.* 5. ad hanc rem parum facit; quippe conceptus contra nuptias clandestinas; quas Adversarii non urgent, sed contra publicam

Magistratuum constitutionem disertè probant & requirunt: Sed dicas, in canone cit. requiri: *ut acceptâ Benedictione Sacerdotali publicè nubat in Domino.* Sic est: quia volente Magistratu moribus istius temporis publicè Christiani non nubebant, nisi in Ecclesiâ aut coram Sacerdote: prout morem illum in Antiquâ Ecclesiâ sub cruce usitatum (aliter enim non poterat) & ab eâdem successivè per manus traditum acceperat, eundemque servabat. Quidquid autem dicat hic canon, saltem nec Jus Canonicum, nec ipse *Hormisdas Episcopus Romanus*, cujus nomen ex Jure Canonico hic refertur, antiquitatem catholicam eidem conciliare poterit. Quamvis enim *Juellus* ex abundanti causæ fiduciâ antiquitatis testimonia infra sexcentesimum annum pro se adducendâ indulsisset (quo fine explicat *Wittakerus in Resp. ad 5. rationem Jesuitæ Campiani*): ipse tamen *Cardinalis Perronus in libro* c. sereniss. Britanniæ Regem Jacobum ad hoc usque tempus antiquitatem, controversiarum inter Papistas & Reformatos, Judicem, non extendit. De quo nos in 1. *part. sel. Disp. tit. de Patribus*, &c. Mitto quod *Hormisdæ* & similium in sede Romanâ jam primaturientium, extra Papatum exigua sit autoritas: & quod canon iste sub nomine *Hormisdæ* citatus, in notis ad Corpus Canonicum jussu Gregorii XIII. emendatum dicatur in 2. collectione decretalium adscriptus esse Alexandro 3. Qui Pontifex creatus a. 1156. In antiquis collectionibus Parisiis a. 1609, editis nomen *Hormisdæ*, non *Alexandri* 3. scriptum invenio: procul dubio ex emendatione eorum, qui editioni illi præfuerunt: quod Alexander 3. *Gratiano posterior fuerit*: uti habent notæ ad emendatum Corpus Canonicum. Ac de his hactenus per modum digressionis: ut hâc occasione ostenderem junceis ejusmodi hastis infeliciter Adversariis occursum esse, & bonam causam ejusmodi partim verisimilium partim incertorum conglomeratione tradi potius, quam juvari.

XII. *Quæst. An ergo Fidelibus liceret extra Ecclesiæ Cœtum, in Foro aut in Curiâ Matrimonii sui publicam ac solennem confirmationem petere? Resp.* Minimè: siquidem Lege, consuetudine, praxi communi, aut peculiari aliquâ & inevitabili necessitate huc non adigantur. Esset enim hoc fastidire Ecclesiam Dei; contemnere ejus Agenda sacra toties jam indicata: potestati ejus in confirmandis Matrimoniis in antiquâ & in omnibus Ecclesiis Anti-Papalibus, Pedemontanis, Waldensibus, Slavonicis, Protestanticis & Reformatis usque in hunc diem, & quidem volente Magistratu Ecclesias illas fovente, aut tolerante, se subducere; etiam specie fidei & communionis segregis plurimos & intra & extra Ecclesiam scandalizare. Forte quis objiciat.

1. *Object.* Est adiaphorum: si enim & Magistratus Reformatus & Ecclesia

clesia publicè confirmandi potestatem habet, cur non liceat mihi ab utrovis confirmationem petere? *Resp.* 1. Non est adiaphorum, ex hypothesi Ordinis in Ecclesiâ nunc stabiliti, & ab ipsis Ecclesiæ Antiquæ & Reformatæ exordiis usque in hunc diem continuo usitati. Qui hic nullâ necessitate compulsus se separaret, à novitate, ab insolentiâ, ab ἰδιοσυγκρασίᾳ excusari non posset. *Resp*: Dato utrobique Fidelium Conjugium pariter confirmari, ratohaberi, renuntiari: in eo tamen est disparitas; quod in Curiâ aut in Foro Benedictio & instructio Pastoralis, Precatio Ecclesiæ, cum confirmatione conjuncta non sit. Hinc sequitur Ecclesiam hoc respectu à Fidelibus præ Curiâ eligendam.

2. *Object.* Posset talis casus incidere ut fideles ibi habitarent: ubi Ministri eos cum annexâ consuetâ benedictione ac precatione confirmare renuerent, prout tales defunctos à communi sepulturâ nonnunquam arcent. *Resp.* tali in casu aut alibi in vicinâ Ecclesiâ confirmatio quærenda: aut siquidem hoc fieri nequeat, à Magistratu postulanda. Hoc modo animam quis suam liberavit. Qui tamen rectè fecerit, si per epistolam ab Ecclesiâ aliquâ, quamvis remotiori, precationem expressis coram Cœtu istius loci Sponsorum nominibus, aut necessitate aliquâ suadente, iisdem suppressis, postulari curet; hoc vel simili modo: *sunt Religionis nostræ consortes alicubi inter alienos ab eâdem degentes, qui Conjugium inituri petunt auxilium precum nostrarum pro divinâ Benedictione*, &c. Ne quis forte putet hoc insolens planè ac peregrinum esse, is sciat ab initio in Liturgia Belgicâ Formulæ proclamationum præmissa fuisse hæc verba: *N. & N. Volunt secundum Ordinem divinum Statui Coniugali se applicare. Ad id postulant communem Christianam precationem; ut Christianum hunc statum in nomine Dei inchoare, & salutariter ad Dei gloriam finire possint.* Quæ verba cum in omnibus editionibus, etiam a. 1631. in editione Bibliorum in 8. Amstelodami apud Paulum Ravesteyn constanter retenta fuissent, in posterioribus editionibus omissa sunt: quo consilio aut quâ intentione, plane ignoro. Non dubito tamen quin primarum editionum istarum curatores rationes aliquas habuerint: quas ego incertis conjecturis in lucem protrahere nolim. Ecclesiæ nostræ ubi solummodo tolerabantur, ut in Galliâ; aut ubi latebant, ut ante hac in Belgio; aut ubi tunc peregrinabantur, ut in Angliâ, Coloniæ, Aquisgrani, Hamburgi, Francofurti, &c. nullorum matrimonia confirmabant, nisi domesticorum fidei: Uti hoc exsertè scribitur, in ordine ecclesiæ Belgicæ in Angliâ, vernaculo idiomate anno 1554. à Mart. Micron editâ cap. 30. Et in formâ ac ratione ecclesiastici ministerii peregrinorum in Angliâ a. 1550. conscripta à Joh. à Lasco: ubi pag. 572. verba sic sonant. „Nemo conjungitur in nostrâ ec-

„ clesiâ, nisi qui sese ultro ac sponte disciplinæ ecclesiasticæ prius subjecit in „ cœtu ecclesiæ: post editam illic fidei suæ confessionem. Sed postquam Religio nostra facta est publica, ac dein sola pro Religione status habita, ubique Papismo exacto, alicubi etiam omnibus aliis Exercitiis & Conventiculis prohibitis, quin etiam nullâ Conjugiorum celebratione, nisi in Ecclesiis nostris, probatâ & permissâ: necessitas imposita fuit Ministris verba quædam in insttuctione, benedictione & precatione matrimoniali pro prudentiâ suâ omittendi, aut mutandi, aut etiam quosdam planè à confirmatione, aut potius ab adjunctis sacris & ecclesiasticis rejiciendi: cum certi sint saltem *moraliter*, aut non vanè præsumant, ad confirmationem accedere subinde Neutrales, Hereticos, Blasphemos, Phanaticos: quales Libertinici Frankistæ, David-Joristæ, Swenckfeldiani, Weigeliani, Arriani, Photiniani, Epicurei seu Deistæ, &c. Sed de horum, & omnium non-baptizatorum confirmatione supra quæsitum fuit.

3. *Obiect.* Alteruter conjugum si in Ecclesiâ propter alienationem à Religione confirmari non vult: & pars fidelis, præsertim re non integrâ resilire nec possit, nec debeat; nihil restat, quam ut à Curiâ confirmatio petatur? *Resp.* Tali necessitati nemo sine gravi culpâ se implicat: uti supra sect. 1. docuimus: tantum abest, ut ex tali electâ & præsumtâ necessitate controversa ἀδιαφορία concludenda esset.

XIII. *Quæst. An liceat Pastori Peregrinos desponsatos in suâ Ecclesiâ more & modo solito confirmare? Resp. Neg.* Nisi habito testimonio & consensu proprii Pastoris, aut Pastorum istius loci; aut Magistratus: siquidem Pastores illi ob dissidium Religionis Pastoribus reformatis, nihil communicare, & solennibus Conjugalibus nostrorum se ullo modo miscere nolint. Memini Pastorem Papalem Waelwicensem Dioecesios Sylvæ-ducensis nomine *Eyndhouts*, celebri Monasterio Tongerloënsi, scedulam postulantem proclamationes matrimoniales subscriptam à vicino Pastore reformato Besoyensi amico & in studiis Academicis & in Ministerio per quam familiari, publicè coram Cœtu suo rupisse & projecisse: bile in nasum concitatâ ob subscriptionem *Joh. Sneetenus Pastor in Besoyen.* Contra quam protestabatur, nullum agnosci, nec debere agnosci Pastorem in Besoyen. Ratio hæc erat, quod ante annum 1610. quo reformati Concionatores, in vicos omnes Macropedicos (belgicè de Langstraet) introducebantur, Vicus *Besoyen* ecclesiasticè Parochiæ Waelwicensi incorporatus erat. Ab eo tempore incolæ Waelwicenses Religioni reformatæ addicti (quales erant complures), proclamationes in Templo Waelwicensi petere desierunt, professione Sponsalium apud Pastorem Besoyensem, eorundemque proclamatione in Templo Besoyensi, ubi Religionem reformatam publicè exer-

exercebant, contenti. Similiter nobis agendum fuit in omnibus Vicis limitaneis, in confinio ditionis Papalis: quotiescunque inter illorum & istius subditos Conjugia iniri contingeret. Excepto hoc necessitatis casu, (in quo analoga quædam notitia & notificatio quærenda) in nostris Ecclesiis nulli ex alienis adventantes absque proclamationibus, & publico de iisdem testimonio ad confirmationem admittuntur. Secus si fieret, intoleranda confusio, omnem Ordinem matrimonialem turbaret. Hinc factum, ut subditorum Fœderati Belgii, qui ob legitima impedimenta imprimis irritantia, ad confirmationem in suâ Ecclesiâ aut Curiâ admitti non poterant, & ad Sacerdotes alicubi toleratos, aut in vicinâ Ditione Papali publicè ministrantes confugerent, quasi trans mare appellantes, cohabitatio per Decreta Ill. DD. Ordinum deplorata & mulctata fuerit tanquam fornicaria aut concubinaria.

XIV. *Quæst. An Pastor Euangelicus Pontificio Canonico Uxorem clam copulare debet? Resp.* Movet hanc quæstionem Pruknerus centuriæ qu. 80. & ex ac cum Dedekeno in volum. Consil. Theologic. sic respondet: *Debet, si Canonicus ille sit sanabilis; de quo bona spes conversionis eluceat: non debet, si Canonicus sit insanabilis, euangelicamque doctrinam præfractè contemnens, ne in hoc suo contemtu confirmetur.* Cui sententiæ non admodum repugno: siquidem confirmationem petat à Ministro talis Ecclesiæ, ubi omnes Pontificii juxta decisionem *Synodi Brielano-Hollandicæ* a. 1623. à Confirmatione non excluduntur. Et si Monachi, moniales, Canonici huc profugi præhabitâ tantâ notitiâ, quanta tali in casu haberi potest, in nostris Ecclesiis confirmati sunt (exempla nimis nota): quidni tali in casu Canonicus? *Sed dices*; Monachi isti, Canonici, moniales deserebant Papatum: Canonicus autem manet in Papatu, & quidem in Ordine Clericali, in Ecclesiæ Papisticæ regimine. *Resp.* Ex istis, quos ego nunc respicio, aliqui, quamvis Religione sua minimè ejuratâ, forte nec spe aliquâ mutationis factâ, confirmati sunt. Alii prætexentes fugæ suæ Religionis nostræ studium, confirmati sunt: quamvis postea ob adulterii aliave crimina solum vertere coacti, ad vomitum & ad genuinam scortationum Matrem redierint. Quod si Laici non pauci manentes in communione Papisticâ nec ullam mutationis spem facientes confirmantur; quidni talis Canonicus, quem *Pruknerus* appellat *sanabilem*? Neque enim agitur de illo ad Ecclesiæ nostræ communionem & ad usum Cœnæ admittendo: sed solum solennitate tali in se & per se politicâ administrandâ, quâ etiam Magistratus in his partibus defungi solet: Ecclesiæ Synedriis & Synodis non improbantibus, sed etiam in casibus quibusdam à se eò ablegantibus. Quod ut etiam hoc similibusque in casibus, fieret, autor essem, & tutissimum esset.

 Confer,

Confer, quæ ſupra diſtinximus de Matrimonio, an & quo reſpectu ad Politicam Poteſtatem referendum ſit. Videri etiam poſſunt Bucerus in ſcriptis Anglicanis *Lib.2. de Regno Chriſti cap.15. & ſeqq. ubi cap.15.* in terminis ſic loquitur: *Cum enim Conjugium res ſit politica*; & *Seldenus in Uxore Hebreâ lib.2. cap.28.*

XV. *Quæſt. An deſponſati ſub Papatu degentes, Euangelicæ autem Religioni addicti, licitè petere poſſint copulationem à Sacrifico? Reſp.* Hæc quæſtio 81. ibidem à *Pruknero* movetur. Ad quam reſpondet cum diſtinctione: extra neceſſitatis caſum non poſſe; ſed in caſu *extremæ neceſſitatis* poſſe; *quando* ſcil. *Eccleſiola in Papatu nimis preſſa eſt, nec exitus Deſponſatis illis alibi copulationem obtinendi conceditur.* In quo illi adſtipulari non poſſum: ſiquidem non eſt faciendum malum, ut eveniat bonum. Jam vero cum ſuperſtitione & idololatriâ & quidem ſub formâ ſacramenti, Matrimonium in Papatu celebrari, nôrunt illi, qui *Rituale Romanum* inſpexerunt. Rationes, quas in 3. part. ſelect. diſpp. tit. de Superſtitione, & de Idololatriâ Indirectâ & Participatâ attuli, huic caſui aptari debent.

§.4. De Ritibus Matrimonialibus, agunt ex Jureconſultis, *Coſtanus in tract. cit. Briſſonius, Antonius & Franciſcus Hotomanni*, quorum tres tractatus de Ritu Nuptiarum Leidæ a. 1651. recuſi ſunt; *Tiraquellus de Legibus Connubial. Tholoſanus ſyntagm. lib. 9. cap. 5.* Ex Antiquariis & Philologis, *Roſinus lib. 5. antiquit. Roman. cap. 37.* cum *Paralipom. Demſteri.* Aliarum Gentium antiquarum & hodiernarum, imo & quarumcunque Regionum ac Civitatum in infinitum pœne variantes quis pertranſeat? Videndi Scriptores de moribus Gentium, *Aubanus Bohemus Teutonicus*, & *Alexander Schardus Ritus Judæorum* antiquorum, exhibet *Menochius*, aliique rerum Judaicarum ſcriptores, *Arias Montanus in antiquit. Bertramus, Sigonius de Republicâ Judeorum*: quibus adde *J. Seldeni* Uxorem Hebræam Recentiorum Judæorum Ritus recenſet *Synagoga Buxdorfii cap.25.* Hodiernorum Gentilium antiqui orbis Ritus ex itinerariis, & topographis collectos habes à *Godefrido Carolino* in lib. vernaculo tit. *Gentiliſmus Hodiernus* Ritus Turcaram breviter deſcribit *Lonicerus tom. 1. lib. 2. Hiſtor. Turc: cap. 13.*

I. *Quæſt. An ullus geſtus ac Ritus præter junctionem dextrarum in confirmatione Sponſorum, quæ in reformatis Liturgiis; Palatinâ, Belgicâ, Gallicâ, & Directorio Anglico a. 1644. in Eccleſias trium Regnorum introducto, innuitur; adhibendus videatur? Reſp. Neg.* Alios Ritus, ſi qui in aliis Eccleſiis tanquam ſigna arbitraria adhibentur; non condemnamus; ſed libertati earum relinquimus: modo evitentur ſuperſtitioſi, aut cum Papalibus aliiſque ſuperſtitioſis Ritibus ſymbolizantes. Liturgia Fratrum Unitatis

Bo-

Bohemicæ dicendo, *à Ministro dextris prehensos, pronuntiari legitimos Conjuges*; videtur indicare, dextras Sponsorum conjungi à Ministro: Liturgiæ à nobis cit. præcipiunt Sponsis ut mutuo dextras jungant, & sic manu stipulatâ ipsi coram Deo & Ecclesiâ conjugalem suam unionem declarent ac promittant.

II. *Quæst. An dextrarum conjunctio sit Ritus sacer? Resp. Neg.* Quamvis enim inter sacra & in Ecclesiâ fiat; non tamen est *formaliter* sacer, sed communis in stipulationibus, pactis, & promissionibus hominum adhiberi solitus juxta illud, *Accipe daque fidem.*

III. *Quæst. Quid de Annulo statuendum, quo digitus Sponsæ, in solennibus confirmationis, induitur? Resp.* In Papatu Sacerdos eum peculiari modo & formulâ benedictionis sanctificat: ut videre est in *Rituali Romano.* Apud Gentiles dicebatur Annulus pronubus; de cujus religiosâ consecratione *Laur. Pignorius* Philologus in *epistolis pag. 62. De triplici Annulo. Cornmannus in tract. de Jure Virginum.* De monumentis veterum Annulorum *Abrah. Gorleus in suâ Dactylo-thecâ.* De Annuli origine, antiquitate, usu plurima reperies apud *Anton. Matheum* Juris in hâc Academiâ cum viveret, Antecessorem clarissimum in volumine orationum, *orat.* 5. Quæ apud *Zanchium, Pruknerum,* &c. de Sponsæ deductione aliisve quibusdam Ritibus quæruntur: nos suum cuique populo arbitrium hic relinquimus; modo tanquam adiaphora, & civilia seu communia (non tanquam sacra) solennia habeantur & remotâ omni superstitione adhibeantur.

De Convivio Nuptiali quæritur: §. 5.

I. *Quæst. An sit licitum? Resp. Aff.* 1. *Quia* ex solo exemplo Christi demonstrari potest. Ille enim ad illud se vocari passus non fuisset nec ei interfuisset. Alia exempla Simsonis, &c. quæ ex scripturâ adduci solent, nullam nobis demonstrationem faciunt: nisi aliqua à Deo per scriptorem θεοδίδακτον & infallibilem probentur. 2. *Quia*, Convivia non sunt illicita: ergo nec Convivia tali occasione instituta. Antecedens probatur ex exemplo Christi, qui cum discipulis interfuit Conviviis, Math. 9. v. 10. Joh. 12. v. 2. Vide *Martyrem in loc. comm.* & *Daneum in Ethicâ.*

II. *Quæst. An Nuptiarum celebratio conveniat Diebus Dominicis? Resp.* Supra hoc attigi, cum agerem de tempore confirmationis Matrimonii, & *Synodi Nationalis Dordrac. a.* 1619. *Walei, Rodolphi, Petri,* & Ecclesiar. Hungaricar. *Wilh. Zepperi* sententiam de hoc quæsito indicarem. Ratio una hæc sufficere debet, quod cum totus dies cultui divino consecrandus sit; injustum esset tot hominibus apparatu pomparum & epularum, atque exspectandis, deducendis, excipiendis convivis occupatos, si non toto

toto Sabbatho saltem potiori aut magnâ ejus parte, sine ullâ necessitate spoliari. Confer quæ in Disp. de Sabbatho part. 1. a. 1638. & postea cum 3. part. select. Dispp. secundis curis editâ, de ejus observatione, & de operibus necessitatis docuimus. Est tamen cui Synodi Dordracenæ petitio, & sententia Theologorum modo cit. & Ecclesiarum Hungaricarum non ita „probari videtur: quod *non obstarent* illius diei debitæ sanctificationi „gaudia & Convivia Nuptialia, peractis jam quę spectant ad cultum pu„blicum, magis quam id quod à Sacerdotibus fiebat in templo cum appa„rente violatione Sabbathi *Math.* 12. *v.* 5. si modus illis Christianus & „sobrius præfigeretur, illudque Chrysostomi sæpius inculcaretur, Nuptias „audivistis, choreas non audivistis. Alias luxus, temulentia, insolentia, „quarum vitandarum gratia credantur Nuptialia sacra in dies non sacros „commodius rejici posse, semper æque nefastæ sint, & vitandæ, nec „magis profestis licitæ, quam Sabbatho &c. Leges sumtuarię contra „hunc abusum severę sanciantur: vel hæc esto pœna eorum qui grandia „& insolentia in suis Nuptiis Convivia meditantur, ut earum benedictio„nem & sanctificationem eo die non consequantur, cui Deus benedi„xit, & quem in cultum suum & solenniorem benedictionem populi sui „sanctificavit, vel saltem talia Convivia cogantur in perendinum differre; „sed benedictio & celebratio Nuptiarum, tanquam Sabbathi sanctifica„tioni contraria, eò die non impediatur ne plus quam Judaica servitus „impediatur. In hac dissertatione aliqua notanda occurrunt. I. *Quod* paria facit Convivia Nuptialia, cum operis Sacerdotum necessitate medii ad exercitium cultus divini per oblationem sacrificii requisitis. Ipse postea statuit Sponsos coercendos esse ad talia Convivia in diem perendinum rejicienda. Ergo ex ipsius sententiâ, Convivia illa non sunt necessario prærequisita, aut consequentia, sabbaticæ confirmationis & benedictionis Sponsorum, adjuncta ἀχώριστα. Atqui operæ Sacerdotum erant cultus divini necessaria adjuncta. 2. *Quod* quasi in Republica Platonis versaretur de Conviviorum modo dicens, nihil dicat; quod ad quidem consilium in præsenti rerum statu capiendum, facere possit. Notum est, quomodo inter nostrates potentes, Nobiles, Patricios, Mercatores, Plebejos, opulentos Rusticos, tenuiores, pauperes, celebrentur Nuptiæ. Dato, per conceptum imaginarium, in potentis alicujus Nobilis, aut opulenti Mercatoris, aut opulenti Rustici Convivio Nuptiali ad sesquihorium aut bihorium aut ultra protracto, neminem ex tanto invitatorum numero in excessu cibi, potus, confabulationum, honestarum recreationum, aut lusuum, aut in erectione arcuum triumphalium, bombardarum explosione, pompę ad templum deductione, & ad domum nuptialem reductione, peccare: an jam omnibus qui ista curant, & pa-

ant sive ut causæ principales sive ut instrumentales, immo an promiscuæ multitudini, præsertim Adolescentum & Puellarum ad spectacula hæc concurrentium satis cautum est, quod ad religiosam Sabbathi observationem? Non quæram nunc de Choreis, Ballettis, Comœdiis: quas à nonnullis inter Potentiores & Ditiores honestis recreationibus hodie annumerari, haut ignorare debebat. 3. *Quod* totam Sabbathi sanctificationem in solo cultu publico constituere videatur: quasi alia in 3. *part. sel. dispp. tit. de Sabbatho*, &c. ex Synodi Dordracenæ, & Theologorum sententiâ indicata, ad totum diem sanctificandum, jam prædamnata essent. Et quid facerent illi, qui unâ tantum concione matutinâ ante nonam aut decimam ut plurimum finitâ, fruuntur? 4. *Quod* exorbitantiæ in Nuptiis commissæ semper æque nefastæ sint Diebus Dominicis ac aliis. Quasi circumstantia temporis non aggravaret peccata, per quæ à cultu divino tunc solenniter exercendo homines aut partem aliquam, aut in totum avocantur; aut ad eum minus apti & præparati redduntur. 5. *Quod* pauperiores absque strepitu Nuptias suas peragere solent. Hoc repugnat experientiæ: quę docet majore cum strepitu clamorum, lusuum, concertationum pocularium, saltationum, litigiorum, verberum Nuptias illorum peragi, quam ditiorum. 6. *Quod* in fine dissertationis totam causam tradere videatur; & idem, immo plus dicere, quam illi, quos sibi fabricat & fingit Adversarios: ut *qui grandia & insolentia meditantur Convivia, Nuptiarum benedictionem & sanctificationem eo die non consequantur*, &c. *vel saltem talia Convivia cogantur in perendinum differre.* Hæc quomodo cum præcedentibus conveniant, & quomodo elencho Adversariorum, quos in imaginatione suâ sibi proponit, inserviant; fateor me non videre. Antea monuerat Ministros Reformatos ut sedulo sibi *caverent, ne dum subterfugiunt benedicere Nuptiis Die Dominico, ceu ejus sanctificationi accuratiori studentes, eo ipso annumerentur Nuptiarum vituperatoribus*, &c. Et addit, *quod prohibendo aut procurando prohiberi Nuptias Diebus Dominicis*, &c. *accusarentur profanati Sabbathi omnes Ecclesiæ in quibus huc usque contrarium obtinuit, & apud quas vix aliter fieri potest.* Schiomachiam hanc si exercere voluisset, velim à Ministrorum Reformatorum nomine abstinuisset: aut si aliquos eorum à Judaicâ superstitione revocandos putasset, saltem à Judeorum exemplo Nuptias suas, aliaque lauta Convivia die Sabbathi celebrantium abstinuisset: ne vel pueri hinc deprehendant, potius videri Ἰουδαΐζειν, qui Convivia Nuptialia Diebus Dominicis celebrant & celebrari volunt, quam eos qui non celebrant, aut non celebranda suadent. Alicubi (etiam hic Ultrajecti) funera Diebus Dominicis à Magistratu prohibentur: ob eorum strepitum & pompam publica ac privata pietatis exercitia turbantem: an satis solidè & candidè talis consilii, decreti, mandati

executioni & observationi quis obloqueretur, dicendo: quod hâc ratione *omnes Ecclesiæ* & Politiæ *profanati Sabbathi accusantur*; *in quibus huc usque contrarium obtinet*, &c. Quid si ergo queram, An ergo Ecclesias illas in Majoribus quibusdam Belgii nostri Civitatibus suspectas habiturus sit; ubi ordinariò plerumque Sponsorum confirmationes & benedictiones extra Diem Dominicum peraguntur; quasi essent vituperatores Nuptiarum, &c. Sed facessat talis Theologizandi methodus per arreptas quasvis odiosas consequentias, per verisimilia, conjecturas, colores, aliósque inanes rhetoricationum tinnitus, meros λόγους λήρους: & hominibus nostris, potius ὁμοθυμαδὸν suadeamus, ad quod disputator eos præsenti intentatâ pœnâ vult cogi; ut nuptiales epulas & pompas à confirmatione & benedictione ecclesiasticâ separent, aut hanc in alium diem rejiciant. Hoc si agat, spondeo nullum ex Ministris Reformatis ab ipso dissensurum.

III. *Quæst. An Choreæ in Nuptialibus Conviviis sint ferendæ? Resp.* Habet hanc queſtionem Joh. Gerhardus in loc. comm. & ex eo Pruknerus centur. cit. qu. 87. & respondent sub distinctione, licitas esse, non *impudicas*, sed *honestas*; & quidem *Juvenis* cum Virgine aut Matronâ pudicâ, *interdiu*, publico in loco, *honestæ recreationis* causâ Eccles. 3. v. 4. Nos de Choreis Virorum cum Mulieribus in Galliâ, & Belgio usitatis antehac, in Dispp. de Excelsis mundi, inhærentes Synodorum antiquarum & nostratium decretis aliter determinavimus: adductis iis rationibus, eâ nube testium; ut à sectæ Præcisisticæ (quo quidam hodie imprudentiores cœperunt terrere) μυρμυλυκείου causam hanc liberandam speremus. Tantum hâc occasione addimus, Pontificiis choreas nunc quasi lege receptas: à quibus ne quidem ipsi Clerici abstineant. Quod an cum antiquitatis disciplinâ & praxi conveniat, ipsi judicent. Arcanum aliquid de choreis pandit *Jesuita Gabriel de Henao in suâ Empyreologiâ* anno 1652. *editâ ubi lib.* 8. *exercit.* 33. *sect.* 2. scripturæ testimoniis & 9. rationibus, accedente consensu plurimorum ex suis Doctoribus, probare contendit, choreas in cœlo empyreo à beatis exerceri: proinde non improbari ab Ecclesiâ, immo in celebrioribus festivitatibus easdem *approbari*, *& in sacris ædibus fieri permittit*. Pro quo adducit *Swarez tom.* 1. *de Religione lib.* 3. *cap.* 6. §. 4. *& Raphaelem à Torre in* 22. *qu.* 99. *art.* 7. *disput.* 7. Et quamvis Patrum, & complurium inter suos illic cit. determinationes contra choreas fateri cogatur, ictum tamen illum declinare se putat, dicendo, invehi in Choreas *theatrales*, *scenicas*, *lascivas*, *& impudicas*. Quasi scilicet hodiernæ à talibus per omnia differrent. Quid dicam de transcendentalibus ipsius epiphonematis §. 30. *Quidni Cœlites in suis festis choreas exercebunt?* §. 32. *fallor, nisi æmulatione Davidis saltaturi sint incolæ empyrei ante Mariam.* §. 34. *Quapropter caveat quisquis damnârit saltationes cœlicolas*

las in cultum obſervantiamque Chriſti : ne & ipſe objurgetur. Mirum eſt eum ad commendationem earum, non adduxiſſe choreas Angelorum, & ipſius Dei in paradiſo in Nuptiis Adami & Evæ : de quibus ſomniant Judæi, apud *Buxdorfium in ſynagogâ cap.* 28. *p.* 406. 411. *edit. poſter. in* 8. Certè ſi rationes hujus Diſputatoris in hâc exercit. & toto lib. 8. expendimus, non video cur eâdem conſequentiâ omnes voluptates guſtus & tactus cum Muhammedo Beatis in Paradiſo tribui non debeant? Et ſi quis opponeret illud Math. 22. v. 27. *non nubent*, &c. pariter excipi non poſſet, intelligendum hoc eſſe de laſcivis, mollibus, & impudicis deliciis ac voluptatibus: non autem de puris, defæcatis, ſublimatis, cœleſtibus. Quomodo fere noſter §. 34. *diſtinctius audimus & nos in Beatis tripudia, quæ proculdubio erunt decentiora, & magis in virilem modum.* Si ergo Beati in cœlo, ſi Sancti in terra, ſi Epiſcopi & Clerici in Eccleſiâ (præſertim tempore paſchali, apud *Durantem lib.* 5. *Rationalis*) choreas exercent : multo magis in Nuptiis illud agendum. Vigilantes ergo ſomniârunt antiqui patres, Waldenſes, reformati, & nubes illa teſtium in diſpp. de Excelſis Mundi adducta. Et nos, cum à verbo Dei & perpetuo teſtium veritatis catalogo, cum cothurnis & Eceboliis in gratiam vanitatis hujus recedere nolumus; Novatores, Miſanthropi, inculti, horridi, agreſtes, rigidi, naſuti, contentioſi audimus? Ita ſcil. volunt, ita jubeat χαριέντων veteratorum & κοσμικῶν Patres conſcripti. Sit ſane : modo ne cerei & in vitium flexiles, animarum prodigi, conſcientiarum proditores, verbi divini traditores, in die Chriſti inveniamur. *O Timothee cuſtodi diſpoſitum*, &c. 1 *Timoth.* 6. *v.* 20. Ubi nunc antiqua diſciplina juxta Synodorum noſtrarum decreta? Sed proh dolor quotidie in pejus proficimus. Hęc tempora Antichriſtum aliaque Dei judicia requirunt. Quod ſi alicubi viri Dei has aliaſque vanitates lugere & tolerare coguntur, ne tamen unquam à veritatis προδῶσι, & coram Deo ac hominibus erga excelſa hæc proteſtatione ceſſent : *ut ſciant Prophetam fuiſſe inter ipſos Ezech.* 2. *v.* 5. Imitentur ad minimum *Matheum Monachum* in quæſt. & Cauſis Matrimonialibus tom. 1. Juris Orientalis lib. 8 inſertis pag. 500. *Canon*, inquit, 53. *Laodic. Synodi præcipit, ut Chriſtiani, qui eant ad Nuptias gravitatem ſibi convenientem ſervent, & ſaltantibus & ludicras res agentibus animum non advertant. Quod præceptum Canonis hujus modo neglectum jacet.* Proponant ſibi tres illuſtres in Belgio noſtro veritatis hujus teſtes, *Taſſinum in lib. de vitæ emendatione*; *Rivetum in explicatione decalogi*; *Altingium in problematicâ novâ.* Quos præ aliis quamplurimis potius, chorearum zelotis propono, non tantum quod domeſtici ſint, & quod tam celebres omni exceptione majores, ſed imprimis quod ſolita illa Zelotarum exceptione iis occurri non poſſit;

quasi nimis simplices, & rerum istarum ignari fuissent, quippe qui procul omni ab Illustrium Familiarum, Aularum, Urbium splendore privatim sibi & musis suis in Oppidulo aut Vico cecinissent: Quod si isti, quia forte nimis Reformati, Præcisisticæ Theologiæ prejudicium apud choreutas nostros eorumque Patronos avertere nequeant, addo ex molliori Theologiâ Remonstrantium (quorum fistula plerisque Libertinis, & Viris de hoc sæculo dulcius canere videtur) Episcopii determinationem contra choreas in quæstionibus, quæst. 41. ubi concludit: quidquid sit, *imprimis non decere Senes, Ministros, Seniores, Diaconos, Membra Ecclesiæ, Senatores & qui aliquo munere in Republicâ funguntur.* Quid diceret, si aliquem istorum in gynęcæis & conventiculis saltantium, in Festis Nuptialibus præsultorem, immo & gratis Pyladem aut Bathyllum (de quibus vide sis *Dionem in Augusto & Senecam lib. 7. natur. quæst. cap. 32.*) hoc est, artis choreuticæ Magistrum ac dictatorem, agere videret: ne solus Nero Imperatorium Dignitatem in Theatro prostituisse dicatur.

IV. *Quæst. Quid de Epithalamiis? Resp.* Esse ea adiaphora. Absit modo fescennina locutio, & stolida Gentilis idololatriæ mimetica hodiernis Poëtis plus satis familiaris. In scripturâ Spiritui S. ut Conjugium spirituale cum corporali *Ephes. 5.* comparationem, sic & spiritualis Conjugii carmina Nuptialia dictare placuit: Vide *Psalmum* 45. Cujus titulus est שיר ידידות, id est, *Canticum amorum:* Salomonis scil. & Filiæ Pharaonis; quorum Conjugium adumbrabat Christi & Ecclesiæ Conjugium spirituale: uti communiter à Christianis interpretibus explicatur à R. D. Kimchi præter morem, hoc canticum fatetur dictum esse על המלך המשיח, id est, *de rege Messiâ.* Ibidem titulum *canticum amorum* interpretatur כי בו אהבת ה׳ למשיחו, id est, *quia in eo dilectio Jehovæ erga Messiam suum.* Adde Canticum Canticorum, quod formâ idyllii & dialogi pastoralis conjugalem Christi & Ecclesiæ amorem quasi ob oculos depingit.

LIB.

LIB. III. TRACT. I. SECTIO TERTIA.

DE

CONJUGII OPPOSITIS.

CAP. I.

De Cœlibatu licito & illicito.

Conjugio opponuntur 1. Cœlibatus. 2. Conjugium irritum seu γάμος ἄγαμος. 3. Divortium & desertio. 4. Polygamia. 5. libido seu luxuria quævis impudica. Cœlibatus conjugio privativè opponitur vel licitus vel illicitus. *Licitus* est castus Cœlibatus, in quo quis vas suum in honore possidet. Estque vel Virginalis, vel Vidualis. *Illicitus* est vel magis spontaneus, vel magis coactus. *Ille* est vel ex contemtu conjugii, vel ex neglectu. Ex *contemtu* est eorum, qui censent conjugium esse malum: ut Tatiani, Encratitæ, Manichæi; de quibus Hæresiologi antiqui & recentiores. *Ex neglectu*, qui à conjugio abstinent ob molestias conjugales, aut ob rationes culinarias: quod non satis splendidum & lautum adipisci possint. *Coactus* Cœlibatus est, vel voto Castratio fit medicamentis aut ferro, exemplo Sacerdotum Cybeles. Morem illum Gallorum Cybeles Sacerdotum qui in memoriam Atydis (de quo Catullus in suo Gallijambico, versu 5. *Devolvit ipsa acuto sibi pondera silice*) disces ex Arnobio lib. 1. & 5. c. Gentes ubi appellat *abscissos & eviratos*, *semiviros*, *effœminatos*; Hieronymus in Hos. 4. *archigallos*, *truncatos*, *effœminatos*, Val. Flaccus 7. Argonautic. *exsectos*; Lactant. lib. 1. cap. 21. *deglabratos*; Prudentius περὶ στεφανων *semiviros*, *imberbes*. Lactantius lib. 1. §. 21. de sacris matris Deum: sic loquitur *in quibus*, inquit, *homines suis ipsi virilibus litant: amputato enim sexu, nec viros se nec fœminas faciunt*. Confer eundem cap. 17. de Sacerdotibus & sacris in honorem Rheæ seu Cybeles; & *Lucianum de Deâ Syriâ*; *Prudentium in Romanum Martyrem*; *Augustinum de Civit. Dei lib. 6. c. 7.* Ex recentioribus Natalis Comitis mythologiam lib. 9. c. 5. *Elmenhorstium in Commentar. ad Minutium*; *Ouzeelium in animadvers.* in eundem p. 91. 97. 98. qui plenius ista exsequitur; & in dissonam historiæ, aut potius fabulæ de Attyde apud autores cit. narrationem inquirit. Conferri possunt quæ supra *sect. 2. cap. 1.* de castratis aliisque impotentibus, instar canis è Nilo bibentis attigimus. De coacto cœlibatu Vestalium apud Romanos §. 1.

 vide

vide *Rosinum lib.3. antiquitat. cap.19.* & *Hospinianum* de Monachis cap.20. *De Voto* Monachorum, & imposito Clericis cœlibatu infra part. 2. lib. 3. & 4. agemus. De Cœlibatu has quęstiones proponimus.

I. *Quæst. An Cœlibatus omnibus hominibus sit licitus. Resp.* De omnibus collectim *Neg.* Obstat mandatum divinum Genes. 1. v. 28. *Crescite & multiplicate vos*, &c. Et necessitas medii ad propagationem generis humani, & Ecclesiæ.

II. *Quæst. An quibusvis hominibus, aut etiam multis, præsertim utriusque sexus juvenculis per exsuperantia virginitatis elogia & per* ἐξουθενισμὸν *Conjugii, Cœlibatus suaderi debeat? Resp. Neg.* In Papatu hoc strenuè agitur: tum à Parentibus aut Tutoribus, tum à Clericis & Monachis. *Ab illis*, ut familiaris ab expensarum onere liberent, & reliquis liberis in sæculo mansuris tanto plus accrescat; aut etiam ut occasione Clericatus & Monachatus, familiam suam per opum & honorum adjectionem exaltent, siquidem contingat Monachum aut Clericum suum inter majorum gentium Deos aliquando adscribi. *Ab istis*, ut semper suppetant, unde lapsi generis sarcire ruinas, & numerosa omnium ordinum collegia, capitula, monasteria implere, & perpetuam eorum successionem fabricare queant. Nec desunt extra Papatum μισόγαμοι, qui ob nescio quas causas, liberorum aliorumque domesticorum suorum Conjugia non tantum non promovent, sed opportune importune, apertè & occultè, per fas per nefas impediunt. Quo fit, ut aliquando ob neglectum, si non contemtum istius Apostolici *Hebr.13. v.4. honorabile est conjugium*, &c. *scortatores & adulteros Deus puniet:* ipsi variis peccatis occasionem prębeant, & subsequentibus plerumque calamitatibus miserè involuti sero sapiant. Omnibus illis Consiliariis sive per falsæ Religionis deceptionem, sive per proprias rationes de hoc sæculo homines promiscuè ad Cœlibatum impellentibus suggerendum est Servatoris *Math.19.v.10.11.12.* responsum, ad objectionem à discipulis motam: *si tale est negotium hominis cum uxore, non expedit uxorem ducere. Non omnes*, ait, *sunt capaces hujus sermonis, sed quibus datum.* Sunt enim Eunuchi, &c. *& sunt Eunuchi qui se castrârunt propter regimen cœlorum. Qui potest capax esse, capiat.* Novit æterna sapientia quid sit in homine *Joh. 2.v.25.* Consiliarii & proxenetæ Cœlibatus non nôrunt 1 *Cor.2.v.11.* Novit Spiritus S. qui omnia scrutatur 1 *Cor.2.v.10.* & dictavit Apostolo, *Unumquemque donum suum habere*, & *melius esse nubere, quam uri* 1 *Cor.7.v.7.* Si æterno Patris λόγῳ, si Spiritui S. ducenti in omnem veritatem auscultasset Hieronymus, utique non tot quæsitis & ἀγράφοις rhetoricationibus Virgunculas & Juvenculas Viduas ducere studuisset captivas, ut eas à Conjugio averteret: quo tamen salutari & divinitus ordinato remedio aliquæ earum forte non minus ali-

quando

quando potuissent indigere, ac ipse cum Bethlemi jejuniis se pœne confi-
ciens (si quidem ipsi habenda fides) videbatur sibi Romæ inter choros
puellarum versari. Videant, quibus vacat, ipsius epistolas ad Salvinam & De-
metriadem imprimis ad Gerontiam de viduitate servanda; & libros adver-
sus Jovinianum, quibus ea hyperbolica pro virginitate contra Conjugium
insparserat; ut plus satis haberet excogitatis incrustationibus & commentis
submissâ apologiâ se expurgare.

CAP. II.

Quæritur. De irritantibus Conjugia; ætate scil. immaturâ, defectu naturali & accidentali, incestu, constante parentum dissensione, religionis diversitate, virginitatis corruptione, aliarum conditionum promissarum & præstandarum defectu.

PRæsupponibus dissolutionem Conjugii (de quâ cap. proximè sequ.) ab ejusdem irritatione differre. Hic simul & semel de omnibus irritationibus determinabimus. Quæritur de Irritatione.

I. *Quæst. An ætas immatura irritet? Resp. Aff.* est enim talis γάμος ἄγαμος: quia non sunt nec possunt esse in carnem unam, nec convenire ipsis τὸ *crescite & multiplicamini* Genes. 1. v.22. cum 2. v.24. De hoc vide supra sect. 1. cap. 3. & sect. 2. cap. 1.

II. *Quæst. An defectus naturalis, aut accidentalis? Resp.* De defectu superveniente in ipso Conjugio, sive animi sive corporis. *Neg.* Quamvis nonnulli in quibusdam casibus exceptionem aliquam admittant. Sed in hoc casu propriè de divortio quæritur. Vide cap. sequ. De defectu post contracta sponsalia ante nuptias superveniente supra sect. 1. cap. 6, quæst. 5. disquisivimus. De defectu animi aut corporis sive naturali, sive adventitio ante sponsalia satis noto supra sect 2. cap. 1. qu. 2. 3. cum distinctione respondimus.

III. *Quæst. An Incestus? Resp.* Absolutè *Aff.* de veri nominis incestu; nec ulla dispensatio, aut distinctio hic locum invenit. De quo supra sect. 2. cap. 3. & 4. Nec repetimus: tantum autoritatibus contra incestum viri cum nepte defunctæ uxoris 85. adductis addimus, decisionem facultatis Theologicæ Leidensis, quam tunc non videram. Exstat ea in operibus Theolog. Cl. Theologi *Walei* tom. 2. pag. 486. Et tale prætensum Conjugium in Ecclesiæ nostræ membris tolerandum non est, multo minus in Ecclesiæ Ministro; sed irritationis effectum intentatione disciplinæ promovendum; & in casu contumaciæ ipsâ executione, usque ad excommunicationem,

tionem, castigandum; ut Ecclesia ab omni participatione liberetur. Vide quæst. catecheticas 82. 85. Quod si alicubi Magistratus in suâ ditione tales cives aut incolas toleret (uti aliquando factum est); immo hæc aliave incestuosa Conjugia approbet sive lege communi sive dispensatione peculiari: Ecclesia tamen Juri Divino & Foro Conscientiæ inhęrens, officium suum non negliget, tum improbando & Conjugium & erroneum Magistratus hâc in parte judicium, tum non recipiendo sic conjugatos in suam communionem, & si ante Conjugium recepti fuerint, ab eâdem separando. Apostolus 1 *Cor.* 5. satis ostendit Ecclesiam in talibus casibus non debere respicere quid Magistratus in civibus suis probet aut toleret, sed quid Ecclesiæ ad informationem conscientiarum, animarum salutem, scandalorum amotionem, & communionis suæ integritatem atque εὐταξίαν conservandam juxta juris divini pręscriptum agendum sit. Aliæ enim sunt leges Cæsaris, aliæ Christi, aliud docet Papinianus & aliud Paulus: ut loquitur *Hieronymus ad Oceanum.*

IV. *Quæst. An constans dissensus parentum? Resp.* Præsupponimus, nec Sponsalia contrahenda nec Conjugium ineundum absque consensu parentum; & graviter peccari ab iis, qui tale quid audent. Sed quandoquidem nonnunquam quod malè fit, cum factum est, tenet: nec omne impedimentum conjugii est irritans, hic propriè quæritur. An si alicubi sive secundum legem aut consuetudinem communem (uti in Papatu) sive per peculiarem Magistratus dispensationem aut conniventiam, sive per invincibilem ignorantiam Magistratus aut Ministrorum (qui scire non poterant an parentes adhuc essent in sæculo) in Conjugio confirmati eoque aliquamdiu usi essent; in conscientiâ teneretur ilico possessionem illam, tanquam non bonæ fidei, deserere, & Ecclesia ejusque Ministri sic conjugatos ad illud hortari, & intentatis censuris compellere. Quid juris sit, ex Reformatorum sententiâ de necessitate illius consensus satis liquidò colligi videtur. Sed manet quæstio, an æquitas omnis à Parentibus hic exulare debeat, cum res non sit in integro; & an Ecclesia ad eam Parentes nimium forte rigidos & rigidè irritationis executionem urgentes adhortari non debeat. Nos putamus non uno modo de omnibus judicandum: sed distinguendas esse qualitates & conditiones Conjugum, quibus hactenus consensum suum Parentes negârunt, & quorum separationem, etiam quod ad prætensum vinculum, etiamnum urgent. Quod si enim quis honoratæ familiæ Filius infamem meretricem morbo vagæ libidinis præmio decoratam, aliisque qualitatibus minime optandis insignitam, à Sacrificulo in Regno Papali quasi trans mare appellando duxisset (qualia exempla novi): an quis vir honestus, parentibus consuleret, aut eos exoraret, ut con-

ensum expressum aut tacitum tam infelici Conjugio accommodarent? Non arbitror. Quod si ex alterâ parte Conjuges, sine consensu Parentum copulati, cætera bonæ, aut non ita malæ frugi, & probè, pacatè, satis feliciter in Conjugio viventes, temerarii sui facti pœnitentiam agant, veniam à Parentibus petant; an Ministri ipsorum Conscientiis imponent, ut ilico Conjugium suum tanquam non Conjugium abrumpant? Nec hoc arbitror. Quæres ergo *quid ipsis agendum, si Parentes, omnibus tentatis, nihilominus in sententiâ suâ persistant, & irritationem ejusque effectum urgeant?* Nullum aliud consilium suggeri potest, quam ut omnibus aliis intercessionibus tentatis, ad Magistratum, aut ad consistoria, aliave collegia potestate in talibus instructa confugiant, eamque peremtoriam sententiam postulent.

V. *Quæst. An dissentientium Parentum autoritas in Foro interiori Conscientiæ, aut in Foro exteriori omnia Sponsalia reddat irrita & partes contrahentes fide datâ absolutè liberet? Resp. Neg.* Quod ad Forum externum, distingui solent contrahentes in *minorennes* & *majorennes*. *Illorum* Sponsalia per statuta Hollandica (vernaculè **Ordinantien van Policyen**) irrita habentur per dissensum Parentum; ita ut ad proclamationes & confirmationem tales non admittantur. Sic quidem ordinario: posset tamen de lege positivâ dispensari à Magistratu; sicuti aliquando alio in casu Conjugium à Senatu vel Consulibus civitatis puellæ decimum-septimum agenti annum contra dissentientes Tutores adjudicatum memini. Sed forte distingues inter potestatem Tutorum & Parentum: de quo mox quæremus. *Istorum* vero sponsalia minimè irrita: sed tenentur Parentes sui dissensus causas Senatui exponere. Quod si detrectent, aut rationes, quas allegant, judicentur insufficientes: ad confirmationem admittuntur publicâ Senatus autoritate, qui supplet defectum consensus Parentum, & inter Parentes ac Liberos *peremtoriè* judicat. Neque enim Parentum potestas est suprema & independens; ut abusus ejus ab architectonicâ Magistratus potestate & directione absolutus sit. Et certe nisi hoc remedium suppeteret Liberis, qui ab iniquis Parentibus inclementer habentur, utique miserrimi forent; quippe ab omni præsidio & refugio omnibus hominibus divinitus dato (*Rom.* 13. *v.* 1.-6.) exclusi. Certe Parentes non habent jus vitæ & necis, in suos liberos: uti hoc probatur à *Riveto in decalogum contra Bodinum lib.* 1. *politic. cap.* 4. Si liberis injuriam in corporibus, bonis, libertate inferant, præsidium hoc ipsis relinquitur: & quidni pariter in casu, honestè intenti & desiderati Conjugii? Theologi nostri, qui necessitatem consensus Parentum & irritationem Conjugiorum, in genere determinant, aut ad Liberos minorennes & nondum emancipatos restringunt; non excludunt, sed potius apertè concedunt, Liberis, si gravari se putent, provoca-

tionem ad Magiſtratus, & conſenſus eorum loco conſenſus Parentum, poſtulationem. Abſolutè determinantes ſunt *Balduinus lib.* 4. *Cіſ. cap.* 14. *c.* 9. & 10. *Tarnovius de Conjugio lib.* 1. *cap.* 75. *quæſt.* 7. *Daneus part.* 3. *Iſagogæ lib.* 4. *cap.* 10. *Polanus lib.* 10. *Syntagm. cap.* 53. qui ſecuti concubitus caſum excipit *Zanchius part.* 2. *de operib. creat. lib.* 4. *cap.* 1. *Rivetus in decalogum.* Diſtinguentes ſeu reſtringentes ſunt *Danhauwerus in Decalogum*, *Fr. Junius in append. ad Levitic.* 18. Et *Synodi Belgicæ Nationales Embd.* 1571. *artic.* 23. *Dordracena* 1578. *cap.* 5. *artic.* 3. 4. 5. *Middelburgenſis* 1581. ad quæſt. particularem 53. Theologi & Jureconſulti, qui patriam poteſtatem in negotio matrimoniale abſolutam negant, ſed conditionatam & limitatam aſſerunt ſunt Lutherus tom. 5. Jenenſ. German. lib. de Cauſis Matrimonialibus col. 254. qui Parentibus immitibus poſt adhibitam omnem interceſſionem ad Magiſtratum ablegat; ut eorum conſenſus Parentum conſenſui ſuccedat. Melanthon in Examine cauſam ad Magiſtratus judicium deferendam ſtatuit. A duorum iſtorum ſententia nec Theologos nec Jureconſultos proteſtantes & Reformatos recedere, conſtabit ex inſpectione autorum, quos notamus: quorum aliqui verba *Lutheri exhibent.* Vide *Joh. Gerhard. in loc. comm. tit. de Conjugio. Tarnovium lib. de Conjugio cap.* 73. *Zepperum in explic. Legum Moſaic. lib.* 4. *cap.* 18. *p.* 475. *Chemnitium in Exam. Concil. Tridentini part.* 2. *tit.* Matrimonio poſt diſceptationem de requiſito conſenſu Parentum, hanc reſtrictionem adducit : *Si vero Parentum vel negligentia vel durities illâ ſuâ poteſtate abuteretur, & non vellet Liberis proſpicere de Conjugio, vel conaretur impedire honeſta Matrimonia, aut cogere invitos ad incommodas conjunctiones, certa juris remedia huic abuſui & oppoſita ſunt, & alia opponi poſſunt.* Sed quid multis teſtimoniis accumulandis me & lectorem fatigo : cum in omnibus Eccleſiis & Politiis Reformatis, & in Belgio noſtro Lex non ſcripta, perpetua ſcil. conſuetudo liberis in caſu negati conſenſus hanc viam oſtendat, & poſt omnia fruſtra tentata eoſdem ad judicium Magiſtratus aut Conſiſtorii poteſtate inſtructi ableget, & Magiſtratus aut Conſiſtorium auditis & expenſis Parentum rationibus, ſi juſtas & ſufficientes invenerit, Liberis abjudicant quod petunt : ſin ſecus, Liberis adjudicant poſtulatum Conjugium, & loco Parentum conſenſum ſuum applicant. Ex Jureconſultis Cypræus de Jure Connubior. cap. 5. ſect. 4. §. 7. & 10. *Si Parentes diſſentiendi & impediendi cauſas & juſtas & probabiles non habeant, Nuptias impedire non poſſunt, & prohibitio pro nihilo habenda eſt. Joach. Beuſt* Juris Profeſſor Wittenbergenſis, Conſiliarius Saxonicus, & Judicii ſupremi Eccleſiaſtici Aſſeſſor in tract. de cauſis Matrimonialibus num. 47. pag. 216. hanc circa requiſitum Parentum conſenſum adjicit reſtrictionem:

Eſt

,, Est enim adhibenda ἐπιείκεια ne vel lædatur pietas & parentum au-
,, thoritas minuatur, vel etiam ipsorum tyrannis ac liberorum licentia con-
,, firmetur. Et officium judicis est considerare, an & quando parentes ha-
,, beant probabilem causam refragandi vel non, ut & Philip. Melancht. in
,, all. loco de conjugio & late Lutherus in suo libello de casu matrimoniali-
,, bus docent: Patria enim potestas in pietate non in atrocitate consistere
,, debet, L. Divus, ad L. Pompo de parricid.

Cypræus cap. 5. §. 2. & 4. idem pluribus prosequitur. & Parentes ad rationes dissensus reddendas compellendos statuit, *Carpzovius* lib. 2. Jurisprud. Eccles. seu consistorialis tit. 3. à definitione 53. à Consistorialibus aut Magistratu decerni posse Conjugium invitis parentibus, siquidem causa nulla aut non justa ab iisdem proferatur; probat ex Consistorii supremi decretis, rescriptis, sententiis; & consensu Theologorum *Bezæ, Joh. Gerhardi, Lutheri & Melanthonis. Lutheri* suffragium à Theologis *Gerhardo, Tarnovio, Thummio in decalogi præc. 6. & Jureconsultis Protestantibus* citari solet. *Carpzovius* ibidem ex Jureconsultis citat Heigium, Monnerum, Harprechtum, Cypræum, Cothmannum. Ex verbis ejus ista enotamus num. 5. Quod si
,, tamen Liberi vel ratione Conscientię; vel ex amore & affectu singulari,
,, erga Personam aliquam à proposito descendere nolint, nec aliud sibi per-
,, suaderi patiantur, à Parentibus vero in morositate & pertinacia subsisten-
,, tibus nulla vel saltem non justa nec probabilis causa dissensus proferri
,, queat, permittendum est Liberis *Sponsalia ac Nuptias*, invitis etiam Parentibus contrahere. Addit ibid. contra obtensam potestatem Patriam, Parentes *Paterno nomine se facere indignos: ut hinc amplius de ipsorum consensu non multum solliciti esse debeamus.* Adducit ibid. formalia verba Lutheri, quæ Theologis, Jureconsultis, Tribunalibus & Consistoriis in Germaniâ instar cynosuræ & helices in hâc quæstione esse videntur. Ille Patres potestate Patriâ hâc in parte abutentes, jure illo excidere dicit, & non Patres, sed hostes & corruptores propriorum liberorum (Germanicè feind und verderber) esse habendos Carpzovius subjicit: *Cessat hoc casu ius patriæ potestatis quod morositate suâ parentes amiserunt, Henningus Arniseus & Althusius* lib. 1. dicaiolog. definit non esse necessarium consensum Patris captivi, aut diutius absentis vel deportati, aut illius qui fraude consentire non vult ne cogatur dotare, aut illius qui Liberis conditionem non quærit: & ut judicis autoritas & officium in casu discrepantiæ interponatur.

Joh. Christenius in tract. de jure matrimonii differt. 1. quæst. 3. serio & validè hanc causam agit, citatis Statutis Hollandicis in constitut. Politicâ 3. Trans Isalanicis part. 2. tit. 1. artic. 1. Daventriensibus part. 3. tit. 1. artic. 9. quæ laudat, & in Rebuspubl. Christianis accuratè observanda existimat.

„ Rationes has ſubjicit: Quid enim abſurdius (inquit pag. 20.) & à rectâ ra-
„ tione imo à pietate magis alienum, quam parentum poteſtati id conce-
„ dere, ut illis indiſtinctè, ſive cauſam habeant ſive non, ex moroſitate ali-
„ qua licitum ſit, liberorum honeſtis deſideriis reluctari? Nonne accidit
„ interdum, ut novercalibus delinimentis inſtigationibuſve corrupti diffi-
„ ciles ſe præbeant? Nonnunquam avaritia hic dominatur, ne cogantur
„ dotem nubentibus dare. Merito igitur hic locum obtinebit illud Gaii re-
„ ſponſum, *non eſſe conſentiendum parentibus, qui injuriam adverſus liberos*
„ *ſuos inducunt. l.4. ff. d. inoff. teſt.* Non licet parentibus liberos ſuos injuſte
„ exhæredare, cum tamen nihil magis debeatur hominibus, quam ut ulti-
„ mæ voluntatis ſit liber ſtilus, & licitum, quod non redit, arbitrium. *l. 1.*
„ *C. d. ſacros. Eccl.* ſed reſervatur liberis ſubſidium contra teſtamentum pa-
„ rentum nimis inhumanum & inofficioſum. *t. 1. ff. & C. d. inoff. teſt.* Quid-
„ ni & hoc caſu liberis ſuccurratur? Advocat ibid. ſuffragia *Lamberti Goris*
J. C. Geldrici, *Eraſmi*, *Bezæ*, *Melanthonis* in locis commun. Quorum verba
legant, quos hoc tangit: quia rationes continent. Addit ſe nullum hactenus
Theologum aut Jureconſultum inveniſſe, qui publicis ſcriptis ab hâc ſenten-
tiâ recedat. Concludit pag. 24. „ Quamvis itaque in Eccleſiis & judiciis
„ multarum civitatum hoc ſervetur, ut deſponſationes liberorum judicen-
„ tur irritæ, cum parentes illis refragantur; ad officium tamen judicis per-
„ tinet conſiderare, utrum parentes probabilem cauſam habeant refragan-
„ di, an vero cauſa non ſit probabilis. *Balth. Conradus Zahn* in tract. de Jure
& Juriſdictione municipiorum cap. 30. pag. 95. Lutherum & *Johan. Ger-
hardum* à ſe ibid. citatos ſecutus, abſque ullâ reſtrictione ſic determinat:
„ Itemque ſi parentes rogati & requiſiti conſenſum ſuum in nuptias aut de-
„ ſponſationes liberorum honeſtas dare nolint, illo caſu liberi antequam
„ hoc negotium ad ordinarios cauſarum matrimonialium Judices devolva-
„ tur, rem ad proximos agnatos, deinde ad Eccleſiæ miniſtros deferre debent
„ *ut docet Gerhard. dir. n. 9.*

„ Quibus ita contingentibus Magiſtratus Municipalis bene aget; ſi
„ & ſuam operam tali piæ rei interponat, patremque durum, moroſum
„ & detrectatorem, officii ſui etiam cum comminatione quadam commo-
„ neat.

Statuta & praxis Eccleſiarum in hanc ſententiam eunt. Synodos no-
ſtrates ſupra indicavimus. Conſiſtorialium in Germaniâ judicia apud
Cypræum, *Beuſt*, *Carpzovium* loc. citatis reperies. Eccleſiarum Hungari-
carum canones editi à *Synodo Comjathinâ a.* 1642. *claſſ.* 3. *can.* 41. *pag.* 58.
ubi titulus. *De iis, qui fidem ſponſaliorum frangunt.* Si qui, ajunt, Parentes
„ nullâ juſtâ de causâ, ſed vel ex levitate, vel ſpe melioris fortunæ, fidem
datam

, datam Sponsalium violaverint à Magistratibus erunt puniendi vel in corporibus vel in bonis suis. *Ecclesiæ Scoticæ* in priori libro disciplinæ tit. de Conjugio, liberis omnibus petentibus Conjugium (absque ullâ restrictione) imponunt, ut si Parentes consensum negent, causam suam ad Ministerium aut Magistratus deferant: qui nullâ justâ causâ negati consensus deprehensâ, loco Parentum consensum prębeant, & consummationem Matrimonii procurent, Ratio hæc additur: quod Parentes non debeant *impedire opus Dei per mundanorum hominum corruptos affectus. Opus Dei vocamus, quando duo corda, absque impuritate antea commissâ, ita conjuncta sunt, & utraque requirunt ac contenta sunt unà vivere in sancto illo Matrimonii vinculo.* Paulo ante pag. 62. edit. in 4. anno 1621. *Si Pater, consanguineus, Patronus non annuant ipsorum petitioni, & nullam causam habenti, præter eam, quam vulgò habere solent, defectum scil. bonorum, & quia tam sublimi familiâ orti non sunt, ac quidem vellent: non debent tamen illi, quorum corda sunt tacta, aliquod fœdus inire, donec ulterior deslaratio facta sit Ecclesiæ Dei: ac propterea postquam mentem suam Parentibus,* &c. *aperuerint, eandem declarare debent Ministro aut civili Magistratui, petentes ut pro consensu Parentum obtinendo laborent: Ad quod faciendum obligantur. Et si nullam justam causam reperiant,* &c. *post sufficientem admonitionem, ne Parentes,* &c. *resistant operi Dei, Minister aut Magistratus possunt intrare in locum Parentum, & assentiendo justæ ipsorum petitioni, ad matrimonium eosdem admittere.*

Statuta Politica Hollandię, Trans-Isalaniæ, Geldriæ paulo ante indicavimus. Hollandica volunt, ut Parentes Conjugio Filiarum quæ annum 20. & Filiorum qui annum 25. impleverint contradicentes citentur ad rationem intra 14. dies reddendam: qui si non compareant, habetur illud pro consensu; sin compareant, & dissensus rationem reddant, Magistratus examinatis rationibus; *mandabit id fieri quod utile & æquum judicaverit.* Quibus verbis Statutum Hollandicum repetit & explicat *Grotius in Jurisprud. Holland. part. 5. pag.* 6. Nec prætereundum est *responsum Facultatum Theologicarum Academiarum Leidensis, Ultraject. Franekeranæ*, ad *quæst. a.* 1650. *ipsis propositam:* casus summam mox infra exhibebimus.

VI. *Quæst. An consensus aut dissensus Tutorum par sit ratio, quæ Parentum? Resp. Neg.* Quia Conjugium Pupillorum, non est irritum, aut invalidum per dissensum aut contradictionem Tutorum; aut cognatorum: idque Juris Hollandici Institutione Caroli V. Vide *Grotium Lib.* 1. *Jurisprud. Holland. part.* 8. A Constitutione Caroli V. non recedunt Statuta politica condita & edita per Ill. Hollandiæ Ordines, post abrogatum anno 1581. Principibus Belgarum Imperium. *Joach. Beust. cap.* 21. *pag.* 36. 38. & 226. cum seqq. autoribus negat. *Cypræus* cap. 5. §. 9. num. 11.

pag. 265. „ Etsi autem parentum munus & locum tutores sustinent, & eo„rum est despondere & tradere filias, potestas tamen & authoritas eorum „tanta non est, quanta parentum in nuptiis contrahendis, *ut notat Accur„sius in l. puellæ, de ritu nuptiarum.* Nam pater jure civili dissolvere potest „filiæ sponsalia, *l. 10. in potestate, de sponsalibus* quod tutori non licet. Is „enim citra voluntatem puellæ sponsalia non constituit neque dissolvit. „*l. 6. si puellæ de sponsalib.* Ubi dicitur, tutores solos non constituere spon„salia, nisi forte omnia ista ex puellæ voluntate facta sint.

Carpzovius lib. 2. Jurisprud. Eccles. seu Consistorialis tit. 3. definitione 46. & 47. concedit pietatem & honestatem postulare, ut consensus Tutorum & proximorum ad Nuptias requiratur. Sed definit. 47. §. cum *Heigio* & *Arniseo* ibid. cit. sic exponit, quod non tam consensum, quam scientiam & consilium Tutorum, aut Fratrum, Agnatorum, Consanguineorum, &c. *Affinium requirere & observare cogantur.* Ibid. §. 10. de Sponsalibus, ait, nullam exstare „sanctionem, quæ Sponsalia absque consensu Tutorum inita pro clandesti„nis & invalidis haberi jubeat ac velit. §. 14. concludit ex textibus citatis, & ex rationibus allatis, Fratres, Agnatos, Consanguineos, Affines *excludi ab arbitrio & directione Nuptiarum.* Totâ definitione præced. 46. probat thesin suam, quæ lemma fuit illius capitis: *Tutorum & Agnatorum consensum in contrahendis Sponsalibus præcisè necessarium haut esse: sed valida esse Sponsalia publica illis invitis inita.* Pro hâc sententiâ citat ibidem, Heigium, Harprechtum, Schneidwinum, Cypręum, & ex theologis Joh. Gerhardum. *Joh. Christenius* tract. cit. dissert. 1. quæst. 8. Negat sponsalia vitiari & prorsus irrita esse per defectum Consensus Curatorum: nisi justissimam contradicendi causam habeant propinqui & Curatores. Et citat ibid. *Heigium* & *Joh. à Sande in decis. Frisicis Henningus Arniseus* in tract. de jure connubiorum cap. 3. sect. 11. pag. 240. „ Si consensus tutorum perinde requireretur, „ut parentum; perinde possent tutores matrimonium contra placitum suum „contractum rescindere, ut parentes, cujus contrarium sancitur. *in l. si pater* „4. *C. de sponsal.* Supra enim ratio assignato fuit, quare consensui parentum „tantum sit indultum, quia parentes præ pietate paterna, quam nullus „affectus vincit, *l. fin. C. de curat. furios.* optima consilia pro liberis capiunt. „*l. nec in ea. ff. de adulter.* At hæc ratio prorsus cessat in tutoribus, quos „tam arctis legibus circumscripserunt Romani, quod eorum fidei non sa„tis fidem haberent, *Paul. Mont. de jure tutel. c. 32. reg. 2. & 9. Chassan. in* „*consuet. Burg. rubr. des ensans des plusieurs licts. §. 4. in verb. maintenir.* „*n. 1. & 2.* nec alia de causa matrimonia inter tutorem & pupillam pror„sus vetuerunt Impp. *tot. cit. C. de interd. matrim. inter pupill. & tutor. l. 36.* „*& seq. l. 60. l. 64. l. 67. §. 1. & §. sed videamus de rit. nupt. Cyn. in l. fin. C.*

Eod.

, *Eod.* nec non inter pupillam & tutoris filium *l. libertum 64. in pr. l. non* ,*est. 66. l. non solum 67. in pr. de rit. nupt.* quam quod veterentur, ne tutor ,cum damno pupillæ ditesceret, quam rationem reddit ipse Tryphoninus ,*in d. l. 67. & ex eo Anton. Fab. Inst. de nupt. princ. 6. Illat.* 21. Nec frustra n Statutis Hollandicis Tutorum & Curatorum dissensum inter impedimena Conjugii præterita esse, credendum est. Multa in Angliâ Tutoribus ribuuntur. Qualia etiam refert *Arniseus de Statutis Danicis.* Sed omnia non vereretur improbare.

VII. *Quæst. Quæ causæ dissensus dicantur justæ & sufficientes?* *Resp.* Hoc arbitrio judicum ab omni prosopolepsiâ alienorum relinquendum mihi videtur. Sic Melanthon in Exam. theolog. & loc. comm. Christenius tract. cit. dissert. 1. qu. 4. Sed *Cypræus* pag. 168. & ex eo: Tarnovius lib. 1. cap. 73. pag. 431. „ponunt, pertinacem in religione dissensum, generis & majorum ,infamiam, morum turpitudinem, æris alieni magnitudinem, ad officia Pa-,tris familias ineptitudinem, & similia.

VIII. *Quæst. An qui Sponsalia contraxerunt, quibus Parentes, Tutores, Fratres Agnati Cognati consentire detrectant, in Foro Poli seu Conscientiæ per illorum dissensum liberentur?* *Resp.* 1. *Concl.* Sive Majorennis sive Minorennis sit, tenetur fidem servare & animo & ore & facto; consequenter omnia tentare quæ bonæ conscientiæ, honestati, Juri Divino non repugnant. Nisi ergo intercessione proximorum, amicorum, verbi Ministrorum utatur, & tandem ad Magistratus judicium confugiat, utique se ab animi levitate & gravissimo perfidiæ peccato purgare nequit. 2. *Concl.* Quamvis sine prehabito consilio Tutorum non deceat Pupillos, alicui promittere, saltem non *absolutè*: tamen cum factum est, illi hactenus pro suâ parte in Conscientiâ tenentur, proximorum, Amicorum, Pastorum Ecclesiæ opem & intercessionem, & tandem autoritatem Magistratus implorare, eorumque peremtorio judicio stare debent. 3. *Concl.* Si conditionalem tantum promissionem dederint; sub conditione subsequentis Consensus Tutorum, jam idem præstare tenentur: nisi forte expressa fuerit talis conditio, siquidem Tutores aut proximi semel & simpliciter per me aut per alium rogati renuerint, aut saltem dissuaserint, non velle ultra teneri. 4. *Concl.* Si qui absque ullâ factâ promissione sive absolutâ sive hypotheticâ, corde suo divinitus (uti putant) tacto ad Conjugium cum tali personâ in Domino, in eundum trahi se sentiunti utique licitum, & decorum est, ut honestum hunc animam tutoribus aperiant & Consensum Sponsalia contrahendi, & positis ponendis Matrimonium consummandi ab illis petant: quem si sine justâ ratione negent, jus & fas est, ut eâ methodo operis illius perfectionem prosequantur, quam statuta Ecclesiarum & politiarum commonstrant.

monstrant. Si enim in casu dissensus Parentum, hoc fieri potest, immo convenit, uti statuit Ecclesia Scoticana supra cit. multò magis in casu negati consensus Tutorum aut proximorum. 5. *Concl.* Hoc ipso tamen Parentum, Tutorum, proximorum jura & potestatem sublatam aut imminutam nolunt Theologorum & Jureconsultorum responsa & politiarum atque Ecclesiarum statuta hactenus enumerata, sed potius stabiliunt. Architectonica enim & directrix circa Sponsalia & Conjugia potestas politica conservat potestatem Parentum, &c. Tutorum, & exercitium ejus in omnibus & in hoc casu dirigit; suum cuique ex æquo & bono absque prosopolepsiâ tribuendo. Sicuti enim hominis liberum arbitrium naturale non tollitur aut imminuitur, cum Deus statuitur summum liberum, eique humanum arbitrium subjici dicitur: sic nec in hoc negotio autoritas Parentum aut Tutorum tollitur, si publicæ & supremæ Magistratus potestati subjecta dicitur. Excipiant forte fide datâ coram Deo, & interpositâ nominis divini invocatione, immo & juramento, obstricti, se ob exceptiones sequentes in Foro Conscientiæ non teneri.

1. *Except.* Animus jam mutatus est ducor pœnitentiâ; nollem factum; tunc volebam; nunc minime? *Resp.* Si hæc exceptio conscientiam tuam liberare & tranquillare potest: tum pariter nullius pacti, fœderis, conventionis, juramenti promissorii vinculo conscientia obligaretur: idem enim prætendi posset. Sed hoc absurdissimum est. Quod ad Tutores, non potest ipsorum negatus consensus, Conscientiam tuam absolvere: non magis quam Papa in voto & juramento dispensare potest.

2. *Except.* Non audeo, non volo Tutores, Agnatos, Cognatos, offendere? *Resp.* Valeret hæc exceptio; si res esset in integro; & validè præsumeres, eos consensum aut potius consilium suum negaturos; ideoque malles animum tuum vincere, & affectui ac desiderio quamvis honesto renunciare; quam eos turbare, aut negationis aleam subire. Hoc enim fieret sine cujusquam injuria. Nunc autem cum honestæ Virginis animum in amorem tui duxisti, eique Conjugium promisisti, sine ejus incommodo & injuriâ resilire, aut vadimonium deserere Conscientia non permittit, nec divina illa regula animis hominum insculpta Math. 7. v. 12. *Omnia quæ volueritis, ut faciant vobis*, &c.

3. *Except.* Feci jam quod in me est: cogor ergo volens nolente animo resilire. *Resp.* Non fecisti quod per leges divinas & humanas facere posses. Ad Ecclesiarum Ministros, & si opus sit, ad Magistratum causa hæc deferenda fuisset. Sed vide ne per proprii cordis deceptionem, & conscientiæ sophisticam excogitetur illud, *feci quod in me est*, ultra obligari non debeo. Notum est, quomodo scriptores nostri de fide hæreticis servandâ

ndâ alibi indicato exagitent dolosum & perfidum illud decretum *Concilii Constantiensis* super salvo conductu: *cum fecerit quod in se est, cætera in manere obligatum.* Sed ponat se loco partis alterius, quæ injuriam patitur, & judicet an contentus esset molli illo & ἀργῷ λόγῳ, *feci quod in me est.*

4. *Except.* Malè feci, quod non prius consultis Tutoribus aut proximis, fidem dederim. Hic ergo valere debet illud: in malis promissis rescinde fidem. *Resp.* Concedo absque præcedente scientiâ & consilio Tutorum aut proximorum non decuisse contrahi. Hinc sequitur, teneri te ad culpæ tuæ agnitionem & veniæ petitionem: sed non pariter ad datæ fidei rupturam; quæ pro viribus, & quantum fieri potest, omnibus honestis mediis adhibitis, servanda & præstanda est. Alioqui idem posset inferri de Conjugio jam consummato, quod ab eo quis resilire queat; quia scil. iniit illud insciis & non consultis Tutoribus.

5. *Except.* Minorennis sum, & consequenter ad Ministerium aut Magistratum frustra provocarem. Quandoquidem sunt statuta, & supra cit. non tenentur Parentes negati Consensus rationem reddere. *Resp.* 1. Hac propriè non quæritur, de eo quod quis secundum Statuta in foro externo obtinere aut non obtinere queat; quidque Tutores contra Sponsalia tui facturi, & quid Magistratus de iis judicaturus (quibus sua potestas & suum judicium relinquendum est:) sed de eo solum quæritur, quid tu in Foro Conscientiæ coram Deo ad fidem & animam tuam liberandam facere possis & debeas. *Resp.* 2. Leges humanæ & positivæ in Germaniâ 18. annos Virgini, & 20. juveni, in Belgio illi 20. isti 25. annos præfigunt; infra quos si Consensum Parentum petant, & ipsi negent, ad rationes negationis reddendas non compelluntur. Sed à Parentibus ad Tutores non valet consequentia: ut jam ex statutis, & consensu Jurisconsultorum satis probatum est. Adde quod leges positivæ & humanæ mutari & in iis dispensari potest, ab eâdem potestate, per quam conditæ sunt. Vide supra hujus tract. sect. 2. Et novi ante annos aliquot in Belgio Puellæ 17. annorum Conjugium petenti à Senatu adjudicatum esse, Tutoribus frustra refragantibus.

6. *Except.* Non licet mihi per Conscientiam dissuadentibus & negantibus Tutoribus, ad judicium & auxilium Ministerii & Magistratuum confugere. *Resp.* *Quænam Leges divinæ & humanæ prohibent Minorennibus* Conjugium in Domino contrahendum, cui parentes aut tutores sine justâ ratione reclamant, petere? Quæ leges in Foro Conscientiæ prohibent in his aliisque casibus Patriæ Patres, & Dei Vicarios agnoscere, ad eorum judicium provocare, eidemque nos subjicere? Hunc Ordinem à Deo constitutum qui sequitur & servat, is tutissimè ambulat.

Atque hactenus de casu, qui in praxi Matrimoniali frequentissimè incidit. Nos pro ratione vocationis nostrę de licito in Foro Poli & ad Conscientiam determinavimus; atque una ἐν παρόδῳ ad leges & Statuta politica digitum intendimus: ut discant novitii, quid illic liceat, & tentari possit.

Repetimus hic breviter istas conclusiones

1. *Concl.* Quid jure divino & humano Parentibus competat, & deferendum sit, manet inconcussum, & invictè probatum est contra *Jus Canonicum, Concil. Tridentin.*, *Bellarminum, Guibertum Costanum*, &c. *à Chemnitio in Exam. Concil. Trid.*, *Martyre in loc. comm. Zanchio de operib. creationis, Johanne Gerhardo in loc. comm. Riveto in decalog. Tarnovio de Conjugio. Et à Jureconsultis Joach. Beust, Cypræo, Arniseo, Carpzovio tract. cit. Georgio Acacio Enenkelio Barone Hoheneccio in tract. de Privilegiis Parentum & Liberorum* anno 1618. Tubingæ edito, ubi privileg. 6. adducto torrente Doctorum validè probat Consensum Parentum esse de necessitate & substantia Conjugii, omniaque Sponsalia & Conjugia etiam consummata absque jussu, consensu & ratihabitione esse ipso jure nulla & irrita. Ibidem cap. 5. undecim rationes Canonistarum examinat.

2. *Concl.* Parentes tamen in usu & exercitio potestatis suæ in foro poli & conscientiæ tenentur ad ἐπιείκειαν. Si enim ea innotescere debet omnibus hominibus *Philipp.* 4. *v.* 5. multo magis Liberis, quasi propriis visceribus nostris. Vide genuini Patris characterem Ps. 103. v 13. *Quomodo miseretur pater filiorum*, &c. Et Matris Jesa. 49. v. 14. *Nunquid obliviscetur mulier infantis sui, ut non misereatur filii uteri sui?* Cum Constanti affectu erga personam, probatæ Religionis, probitatis, & honestę famæ ac conversationis, Conjugium constanter petunt (quamvis aliter maluissent Parentes): præstat sane in tempore ipsis succurrere, quam eos & totam familiam majoribus incommodis objicere. Experientia docuit quamplurimos duritiâ parentum ad desperata consilia, ad tabem, ad profundam melancoliam, ad phrenesim, ad maniam, ad αὐτοφονίαν, ad quævis Cyclopica facta prolapsos. Hoc consilium plurimi sapientiâ & pietate præstantes exemplis suis tali in casu, probârunt. Illudque suggerit *Lutherus*, & qui illum sequuntur Theologi ac Jureconsulti hactenus cit.

3. *Concl.* Quod si Parentes & Tutores (quibus posterioribus ab omnibus, excepto *Acacio*, nihil aut parum tribuitur) æquitatem post habeant Ministri Ecclesiæ ex æqui & bono consulere, & Magistratus bono Reipublicæ judicare debent. Quibus omnes hactenus citati in casu dissensionis hoc totum deferri volunt. Ipse *Acacius*, qui omnium rigidissimè pro absolutâ Parentum potestate disputat, mediâ de Matrimonio consummato sententiâ admissâ privileg. 6. cap. 3. §. 6. sic restringit. *Quod si & ea privilegio suo abu-*

tens Pater consentire nolit, aut indigno Filiam collocare velit, Judicis officium prospicere & quod æquum sit pro potestate suâ cogere, infra docebimus. Quod fit cap. 9. §. 10. 11. pag. 415. Ejus verba, quia saluberrimas rationes continent, hic exhibere libet:

„ Parentum quoque erit, non tam affectione aliqua, ambitione, vel avaritiâ duci, quàm liberorum animum & incredibilia quæ ex coactis nuptiis oriuntur mala, libertatem denique ipsam matrimonii spectare. Cogitet pater, non sibi, sed filio filiæve consortem quæri, cum quo illi per omnem vitam agere, lectum, mensam, & omnes fortunas communes habere necesse sit: eoque grave esse, si tot reb. juncti, animis, quod præcipuum est, non perinde jungantur. Meritò igitur, si utique nolle filium viderit, cedet jus patrium, & affectionem ad personam certam temperabit. Et rursus si filius feminam aliquam (ut solet sæpè) perditò amans, illam nec aliam matrimonio sibi jungi velit: pater eadem quæ modò considerans, nisi graves & justæ caussæ aliud jubeant, filio indulgere & facilem se illi præbere debet. Et huc pertinet exemplum Sisymii & epistola D. Ambrosii ad eund. quorum hic culpam filii fatetur, sed deprecatur; ille flecti se tam patriâ charitate, quàm precibus & auctoritate motus, patitur [Fuit ergò, inquit, inter alia Ambros. quod succenseres filio, sed fuit etiam quod remitteres, quia sibi uxorem elegit. Adquisisti filiam sine electionis periculo. Si bonam duxit, tibi adquisivit gratiam: si erravit, recipiendo meliores facies, refutando deteriores, &c.] Talibus & similibus rationibus parentes, quibus obtingit, moveri se patiantur, ut quod jure non coguntur, pietati, charitati, facilitati, denique paternæ seu lenitati in liberos tribuant. Hic propinquorum, amicorum, virorum prudentum, sacrarum non postremo loco personarnm, partes erunt, qui dissentienteis patrem & filium, ut ambobus amici, & clariùs illis quid rectius utiliusque, perspicientes, in idem reducant, erranti meliora monstrent, & ita vinculum illud sanctissimum conservare studeant. Quæ si nihil profecerint ad concordiam, judex tandem & magistratus quoque officium suum poterit interponere, & cognitâ causâ, siquidem patrem rectè uti jure & potestate suâ viderit, hanc illi conservare: sin aliter, increpare, & vel auctoritate suâ pertinaciam illius frangere, vel pro potestate suâ compellere ad consensum.

4. *Concl.* Petentes à Parentibus Consensum ante contracta Sponsalia non obtinentes, mediis iis uti poterunt, quæ supra indicata sunt: quidem animus ad honestum, & quod ad summam rei conveniens ipsis conjugium, ex casti amoris affectu, & rectâ intentione in Domino cogitatum, feratur.

5. *Concl.* Petentes nec impetrantes Consensum post contracta Sponsalia (quamvis non sine ἀταξίᾳ); imprimis accedente ad Sponsalia concubitu, immo & partu prolis, in Conscientiâ tenentur ad pœnitentiam, & culpæ coram Deo, Parentibus & Ecclesiâ confessionem ac veniæ petitionem: nihilominus bonâ Conscientiâ resilire nequeunt, & fidem datam fallere; quamvis Parentibus pertinaciter reclamantibus. Tales enim Conscientiæ suæ non satisfaciunt, nisi post adhibitas omnes instantias & intercessiones, ad Magistratum ex æquo & bono judicaturum causam hanc deferant; & pro suâ parte fidelitatem servent atque ostendant. Huc facit *Theologorum Leidensium*, *Franequer. Ultrajectinor. responsum* anno 1650. datum ad quæstionem. An N. Majorennis & in publico munere constitutus contracta Sponsalia cum B. in conscientiâ irritare possit, ob negatum consensum Parentum? Franequerani & Ultrajectini hanc addunt rationem, quod etiam Minorennes tali in casu ad fidem datam servandam, & pro suâ parte ad Matrimonii consummationem à Magistratu petendam teneantur: siquidem mentis compotes sint, & nullæ justæ exceptiones contra Personam, cui Conjugium promiserunt.

IX. *Quæst. An irritetur Conjugium propter dissensum in Fide seu Religione?* *Resp.* Dissensus alterutrius partis est vel legitimus, vel illegitimus. Legitimus est cum quis Fidelis aut Orthodoxus dissentit à parte infideli aut hæreticâ. Illegitimus est cum infidelis aut hæreticus dissentit à parte fideli & orthodoxâ. Rursum dissensus fuit ante initum Matrimonium; vel stante Matrimonio ortus per alterius partis in Religione mutationem. Sit ergo

1. *Concl.* Pars hæretica aut infidelis sive talis fuerit ante consummatum Matrimonium, aut inita Sponsalia, sive stante Matrimonio talis facta fuerit: nullamne quidem speciem causæ habet, cur Matrimonium velit esse irritum. 2. *Concl.* Pars fidelis & orthodoxa ob partis alterius infidelitatem aut heterodoxiam ante initum Conjugium sibi cognitam, irritationem affectare aut pretendere non debet. Quod enim malè fecit cum infideli jugum subeundo (uti supra sect. 1. cap. 2. probatum est): id sibi imputet, & ejus peccati pœnitentiam agat, Conjugium nihilominus, quod factum & consummatum est, teneat. Quod si Sponsalia ob disparem Religionem non sunt irrita, multo minus consummatum Conjugium. 3. *Concl.* Si pars fidelis putasset, aut præsumsisset partem alteram veræ Religioni addictam: aut saltem ab eâ non fuisse alienam (cum tamen revera fuerit): neutiquam initum Conjugium pro irrito haberi poterit. Sibi imputet, quod Conjugium ambierit, & inierit, antequam de Religione moraliter certus esset. Culpabilis erat ipsius ignorantia, & insignis in re tanti momenti negligentia. Vulgari proverbio dicitur: *putare non est sapientis.*

4. *Concl.*

4. *Concl.* Quod si tamen pars dissentiens fidem Christianam aut orthodoxiam verbis & factis quibusdam ad tempus simulasset, atque adeo parti orthodoxæ mendaciis tantisper imposuisset, donec Conjugii consummationem consecuta esset: non video, cur pars orthodoxa Conjugio cum Conjuge Judaismi, Gentilismi, Muhammedismi, Atheismi seu Epicureismi, Enthusiasmi, Libertinismi, Arrianismi, Papismi, &c. consorte teneretur: siquidem pars fallens exserte & professa esset & promisisset, & pars decepta stipulata esset ejusdem orthodoxæ religionis exercitium; quod adepto conjugio pertinaciter negat, infidelitatis aut heterodoxiæ suę professionem publicè privatimque sectando. 5. *Concl.* Mutatio quæ stante Conjugio partis antea orthodoxæ incidit, à fide ad apostasiam, aut ab orthodoxiâ ad hæresim, Conjugium non irritat. 6. *Concl.* Nolumus Magistratibus aut Parentibus jus & potestatem Conjugia cum manifestis infidelibus aut heterodoxis inita impediendi negare: sed eo ipso in Conscientiâ suâ non absolvuntur, qui volentes scientes illud Conjugium inierunt. Pro suâ enim parte agere debent quod in se est, ut fidem conjugalem datam & consummatam servent, atque adeo omnibus apud Parentes deinde apud Magistratus tentatis, horum judicio peremtorio se submittant. Confer supra *sect.* 1. *cap.*6. de dissolutione Sponsalium, ob supervenientem veræ Religionis in falsam mutationem. Ubi à quibusdam nostrorum conceditur; à nullo tamen, quod sciam nostrorum in apostasiâ alterius partis post Conjugium consummatum. Ratio desumitur ex 1 *Corinth.*7. ubi videndi Commentatores. *Bellarminus* divortium concedendum defendit *Lib.*1. *de Matrim. cap.*12. Nostri negant. *Melanthon in loc. comm. Beza de Repudiis pag.* 99. *Joh.Gerhardus in loc. comm.* Cum quibus faciunt Jureconsulti *Beust*, *Cypræus*, *Arniseus*, *Carpzovius.*

X. *Quæst. An per raptus, per violentam compressionem, per metum extortum Conjugium sit irritum? Resp. Aff.* communiter: nisi spontanea aliqua cohabitatio accesserit.

XI. *Quæst. An si Uxor inventa fuerit ab alio ante Conjugium vitiata. Resp.* Si post contracta Sponsalia vitiata fuerit: jam est eadem fere quæstio, quæ de Divortio ob adulterium. Et hic omnes nostri affirmant. Sin ante Sponsalia vitiata fuerit, non uno modo hic respondetur. Non desunt, qui negant: communiter tamen à Jureconsultis, præsertim Germanis affirmatur. *Carpzovius lib.* 2. *tit.*11. *defin.* 193. præter rationes *defin.* 187. & *in practicâ criminali part.*2. *quæst.* 63. allatas, hanc unam allegat, quam dicit instar nervi esse: quod omnis error in substantiâ dissolvit Conjugium. Atqui vitiatam ducere, quam quis putat esse Virginem, est error in substantia. Ergo, &c. Minorem Joh. Gerhardi, & eum secutus *Carpzovius*, sic

ſic probat: „Error in virginitate attingit ipſum corpus, cum læſa virginitas „ etiam corporis vitium cenſeatur. Jam vero corpora Conjugum pertinent „ ad materiam Conjugii. Materia pertinet ad rei ſubſtantiam. Ergo hic er- „ ror verſatur circa ipſam Conjugii ſubſtantiam. Sed tali argumentandi ratione non video cauſam contra negantem Juris Canonici & Canoniſtarum & JCCorum *Pontific.* apud *Tholoſanum lib. 9. ſyntagm. cap.* 2. ſententiam concludi poſſe. Virginitas ſi attingit corpus uti dicitur, ergo hoc reſpectu proprie eſſet vitium corporis. Atqui corpus non eſt Conjugium, nec vice verſa: quia illud eſt ſubſtantiæ ſeu potius pars ſubſtantię; iſtud relatio. *Deinde* devirginatio, per illicitum cum viro congreſſum, eſt vitium & peccatum totius compoſiti ſeu Perſonæ; ſicuti devirginatio per licitum cum Viro congreſſum eſt virtus caſtitatis, cujus proprium & adæquatum ſubjectum *non* eſt corpus, nec anima, ſed totum compoſitum. Poteſt etiam vitium corpori per morbum, per alium quem caſum ſupervenire, ubi tamen nulla eſt devirginatio licita aut illicita: quia nullus eſt cum Viro congreſſus. Videtur in hoc diſcurſu præſupponi opinio Scholaſticorum de Virginitate, Scripturæ & rationi repugnans, cum ad 3. *Thomæ qu.* 28. *artic.* 2. 3. diſputant de Virginitate Mariæ; quam volunt in partu non potuiſſe illæſam fuiſſe, niſi clauſo utero peperiſſet. Quod commentum repugnat textui *Luc.* 1. *v.* 34. & *Geneſ.* 24. *v.* 15. ubi ratio Virginitatis expreſsè ſtatuitur in privatione aut carentia concubitus ſeu conjunctionis cum Viro ad opus generationis. Quomodo devirginatio non conſiſtit in apertione uteri: quæ ordinariò in Virginibus & Juvenculis maritatis pariter fieri ſolet tempore menſtruæ expurgationis; ut & extraordinario in uſu medicamentorum ac operationum chirurgicarum occaſione variorum morborum. De quo conſulendi Medici. Tales uteri apertiones in nullâ virgine præjudicant virginitati, nec ob illam devirginata, deflorata, corrupta, vitiata dici debet. Ut nec apertio uteri Mariæ in partu virginitati ejus quidquam præjudicare poterat: quod nullus cum Viro concubitus conceptionem, generationem, & partum ejus præceſſiſſet. Uterum autem ejuſdem in partu fuiſſe apertum apertè teſtatur ſcriptura Luc. 2. v. 23. cum Exod. 13. v. 2. Quod ad philoſophemata illa, *corpora Conjugum pertinent ad materiam Conjugii, Materia pertinet ad rei ſubſtantiam. Ergo hic error verſatur circa ipſam conjugii ſubſtantiam.* Conjugium eſt relatio. Relatio nec materiam nec formam propriè dictam habet, ſicuti ſubſtantia corporea. Res quælibet, ſive ſubſtantia ſive accidens ſit, habet ſuam eſſentiam. Quam termino ſynonymo aliquando vocant ſubſtantiam; & de ratione, aut de eſſentiâ rei eſſe dicunt de ſubſtantiâ ejus eſſe, aut ad ſubſtantiam ejus pertinere: adeo ut illâ abſente, nulla ſit ſubſtantia, hoc eſt, eſſentia illius rei. Sed tunc vox illa

non

non notat substantiam corpoream; quæ materiâ & formâ constet; qualis est homo, unicum & solum Conjugii subjectum. Sed dabo similem argumentationem. Vitium aliquod seu defectus corporis pertinet ad corpus, corpus est materia hominis conjugati. Materia pertinet ad substantiam. Ergo error in defectu alterius auris Sponsæ (quem capitis tegumentis texit, ut nunquam ante initum Conjugium sciri potuerit) qui non nisi integram, minimè mutilam, esse Sponsam suam præsupponebat, & ut talem ambiebat, sic desponsabat, eamque ducebat. Queritur quid juris? an irritum sit tale conjugium? Quia *error in integritate corporis attingit ipsum corpus cum læsa integritas capitis etiam corporis vitium censeatur. Jam vero corpora Conjugum pertinent ad materiam Conjugii, materia pertinet ad rei substantiam. Ergo hic error versatur circa Conjugii substantiam.* Enumerentur & explicentur hujus argumentationis termini, & fiant argumenta in formâ: non dubito quin nil nisi meros paralogismos, & sophisticos elenchos visuri simus. Aliâ ergo viâ hujus quæstionis determinatio querenda. Premitto præambulas questiones

1. *An vitium ut vocant, seu mutatio corpori secundum partem generationi destinatam illata, irritet Conjugium: & integritas seu dispositio illa corporea (in quâ inveniendâ & explicandâ Medici Anatomici hactenus haut parum laborârunt) sit de necessitate & essentia* Conjugii *Virginalis? Nos neg.* Quia variis in casibus dispositio illa in corpore mutari posset; absque ullâ cum Viro conjunctione: & vice versâ eadem dispositio tractu temporis & adhibitis auxiliis humanis reduci & restitui posset, in aliquâ vitiatâ. Dato vitium illud corpori violenter illatum esse, ut nihilominus casta sit tale quid passa; quo jure irritationem Conjugii jam consummati patietur illa, quam quia proculdubio Vir jam tetigit (utor phrasi Apostoli 1 *Corinth.* 7.), ab omni virginali conjugio absolutam esse certum est?

2. *Quæst. An si aliquando pellecta fuisset, aut occasione hausti potus (cujus vim inebriantem ignorabat) præoccupata; illudque silentio sepultum esset, & ipsa ab illo tempore piè casteque vixisset; an irritum esset Matrimonium? Resp.* Si virum Conjugium ipsius ambientem, per se aut per alium de hoc premonuisset, & ipse nihilominus ambire perrexisset, immo & Sponsalia iniisset ac Matrimonium cum eâ consummasset; absolutè negandum est. An autem semper & quovis in casu, etiam ubi notitia hujus lapsus nulla est, ne quidem præsumtio (quod facile contingere potest, si Virgo aliò migrasset, præsertim in terras longinquas & mortuus sit ille, qui eam stupraverat): non ausim determinare. Dicunt quidam, absque tali premonitione deceptum esse, qui Virginem ducere voluit; & hinc nullum esse Matrimonium, quippe fraudulenter contractum: Quibus regererem, illius fuisse ubi & quomodo

po-

potuisset, in integritatem illius inquirere, aut cum Virgine hac conditione & stipulatione Sponsalia inire. Quod si excipiat tale quid decore haut ita fieri posse, & moribus nostris minimè convenire: replico, etiam legibus nostris non sanciri, ut quis contra legem naturalem se ipsum prodat. Adde si caritas operit multudinem peccatorum proximi, cur tali aliisque in casibus non æque tegeret (coram hominibus scil.; coram Deo enim confitenda *Psal.* 32.) peccata propria? Cui bono & cui ædificationi occulta illa detegeret?

3. *Quæst. An ex Lege illâ* Deutet. 21.v. 20. 21. *irritatio Conjugii, aut spontanea lapsus illius confessio, aut pœna capitalis Virginum lapsibus, quales nunc descripsimus, irroganda, præcipiatur? Resp.* Nihil istorum: uti apparet textum legentibus. Agitur enim illic de meretrice, quæ meretriciam abominationem exercens paternam domum dehonestavit: non de quavis Virgine, quæ aut Parentibus destituta, aut à paternâ familiâ tunc temporis absens, extra Parentum custodiam & auxilium constituta, forte semel tantum circumventa & spe Conjugii pellecta, aut mediantibus illis modo indicatis præoccupata, compressa, & violata fuit. Ut jam non dicam Politias nostras, ad positivas & particulares Legis Mosaicæ sanctiones non teneri: de quo alibi & suo loco accuratè disquiritur. Et certè si legem illam nunc apud nos servandam quis putaret, & omnibus Maritis, qui vitiatam invenerint, quam tanquam integram in Uxorem petierant, Conjugii istius sive dissolutione sive irritatione, per irrogatum uxori extremum supplicium satisfaciendum: jam necesse esset prius modum criminis illius certò & evidenter deprehendendi, perspectum esse. Quod quomodo ne vix quidem aut nullo modo fieri possit (excepto secutæ conceptionis, & gestationis indicio) supra sect. 1. cap. 5. quæst. 10. monuimus, & Autores indicavimus, in quibus necessitate ita postulante ea legi possunt, quæ lectori cuivis, præsertim Junioribus Ministerii Candidatis, hic perlustranda exhibere noluimus. Moderatum & æquissimum mihi semper visum fuit consilium *Zanchii & Melanthonis ibid. pag.* 23. cit. præsertim cum Theologorum allatæ rationes quodammodo quidem movere videantur, non tamen permovere: & ad locum illum *Deuteronomii*, in quem totius ex Jure Divino & naturali probationis apud Theologos analysis, à nobis nunc responsum sit. Quod ad Jureconsultos, præsertim Germanos rigidè cum quibusdam theologis suis hanc sententiam tuentes, (apud *Cypræum* & *Carpzovium*) ii nituntur Jure Romano aliisq; legibus positivis: quibus nos non refragamur, quamvis strictè de licito & honesto in Foro Poli ad Conscientiam disputemus. *Antonius Matheus accuratus*, & eruditus Juris Interpres & in hâc Academiâ, cum viveret. Antecessor, sententiam negantem defendere solet. Mihi, quamvis olim in affirmantem magis

magis inclinarem, re nunc accuratius perpensâ, saltem in casibus supra positis, negans magis placeret; & quidquid sit de jure positivo, τὸ ἐπιεικὲς maritis pro virili potius suaderem.

4. *Quæst. An dos promissa, sed non soluta; an emergentia debita antea ignota, quibus exolvendis non sis; an votum simplex, an Votum solemne seu Monachatus, an Clericatus? Resp.* Neg. De prioribus duobus casibus communiter à JCCis. respondetur negativè. De Theologis minimè dubitandum. De reliquis duobus disputant Theologi contra doctrinam & praxin Papatus, in controversiis de Votis & Monachatu: ut necesse non sit, hoc loco quidquam istorum repetere. Subjicio peculiarem casum mihi anno 1658. propositum.

5. *Quæst. A. Uxori suæ B. lætaliter decumbenti ad postulatum ipsius promiserat addito juramento & execratione, se siquidem B. defunctâ, de secundis Nuptiis cogitaret, certam Personam C. utrique notam in Uxorem nunquam ducturum: qui tamen mensibus aliquot post Uxoris B. obitum dictam C. de Conjugio compellare cœpit, & tandem præsente & consentiente utroque ejusdem Parente cum eâdem C. liberè & absolutè Sponsalia iniit; eademque diebus aliquot post* chartæ inscripsit, *& manus suæ subsignatione confirmavit, ac C. tradidit.*

Quæritur, *An A. hæc Sponsalia subsequente Matrimonio cum C. consummare possit: an vero ob promissionem Uxori, nunc defunctæ, factam, dicta Sponsalia ipso jure nulla sint, & consequenter absolutè in Conscientiâ illicitum sit dicta Sponsalia consummare.*

Ad hanc quæstionem in terminis sic propositam tunc respondebam

A in Conscientiâ & Jure tenetur illis sponsalibus, quippe proprio motu, voluntate, & proposito initis, & paucis diebus post solenni instrumento & subscriptione denuo confirmatis. Præcedens promissio Uxori ante obitum facta, non est promissio conjugalis alteri alicui mulieri facta, sed est promissio de non ducendâ C. in Uxorem. Quæ temere & inconsulto facta & fracta, arguit quidem grave peccatum in Foro Conscientiæ coram Deo ab A. commissum (super quo coram Deo se humiliare debet): non tamen irritationem sequentis promissionis conjugalis, seu Sponsalium, quæ post peccatum illud temerariæ promissionis, & mutationis animi ac præcedentis promissionis B. factæ, cum C. inierat. Quia in Sponsalibus & Conjugiis non sine antecedente peccato & ἀταξίᾳ (quæ fundamentum Sponsalium aut Conjugii non tollunt) initis, vulgatum illud valere debet: *cum factum est tenet.* Adde nunc, aliquis devovisset se omnesque plagas sibi imprecatus esset, si unquam τὴν δεῖνα puellam aut viduam sibi desponsatam in Uxorem ducat, aut si nondum desponsatam sibi unquam despondeat (uti

talia per aliqua iræ amantium intervalla nonnunquam temerè, improbè, profanè fieri solent): & tamen postea pœnitentiâ ductus cum eâdem illâ τῇ δεῖνα sponsalia non sine addito juramento, aut Conjugium iniisset: an Conjugium tale aut Sponsalia in Foro Conscientiæ irrita essent nec servari possent per & propter præcedentis juramenti Deo præstiti (de non desponsandâ aut ducendâ), irritationem & rescissionem, ante Sponsalia aut conjugium initum factam?

CAP. III.

De Repudiis & Divortiis, quibus ipsum Matrimonii vinculum solvitur.

PRæmittimus hic terminorum explicationes. *Repudium strictè & propriè* significat dissolutionem Matrimonii inchoati, Divortium consummati. Quam distinctionem Jureconsulti (quos ex Theologis *Hemmingius, Mentzerus in tract. de Conjugio, Beza de Repudiis*, &c. sequuntur) communiter observant. Quamvis discrimen hoc ubique strictè non servetur. Vide JCC. ad *L. si qua* 12. *ff. de ritu Nupt.* & *Cypræum de Sponsal.* 13. §. 1. *num.* 1. Apud Theologos communiter Divortium respectu partis agentis quę Divortium petit obtinet & exequitur, appellatur *repudium.* Quæ ratio fuerit Repudiorum apud Judęos & quis qualisve libellus repudii, scriptura dictus ספר כריתות Jes. 50. v. 1. cum Deuter. 24. v. 2. græcè ἀποστάσιον & βιβλίον ἀποστασίου Math. 5. & 19. v. 7. explicant scriptores de Republicâ & antiquitatibus Hebræorum, ex scripturâ, quales *Bonav. Cornelius Bertramus, Sigonius, Menochius.* Quibus adde *Ariam Montanum in antiquit. Hebr.* imprimis & Grotium in Math. 5. v. 31. Quid Judæi post destructum templum secundum & dispersionem suam usque in hunc diem de Divortiis sentiant, & quæ ipsorum praxis (ubi hoc ipsis per Gentiles aut Muhammedicos Magistratus permittitur) videri potest in codice Thalmudico *Gittin.* Antiquam libelli formulam exhibet Fagius in Deuter. 24. Grotius in notis ad Math. 5. v. 31. novam *Buxdorfius in Synag. Jud. cap.* 20. Nos illis missis, præcipua quædam perstringemus, quorum in praxi Ecclesiasticâ frequentior usus est. Sit ergo.

I. *Quæst. An propter adulterium vinculum Matrimonii solvatur hoc est, an pars innocens in Foro Conscientiæ Divortium facere, ejusque ratihabitionem à publicâ potestate petere possit; & consequenter vinculo Matrimonii soluto; ad alias Nuptias, si voluerit, transire possit? Resp.* Reformati & Protestantes tum Theologi tum Jureconsulti affirmant: cum quibus communis praxis in Ecclesiis

esiis & Politiis reformatis consentit. Canonistæ & Theologi Pontificii egant; tantummodo concedendo Divortium, hoc est, separationem quod l thorum & mensam. Vide *Concil. Tridentin. sess.24. can.6.7.* Canonistas l c. Quod Deus 33. qu. 2. Et inter theologos *Bellarminum de Matrimonio ap.17.Becanum in theologiâ scholast.cap.41.Sanchez lib.10.disp.2.* Præter Pontificios ex professo vehementer, & operosè eandem causam egit *Joh. Howsnus Theologus Oxoniensis*, primum in thesi a. 1602. propositâ & disputatâ xonii in Vesperiis; postea in thesios suæ defensione contra *Thomam Pyum* heologię Doctorem, qui peculiari tractatu tit. epistolę ad Howsonum, Lonni a. 1603. edito eam oppugnaverat. Quæ defensio una cum Howsoni esi seu diatribâ Oxoniensi anno 1602. excusa fuit Oxonii typis Josephi arnesii a. 1606. in 4. ubi in fine adjicitur epistola *Joh. Raynoldi* ad Pyum, t epistola *Alberici Gentilis* JC. Oxoniensis ad Howsonum. Quorum ille m ante pro affirmante sententiâ steterat contra Bellarminum in libro Anlico de Repudiis; quamvis nonnulla in libello Pyi notaret minus accurata. le in hâc epistolâ haut obscurè fatetur se fluctuare, quamvis antea in libro e Nuptiis affirmantem sententiam tradidisset. Sed nescio quomodo *Alberius Gentilis* vastæ eruditionis Raynoldianæ, & theologiæ ipsius tanquam imis puræ & reformatæ in dogmatibus & in practicis, si non æmulum (de uo quidem ex singularium factorum gnaris, aliquid audisse memini) se stendere, saltem suspectum se reddidisse videatur diatribis suis de vulgatâ ersione, de actoribus fabularum, de abusu mendacii, &c. In quibus tam ongè ac disciplina reformata, à moribus antiquis Academiæ Perusinæ, ubi ntea Jus professus erat, non abibat. Sed hæc in tantâ omnium imperfectioe miseriæ humanæ pars non minima. Jurisprudentia Anglicana ecclesiatica à Zoucheo anno 1638. Oxoniæ edita part. 4. sect. 7. Contra Matri, monium agitur in causâ Divortii propter adulterium ad separationem à , mensâ & thoro. In quâ &c. sententia non est ferenda, priusquam pars , quæ sententiam petit, cautionem sufficientem interponat, quod ad aliud , Matrimonium, dum vivit pars, contra quam Divortium obtinuit, non , convolabit. Ubi in margine citat, præter Juris Canonici Extravag. de Divortiis, constit. nov. c. 105. 107. Et titulus libri præfert jus hoc & judicium ecclesiasticum *describi secundum canones & constitutiones Anglicanas.* Cum quo confer quod part. 2. sect. 7. ubi Statutis Anglicanis derogatum ait Juri Canonico circa quam plurima impedimenta Matrimonio obstantia; ut etiam omnibus positivis legibus, canonibus, & constitutionibus, quæ personis ecclesiasticis Matrimonium interdicunt. Unde colligimus ab Ecclesiâ Anglicanâ in Synodis Episcoporum repræsentatâ, Jus Canonicum illic hâc in parte non esse abrogatum: quin potius stabilitum; uti constat ex

capitulis & Constitut. Ecclesiast. a. 1527. à Regiâ Majestate confirmatæ & sub magno Angliæ sigillo promulgatæ, cap. *de sententiis Divortii non temere ferendis.* Refert *Raynoldus in Epistolâ ad D. Pyum*, cum suum tractatum Anglicum M. S. de hâc quæstione Cantuarensi Archiepiscopo (*Bancrofto*) misisset, ac licentiam eum edendi per literas petiisset, responsum tulisse sibi non videri convenire ut liber ille edatur, quippe continens doctrinam periculosam, & certa inconvenientia parituram &c. Videamus nunc, quę sit Juris Divini sententia. Inter Pontificios *Caietanus* à suis accusatur, quod dixerit, posse quem Uxore fornicante aliam ducere. Ex nostris subinde Cajetanus hoc nomine citatur. Sed ipse *Cajetanus* in opusculis suis una cum commentario ad *Thomæ* 1. 2. impressis pag. 298. negat se hoc affirmasse. Videamus nunc in quibus Casibus Pontificii concedant Divortium, manente tamen Matrimonii vinculo, apud *Becanum in theol. scholast. dę Matrimonio cap.* 41. *qu.* 1. 1. *casus* est, quando uterque Conjux ex mutuo consensu vovet perpetuam continentiam; & ad religionem transit. ex Math. 19. v. 19. *Omnis qui reliquerit*, &c. *vel uxorem. Resp.* Hoc non dicitur de voluntaria separatione quod ad thorum & cohabitationem: sed de coactâ. Quomodo vitam nostram pro nomine Christi sponte non tenemur tollere, hoc est separationem animæ à corpore ipsi efficere, aut per alios efficiendam (exemplo Abimelechi *Judic.* 9. & Saulis 1. *Sam.* 31. cum 2. *Sam.* 1.) procurare: sed fortiter & animosè, occasione & necessitate ita ferente, violentiam ab hostibus illatam ferre: *Math.* 10. *Luc.* 14. *Actor.* 21. Et sic se res habet in separatione Mariti ab Uxore, quod ad thorum & cohabitationem, sive finali per mortem violentam, sive temporali per carceres, deportationes, latibula, fugam, damnationem ad remos aut metalla. 2. *casus est*, ob conjugis repudiandæ crimen vel adulterii, vel hæresios, vel impulsus Conjugis ad peccandum, vel furoris & sævitiæ alterius partis. De adulterio mox dicemus. De temporali separatione, quod ad continuam cohabitationem seu contubernium concedimus: siquidem alter alterius tum publica tum privata veræ Religionis exercitia, violenter impediat, atque una ad apostatica (e. gr. Muhamedismi, Gentilismi, Judaismi) aut hæretica, aut idololatrica exercitia cogat. Et huc applicari potest *Tit.* 3. *v.* 10. *Rom.* 16. *v.* 17. 18. 3. *casus est*, si alter impellat alterum ad peccatum: *Math.* 18. *v.* 19. sume ad exercitium furti, lenoniæ, &c.

Ratio, quâ probatur dissolutio; non tantum temporalis, quod ad thorum & mensam seu cohabitationem, sed perpetua quod ad vinculum, ita ut parti innocenti solutæ, ad alias Nuptias licitum sit transire, desumitur ex *Math.* 19. *v.* 9. Ubi quæstio proposita erat an quâvis de

e causâ liceret dimittere Uxorem ut aliam ducas *cap.* 19. *v.* 9. Non e-
at quæstio de nudâ aut solâ dimissione, seu separatione quod ad tho-
um & mensam. Rursum quæstio erat de eo quod Lex Forensis Mosai-
a, permittebat, & praxi communi ac perpetuâ inter Judæos, usque
d illud tempus, observabatur. Illud autem erat, in locum dimissæ ac
epudiatæ Uxoris, substitutio alterius: non vero nuda separatio quod
d thorum & mensam. Ad hanc quæstionem, & ad objectionem Chri-
us sic respondet. Ad quæstionem, non esse licitum Uxorem dimit-
ere ut aliam ducas: excepto uno in casu scil. adulterii, παρέκτὸς λόγου
ορνείας, id est, *exceptâ scortationis causâ Math.* 5. *v.* 32. εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ,
d est, *nisi ob fornicationem. Matth.* 19. *v.* 9. Ad objectionem Phari-
eorum à concessione legis Mosaicæ desumtam *Math.* 19. *v.* 7. respondet
. 8. Mosen hoc permisisse ob duritiem cordis ipsorum. Huic argu-
nento ex mandato Christi & scripturę verbis desumto, potest addi alterum
er consequentiam, ex *Math.* 19. *v.* 6. cum *Genes.* 2. *v.* 24. Quia Ma-
tus & Uxor sunt uniti in carnem unam. Atqui Adultera fit una caro cum
Adultero 1. *Cor.* 6. *v.* 6. Ergo non est amplius una caro cum Marito suo,
ed unionem & vinculum illud per adulterium rupit. Quod confirmatur
x analogiâ adulterii spiritualis, de quo *Hos.* 2. *v.* 2. *quia nec ipsa Uxor
nea est, nec ego Vir ejus sum.* Exceptiones *Bellarmini* contra argumentum
ostrorum ex *Math.* 5. & 19. ut & objectiones pro indissolubili Conjugii
vinculo in casu adulterii, à nostris satis superque refutatæ sunt; nomina-
im à *Molineo in dispp. Sedanensibus*, & *Riveto in commentar. ad Hos.* 2. *v.*
2. & *Amesio in Bellarm. enervato.* Nos solummodo hic expendemus How-
oni rationem illam, quâ *Albericus Gentilis* in epist. ad Howsonum se ma-
ximè ad dubitationem moveri, quamque in libro de Nuptiis tanquam
objectionem ita proposuisse se dicit. *Christus improbat Divortium Mo-
sis: Hoc erat tantum ex causâ adulterii; Ergo Divortium ex causâ adul-
terii improbat.* Major transeat cum distinctione, quod improbet Divorti-
um Mosis, hoc est, Lege Forensi Mosaicâ permissum & impunitum ob
duritiem cordis eorum; tanquam in Foro Conscientię illicitum, & pri-
mævę Conjugii institutioni, consequenter Juri Divino & Naturali re-
pugnans. *Minorem* negamus. Eam *Howsonus* probare conatur ex *Deu-
teron.* 24. *v.* 1. explicando τὸ ערות דבר, id est, *nuditatem rei*, de
adulterii impuritate: quasi scil. nihil aliud in scripturâ notaret. Et hinc
infert Divortium propter adulterium, seu vinculi conjugalis solutionem
& nunc, & ab initio esse ac fuisse in Foro Conscientiæ illicitam: sed tan-
tum lege Mosaicâ tunc temporis illi populo permissam, & sic in Foro
Soli licitam atque impunitam. Christum ergo revocasse Judęos ab eo tan-

 quam

quam illicito: quamvis hactenns lege Forensi fuisset permissum & licitum. Tota disceptationis Howsonianæ analysis est in hypothesim illam de explicatione *nuditatis rei Deuter.* 24. *v.*1. Quâ negatâ, totus Colossus illi superstructus, sponte corruit. Vocem *nuditatis* alicubi in genere probrum quodvis posse significare constat ex *Ezr.*4.*v.*14. Jam vero probandum esset sic argumentanti *Deuter.* 24. *v.* 1. vocem nuditatis, aliter accipi non posse: quam de adulterio. Quod non præstabit, cum ex circumstantiis textus solidè evincatur, non posse sic accipi. Quia *vers.*2. dicitur illi Mulieri sic repudiatæ ob *nuditatem rei* à Viro inventam, licitum fuisse vinculo per repudium soluto (in Foro scil. Soli) alteri Viro nubere *vers.* 2. Arqui per sanctionem Legis Forensis *Deuter.*22.*v.*22. Mulier ob adulterium extremo supplicio afficienda erat. Quomodo per eandem legem in casu repudii ob adulterium, liceret alteri Viro nubere? Quomodo eadem Lex prohiberet, *vers.*3. non posse talem repudiatam, mortuo aut divortiente Marito posteriori, ad Maritum priorem reverti? Non solent ferri Leges divinæ de non ente, de eo scil. quod per legem illam futurum non est, nec fieri nequit. *Secunda ratio* ex textu desumta est, quod in genere dicitur non invenisse gratiam in oculis Mariti, ob inventam *nuditatem rei*: quod sane otiosè diceretur, de Adulterâ: quasi scil. essent, quæ Adulterio suo gratiam invenirent in oculis Mariti. *Tertia ratio* desumitur ex collatione textus *Math.* 19. ubi quæritur à Phariseis, non an ob adulterium, sed an ob quamvis causam uxor repudiari posset? Cumque Christus hoc negasset, ex primâ Conjugii institutione. Et Pharisæi pro parte affirmante allegassent Legem Mosis (*Deuter.* 24.) qua conceditur etiam repudiatę, alteri Viro nubere. Respondet Christus, hoc per Legem Forensem tolerativam seu permissivam licitum seu impunitum esse: non tamen in Foro Poli, seu in Conscientiâ. Genuinam hanc textus cit. interpretationem habent interpretes nostri, & notæ Belgicæ atque Anglicæ. Quod si quis instet, nuditatem rei alicujus, hoc est, *fœditatem* (uti Onkelos), *rem turpem*, (uti Samarit.) ἄσχημον πρᾶγμα *rem turpem* (uti Græca, & cum eâ atque ex eâ Syra & Arabica) tantum notare turpitudinem & abominationem adulterii: ei respondemus, omne peccatum esse & dici turpe, fœdum, abominabile, & comparari sordibus tabi, sanguinis, menstruorum, &c. *Psal.*14.*v.*4. *Jes.*4.*v.*4. & 1.*v.*19. & 64.*v.*5. Quæres quid ergo fuisset illud Fœdum, aut turpe, aut abominabile, aut fastidiosum, quod illum à cohabitatione Uxoris avertisset. Quidquid fuisset, saltem non poterat esse adulterium, cujus occasione libellus repudii Lege Forensi Viro permitteretur, & Adulteræ mulieri, sic repudiatæ (uti adversarius vult) transitus ad alias nuptias; eidemque reditus ad priorem maritum, postquam alteri jam facta esset, prohiberetur. Addo argu-

mentum

mentum ad hominem. Quia dimissio Uxoris Adulteræ seu separatio ab eâ, quod ad thorum & mensam nunc etiamnum sub N. T. licita est & tunc licita erat secundum legem naturalem & moralem, ex sententiâ Howsoni & Pontificiorum: Ergo ob duritiem cordis Lege Forensi Mosaica *Deuter.* 24. non permittebatur. Unde sequitur, ibi quodcunque abominabile, aut turpe, aut Viro fastidiosum in corporis sanitate, membrorum integritate, & qualitatibus, in morum, cohabitationis gratiâ aut revera defuisse, aut Viro ita per pravam imaginationem visum fuisse. Experientia docet, quamplurimas ejusmodi occasiones aversionis & abalienationis animorum ob Uxoribus incidere posse. Sed omnibus sepositis, vel illa una *nuditas rei*, quam Gens illa dura corde & Zelotypa inveniebat, aut potius quærebat in Uxoribus, & cui Deus peculiare remedium præscripserat *Numer.* 5. *v.* 11. 31. textui *Deuter.* 24. explicando, & à falsâ Howsoni glossâ vindicando sufficit. Atque hactenus Howsoni opinione refutatâ, una Pontificiorum refutata intelligitur. Qui insuper oppositam sententiam hæresios condemnant in *concil. Trid. sess.* 24. *cap.* 6. *&* 7. Et hæc *Marco Antonio de Dominis Archiepiscopo Spalatensi*, qui ad tempus ad nostros diverterat (uti patet ex editis ipsius scriptis de *Republicâ Ecclesiasticâ, de Papatu Romano*, *Scogli di naufragii Christiani*) cum miser ad vomitum reversus esset in crimen *relapsus*, juxta cum aliis opinionibus imputabatur; quo nomine etiam ad vivi comburium Romæ condemnatus erat: cujus sententiæ executionem, cum spontaneo per morbum obitu in carcere prævenisset, cadaver ejusdem in campo Martio publicè crematum fuit. Quæ aliaque ad ipsius discessum ex Papatu, reditum, relapsum pertinentia, legi possunt pag. 761. libri Gallici Domini de S. Lazare, quo infelices illustrium quorundam hominum exitus describit. Fatentur tamen apud *Bellarminum de Matrimonio cap.* 15. Eandem sententiam cum praxi obtinere in Ecclesiis Græcis. Quin & in *Concilio Florentino sess. ult.* Græcos in eâ sententiâ se stare & permanere professos esse: Fatente *Bellarm. loc. cit.* Nihilominus unio inter Latinos & Græcos tunc conclusa *ut &a.* 1545. inter quosdam Ruthenorum seu Albæ Russiæ Episcopos. Prior qualis fuerit unio non-unio, monuit nobiliss. *Plessiacus in mysterio iniquitatis*, & nuper ad oculum ostendit eruditiss. *Creyghtonus* editâ Sylvestri Sguropuli omnium autoptæ *Historiâ Concil. Florentini* gr. lat. Posteriorem unionem cum quibusdam *Ruthenis* magnifice prædicat *Baronius in appendice ad annal. tom.* 6. *&* 7. Sed securim aliquam illius panegyrico injicit narratio, quam habet *Historia Ecclesiar. Sclavonicarum lib.* 4. Ibidem fatetur *Bellarminus*, se Adversarios habere inter Romanæ Ecclesiæ celeberrimos Scriptores *Erasmum* in notis ad 1. Cor. 7. *Catharinum & Cajetanum*: qui postremus in opusculis suis tom. 3. tract. 15. in resp.

ad

ad articulos nomine Theologor. Parisienſ. editos, negat ſuos eſſe articulos, *Licitum eſt Viro Uxore fornicante aliam ducere. Non eſt eadem libertas Uxori; quæ Viro.* Neutrum dicit inveniri *aſſertum in libris ſuis*: idque patere ex commentario in *Math.* 19. ubi duntaxat diſputaverit de hâc materia, & reliquerit *diſſiniendam ab Eccleſiâ.* Non obſtante hâc proteſtatione, Cajetanum denuo ſententiæ Græcorum & Proteſtantium ὁμόψηφον facit *A Lapide in Math.* 19. *Sanchez lib.* 10.*diſp.*2. Quamvis *Bellarminus* judicium ſuum de eo, ut & de Eraſmo ac Catharino mitigare conetur dicens, *multum eos in hoc diſtare ab hæreticis, quod eccleſiæ judicio diſertis verbis ſe ſubjecerint.* Sed quomodo Rutheni epiſcopi cum ſuis dicti *uniti*, Hæreſios nonconſortes, & Romani Catholiciſmi conſortes ſtylo Curiæ Romanæ dici poterunt, ſiquidem & in hoc, & in aliis Græcorum fidem & praxin retineant? *Bellarminus cap.* 15. odiosè & Romanâ ac Lojoliticâ fide Lutheri, & Buceri ſententias de diſſolutione Conjugii proponit. Sed meminiſſe debuerat laxæ Caſuiſticæ ſuæ & ſuorum, quam defendit *lib.* 2. *de Monachis cap.* 38. De Matrimonii rati (non tamen conſummati) per ingreſſum in religionem ſolutione, quod ad vinculum. Quaſi ſcil. hic non valeret illud Chriſti quod ſolutioni vinculi per adulterium, opponere ſolent: *Quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet.* Neque enim concubitus facit Matrimonium, ſed conſenſus; & Benedictio Sacerdotalis (ſecundum ipſos) facit ratihabitionem. Si ergo Deus conjunxit, ſi vinculo illo ligati ſunt, quis hominum, quocunque prætextu, auſit ſolvere? Sed quomodo Petrus Corbarienſis, Poſtea factus Papa Nicolaus V. (referente Platinâ in vitâ Johannis XXIII.) ſacrilegii, θεομαχίας, & perfidiæ crimen effugere potuit, qui invitâ Uxore religionem & cucullum Franciſci aſſumendo, vinculum Matrimonii conſummati abrupit. Memini antehac in Freheri originibus Palatinis vidiſſe Conſilium Occami & Marſilii Patavini de Conjugii ſeparatione per diſpenſationem. Sed quia liber ad manum non eſt, non vacat in publicâ Bibliotheca (ubi habetur) eum denuo conferre.

II. *Quæſt. An divortia ob adulterium, fieri debeant à Conjuge innocente, an vero ab Eccleſiâ, aut à Magiſtratu. Reſp.* Cum unumquodque ſolvatur per id, per quod conſtituitur, Conjugibus innocentibus primo & per ſe hoc tribuendum: prout etiam *Deuter.* 24. *v.* 1. *Jerem.* 3. *v.* 1. cum *Math.* 19. *v.* 5. illis tribuitur. Sed quia & quatenus Conjugia reſpectum habent ad Politiam; Divortium, quod ad ratihabitionem non minus pendet à Magiſtratu, aut ab Eccleſiâ, aut à Conſiſtorio eccleſiaſtico-politico ſpeciali poteſtate inſtructo, ac ipſum Conjugium ejuſque ſolennizatio.

Huic quæſtioni connexa eſt ſequens.

III. *Quæſt. An uxorem ducere poſſit, qui priorem propriâ autoritate, propter*

er adulterium; repudiavit? *Resp.* 1. *Concl.* Graviter & bis peccat privatus vis; *primum*, quod in propriâ causâ accusatorem agit & Judicem. *Deinde* uod præjudicat autoritati Magistratus & ordini constituto, sine ipsius gnitione, judicio, ratihabitione Divortium consummando, sine cujus co- itione, judicio, & ratihabitione Conjugium non erat initum. 2. *Concl.* tem dicendum in casu, cum nihil litigiosum, nihil in foro contentioso ju- icandum est: hoc est, cum adulterium in confesso est; & pars nocens, spon- contubernii aliisque communionis conjugalis juribus, possessione, usi- is, fructibus cedit. Quamvis enim tali in casu nihil sit judicandum inter rtes dissidentes, quæ non sunt: necesse tamen est, & Reipublicæ inter- t, Magistratus cognitionem ac ratihabitionem hinc non excludi: ut om- es fraudes, & technæ, quæ in ejusmodi Divortiis intervenire possent, aver- ntur. 3. *Concl.* Quod si supremus esset Dominus qui Divortium in casu lulterii faceret, (uti à Regibus aliquando hoc factum historiis proditum t): conveniret tamen legitimam cognitionem & judicium ordinariis, aut traordinariò ad id delegatis Judicibus, ab omni studio partium alienis ve Regni illius subditis sive extraneis extra partes quam remotissimè po- is, committi: ne pars repudiata causam suam vi quasi majori arbitrariæ supremę Potestatis oppressam, non justè judicatam conqueratur. Et ne quis causâ suâ propriâ ac particulari, qualis hæc est, & actoris seu accusato- s, simul & judicis partes sustinuisse videatur. Ne etiam vel specie aliquâ, arbarici ac tyrannici Imperii Dominos (si qui unquam fuerunt, aut hodie iamnum sunt) absque informatione, exauditione, præmonitione, di- eptatione imitari videatur; qui de suis & subditorum suorum negotiis ac ausis, absque ullâ figurâ processus suo solius cerebro concipiunt sive verè ve fictè, & statuunt sive justè sive iniustè, & manu suâ, aut misso satellite, aut isso pugione manu ipsius patientis exequuntur. Qualem justitiam non- ustitiam politice de plano & ex tempore absque omni Foro Judiciali, sic dministratam, apud Japonios, Indos sub Imperio Mogulico, Schytas, eo- umque propagines Tartaros, & Turcas, apud Romanos sub Neronis, Ca- igulæ, &c. tyrannide, non sine indignatione legimus. Ubi homines inscii imul & rei sunt & damnates, & laquei, aut pugionis, aut veneni, aut cul- elli venisecę chirurgici esca fiunt. Ubi nec verbulo, nec scripto causa suppli- ii aut ipsis aut ipsorum consanguineis, amicis, necessariis indicatur: sed olummodo, ferale illud & emortuale carmen illis occinitur: *abi & ventrem ibi scinde; Magnus Dominus caput tuum postulat: Venas tibi incidito, aut ncidi jubeto:* Ne innocentibus ante obitum, aut post obitum Cognatis a- nicisque eorum ullum defensionis tentamen relinqueretur. Sed justi & lau- lati Principes, immo vel μορφώσει justitię se induentes causas proprias, quę re-

 ditus,

ditus, prædia, debita ſua aut ſuorum concernunt, judicio fori contentioſi ſemper ſubjecerunt. Et quid ni tanti momenti cauſam, qualis hæc Divortii à propriâ hactenus carne, judicibus ſubjiciat? Henricus VIII. Angliæ Rex, quod ad externum procedendi modum, & figuram (de animo ipſius, rectâque intentione, & recto uſu, nunc non quæro nec judico), exemplum omnibus præbere poſſet. A Catharinæ Conjugio tanquam irrito ob inceſtum non receſſit, niſi intercedente Parlamenti, utriuſque in Regno ſuo Academiæ, & decem exterarum Academiarum, Cleri ſeu Hierarchiæ Anglicanæ judicio; & formali litigioſæ cauſæ actione, atque ordinario litis inter ſe & Catharinam proceſſu. Nec alias Uxores ſuo proprio, ſine alieno & publico judicio, repudiavit, quaſdam inſuper capitali ſupplicio ſubjecit.

4. *Concl.* Quidquid in modo procedendi ab aliquo circa repudium aut Divortium peccatum eſſet: non tamen libertate ad alias Nuptias tranſeundi, quovis in caſu abſolute ſpoliandum putamus. Si cauſa Divortii juſta ſit, quamvis ſine præhabitâ Autoritatis publicæ cognitione & ratihabitione illud conſummaverit, aut conſummare tentaverit: poteſt tamen Magiſtratus, gravibus de cauſis, hic & nunc in pœnâ non conceſſi tranſitus ad alias nuptias diſpenſare, aut eam in aliam quamcunque commutare; & de poſt facto ſuâ ſubſequenti ratihabitione, quidquid in principio peccatum eſſet, corrigere ac ſupplere. Et ſic in caſu, ubi Magiſtratus Pontificius Divortium quod ad vinculum non concedit, nec ab eo tale quid peti poteſt, Divortium privatim ab aliquo factum, ſubſequente publicâ ratihabitione alterius Magiſtratus, quo parti innocenti dabitur confugere, conſummari poteſt: cujus rei exempla exſtant. Confer judicium facultatis theologicæ Leidenſis, in operibus *Walei tom. 2. pag.* 485. Eſt & alius caſus mihi ab amico Viro literato, probo, publicum munus ſuſtinente, relatus qui miſeriæ hujus pars magna fuerat; hoc eſt ab ipſo illo, qui privatim Divortium fecerat, abſque cognitione, judicio, ratihabitione Magiſtratus: non tamen abſque cognitione, conſenſu, & judicio duorum aut trium Eccleſiæ Paſtorum. Duxerat is honeſtam, ut putabat, Virginem, quæ in domo Parentum honeſtorum (omnium opinione) civium, & veræ Religionis profeſſione ac zelo fulgentium educata erat: quam tamen annis aliquot poſt comperit in domo parentum abominando inceſtu pollutam fuiſſe, & (ſi bene memini,) etiam ſtante Conjugio ſubinde exercitum. De quo facinore cum neſcio quibus jactatis quorundam dicteriis & ſuſurris quid inaudiiſſet, uxori id propoſuit, & tandem propriam ejus confeſſionem extorſit. Quâ perceptâ, ilico, quod ad thorum ſe ab eâ ſeparavit; nihilominus anno uno atque altero in ſuo contubernio eandem retinuit: motus miſericordiâ & Matris (Pater enim jam obierat) ſupplice interceſſione: ne ſcil. ſi illud in vul-

gus

...s emanaret, Filia infami supplicio afficeretur. Post coram duobus aut ...bus Ecclesiæ Pastoribus ipsi familiariter notis, & fidis amicis Divortium ... formâ (uti tali in casu fieri poterat) consummavit.

IV. *Quæst. An Mulier ob causam adulterii Divortium facere possit? Resp. Aff.* ...que ex Jure Divino & Naturali colligitur. Secundum quod Vir non ma... habet potestatem sui corporis, quam Mulier 1 *Corinth. 7. v. 4.* Si ergo ...ir unam illam carnem *Genes. 2. v. 24.* diviserit, utique rupit unionem & ...nculum conjugale. Deinde adulterium non minus tale est & dicitur à ...arte Viri, quam à parte Mulieris. Unde analogicè ex *Math. 19. v. 9.* conclu...tur, Mulieri in casu adulterii competere potestatem dimittendi Virum, & ...teri nubendi. Et apud Judæos, quamvis moribus non ita obtineret, haut ...isse in Conscientiâ illicitum, aliquâ ratione colligi posse videtur ex opposi...,illicita scil. dimissione ob quamlibet causam. Marc. 10. v. 11. 12. *Si quis de...ruerit Uxorem suam,* &c. *Et si Mulier deseruerit Virum suum, & alteri nupse...t, committit adulterium.* Ergo ob causam adulterii dimittens Virum & al...ri nubens, non committit adulterium. Et talia Divortia legibus ac mori...us hodiernis apud Protestantes & Reformatos conceduntur. Quod apud ...entiles, ob quamlibet causam Mulieres dimiserint Viros, & aliis nupserint, ...pra ex *Juvenale, Martiale,* &c. ostensum est.

V. *Quæst. An pars innocens teneatur in Conscientiâ partem nocentem ...b adulterium repudiare, nullo casu excepto? Resp. Neg.* 1. *Quia* ἐπιείκεια *æqui...as,* misericordia, veniæ largitio si in genere circa quemvis proximum pec...antem exerceri debet *Ephes. 4. v. 32. Coloss. 3. v. 13.* multò magis circa pro...riam carnem, quæ hactenus fuit 2. *Quia* Liberorum tuorum ex ea susce...torum Matri, (siquidem resipiscat, & emendationem promittat, aut saltem ...liqua emendationis spes sit) parcendum est: ne per tuum repudium ...quod ordinariò sine cognitione & judicio Magistratus fieri non potest) ...rimen adulterii extremo aut alio quo gravi supplicio justitiæ vindicanti ...bijciatur. 3. *Quia* misericordiæ & tolerantiæ divinæ, exemplum non re...pudiantis, sed tolerantis & ad resipiscentiam vocantis Ecclesiam spiri...uali Conjugio sibi unitam, nobis prælucet. Jesa. 50. v. 1. *Quis est iste liber Repudii Matris vestræ, quam dimisi?* cum *Jerem. 3. v. 1. 6.* 4. *Quia* τὸ remitte...e proximo septies in die in te peccanti, & veniam petenti *Luc. 17. v. 3. 4.* a...nalogicè huic casui applicari potest. Hæc sententia nostra; in quam etiam ...nclinare colligo *Josephum Hallum* ex ejus *epist. 7. decadis 3.* ad T. L. hâc ta...men cum restrictione, si de adulterio parti innocenti constet intra privatos parietes, nec publicæ famæ & censuræ subjectum sit: & si pars nocens resi...piscat, se humiliet, veniam petat, denovo fidelitatem promittat. *Cur,* in...quit, *auris illa obsurdescet ad ejus preces, quæ aperta fuit ad ejus accusationes?*

Cur nullus amplius misericordiæ locus est? Cur nos Christiani vivimus quasi sub legibus Martis, ubi non nisi semel peccatur? Nos putamus accuratè distinguenda adulteria, & secundum particulares circumstantias judicandum, an præstet jus suum persequi, an ignoscere. Distinguendum ergo adulterium in *simplex* & *qualificatum*. *Simplex* est, quando quis aut quę cum uno aut unâ, & quidem soluto aut solutâ, occasione aliqua extrinsecus obstetricante, ad transgressionem abripitur; & post factum pœnitentiâ ducitur. Occasiones autem tentationi inservientes possunt esse variæ; e. gr. diuturnior aut frequentior Conjugis absentia, sollicitationes diuturnæ opportunè importunè adhibitæ, improvisæ aut subitæ quasi oppressiones, munera in paupertate & rei familiaris angustiis oblata collata, minæ intortæ, quales Lucretię à Tarquinio, &c. aut si tentans ad illud flagitium mala illa minaretur, qualia casto Josepho obvenerunt *Genes.* 39. *Qualificatum* est; 1. cum pars nocens ipsa venatur, & prosequitur occasiones, quæ alioquin non objiciuntur, 2. Cum non cum uno aut cum unâ ad perpretationem hujus flagitii semel atque iterum præoccupatur aut seducitur: sed frequenter, aut diu multumque cum uno continuat flagitium; aut cum pluribus oblatâ, immo quæsitâ occasione peccat. 3. Cum monita à parte innocente, aut etiam ab aliis, Parentibus scil., Cognatis, fidelibus Amicis, &c. peccatum non abrumpit. Qui gradus flagitii excellens est. 4. Cum adulterium committit incæstuosum, in cognationis aut affinitatis gradu prohibito: ita ut nefas esset cohabitationem aliquam conjugalem, à parte innocente cum tali continuare, aut interventu reconciliationis ad eandem redire: ne & ipsa incestui implicetur. Pater aut Vitricus aut socer, cum Filio aut Privigno, aut Genero eandem Mulierem carnaliter cognoscere non debent; nec Mater, aut Noverca, aut Socrus cum Filiâ, aut Privigna, aut Nuru eundem Virum; nec Frater cum Fratre eandem Mulierem; nec Soror cum Sorore, eundem Virum; nec Patruus aut avunculus cum nepote eandem mulierem; nec Amita aut Matertera cum Nepte ex Fratre aut Sorore eundem Virum. 5. cum Mulier promiscuè se prostituit. 6. Cum pars nocens infando concubitu peccat. 7. Cum pars nocens adulterio addit malitiosam desertionem.

VI. *Quæst. An in aliquo casu adulterii, Divortium nec peti nec concedi debeat? Resp. Aff.* Casus illi communiter enumerantur quatuor: à nostris pariter & Pontificiis; sed cum hâc distinctione, quod nostri intelligunt vinculi solutionem, Pontificii separationem quod ad thorum & mensam. Vide ex Pontificiis sententiarios *ad* 4. *dist.* 36. *& ex recentioribus Becanum cap.*48. *qu.*1. Ex nostris *Molineum in disp. cit. Alstedium in Casibus.* Sunt autem causæ illiciti & non concedendi divortii, 1. Si Mulier vim passa fuerit, aut ex ignorantiâ cum eo rem habuit, quem Virum suum esse credebat.

2. si post cognitum adulterium cum Conjuge rem habuerit. 3. si Author fuit Conjugi, ut fornicaretur. 4. si uterque conjux eodem crimine teneatur. Hanc quartam solam habet *Amesius lib. 6. de conscientiâ*, *cap.* 38. *num.* 15.

VII. *Quæst. An parti nocenti & legitimè repudiatæ aliud Matrimonium concedi possit? Resp.* Sunt qui negant, ob has rationes 1. *quia* mortis supplicio tolli debet. 2. *quia*, peccandi illitebra est ejusmodi indulgentia: cum contra ad minimum per modum pœnæ imponi deberet cœlibatus. Nos cum *Francisco Junio in quæst. M. SS. Molineo disp. cit. & Carpzovio lib.* 2. *jurisprud. consistor. tit.* 11. *definit.* 191. & *cit. ibid. Luthero, Melanthone, Bidenbacchio, Hemmingio, Johanne Gerhardo*, praxi consistorii Electoralis, affirmamus: contra Jus Canonicum can. *quædam*, &c. *si quis*, c. *qui dormierit*, c. *concubuisti*, c. *si quis cum novercâ*, 32. *qu.* 7. Rationes nostræ deducuntur ex 1 Cor. 7. v. 9. *Quod si se non continent, matrimonium contrahant: nam melius est matrimonium contrahere, quam uri.* Hoc dicit omnibus cœlibibus & viduis v. 8. Rom. 7. v. 2. 3. *Quod si mortuus fuerit vir liberata est à lege viri.* Cur liberata? quia vinculum solutum est. In utroque casu, & mortis & legitimi Divortii vinculum solutum est: quamvis enim causa efficiens solutionis variet, solutio tamen essentialiter & in se considerata, est solutio. Sicuti mures ex putri materiâ, & per generationem univocam producti essentiâ non variant; Adamus, Christus, Abrahamus sunt veri homines, quamvis modus originis variet. Ad rationes oppositas respondemus; ad primam, Si morte multetur pars nocens: jam nulla erit quæstio de ejus Conjugio. Sed si vel legibus, vel moribus, vel speciali dispensatione Principis, mortis supplicio non subjiciatur: jam quæstio est, an siquidem donum continentiæ non habeat, præsenti ustionis & scortationis periculo exponendus sit? Non arbitror. Quin immo, ut vera resipiscentia ipsius in renovatâ obedientiâ, contrariâ virtutis (castitatis scil.) exercitio perfici & ostendi possit, necessarium est illi auxilium ac remedium legitimi Conjugii: sine quo virtus castitatis conjugalis non existit. Liturgia nostra tit. de Matrimonio, hanc causam incundi Conjugii assignat: „ Tertia, ut unusquisque omnem „ incontinentiam pravasque cupiditates devitando, cum bona ac quieta „ conscientia vitam traducere possit. Propter scortationes enim vitandas „ suam vir quisque uxorem habeto, suum mulier quæque maritum. Adeò „ ut quicunque adultam ætatem attigerunt, nec dono continentiæ prædit „ sunt, consciis consentientibusque parentibus, sive tutoribus atque propin- „ quis, juxtà Christianam super ea re ordinationem, ex Dei præcepto connu- „ bii leges inire teneantur, obligatique sint: nè Dei templum, id est, cor- „ pus nostrum polluatur. Dei enim templum quicunque violaverit, hunc per-

„ det Deus. *An autem sanctione forensi Mosaicâ omnes Magistratus, & omnes populi absolutè teneantur, tanquam omnibus immediatè directè, & in specie à Deo præscriptâ, alibi disceptatur.* Interim in παρόδῳ hic profiteor, me sequi partem negantem. Ad secundam rationem, *Resp.* Communiter & ordinariò hoc non concedendum: sed tantum aliquo in casu; cum scil. pars nocens superest, & quidem vegetâ ætate; cumque præmissâ verâ pœnitentiâ, instanter hoc petit, ad majora mala evitanda, & coram Deo bonâ cum Conscientiâ ambulandum: aut cum bono familiæ & Reipublicæ præstat peculiari Magistratus indulgentiâ concedi, quam non concedi. *Carpzovius loc. cit.* quatuor conditiones requirit. 1. *Ut* tentetur reconciliatio: cujus si spes aliqua superest, alias Nuptias non concedendas. 2. *Ut* pars nocens graviter moneatur de delicto agnoscendo, laboribus & Jejuniis concupiscentias carnales reprimendo. 3. *Ut* propriâ autoritate ad novum Conjugium non transeat, sed Consistorii & Magistratus consensum prius expetat. 4. *Ut* sedem fortunarum ac domicilii mutet, atque eo se conferat, ubi turpitudo non innotuit; vel saltem mulctam luat pecuniariam, & Nuptiæ absque pompâ celebrentur. Has, aliasque conditiones pro varietate circumstantiarum, & prudentiâ suâ Magistratus spectare poterit. Singularia enim facta infinitis modis variant.

VIII. *Quæst. An alias quaslibet ob causas Divortium fieri possit? Resp. Neg.* Ex Jure & lege naturæ, repetitâ & explicatâ *Math.* 19. Sed leges & mores Gentilium ac Judeorum, à lege naturali hic Divortium faciunt. Apud Romanos dissolvebantur Conjugia, vel cujusque Conjugis voluntate & arbitrio, vel arbitrio Principis. *Iste* modus fiebat per diremtionem: *Ille* vel per usurpationem, vel diffarreationem, vel remancipationem. De quibus modis vide *Rosinum & Demsterum lib.* 5. *antiquit. Romanar. cap.* 38. De formulis Divortii vide Jureconsultos *ad L.* 2. *D. de Divortiis.* Licentia illa divortiendi restricta fuit: uti refert Attaliata in pragmatica suâ, in Jure Orientali Græcorum tom. 2. pag. 24.

„ Matrimonium remotissimis temporibus ex consensu conjugum, vel ex „ unius partis voluntate solvebatur. Postea vero per Justiniani novellam „ expresse positæ sunt caussæ, propter quas solas tam vir, quam uxor divortium facere possunt; & absque his, irrita matrimonii solutio est. Atque „ uti rem compendio declaremus, cui factæ sunt ab altero circa vitam „ ipsam insidiæ, repudium mittere potest. Item quum maritus uxorem „ adulterii accusatam non convicerit, uxor repudium mittere potest: aut si „ convicerit, ipse divertere potest. Item si constet alterutrum insidias Imperatori struxisse, vel aliquibus earum fuisse conscium, nec denuntiasse: „ potest alter conjugum illi repudium mittere. Dirimitur etiam matrimonium

monium ex caussa repræhensionis experte, quum alterutra pars solitudinarium exercitium elegerit, vel quum maritus toto triennio non facit ea, quæ viris natura tribuit. Ex duabus hisce caussis, rasura scilicet, ac lecti cessatione, matrimonium ita sine pœna solvitur, ut nec hypobolum à viro præstetur.

Manserunt ergo in corpore Juris L. consensu C. de repudiis istæ causæ.

Si qua igitur maritum suum adulterum, aut homicidam, vel veneficum, vel certè contra nostrum imperium aliquid molientem, vel falsitatis „ crimine condemnatum invenerit, si sepulchrorum dissolutorem, si sacris „ ædibus aliquid subtrahentem, si latronem, vel latronum susceptorem, vel „ abactorem, aut plagiarium, vel ad contemptum sui domi suæ ipsa inspi„ ciente cum impudicis mulieribus (quod maximè etiam castas exasperat) „ cœtum ineuntem, si suæ vitæ veneno aut gladio aut alio simili modo in„ sidiantem, si se verberibus (quæ ingenuis aliena sunt) adficientem proba„ verit: tunc repudii auxilio uti necessario ei permittimus libertatem, & „ causas dissidii legibus comprobare. Vir quoque pari fine claudetur, nec „ licebit ei sine caussis apertius designatis propriam repudiare jugalem: „ nec ullo modo expellat, nisi adulteram, veneficam, aut homicidam, aut „ plagiariam, aut sepulchrorum dissolutricem, aut ex sacris ædibus aliquid „ subtrahentem, aut latronum fautricem, aut extraneorum virorum se „ ignorante vel nolente convivia appetentem, aut ipso invito sine justa aut „ probabili caussa foris scilicet pernoctantem: nisi circensibus vel theatrali„ bus ludis, vel arenarum spectaculis in ipsis locis, in quibus hæc adsolent „ celebrari, se prohibente gaudentem: nisi sibi veneno, vel gladio, aut alio „ simili modo insidiatricem, vel contra nostrum imperium aliquid machi„ nantibus consciam, seu falsitatis se crimini immiscentem invenerit, aut „ manus audaces sibi probaverit ingerentem, tunc enim necessariò ei „ discedendi permittimus facultatem, & caussas dissidii legibus compro„ bare.

Apud Judæos Divortia fiebant, & etiamnum fiunt (ubi per Magistratum hoc permittitur) quamlibet ob causam: uti colligimus ex *Math.* 19. & ex traditionibus eorum, in Thalmude consignatis; & ex *R. Juda de Modena in tract. Italico de religione & ritibus Judæorum, cap.* 39. Sed specimina aliquot ex *Rabbinis* & Thalmudicis exhibeamus. *R. Sel. Jarchi* ad verba Malach. 2. v. 16. *Uxorem dimittere præcipitur, si in oculis mariti gratiam non assequatur.* In gemara cod. *Gittin* cap. 9. sic loquens introducitur R. Meir: *prout sunt hominibus placita sua de cibo & potu: ita sunt etiam de uxoribus suis.* Schola Hilleliana ibid. *Si esculenta mariti nimiâ salsedine, aut nimiâ tostione malè conficiat uxor, est dimittenda.* Ibid. in mischna: *Dixit R. Akibah, Si quis mulierem*

licerem videat uxore formosiorem, uxorem dimittere licet, quia dictum est, Si gratiam non aßequatur in oculis ejus. Hæc sententia scholæ Hillelis, quam Maymonides, aliique celebres Rabbini sequuntur. Quamvis autem arbitrio Maritorum Divortia relinquere videantur: causas tamen aliquas assignant: Si cibum vetitum Marito apponat: si cibum difficilioris concoctionis: si brachiis denudatis in publicum procedat: si familiarius cum Juvene sermonem miscuerit: si quid in honesti & indecori à Viro petierit: si Mariti Parentibus sive mortuis sive superstitibus maledixerit. Contrarium tamen tenuit schola Shammæana, quæ non concedit Divortium, nisi propter adulterium, cap. 9. coditis *Gitton.* Sed R. Eliezer ibid. cit. restringit ad Uxorem primam non dimittendam, nisi propter adulterium: de cujus dimissione, ait, vel ipsum altare fundere lachrymas.

IX. *Quæst. An Judæi ob quamvis aliam causam, præter adulterium, per Legis Forensis promissionem, non tantum immunes fuerint à pœnâ in foro externo, sed etiam à peccato in Foro Conscientiæ? Resp. Neg.* Peccabant enim contra Jus Divinum & naturale ab initio creationis constitutum: uti invictè colligitur ex *Math.* 19. Pontificii in diversas sententias abeunt. Sunt qui negant eos peccasse, ex hypothesi Legis Forensis: quippe quæ non tantum permittebat tanquam minus malum, sed concedebat tanquam rem licitam, & minus bonum: *Deo dispensante in lege naturali, cui Repudium adversabatur.* Sic *Sanchez lib.* 10. *disp.* 1. cum citatis ibidem *Alberto, Thomâ, Durando, Majore, Antonino, Abulense, Burgense, Eckio, Ledesma, Petro à Soto, Angles, Maldonato, Bellarmino,* &c. *Ibidem* §. 8. idem applicatur Gentilibus. Præceptum illud, de non separando quæ Deus conjunxit, ait fuisse suspensum in Lege Mosaicâ ex speciali dispensatione divinâ. *Quam cum Christus irritârit in lege Euangelicâ, redit matrimonium ad pristinam suam naturam:* ita ut jam nec Judæis, nec Christianis nec Gentilibus amplius sit licitum. *Becanus cap. cit. quæst.* 1. Dei dispensationi in jure naturali secundario licitum hoc tribuit. *Secunda sententia* est Cajetani in *Math.* 19. quæ statuit nec omnino licitum fuisse, nec omnino prohibitum: sed dispensatum esse à Deo, ne repudium illud culpam venialem excederet. Quam *Sanchez* rejicit: quod nec ex sacris literis, nec ex sanctorum doctrinâ id constet; nec ratio id suadeat. *Tertia,* utramque partem de licito & illicito problematicè tuetur, utriusque argumenta solvens, & neutram definiens. Sic *Thomas, Scotus, Richardus. Quarta* determinat repudium fuisse permissum non tanquam licitum, sed tanquam minus malum ad vitanda majora. Sic *Hieronymus, Lyra, Replicator c. Burgensem; Lombardus, Bonaventura, Hugo, Gul. Parisiensis, Carthusianus, Mayronis, Arboreus, Castro, Gagneius, cum quibusdam Juristis & Canonistis* ibid. cit.

Hanc

Hanc nos tanquam veram cum plerisque nostrorum & cum *Grotio* in *Math.* 19. (quamvis tunc dubiæ aut semi-Papisticæ Theologiæ candidato) amplectimur: reliquas tanquam falsis aut incertis hypothesibus subnixas repudiamus. Objectiones & exceptiones ex inspecto textu *Math.* 19, & collatione doctrinæ de Jure & Justitiâ Dei, deque distinctione Fori Poli & Soli, & de lege pœnali, alibi à nobis traditæ, nullo negotio dilui possunt. Carpzovius *lib. & cap. cit. definit.* 189. §. 4. 5. 6. statuit Deum *per legum suarum approbationem divortia tolerasse, non per solam conniventiam, sed per modum dispensationis*, &c. *nimirum dispensando jus à se constitutum remisisse.* Citat ibid. *Bellarminum*, & *Joh. Gerardi.* Hæc ejus sententia vix videtur à primâ differre.

X. *Quæst. An ob alterius Conjugis sævitiam, & tyrannidem parti innocenter patienti concedi possit Divortium? Resp.* Sunt ex nostris, qui concedunt, si scil. continuata & insanabilis sit sævitia, & Uxor tum verbis tum verberibus tam crudeliter tractetur, ut vita sit in periculo, & si vitæ ipsius insidiæ struantur. Sic *Melanthon, de Conjugio*; cujus verba exhibet *Hemmingius* pag. 1055. & sententiam probat. Eandem habet *Althusius lib.* 1. *dicaiolog. cap.* 74. §. 31. à quibus & à *Melanthone* allegatur Lex Theodosii. *Joh. Gerhardi*, & cum eo *Pruknerus cent.* 9. *qu.* 4. *sævitiam æquant Disertioni.* Nos omnino concedimus separationem quod ad cohabitationem seu contubernium, & quidem tam diu donec emendationis spem faciat: sed de vinculi solutione malumus ἐπέχειν. Hemmingius addit limitationem, si fæmina æque verbis & verberibus in Maritum sævit, *separationem fieri debere*; *omni spe novarum nuptiarum utrisque ademptâ, ut vel isto pacto in gratiam mutuam redire cogantur.* Sin fæmina à culpâ immunis est, Marito omnem spem novarum nuptiarum adimendam, sive fæmina nupta aut innupta maneat, quin tyrannidem ejusdem gladio Magistratus reprimendam.

XI. *Quæst. An Marito licitum sit, aut conveniat Uxorem verberibus castigare? Resp.* Sunt qui *Aff.* ex Theologis *Fumus* in armillâ aureâ in voce *Uxor* §. 2. qui citat ibidem Canonistas quosdam. *Javellus in Oeconomica Christianâ tract.* 2. *cap.* 6. *p.* 731. *Cajetanus in opusculis pag.* 125. *edit. in fol. Toletus lib.* 5. *instruct. Sacerdot. cap.* 2. qui rationem hanc adfert, quod sit inferior Viro. *Alstedius in summâ casuum ad* 5. *præc. Pruknerus centur.* 8. *qu.* 100. Ex Jureconsultis *Carpzovius lib.* 2. *tit.* 12. *defin.* 212. 221. qui citat ibid. *Alexandrum consil.* 156. *Baldum in L. Curatorem C. de interdict. Matrim.* Pro modicâ hâc castigatione legibus concessâ (uti prætenditur) pugnat *Quirinus Kubachs in quæst. illustr. Juridico-politicis centur.* 2. *decur.* 1. *qu.* 8. *p.* 288. *qui præter L.* 8. §. 2. & 3. *C. de repudiis*, hanc adducit rationem: quia Deus Viro concessit imperium in Uxorem *Genes.* 3. ergo etiam

ea ſine quibus imperium obtinere nequit. Qui enim vult conſequens, vult etiam antecedens, ſine quo conſequens haberi non poteſt. Atqui ſine caſtigatione modicâ imperium haberi non poteſt. Negant ex Jureconſultis *Tiraquellus in commentar. ad Pictorum conſuetudines ſect. de legibus connubialibus*; 6. 5. ubi leges, autoritates, & exempla adducit. Ex Theologis *Joh. Gerardus in loco de conjugio num.* 450. ſcribit Maritum *debere leniter & prudenter Uxorem aberrantem corrigere, non iniuriâ, aut verberibus. Emendare debet eâ ratione, quâ anima regit corpus ſibi ſubjectum; quæ non ita regit corpus, ut flagris illud coërceat & affligat.* Ejuſdem ſententiæ eſt *Beza homil.* 12. *in paſſionem pag.* 271. *edit. in* 8. *& homil.* 26. *pag.* 641. Nos ſententiam Neg. amplectimur ob ſequentes rationes 1. *Quia* Uxor non eſt omni modo & abſolutè ſubjecta: ſed eſt ſocia Viri, σύζυγος, una caro cum Viro, & auxilium Viri, non ſubter eum, ſed כנגדו, id eſt, quaſi coram ipſo *Geneſ.* 2. *v.* 18. cum *Malach.* 2. *v.* 14. 2. *Quia* ſequeretur poteſtatem Mariti coercentem eandem eſſe in liberos & Uxorem. Sed hoc abſurdum. 3. *Quia* apud noſtrates ſervos & ancillas verberibus caſtigare non licet: ſed tantum, ſiquidem juſta ſit cauſa, dimiſſione. Quod noſtrates vernacula phraſi vocant, **met de lange roede ſlaen.** 4. *Quia* nullo præcepto, nullo exemplo ſcripturæ probari poteſt caſtigatio Uxorum: ſed liberorum exſertè ibi præcipitur. 5. *Quia*, ut anima ſuum compar, hoc eſt ſuum corpus, & corpus ſeipſum flagris & verberibus non caſtigat (nemo enim propriam carnem odio habet *Epheſ.* 5. confer diſp. noſtram de ſpontaneâ flagellatione) ſic nec Maritus Uxorem flagris affligere poteſt. Reliquas quæſtiones particulares de cauſis Divortii, leprâ aut phreneſi ſuperveniente, alterius Conjugis vitâ flagitioſa, hæreſi, mutuo conſenſu, &c. communiter à noſtris in partem negantem determinantur; & ſic in praxi obſervatur. Si quis forte in caſu aliquo diſſentiat, id prætereundum eſt. Una enim hirundo non facit ver. Quod imprimis applicatum volo eruditiſſimo alioquin Theologo *Bucero*, qui in ſcriptis Anglicanis lib. 2. de regno Chriſti cap. 27. - 32. vincula nimium laxavit, haut obſcurè innuens jus civile ſub N. T. obſervari poſſe. Quem nævum *Beza, Hemming. p.* 1020. *Zanchius p.* 1049. *Daneus part.* 3. *Iſag. lib.* 4. *c.* 19. aliique in ipſo notârunt. Ipſe *Hemmingius* 1018. Divortium concedit, ob apoſtaſiam ſeu peccatum in Spiritum Sanctum, etiam ob quamvis hæreſin propriè dictam; ſiquidem Maritus pertinaciter conetur Uxorem in eandem pertrahere. Et huc applicat præceptum Pauli Tit. 3. v. 10. *hæreticum hominem, poſt unam & alteram admonitionem cave.* Sed inde ſeparationem rectè colligi puto: de Divortio non auſim concludere. Idem *Hemmingius pag.* 1022. concedit Mulieri divortium à Marito, qui ob commiſſum furtum infamis factus, & ſolum vertere coactus fuit. In quo ipſi aſſentiri nequeo. (de quo cap. ſequ. qu. 7.) Eundem & *Hunnium* rectè notat *Tarnovius lib.* 3. *c.* 8.

XII. *Quæst. Quid faciendum illi, qui ob habitationem in terris Pontificiis autoritatem agnoscentibus, aut divortium in casu adulterii, aut saltem separationem quod ad cohabitationem, aut contubernium, ob intolerabilem conversationis molestiam obtinere nequit? Resp.* Consultus fui antehac super sequenti casu.

Conjux furibundè malitiosa, quæ etiam talis ante Matrimonium ini-„tum fuerat (quod Parentum dolo celatum), cum suspectis ac levissimis „Mulierculis Pontificiis quotidie conversatur, eas subinde, absente Marito, „domum suam invitat, Maritum insontem adulterii insimulat; eundem „sævitiâ intolerandâ subinde domo arcet, ut extra ædes suas pernoctare co-„gatur; ei de victu necessario non prospicit; eidem ἀζηξίαν hanc & ne-„glectum rei domesticæ increpanti ferrum minatur; nullas ancillas retinere „potest; infantes tam neglectim habet, ut duo ex illis penes illam in lecto „mortui sint reperti, duo superstites debitæ curæ & disciplinæ defectu „honestè educari nequeant; cætui fidelium & publicis pietatis exercitiis „rarò interest.

Quæritur: *Quid Marito in infelici hoc octennali conjugio tam gravia passo bonâ cum Conscientiâ facere aut omittere liceat.*

Respondebam 7. Kal. Febr. anno 1659.

„ 1. Non esse hic positivam abactionem aut expulsionem, quę judicari „debeat formalis & consummata Desertio; per quam Maritus à vinculo so-„lutus pronuntiari queat.

„ 2. Esse tamen satis causæ ad petendam & legitimè procurandam separa-„tionem ad tempus: donec Deus meliora dederit.

„ 3. Quæ separatio & suspensio Conjugii, quod ad thorum & mensam „(uti loquuntur) seu quod ad cohabitationem cum annexâ partitione „usus-fructus bonorum, & dispositione super curâ atque educatione li-„berorum, fieri non potest sine Publicæ Autoritatis judicio & consensu: „nisi forte Uxor cum suis parata esset sponte talem contractum inire.

„ 4. Cum vero in terris Pontificiis autoritas illa sit penes Curiam Episco-„palem, non video quomodo tutò & decorè vir reformatus in publico Ec-„clesiæ munere constitutus, legitimam & honestam suspensionem ab eâ pe-„tere & exspectare queat.

„ 5. Quod si reformatis Ecclesiis suæ causæ matrimoniales, per concessam „à Principibus potestatem determinandæ istic relinquantur (quod ego „ignoro) ab illis in Classe aut Synodo congregatis, talis suspensio petenda „erit.

„ 6. Sin Magistratui municipali, aut supremo istius territorii tribunali, „sive consilio talis autoritas istic competat (quod pariter ignoro), ad illud „causa hæc ex ordine deferri deberet.

„ 7. Sed quis ſucceſſus viro in publico Eccleſiæ reformatæ munere con- „ ſtituto illic ſperandus, facile conjici poteſt ab illis, quibus explorata eſt „ Pontificiorum bona fides & conſcientia corruptis Clericis & Confeſſariis „ obnoxia.

„ 8. Et quamvis integerrimi hâc in parte eſſent Judices (quod non cre- „ do), non deberet tamen nuditas noſtrorum coram iis detegi. 1 *Cor.* 6. „ *v.* 1. 2. 3.

„ 9. Nihil ergo reſtat, quam ut per legitimam vocationem Miniſter ille „ transferatur, ad aliquam Eccleſiam, quæ ſubſit Magiſtratibus & Tribuna- „ libus reformatis, e. gr. in parte aliquâ Belgii Fœderati, aut alicubi in Ger- „ maniâ, ubi exulat Papatus, &c. atque ibi more & modo legitimo, ſiqui- „ dem perſeveret hoc malum, ſuſpenſionem illam petat.

CAP. IV.

De Malitiosâ Deſertione.

DIvortium ſeu Repudium partis innocentis, diſtinguitur à nonnullis in *paſſivum* & *activum*. Illud uſurpant de parte innocente malitiosè desertâ. Hinc eſt quod alii (ut *Cythræus in Deuter.* 24. *Beza pag.* 155.) duplicem legitimi Divortii cauſam faciant, unam à Chriſto *Math.* 19. alteram à Paulo 1 *Cor.* 7. indicatam. Ab aliis autem (*Chemnit. in exam. Concil. Trid. part.* 2. *ad can.* 8. *de matrimon. Zanchio de oper. creat. part.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *pag.* 1048.) una tantum cauſa agnoſcitur, adulterium ſcil. Sed illi Deſertionem non vocant Divortium: nec etiam illud dici poteſt Divortium, niſi admodum impropriè; quia pars innocens à parte nocente Repudium & Divortium patitur, & extra conjugium jam conſtituta & à lege conjugii libera, alias quærit nuptias, aut quærere poteſt. Diſtingui etiam poteſt Malitioſa Deſertio in *ſimplicem* & in *qualificatam*. *Illa* eſt cum Deſertor caſtum quaſi cœlibatum aut viduatum ſervat. *Iſta* eſt cum ad alias nuptias, aut ad concubinatum tranſit, aut vagam libidinem exercet. Nos breviter Deſertionem iſtis quæſtionibus explicamus.

I. *Quæſt. An Pars injuſtè Deſerta juſtam & ſufficientem cauſam habeat vinculi formalem ſolutionem petendi; ut ad alias nuptias tranſire poſſit? Reſp.* Proteſtantes & Reformati tum Theologi tum Jureconſulti communiter affirmant; cum quibus convenit praxis Politiarum reformatarum. Sententiam & praxin ſuam fundant in Jure Divino revelato 1 Cor. 7. v. 15. *At ſi infidelis ſeſe ſeparet, ſeparatus eſto: non eſt ſervituti ſubjectus frater aut ſoror in hujuſmodi.* Hinc argumento κτ' ὑπόθεσιν probatur, ſi injuſtè De-

ſertus

ertus aut Deserta ob veram Religionem, vinculo non teneatur: ergo nec ul-
um ob quamvis aliam causam injustè desertus, tenetur. Valet enim conse-
uentia per analogiam. *Secunda* ratio ex jure naturali deducta idem evin-
it: quia ubi non est unio conjugalis tum animorum tum corporum juxta
enes. 2. *v.* 24. cum 1 *Cor.* 7. *v.* 4. ibi non est conjugium nec vinculum conju-
ale. Sed per factum & culpam Desertoris non manet unio conjugalis:
on enim est unitus cum Conjuge, nec vult unum cum eâ esse, nec carnem
uam fovere & nutrire, contra *Ephes.* 5. *v.* 28. 29. nec ei & familiæ & pro-
icere: contra 1 *Timoth.* 5. *v.* 8. *Tertia* ratio ducitur ab absurdo consequen-
i: Quia Conscientiæ innocentis injiceretur laqueus ex crimine alieno;
x posset Vir Juvenculæ, aut Mulier Juveni realem viduatum imponere pro
rbitrio, eamque aut eum usu & fructibus conjugii injustè spoliare; & sic
omo pessimus quin & crucis Candidatus, pro libitu separaret, quod Deus
onjunxerat: præsertim si alteri Conjugi, aut Concubinæ, aut vagæ libi-
ini se mancipasset. Quæ omnia sunt absurdissima. *Delicta enim suos tenent
utores* L. *sancimus* 22. C. *de pœn.* Quæ hic opponi aut excipi possent, à
ostris satis superque profligata sunt. Videat, cui opportunum est, *Luthe-
um in tract. de causis Matrimon. Melanthonem in exam. theolog. Chemnitium
n Examine Concil. Trid.*, *Hemming. de Conjugio, Bezam tract. cit. Zanchium
art. 2. de oper. creat. Johannem Gerardum in loc. comm. Commentaria ad* 1 *Cor.* 7.
mprimis *Martyris & Parei.* & *Laurentii* Paulum διονέηζων *loc.* 26. Ex Ju-
econsultis *Arniseum*, *Beust*, *Cypræum*, *Carpzovium* in libris antehac cit.
ita ut Apostata *Pistorius* in tract. cui tit. *Anatomia Lutheri*, nonminus im-
erite ac calumniosè Luthero, & per latus ejus Protestantibus, impegerit
olygamias & Turcismos: cui pro Luthero responsum est à Theologis Wit-
ebergensibus & Hassiacis. Dictum Lutheri, cui calumnia struitur, explicat
Tarnovius lib. 3. *cap.* 35.

II. *Quæst. An novo conjugio à Parte Desertâ inito, Desertori aut Desertrici
per veram aut simulatam pœnitentiam redeunti, ius quasi postliminii conceden-
dum sit. Resp.* Neg. Quia novo Conjugi maxima fieret injuria, qui separa-
retur à carne suâ, cum quâ in Foro Poli & Soli coaluit in unam carnem
Genes. 2. *v.* 24. & in quam nemo habet potestatem nisi Desertus aut Deserta.
Deinde & Parti Desertę non licet eum aut eam recipere; nisi velit separare,
quod Deus conjunxit, & corporis sui potestatem eripere, cum quo aut quâ
in Domino contraxit, & fœdus Dei iniit; aut alteri tradere; hoc est alie-
nare, quod non est suum. 1 *Cor.* 7. *v.* 4. Solutus enim aut soluta à vinculo,
priori novum conjugium iniit; nec alterum inire potest; nisi contra jus di-
vinum, & naturale velit audire πολύγαμος.

III. *Quæst. An Desertio parti innocenti sine publicæ potestatis judicio &
rati-*

ratihabitione novii conjugii facultatem tribuat ? Resp. Neg. Eſt enim aut poteſt eſſe Deſertio involuntaria, aut emendabilis, aut juſtâ de causâ, aut activa Deſertio ab utràque parte, aut minus notoria, aut abſque Partis Deſerentis confeſſione ſeu profeſſione. De quibus omnibus à publicâ poteſtate judicandum eſt; ne Cyclopicæ confuſiones in Reſpublicas, & familias hâc viâ irrepant. Similiter hic ſtatuendum eſt ac de conjugiis & divortiis.

IV. *Quæſt. Quænam judicanda ſit vera Deſertio, & ſufficiens cauſa novi conjugii ? Reſp.* Admittit gradus & latitudinem, maximè notoria eſt, cum Deſertor conſtanter & pertinaciter non tantum hoc agit & profitetur, ſed inſuper alibi aut ſub aliorum dominio, aut ſub Eccleſiæ (e. gr. Romanæ) ſive tolerantiâ ſive approbatione aliam Uxorem ducit. Proximus gradus eſt, cum quis abſque novo conjugio, conſtanter à coniuge ſeparatus, ſive peregrè, ſive in eâdem regione aut etiam civitate ſolitarius vivit; nec publicè privatimque monitus, ad cohabitationis officium redit. Infra hunc ille gradus eſt, cum quis inſciâ & inſalutatâ Uxore in peregrinas terras profectus, aut in vicinis locis deliteſcens, aliquot annorum ſpacio Uxori de vitâ, ſtatu, animo, inſtituto ſuo nihil ſignificat: ita ut ipſa neſciat, an ſuperſtes ſit, nec ne. Quamdiu autem exſpectandum ſit antequam tali in caſu, judicium de Deſertione, & vinculi ſolutione decorè peti poſſit, arbitrio Publicæ Poteſtatis committendum eſt. Alicubi ſeptem, alibi quinque, alibi trium annorum ſpacium præfigunt.

V. *Quæſt. An habendus ſit tanquam mortuus, aut malitioſè Deſerens Maritus, qui probante, ſaltem conſciâ Uxore peregre in militiam profectus, aut ſuſceptâ navigatione, ſeptem aut plurium annorum ſpatio, nihil quidquam de vitâ & animo ſuo conjugali ſignificat. Reſp.* De hoc caſu, moribus noſtris, *Aff.* & Parti Deſertæ novum conjugium conceditur: præmiſſis indiciis illi faciendis per proximos cognatos (ſiquidem poſſint aut velint), & publicis per vocem Præconis aut affixas ſcedulas citationibus: ſi forte eum deliteſcere contingeret. Sed hic obſerva, applicandum huic ſive legi ſive conſuetudini noſtræ, vulgatum illud: *nulla lex eſt quæ non habeat aliquid iniqui.* Facta enim ſunt infinita, nec à Legum-Latoribus omnia provideri queunt. Ita ut ferè de eâ judicandum ſit, quod de Jure Uſucapionis: per quam in caſu raro aut vix unqnam contingente, quis bonæ fidei poſſeſſor, abſque ſuâ culpâ, dominio prædii aut fundi ſui, in perpetuum excidere poſſet. Aliquoties enim accidit, præſertim in Belgio noſtro navigationibus & peregrinationibus celebri, ut Mariti conſentientibus Uxoribus peregre profecti, terrâ, marive ab hoſtibus capiantur, & triremibus Turcicis, aut miſerabili ſervitio in longinquis terris per annos ſeptenos, aut octonos, aut novenos affigantur: ut antea, nec ipſi redire,

dire, nec quidquam de se & statu suo Uxoribus significare possint. Tales go cum inexspectati redeunt, & Uxores alteri nuptæ, non sine novâ prole, periunt, quid consulendum? Difficultas hic labyrinthea objicitur, à quâ pientissimi se vix expediunt: siquidem redux Maritus constantem amorem fidem conjugalem professus, Uxorem suam, à quâ absque ulla culpâ suâ mdiu avulsus fuit, sibi restitui petit. Audio communiter ipsi adjudicari: si Uxor tales rationes adferat tum absolutas tum comparativas, cur ægre arito cohabitare velit; & præsenti Marito ad vitæ & conscientiæ tranquil-atem, & bonum œconomicum cohabitare malit. Quæ rationes expensæ oram in hanc potius quam in illam partem inclinare faciunt. Ubi prior it posterior Maritus sponte cedit, & Mulier in æquilibrio posita est, haut fficulter hoc negotium expeditur.

VI. *Quæst. An Desertor secundi gradus, si pœnitentiâ ductus ad conjugem lhuc à novis nuptiis aut sponsalibus liberam, reverti velit; in gratiam recipien-s sit? Resp. Aff.* Siquidem aliquam spem faciat, cohabitationem ejus fore onestam, aut saltem mediocriter tolerabilem. 1. *Quia*, benignitati, mise-cordiæ, æquitati, exemplo Dei & Servatoris nostri (*Luc.* 5. *v.* 35. 36. *Ephes.* . *v. ult.* cum parabolis *Luc.* 16.) imprimis studendum est. 2. *Quia* hâc ra-one consulitur conscientiæ & saluti Desertoris pœnitentis, ne ille ad despe-tionem, & consequenter ad abominanda aut tristia quædam adigatur. *Quia* hâc ratione honori Liberorum & Familiæ consulitur.

VII. *Quæst. An si quis ob perpetratum homicidium, aut furtum, aut ob imen rebellionis, seditionis, aut quodcunque aliud læsæ Majestatis in peregrinas rras profugus Uxorem & familiam deserit absque ullâ spe impetrandæ veniæ; ibendus sit pro Desertore: & Uxori ejus post elapsum quinquennium, no-: nuptiæ sint concedendæ? Resp.* Hemmingius pag. 1022. in casu coactæ commissum furtum absentiæ in partem affirmantem inclinat: Non est dubium, inquit, quin piæ & honestæ Fæminæ talis casus sit multo tristior, quam si Conjux adulterium commisisset. Durissima præterea lex fuerit, si jubeatur innocens sedibus incertis infamem & vagabundum quęrere, &c. Exacto quinquennio veniat ad Judicem, petat suę infirmitatis rationem haberi. Hic ex superioribus regulis statuo, Judicem posse innocenti & honestæ Personæ alias nuptias concedere. Ego contra statuo, debere Uxo-em sequi Maritum (siquidem veniæ & reditus nulla spes sit): ut suæ pro-riæ, & Mariti conscientiæ consulat, ne ob defectum continentię in laqueos iaboli incidat. 1 *Corinth.* 7. *v.* 5. Nullo autem modo peti aut concedi osse aliud matrimonium: quia furtum non est adulterium, crimen scil. ubvertens fundamentum conjugii, non magis quam hęresis. Est enim pla-è paradoxa assertio Hemmingii pag. 1023. *quod summus Magistratus legem*

Theo-

Theodosii in hoc casu sequi possit, *præsertim cum facinus perpetratum æquat crimen fornicationis*, *si non superat*. Quo colore crimen furti, idololatriæ, hæresios, blasphemiæ, infidelitatis, &c. crimen adulterii, respectu conjugii, aut divortii æquare aut superare poterit? Ipse Hemmingius antea solum adulterium, & Malitiosam Desertionem causas solvendi vinculi & ad novas nuptias transeundi agnovit & *Bucerum* eo nomine notavit, quod plures divortii causas admitteret, pag. 1020. *Bucerus hic durior est*, *ut in multis*, *quæ sunt hujus argumenti*. Hic autem non intervenire adulterium fassus est, & hinc difficultatem oriri in hoc negotio. Negavit insuper exsertè, non esse Desertionem. *Certum est*, inquit, p. 1022. *hanc discessionem Mariti*, *Desertionem non esse voluntariam*, *sed coactam*, *atque ideo Desertionis prætextu innocenti non succurritur*. Quid si Maritum furti sui pœniteat, an non ad aliquod in hâc tristitiâ & calamitate levamen & solatium, & ad retinendam bonam conscientiam in omnibus ei auxilio esse deberet? an non ad liberorum & familiæ suæ honorem, si quis ex hoc naufragio superesse possit, & ad plura ac majora mala per cohabitationem suam avertenda, misericordię potius quam rigori locus concedendus esset? Atqui objicit: *Cogi non debet ad cohabitandum cum infami*, *quem homines honesti mensæ & mappæ*, *ut dici solet*, *consortem non patiantur*. *Resp.* Externè an cogi debeat ab iis, penes quos imperium, hic non quæro: sed an in Foro Conscientiæ teneantur misereri, & compati, ac consulere lapsui & infirmitati Mariti? Ego ex *Galat.* 6. *v.* 1. 2. *Ephes.* 4. *v. ult.* affirmare malo. *Quia* tali in casu non debet se subtrahere carni suæ *Ephes.* 5. *v.* 28. 29. cum *Jesa.* 58. *v.* 7. sicuti non subtraheret se sibi ipsi, siquidem in idem aut simile crimen lapsa esset. Quia dum Conjugis suæ infirmitati succurrit, siquidem donum continentiæ non habeat; unà consulit propriæ suæ infirmitati; siquidem & ipsa donum non haberet. Talis enim Mulier in hoc casu ab *Hemmingio* supponitur. Misericordiam ergo & compassionem exerceat; conscientiæ suæ & Mariti consulat; majora mala, incommoda, majores ignominias in se, in Maritum, in liberos, in honestam familiam & cognationem suam redundatura præveniat; quamvis magno suo incommodo. Unum casum excipio: si Maritus ibi sedem figeret, ubi Uxori veræ religionis abnegatio, & Gentilis, aut idololatricæ, sub nomine Christiano, professio imponeretur, & quidem sub pœnâ supplicii capitalis.

VIII. *Quæst. An voluntaria & pertinax separatio quod ad thorum solummodo, non vero quod ad mensam aut qualemcunque cohabitationem, reduci debeat ad Malitiosam Desertionem conjugalem; & consequenter, an Parti Desertæ aliud conjugium concedi possit? Resp. Aff.* Quia conjugium illud per culpam partis nocentes, fit non-conjugium: quippe sine copiâ & fructibus thori im-

impolluti (κοίτης ἀμιάντε Hebr. 13.) Neque enim sunt in carnem unam *Genes.* 2. & Desertor aut Desertrix injustissimè usurpat sibi, & nefariè eripit parti desertæ potestatem sui corporis, contra Jus Divinum & naturale 1 *Corinth.* 7. Jam vero primario fine conjugii, qui generatio prolis (*Genes.* 1.), ut & secundario, qui est remedium incontinentiæ & castitas conjugalis (1 *Corinth.* 7. cum *Hebr.* 13.), sublato, tollitur per consequentiam ipsum conjugium; & remanet nudus titulus aut externum quoddam simulacrum, absque re. Merum enim contubernium, aut qualiscunque cohabitatio, sub eodem tecto, in eodem aut proximo ædificio, aut familiaris qualiscunque conversatio haberi potest à parentibus & liberis, fratribus & sororibus, cognatis, agnatis, amicis, notis, necessariis: absque ulla vel minimâ conjugii specie. Voluntaria autem & pertinax Desertio concludi potest ex aliquamdiu continuatâ, & exsertè professâ, post debitas adhortationes privatas, immo & potestatis publicæ injunctiones ac mandata, non sine comminatione secuturi judicii, κοίτης ἀμιάντε negatione. Quamdiu resipiscentia & emendatio exspectanda, quoties & quantis intervallis distantes tum correptiones ecclesiasticæ tum injunctiones Magistratus, ante peremtoriam sententiam, adhibendæ sint: publicæ Potestati arbitrandum relinquimus. Circumstantiæ multis modis variantes, communem regulam ubique & omni in casu non patiuntur præfigi. Hoc saltem Judici agendum, ut cautè attendat ad querelas hominum intemperantium, de negato, non quidem omni, sed nimis frequenti usu conjugii; qui viribus aut complexioni alterutrius, aut temperantiæ, honestati, exercitiis pietatis sive ordinariis sive extraordinariis repugnet. Ut vir non debet esse Uxoris suæ adulter; sic Mulier non debet esse Messalina.

IX. *Quæst. An Uxor Marito, absque suâ culpâ, absque infami flagitio, ob solam fidei & pietatis liberam professionem atque exercitationem profugo aut extorri, teneatur cohabitare, & si præfractè neget, Malitiosæ Desertionis condemnanda sit, & consequenter Marito injustè Deserto aliud conjugium concedendum. Resp. Aff.* Et sic à Genevensibus judicatum fuit, in casu Caraccioli Marchionis S. Viti: cujus vita peculiari commentariolo historico descripta exstat. Episcopius Doctor & Ductor Remonstrantium negat tale conjugium in conscientiâ licitum esse, in 64. quæstionibus, quæst. 58. ratione adductâ ex *Math.* 5. & 19. *Marc.* 10. *Luc.* 16. 1 *Cor.* 7. *v.* 10. 11. *Quia*, inquit, *secundum legem Christi vinculum conjugii non solvitur, nec solvi potest, nisi ob crimen adulterii.* Jam vero quamvis negatio Uxoris grave sit peccatum, non tamen est adulterium. Hæc ille, in casu à se formato: si scil. Maritus in terris Papisticis non posset tutus esse ab intentato supplicio, aut

 frui

frui aliquâ ſuæ Religionis & conſcientiæ libertate ; Uxor vero in terris illis, quò Maritus confugiſſet, libertate & conſcientiæ & aliquâ exercitii frui poſſet. *Reſp.* Repugnat hæc rebellio Mulieris poteſtati Viri, qui eſt caput Uxoris, & cui Uxor tenetur obedire 1 *Corinth.* 11. *Epheſ.* 5. 1 *Timoth.* 2. 1 *Petr.* 3. *Deinde* infert Malitioſam Deſertionem, hoc eſt, conjugii à ſuâ parte diſſolutionem; & conſequenter Mariti libertatem, ad ſuccedaneum conjugium : uti ſupra ex 1 *Cor.* 7. *v.* 13. 14. probavimus. Episcopius ad objectam rationem, quod ſic Deſertus non habet donum continentiæ, excipit.

1. *Except.* Quod præſtet continentiam per naturalia Medicorum remedia & per præces quærere, quam ad aliud conjugium tranſire. *Reſp.* *Primo*, non quæri hic de τῷ βελτίονι, ſeu de eo quod præſtat; ſed de eo quod in conſcientiâ licet: ἀπροσδιόνυσα ergo eſſe; & mera verba, quæ hic rationi objectæ opponi videntur. *Deinde* poſſe idem dici de parte innocente ob adulterium ſeparatâ: unde tamen minimè ſequitur, non eſſe illi aliud matrimonium in conſcientia licitum.

2. *Except.* Donum continentiæ à Deo obtineri poſſe, quando illud tanquam neceſſarium adulterii remedium à Deo petitur? *Reſp.* Non eſt quæſtio in talibus caſibus, an precibus obtineri poſſit, ſed an neceſſario à petentibus obtineatur. Quod poſterius non dicet : quia Deus abſolutè omnibus petentibus non promiſit, nec vere fideles credunt abſolutè & præcisè tanquam medium ſine quo non, illud donum ad ſalutem ſibi neceſſarium eſſe. Potius illud de dono perſeverantiæ tanquam abſolutè neceſſario verâ fide in nomine Chriſti petito affirmandum eſſet : quod tamen Remonſtrantes non admittunt.

3. *Except.* Maximè veriſimile eſſe, eum per ſerias preces donum continentiæ à Deo impetraturum, qui ob religionem & bonam conſcientiam retinendam, illo remedio carere cogitur, quod tamen ipſe Deus permiſit atque inſtituit. *Reſp.* Si Deus conjugium tanquam remedium incontinentiæ permiſit atque inſtituit: ut quid diſputatur, quaſi tanto bono divinitus ordinato non eſſet utendum, fruendum. Sed cum ita diſputat, videor mihi audire Pontificios contra bonum conjugii pro cœlibatu Monachorum & Clericorum diſſerentes. *Deinde*, cum de caſu conſcientiæ, & de licito aut illicito uſu conjugii tanquam remedii incontinentiæ divinitus ordinati quæritur, mens noſtra veriſimilium & conjecturarum furfuribus paſci non debet. *Tertio*, dato aliquem ἄτεκνον deſiderio & ſpe prolis unicè aut ſaltem primario conjugium petere; & familiæ ac cognationis ſuæ ſtatum, immo & publicum bonum illud requirere: an tunc præſtaret eum manere cœlibem? *Quarto*, dato eum quidem velle in cœlibatu vivere, illudque ob ratio-

nes

es putare sibi expedire, & serio à Deo petiisse donum continentiæ, & tamen illud non impetret (sicuti nec Paulus liberationem à tentatione 2 *Cor.* 12.) quid tum faciendum? an præstabit illum uri quam nubere, contra 1 *Cor.* 7. *v.* 9. Contra *rationem*, *secundam*, quam *Episcopius* sibi objicit ex 1 *Cor.* 7. *v.* 13. tripliciter excipit.

1. *Except.* Quod Apostolus ex proprio & privato suo sensu, non ex præscripto Domini tale consilium suggesserit *v.* 12. *Resp.* Hanc exceptionem contra autoritatem scripturæ *Rom.* 9. & doctrinam de prędestinatione ibidem traditam pręformaverat *Castellio in dialogo de prædestinatione*, *eandem* probabat Arminius. *Resp.* Sed jam sæpius à nostris ad Cramben illam à Remonstrantibus recoctam responsum est, Paulum scriptorem θεόπνευστον scripsisse ex immediato instinctu Spiritus Christi, quem *v.* 40. se habere dicit. Per illud autem *non Dominus*, nihil aliud voluisse significare, quàm dominum Christum in terris existentem proprio ore suo hunc casum matrimonialem de vinculi solutione ob desertionem, non explicuisse; sed tantum alterum illum de licitâ dimissione propter adulterium *Math.* 19

2. *Except.* Non dicitur, fidelem tali in casu liberum esse, ut possit aliud conjugium inire: sed tantum, liberum esse, hoc est, non teneri invitam, repugnantem, aufugientem ad cohabitationem violenter cogere, eique cum perpetuis jurgiis, contentionibus, & vexationibus cohabitare. *Resp.* Egregia hæc libertas, quâ arbitrio infidelis & absurdæ Mulieris pius Christianus perpetuo plus quam cœlibatui adstrictus est & manet, sine auxilio illo divinitus ordinato, sine prole aut spe prolis, sine divino incontinentiæ remedio, ad conscientiæ tranquillitatem. Hæc exceptio coincidit cum excogitato commento Pontificio, de divortio separante: solummodo quod ad thorum & mensam. Quod cum à nostris hactenus cit. satis superque refutatum sit, non est quod hic ulterius persequar.

3. *Except.* Casum propositum longè alium esse, quam apostolicum 1 *Cor.* 7. Inde ergo nihil adferri posse, quod ad rem præsentem faciat. Quia hic agitur de infideli, hoc est, Ethnicâ: sed in casu proposito de Marito & Uxore Christianis eandem religionem Christi profitentibus, quamvis altera pars Christianam idololatricam profiteatur & exerceat tanquam non repugnantem fidei & religioni Christi. *Resp.* 1. absurdè & planè ἀθεολόγως dicitur, ex scripturæ textibus nullum argumentum educi posse ad quæstionum moralium & casuum conscientiæ decisionem: nisi utrobique idem sit casus hypotheticus. Quasi scil. per analogiam seu analogicè rectè & solidè concludi non possit. *Resp.* 2. Videtur hoc palpum redolere *Grotii*, *Milleterii*, aliorumque nova consilia syncretistica: quorum examen hic non ingredimur; cum alibi *in Desper. causâ Papatus lib.* 3. *& infra part.* 3. *tit.*

de syncretismo hoc actum sit. Interim Episcopii Asseclis commendo lectionem disp. *Arminii de secessione à Papatu*, *&* *Vorstii dispp. de* 12. *causis*, &c. deserendi Papatus. Imprimis cogitent illud *corollarium Arminii*, *de idololatriâ Papatus* omnem Gentilium æquante, immo & superant. Episcopius objectionem sibi movet, Quod idololatria cum fide Christi consistere nequeat. Ad quam respondet per distinctiones; aliud est, inquit, revera, & aliud opinione non posse idololatriam cum fide Christi consistere: & aliud est cum fide, & aliud cum confessione fidei, non posse idololatriam consistere. Apostolus agit de tali infideli, qui opinione & confessione fidei Christianæ hostis est. Sed talis non est Mulier in casu proposito: quippe quæ in contrarium professione & opinione Christiana est, quamvis re & facto idololatrica. Addit rationem: Si Mulier idololatrica pro infideli habenda, quod idololatria non consistat cum fide Christi: ergo ebriosa, avara, immorigera, litigiosa, fraudulenta, hæretica, &c. eodem in gradu collocanda, in quo infidelis 1 *Cor*. 7. quod illa vitia tam parum consistere possint cum fide Christi ac idololatria. *Resp.* implicat se miris & extravagantibus subtilitatibus: unde salvâ Remonstranticâ *Arminii*, *Vorstii*, *Episcopii* & sociorum theologiâ, vix expediri posset. Dicam verbo in casu ab ipso *Episcopio* proposito, non ponitur causa proxima & adæquata *idololatria* aut *infidelitas* Partis Deserentis, sed injusta Mariti Desertio; qui cum ob religionem, conscientiam, & præsentaneum periculum ibi cum Uxore manere non posset, & aliò se transtulisset, Uxor quomodocunque sollicitata sequi noluit, sed malitiosè in tali migrationis necessitate eum deseruit: sive ex internecino Religionis odio, & ipsius Mariti ob Religionis professionem, sive aliis de causis: non obstante, quod ipsa ibi locorum, ubi Maritus tutus esse poterat, nec in conscientiâ cogenda esset, nec omni Religionis suæ idololatricæ exexercitio caritura. Nunc argumenta pro parte negante adducantur: absque ἐπιπροζητήσει & ἀγνοίᾳ τοῦ ἐλέγχους. Nos ea examinabimus. Rationem ejus deducentem quasi ad absurdum, sic profligamus. Ob avaritiam, inquit, φιλονεικίαν, ebriositatem, aliaque vitia Uxoribus aliæ substituendæ essent: quod non magis ea cum fide Christi consistere possint, ac idololatria aut Religio idololatrica (Pontificia scil.) *Resp.* siquidem ebriosa, aut avara, aut contentiosa, aut hæretica, &c. propter avaritiam suam, aut hæresim, aut ebrietatem, &c. aut aliam quamcunque injustam causam maritum suum à talibus vitiis alienum malitiosè desereret Desertione supra descriptâ: dicimus tali in casu & maritum in Foro Conscientiæ petere posse, & Magistratum concedere aliud conjugium. Hæc est communis Theologorum & Jureconsultorum à papisticorum sententia, & sic tenet praxis omnium Politiarum à jugo Papali liberatarum.

X. *Quæst.*

X. *Quæst. An possit judicari Desertio, cum Pars Deserens negat se totali-r & finaliter velle deserere? Resp. Aff.* Est enim Desertor aut Desertrix re : facto, si non externâ professione; implicitè & virtualiter, si non explici- & formaliter; indirectè & per consequentiam, si non directè. Protestatio him facto contraria, pro nullâ est habenda. Si quis tacitè mali quid com-ittat, e. gr. furtum, adulterium, homicidium, &c. revera ille committe- e tale peccatum judicandus: quamvis ipse illud non profiteatur aut apertè roclamet; quin insuper idem strenuè neget. Si ergo Uxor aliquot annis ex-a domicilium & territorium suum à Marito abfuerit, nec post privatas uasque petitiones & intercessiones, etiam edictales citationes, prætoris & udicum (ubi Mulieris cum Viro in publicâ functione constituto domici-um erat) epistolas monitorias, omniaque alia frustra tentata, redire no-uerit, ne quidem reditum promittere: dicendum ipsius Desertionem esse Malitiosam; & consequenter parti læsæ concedendum aliud matrimo-ium. Nec obstat, quod Mulier ad ictum peremtoriæ sententiæ prævenien-um & declinandum, σόφον hoc φάρμακον adhibeat, quod à marito absit, & alieno in Territorio hæserit, atque etiamnum hæreat, non *ad Desertio-nem, sed ad bonum prolis suæ.* Siquidem amicè requisita, & juridicè com-ulsa, hactenus non redit, nec ad reditum se componit; ita ut hæc prote-tatio facto contraria, vitiet effectum protestationis. *Bartol. in L. 1. C. litis ontest.* In hanc sententiam ad casum à nobiliss. & ampliss. urbis N. Senatu ropositum 21. Martii 1663. responsum fuit à Theologicâ & Juridicâ Aca-lemiæ nostræ facultate.

CAP. V.

De variis conjugio repugnantibus, Conjugii contemtu & condemnatione communione Uxorum; earundem permutatione; Infelici conjugio; in-cestu; sexuum abominandâ confusione; Polygamia, & commodatione; concubinatu; vagâ libidine; perfidis repudiis; Divortiis, desertionibus; con-jugiis & vagâ libidine in sæculo futuro.

CUrsim hic repeto ea quæ conjugio divinitus instituto repugnant: & sunt sequentia.

I. Μισογαμία, conjugii odium contemtus, condemnatio. De quali-bus erroribus præmonuit apostolus 1 *Tim.* 4. *v.* 1. 2. Hic primo occurrunt anti-qui hæretici Saturniani, Tatiani, Encratitæ, Apostolici, Valesi, Manichæi, Adamitæ. Vide *Augustinum in lib. de hæresibus* & ad *eum comment. Danei.* Et confer *ejusdem comment. in* 1 *Tim.* 4. qui nuptias tanquam à Deo malo pro-

 fectas,

fectas, damnabant. Cum quibus haut obſcurè ſymbolizant, Papæ Syricius & Innocentius cum uſui & actui conjugali (contra Apoſtolum *Hebr.* 13. *v.*4.) applicant illud Rom. 8. *qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem iam non eſtis in carne, ſed in Spiritu.* Quod inſertum Juri Canonico diſt. 82. c. *Propoſuiſti.* Conjugia tanquam fidei Chriſtianæ repugnantia damnabant Marcionitæ, Luciani, Priſcillianiſtæ; ſed Abelonitæ conceſſo conjugio, ejus uſum, hoc eſt, coitum. De quibus hæreſiologi. Alii inſuper addidere odium mulierum: qualis *Ephraim* apud *Sozomenum lib.* 3. *cap.* 16. Recentium quorundam ludionum vituperia mulierum prætereo: de quibus forte alibi. Antiquorum Gentilium ſuperſtitioſum & crudelem cœlibatum ſupra hujus ſect. cap. 1. attigimus. Cum quibus comparandus cœlibatus Clericorum & Monachorum in Papatu: de quo ſcriptores elenctici alibi indicati. De Tertulliano jam Montanizante ſupra quid retulimus: qui non tantum ſecundas nuptias damnabat; ſed & Mariti cum Uxore commercium, *contumeliam communem* appellabat cap. 10. lib. de monogamiâ, & *dedecus voluptuoſam* lib. ad uxorem 1. cap. 1. Atqui voce *contumeliæ* & *contumelioſi* alibi à Tertulliano fornicatio denotatur *lib. de habitu muliebri cap.* 11. Et Autor libri de pudicitiâ (inter opera Cypriani) adulterium *mutuam contumeliam* appellat. Clemens Alexandr. Stromat. 3. σαρκικῆς ὕβρεως κοινωνίαν, id eſt, *carnalis contumeliæ communionem.* Idem Strom. 2. Neque enim *contumelioſè* (ἐφ' ὕβρει) nec propter mercedem, &c. ſed propter ſolam liberorum generationem coitus fieri vult.

II. *Inceſtus*, aliaque conjugium irritantia. De quibus ſupra *hujus libri cap.* 1. *& ſect.* 2. *cap.* 1. *& ſeqq. & ſect.* 3. *cap.* 1. *& ſeqq.*

III. *Infelix conjugium*, γάμος ἄγαμος *innuptæ nuptiæ*; per ſævitiam, zelotypiam, religionis diſſidium, & vitia quævis œconomicis, moralibus, theologicis virtutibus oppoſita: ſpecialiter per ſyrraxes, litigia, verbera, diſceſſiones, inordinatas aut ordinatas ſeparationes quod ad thorum, aut etiam cohabitationem.

IV. *Sexuum abominanda confuſio*, ſeu ſubſtitutio. Exemplum dabat Imperator Caligula, qui quendam Ganymedem ſuum more & modo ſolenni in uxorem ducebat. Hic præteriri non debet flagitium cujuſdam mulieris, quę noſtro tempore virili ſchemate induta virginem quam Amſtelodami tanquam juvenis & procus verbis & blanditiis amatoriis intercedentibus ſibi deſponſabat, & coram delegatis ad matrimonialia, nomen ſuum profeſſa, præmiſſis proclamationibus ſolennem & publicam matrimonii confirmationem petebat, atque ita peractis peragendis publicè coram Eccleſiâ deſponſatam ſibi virginem in uxorem ſuam ducebat. Flagitioſi hujus facti illic, & in partibus vicinis pervulgati Hiſtoriam anno 1642. ſcripto conſignavit eru-

eruditus & scriptis suis celebris Theologus Jac. Laurentius Ecclesiastes Amstelodamensis in tract. cui titulus Paulus ἀδιανόητος, loco 26. pag. 381. loquitur, inquit, Apostolus de conjugio legitimo quoad personas, hoc est, inter marem & fœminam, cujus sanè posterioris recens exemplum in hac ipsa civitate nostra Amsteldamo ante annos paucos, anno scilicet 1632. die 12. Septembris, quo die publice in templo Novi lateris in matrimonio confirmati sunt coram Ecclesia quidam sponsus-fæmina, assumpto falso nomine, & mentitus sexum (neque enim vir erat, sed fœmina) *Guielmus Adriani* (nomen ejus verum ac proprium erat *Barbara*) cum sponsa quæ verè erat fœmina, *Hillegonda Joannis de Cruyd*; & per aliquot septimanas versatus ille pseudo-sponsus, fraude detecta, conjectus fuit in carcerem, & criminis sui pœnas dedit, licet, meo judicio, satis leves, pro facinoris tanti enormitate, quo & honorabile conjugium, ut illud vocat Apostolus *Heb.* 13.4. imo, & sanctum, conjugii spiritualis inter Christum & Ecclesiam symbolum ac Sacramentum *Ephes.* 5.31.32. licet non verum ac proprie dictum Sacramentum Ecclesię, uti asserunt Papistæ; Verbo itidem precibusque publicis coram conspectu totius Ecclesiæ à ministro seu pastore sanctificatum, impie delusit ac prophanavit.

V. *Communio uxorum.* Qualem *Plato in suâ Republicâ* vigilans somniabat. Quam plusquam brutalem philosophiam Eusebius lib. 13. de præpar. Euangel. cap. 12. Gentilibus Platonis admiratoribus merito exprobat. „Quod, inquit, in solennitatibus etiam nudas in sexto de legibus, adolescentulas cum nudis juvenibus tripudiis salire jussit. His illa quæ in „libris de republica de communitate mulierum dicta sunt, addenda mihi „videntur. Lex, inquit, ponenda est, ut mulieres viris omnibus communes „sint, nullaque cum uno solummodo habitare possit, hoc enim modo filii „quoque communes putabuntur, nec pater filium suum, nec filius patrem „cognoscet. Et post pauca: Non tamen quibusvis mulieres communiter „subjicimus, sed potestati Principum totam rem committendam arbitramur, ut quemadmodum pecunias publicas digne distribuunt, sic mulie„res quoque fortibus viris, ex utriusque dignitate tribuant. Multa hujuscemodi sunt apud eum, imò multo etiam turpiora, quæ negligenda po„tius, quam scribenda duximus. Eandem brutalitatem agitabant Simoniani, Nicolaitæ, Carpocratiani. Sed Adamitæ instar Cynicorum omnem pudorem tollebant. Platoni succinebat *Pseudo Clemens.* Cujus abominandam κοινωνίαν adoptavit & centonibus suis intexuit Jus Canonicum 12. qu. 1. can. *dilectissimis.* Quod spurcissimum & fœtidissimum dictum in Ecclesiis, Curiis, & scholis Papalibus tamdiu instar purpurei & latè splendentis panni per sæcula aliquot prostitit; donec Gregorii XIII. jussu a. 1580.

verba

verba illa (*in omnibus autem sunt sine dubio & conjuges*) uncinulis includi cœperunt: sub prætextu, aut potius ex cogitato commento, quod absint ab originali Clementis Romani in recentioribus Conciliorum editionibus impresso, (hem subtilem criticam!) & duobus ipsius codicibus MSS. &c. ut habet annotatio emendati Juris Canonici. Quid autem de pseudo-Clementis scriptis statuendum sit, docebit te *Dalleus in Pseudepigraphis apostolicis.* Inter phanaticos libertinos *Henricus Nicolai*, qui se patrem familiæ caritatis indigitat, fundit oracula quædam instar λοξίου Apollinis, unde non immerito colligi posset communio mulierum, & Adamitica ἀναισχυντία. Videri potest ipsius *speculum justitiæ lib. 2. cap.23.* E. Ubi de suorum in familiâ caritatis æqualitate cum angelis, qui conjugio se non immiscent, nec astringi patiuntur. Cum quibus conferenda, quæ habet in spirituali terra promissionis, & in terrâ pacis. Ex quibus inter se collatis *Casparus Grevinckhovius in detectione monstrosorum illius errorum cap. ult.* rectè conclusit, eum abominatione hâc vastatrice teneri.

VI. *Polygamia.* Quam juri divino & naturali repugnare, ex *Math.19.* cum *Genes.2.* & *1 Corinth. 7.* liquidissimè evincitur: ut profanos hæreticos hâc in parte detegere, sit refutare. Bernard. Ochinus Senensis cum monachatu deserto ad nostras partes transiisset, & initio aliqua non pœnitenda officia præstitisse visus esset, post in dialogis suis a 1563. editis vulpem, quam vapido sub pectore gestabat, detexit contra fundamentales de Deo uno & trino veritates, & contra naturalem de monogamiâ honestatem, *lib.2.dial.21.* disputando. Quem propterea reformatæ Ecclesiæ evomuerunt, & Magistratus pepulerunt. Meminit ejus *Beza epist. 1. quæ est ad Dudithium*, & in tract. de polygamiâ: ubi, & apud *Martyrem locor. classe 2. cap.10. §. 4-10.* rationes refutatas, vide Cajetano imputatur à Catharino in libello, cui tit.208. errores Cajetani, quod statuerit, *jure divino uxorum pluralitatem esse licitam; idque naturali jure nullam habere indecentiam; quin & sacerdotibus, præter episcopos, hoc licitum fore, nisi ecclesiasticâ prohiberentur disciplinâ.* Polygamiam probant & exercent hodierni Gentiles, Muhammedistæ, Judæi, ubicunque à Magistratibus loci non impediuntur. Hodierni Principes & Magistratus Gentiles non tantum permittunt, indulgent, tolerant: sed etiam probant, ac promovent, suoque ipsi exemplo præeunt. Præteritis iis, quę ex itinerariis, relationibus, topographiis, specialibus politicis adferri possent, unum solummodo referam de Rege Tunchinensi ex historiâ Alexandri de Rhodes Avenionensis ordinis Jesuitici in suâ relatione de successu prędicationis Jesuitarum in Regno *Tunchino* propè Imperium Chinicum, anno 1650. Ital. edita lib.2. cap.22. 26. 29. narrat omni gratiâ Regis & libertate legem Christianam (uti vocat)

(t) prædicandi se excidisse, eaque publicum per edictum prohibitâ, po-
ta jussos exulare: quod Gentiles quosdam ad fidem conversos induxissent
dimittendas uxores & concubinas, quas præter unam adsciverant.
um enim cum Aulicis suis ipse Rex pluribus gauderet, nec vellet suis
ibusdam subditis videri inhonestior: primò ipsis delegatum quem in-
dixit contra polygamiam publicè privatimque quidquam dicere. Ra-
o interdicto addita, erat ratio status: si credere fas sit. Vultis, inquit, ut
mei subditi tantum unam habeant mulierem: & ego volo ut plures ha-
beant, ut possint producere filios, qui mihi sint fideles subditi. Non am-
plius prędicate similem doctrinam, &c. De polygamia in Imperio Turcico,
ersico, Mogulico, Japonico, Chinico, Tartarico Europeo, Java-
, & Regnis, *Tartaricis Asianis*, &c. Memini me legisse in itine-
rio Georgii Spilbergen Regi alicui Indico defuncto parentatum fuisse
ter alia à 30. ex uxoribus, quæ se in ignem præcipitabant. *Quæritur* au-
m tempore V. T. *an Israelitis licita fuerit polygamia*? Sunt qui putant li-
tam & sine peccato tunc exercitam fuisse, per specialem Dei dispensatio-
em. *Augustinus lib.16. de civit. Dei c.38. & lib.3. de doctr. Christianâ c.12.*
mbros. de Abrahamo lib.1. cap. 4. Hieronymus ad Geruntiam. Justinus Martyr.
coll. cum Tryphone Judæo. Lombardus cum suis sententiariis libr.4. dist. 33.
ellarmin. de sacram. matrimon. c.11. Ex Protestantibus Heerbrandus in com-
endio theolog. loc. de conjugio. Tarnovius lib. 2. cap. 21. Brentius in tract. de
ausis matrimon. qu.4. Ex nostris Martyr locor. classe 2. cap. 10. eidem sen-
entię accedere videtur, dicens, Deum pro conditione istorum temporum
emisisse illis legem, quam ab initio tulerat, propagandæ gentis illius & Ec-
lesiæ causâ. Idque tanquam prophetis θεοπνεύστοις à Deo revelatum, & cer-
o cognitum fuisse. In subsidium advocat distinctionem peccati §. 10. *Si*
eccare sit à perfectissimâ ratione aberrare, certè peccârunt. At si peccatum
se statuamus, quo Deus offenditur, & ad vindictam provocatur, non peccâ-
unt: An & quantum hæc distinctio differat, à Pontificiorum distinctio-
e in veniale & mortale: fateor me non videre. Ob rationes ab exem-
lis sanctorum Abrahami, Jacobi, Davidis, Salomonis, &c. petitas; & quod
n scripturâ non reprehenduntur; &c. non est quod in has similesque am-
ages nos pertrahi patiamur: siquidem *Martyr ibid. & Beza in tract. de*
olygamiâ satis superque dissolvit. Eandem fere sententiam habet *Melan-*
thon in Ethicis à Martyre ibid. cit. quem tamen putat in loco de conjugio
liter judicare. Adde ex Jureconsultis *Carpzovium lib. 2. cap. 1. definit. 3.*
Alii negant, & uti de divortio ob quamlibet causam, sic etiam de poly-
gamiâ respondent, eam in politiâ seu politicè & in Ecclesiâ seu eccle-
siasticè tantum toleratam fuisse: ut polygami nec à Magistratu puniren-

tur aut coërcerentur, nec ab Ecclesiâ excommunicarentur: Et sunt *Beza*, qui ex professo & fusè hanc causam agit; *Zanchius part.2. lib.4.cap.1. p.112. Daneus lib.2. Ethic. Christ. cap.14. & part.3. Isagog. lib. 4. c.12. Hunnius in Math.19. Gesnerus in Genes. 4. quæst. 11. Joh. Gerhardi in loc. de conjugio.* Ex *Jureconf. Joach. à Beust part.2. cap.3.*

Tertia sententia est eorum, qui aut in medio relinquunt; & putant probabiliter in utramque partem disputari posse: & sunt, *Chemnitius part. 2. Exam. ad sess.24. cap.2. Meisnerus 1.part. philosoph. sobriæ sect. 2. c.5. Mentzerus tom. 4. disp. Marpurg. 15. thesi 72.* Selneccerus part. 1. pædag. Christ. pag. 245. secundam sententiam sequi videtur. Dicit enim *Deum aliquamdiu eam tolerasse*; & originem ejusdem refert ad Lamechum *Genes.* 4. Nos eandem tanquam verissimam amplectimur; quippe innixam juri divino & naturali planissimè explicato *Math.*19. cum 1 *Corinth.* 7. *Genes.* 2. In quo acquiescendum est: nec quæsitis ratiunculis & commentis indulgendum. Jus civile hâc in parte juri naturali consonat L.2.C. *in c. nupt.* Neminem, qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse, vulgo patet: cùm & in edicto prætoris hujusmodi viri infamia notati sunt, quam rem competens judex inultam esse non patietur. Et Instit. 1. tit. 10. de nuptiis §. *affinitates.* Et L. 18. *eum qui* C. ad legem Jul. de adulteriis: „Eum, qui duas simul habuit uxores, sine dubitatione comitatur infamia, „in ea namque re non juris effectus, quo cives nostri matrimonia contrahe- „re plura prohibentur, sed animi destinatio cogitatur. Verumtamen ei, qui „te ficto cælibatu, cum aliam matremfamiliàs in provinciâ reliquisset, sol- „licitavit ad nuptias: crimen etiam stupri, à quo tu remota es, quòd uxo- „rem te esse credebas, ab accusatore legitimo solenniter inferetur. Quin & ipsis Judæis in Imperio prohibita fuit L. 5. *nemo* C. de Judæis & cœlicolis: „Nec Judæorum morem suum in conjunctionibus retineat; nec juxta le- „gem suam nuptias sortiatur: nec in diversa sub uno tempore conjugia con- „veniat. Ut mirum sit Valentinianum patrem uxori suæ Severæ non tantum alteram nomine Justinam superinduxisse, sed & legem pro polygamiâ tulisse, ut pudori suo consuleret; quæ tamen post damnata *Socrat. lib.* 11. 21. Mitto Pipini Heerstalli Alpaidem, ex quâ pellice Carolum Martellum suscepit; Caroli M. tanti Principis, pluralitatem uxorum, aut concubinarum (ut nonnulli vocant); ejusdemque filium Rolandum ex sorore genitum; si fides adhibenda Antonino supra sect. 2. cap. 4. pag. 81. citato. Laertius in Socrate scribit edictum fuisse Athenis, ut viri duas uxores haberent. In novâ Hierosolyma Monasteriensi, quam tenebant Anabaptistæ, polygamiâ vigebat, inque eâ exemplo suo præibat Rex eorum Johannes Leidensis. David Georgius sectæ Anabaptisticæ, non tam ἔκγονον quam excrementum, eandem

...m probavit, & ipse exercuit: uti gener ejus Nicolaus Blesdikius in libel-... suo testatur, & invictis documentis hoc probavit *Ubbo Emnius in tract.* ...1603. *contra Davidicos edito.*

VII. *Permutatio, traditio, commodatio, venditio uxorum.* Pericles prio-...m uxorem alteri tradebat & Aspasiam ducebat; quæ una belli Pelopon-...esiaci fax erat. Cato petenti Hortensio cedebat uxorem suam Martiam; ...uam post mortem Hortensii recipiebat. Drusius uxorem jam gravidam ce-...ebat Augusto; quæ cum tres menses Augusti fuisset, Drusium pariebat. ...inc ortus jocus, τοῖς εὐτυχοῦσι ϗ τρίμηνα παιδία, id est, felicibus etiam tri-...mestres sunt liberi. In Angolâ vendunt uxores.

VIII. *Concubinatus.* Pellex Gr. παλλακὴ Hebr. פלינש differt à *concubina*; ...uod illa sit & cœlibis, & ejus qui uxorem habet: concubina vero ejus so-...ummodo, quo uxorem non habet. Sic Agar erat pellex, quæ latiori signi-...catione *uxor* dicitur *Genes.* 16. *v.* 3. in casu sterilitatis uxoris adscita. Et ...ilha ac Silpa pellices erant in familiâ Jacobi, etiam dictæ ejus uxores: ...*enes.* 30. quarum illa in casu sterilitatis, ista in casu cessationis à pariendo ...acobo in uxorem data *v.* 3.-5. & *v.* 9. Sed horribiles ejusmodi confusio-...es piis imitandæ non sunt. Si enim ob sterilitatem divortium illicitum ...st (uti ex communi sententiâ hic præsupponimus); & adulterio tene-...ur, qui ob talem causam dimissâ uxore alteram ducit *Math.* 19. utique ab ...dulterio immunis non est, qui retentâ uxore sterili, pellicem assumit. Est ...c alter casus, an uxore impotente ad concubitum, posset pellex aut con-...ubina ad usum conjugalem adsumi: manente tamen vinculo matrimo-...ii, & usu contubernii, nonnunquam forte thori? *Resp.* Si totalis sit im-...potentia, & si ante initum conjugium talis fuerit: irritum redditur & de-...laratur. De quo supra sect. 2. cap. 1. quæsitum fuit. Sin post initum con-...ugium per morbum, aut alio quomodo supervenerit, id patienter feren-...dum, & concupiscentia fortiter domanda ac vincenda. Sed si partialis quæ-...dam impotentia supervenerit, aut ante initum conjugium corporis infirmi-...tas nota fuerit; per quam mulier viri peculiari quadam corporis complexione ...ad actus conjugales admodum validi, frequentes congressus ferre nequiret: ...non magis de divortio, aut de subsidiariâ pellice adsciscendâ fas esset co-...gitare; quam Messalinæ alicui & inexplebili voragini, de subsidiario quasi ...marito, aut maritis. Quidquid hic fingere & sophisticari libeat, ab adulte-...rio talis congressus excusari non potest, nec ex peccato fieri non peccatum: ...siquidem secundum jus divinum & naturale judicium instituatur; uti in-...stitui debet. Hinc videmus quid judicandum de consilio aut consensu illo-...rum pastorum, aut illius pastoris, sine quo cætera laudatissimus Princeps ...(uti hoc ex *Sleidano*, aliisque illorum temporum historicis & ex oratione fu-

 nebri

nebri *Chunradi Mathei J. C. Acad. Marpurgensis* Syndici, constare arbitror) concubinam seu pellicem non superinduxit. Causæ hujus, quæ refertur, necessitatis & concessionis apud *Thuanum lib.* 41. & ex eo apud *Jonstonum class.* 10. *thaumatographiæ cap.* 5. *artic.* 3. aliis remediis occurri potuisset ac debuisset. Hoc saltem non erat agendum, multo minus probandum: contra *Math.* 19. *Genes.* 2. 1 *Corinth.* 7. Certè melius ad conscientiam judicare voluit Michael Verinus adolescens, editis versiculis quibusdam moralibus notus; quem referunt in casu morbi & quidem de sententiâ Medicorum absque usu Veneris letali, consilium hoc repudiasse. Quem ex ille morbo defunctum, hoc disticho celebratum legimus *Sola: Venus tanto potuit succurrere morbo: Ne se pollueret, maluit ille mori.* Nisi in orbis theatro longè celeberrimus *Thuanus*, hanc historiam recitasset, maluissem talia silentio tegere. Putavi tamen juniores præmonendos, ut si forte ab adversariis factum illud objiciatur, nôrint sibi respondendum, non constare, an unus an plures fuerint Pastores; Et quis ac quantæ eruditionis, pietatis, existimationis fuerit tanti paradoxi Autor. Saltem merito illius concionatoris eruditionem, fidem, pietatem, & pectus rigido honesto incoctum, dubia nobis reddit, quod Theologos Academię Marpurgensis (inter quos celebris & piè eruditus *Hyperius*) in consilium non adhibuerit. Non ausim tamen historię Thuani quidquam detrahere. An herois istius encomiastes Cunr. Matthæus tale quid tacitè innuere voluerit, nescio. Verba ejus sunt.

„ Sed quid multa? Tot ac tantis virtutibus hic Princeps noster pręditus
„ fuit, ut illæ ipsæ, quæ fortè in eo resederunt vitia,
„ (Nam vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est,
„ Qui minimis urgetur.)
„ prorsus obscurarint, extinxerint, obruerint.

Quod ad *concubinatum* strictè dictum, is est, quando cœlebs quis aut viduus unam habet tanquam uxorem, quæ tamen uxor non est: quippe nec solenniter ducta, nec à cognatis, civibus, notis tanquam uxor agnita & honorata, nec liberos parit, paternæ hæreditatis capaces. Tali concubinatui occasionem dat mandatum hominum, per quod uxorem non licet ducere; aut præsumtæ rationes sive status sive œconomicæ ipsius aut aliorum opinione. Exercetur à Sacerdotibus, Curatis, Episcopis, Canonicis, Militibus sacris, aliisque Clericis & quasi Clericis Papatus. In uno tamen variabant Canonici quinque Capitulorum Ultrajecti, privilegiato quasi concubinatu gaudentes: quibus à Pontifice & Imperatore privilegium confirmatum fuit, per quod licebat liberis suis ex focariis (uti canonicales concubinas tunc appellabant) susceptis, quantum liberet relinquere: uti refert *Zypæus in Juris*

canonici analyt. enarrat. lib. 3. tit. de cohabit. Clericor. & mulierum pag. 132. Quamvis autem cautionis formulam (*dicitur*) ipse adhibeat, rem tamen a se habuisse constat ex tot Canonicorum testamentis, quæ adhuc in manibus sunt: in quibus occurrunt usitatę formulæ: *lego filio meo* Titio, aut *filiæ meæ* Semproniæ, aut *quinque liberis meis, quem, quam, quos eheu genui in peccatis meis*, &c. Recens apud Ultrajectinos avorum & patrum tempore fuit memoria Canonici cujusdam Johannis Scetteri, qui interrogatus à familiari amico, ut ingenue diceret, quot parvulos ipsi alendos domum misissent; respondebat, *septuaginta; præter illos quorum matres tam verecundæ erant, ut hoc agnoscere & aliis indicare non auderent, aut nollent.* Jure Romano concubinatum simplicem (ita appello duarum personarum liberarum cohabitationem & consuetudinem) permissum fuisse, discimus ex *Novell.* 12. *cap.*4. & 18. *c.*5. & 117. *c.*2. 3. Et ex *tit. de concubin. in D. & C.* Unde etiam concubinæ descriptionem colligimus, quod sit mulier, *cum quâ matrimonium haut interdictum est, quam solius voluptatis & concubitus causâ solutus ita adsumit, quod illam unicam & solam concubitus, non matrimonii causâ, habere velit:* Vel, quam quis *non mariti animo, sed consuetudinis tantum causâ, sine stupri tamen crimine ac flagitio domi habet:* Adeo ut inter concubinam & matremfamilias, nulla ferè, nisi ratione dignitatis, à Jureconsulto statuatur differentia, teste *Ulpiano in L.* 49. §. 4. *D. delegat.* 3. Jus Canonicum itidem permittit, nec à communione repellit, *dist.* 34. *can. Is qui*: ubi conditionibus his circumscribitur, ut *unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ* (addit *Concil. Toletanum*, unde hic canon descriptus, *ut placuerit*) *communione sit contentus*, hoc est, ut nulli alteri jungeretur; & ut *non habeat uxorem*, hoc est, ut uterque sit cœlebs. Alibi addunt ex *Augustino in lib. de bono conjugali istas duas*: ut à procreatione liberorum non abhorrerent; & usque ad mortem in eâ vitæ conditione sibi manendum proponerent. 32. qu. 2. can. *solet.* & cap. *concubina.* Et his conditionibus servatis admittuntur concubinæ & concubinarii ad communionem. Periculosa autem & scandalosa can. *is qui*, rubrica, *Qui non habet uxorem, debet habere concubinam* sæculis aliquot prostitit & pro meretrice sedit (vide *Corpus Canonicum Glossatum Lugduni* 1607. *Basileæ* 1611. editiones decreti seorsim in 4. & aliis formis excusi) usque ad annum 1580., quo autoritate Gregorii XIII. mutari cœpit in præsentem: *Qui non habet uxorem, sed loco ejus concubinam, à communione non repellitur.* Quod ad praxin concubinariam & vagam libidinem Clericorum in Papatu, ea tam publica tam ordinaria fuit, ut Dux Bavariæ per legatum suum in *Concil. Trident.* extremo huic malo remedium aliquod, conjugium scil. clericale, adhiberi postularet. Vide *Historiam Concilii Trident. lib.*7. Et ipsam legationis rationem typis editam: ubi inter alia

 hoc

hoc compulsorium adhibet pag. 198. in 8. „ Nec verò ignorat Illustrissimus „ Princeps, quid à plerisque ne seria aliqua morum repurgatio suscipiatur „ objici soleat. Cùm verendum sit, si Clerus ex rigore antiquiorum Ca- „ nonum reformari debeat, fore omnino, ut plærique omnes, præsertim „ Parochi Parochiarumque ministri, (qui fere omnes concubinarii sunt) „ suas Ecclesias deserant & confugiant ad sectarios, ubi concubinas liceat „ in uxores sumere. Laurentius Surius in commentario rerum in orbe gestarum ad annum 1547. dum peculiari elogio exornat Gropperum, hoc elo- „ gium Clericis suis appingit: fuit, inquit, admirabili eloquentiâ, &c. atque „ à fœdissimo concubinatu, *quo se plerique ex Clero turpiter dehonestant*, „ usque adeo abhorrens, ut cum quodam die domum reversus, famulam „ invenisset lectum ipsius sternentem, vehementissimè commotus, famu- „ lam repente è cubiculo exigeret, & lectum è fenestrâ cubiculi projiceret, „ hoc ipso sane egregium animi sui erga continentiam zelum & ardorem „ præclarè declarans. De statu concubinatus, deque remediis, quæ in Papatu adhibenda dicuntur, videndi *Zypæus lib. 3. Juris Canonici novi tit. de cohabitatione clericorum & mulierum. Et Diaz in praxi criminali canonicâ cap. 111. & ibi commentar. Lopez de Salzedo. Concil. Tridentin. sess. 24. cap. 8. & ibi Remissiones*. Ad categoriam concubinatus reduci debet consuetudo viri cœlibis cum virgine aut viduâ, sub hâc stipulatione suscepta, de ipsâ nunquam deserendâ, nec ducendâ aliâ uxore; aut si cogitationes & rationes ejus unquam ferrent ductum uxoris, de nulla aliâ ducendâ, nisi ipsâ. Eodem reduci debet matrimonium conscientiæ, inter conjuges coram Deo; technologemate hodierno dictum *mariage de conscience*: qualem juris fictionem ad culpæ palliationem Virgilius Æneid. 4. notat in Didone: *Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.* Sed hoc artificio omnia stupra, omnes fornicationes, omnes concubinatus, excusari possent, dicendo, Rationes status, rationes familiæ nostræ, rationes rei familiaris meæ, &c. non ferunt, ut ego juvenis, aut viduus senex uxorem ducam; aut ego virgo, aut vidua nubam alicui viro, aut saltem huic, quem hoc tempore diligo, & cujus uxor esse velim, si liceret; & tamen quia continens non sum, consuescam cum illo aut cum illâ, tanquam dilecto aut dilectâ conjuge, secundum conjugii legem, intentionem, & conscientiam coram Deo, & in Foro Poli: non vero secundum legem, & consuetudinem, & titulum conjugii coram hominibus in Foro Soli. Quidquid hic fiat, & prætexatur, quidquid homines sibi indulgeant, aut etiam à potestate publicâ alicubi indultum fuit, aut indulgeatur: inconcussa stat stabitque veritas nullis effugiis & commentis concutienda, de viri & mulieris carnali conjunctione intra solos legitimi conjugii terminos coram Deo in foro conscientiæ licitâ. *Genes. 2. Hebr. 13. 1 Cor. 7. Math. 19.*

IX. *Vaga*

IX. *Vagæ quæcunque libidines*: quæ absque ulla conjugii specie aut prætextu perpetrantur. Quales ad septimum decalogi præceptum enumerari solent. Qualia illa sint, & quid de illis in Papatu judicetur, ac statuatur, operosè & periculosè satis exponitur ab ipsorum Casuistis. De quorum περιεργίᾳ supra cap. 1. monuimus. Multa hic colligi possent, sed studio hic abstineo, & lectores ablego ad *Molinei catalogum traditionum*, & ejusdem, ut & *Riveti elenchum* Jesuitæ Sylvestri à Petrâ sanctâ; ad mysterium patrum Jesuitarum. Unum hic solummodo referre visum, quod in libello gallico tit. Anti-Cotton anno 1608. edito Jesuitæ illi exprobretur ab ipso in epistolâ quadam scriptum, Regi ob sanitatem, concedendam esse consuetudinem cum aliâ quapiam ipsi amatâ muliere. Egregium sane conscientiæ magistrum.

X. *Conjugia*, & *vagæ libidines in vitâ futurâ*. Conjugia finguntur à recentiore Judæo *Menasse ben Israel in tract. de resurrectione lib. 3. cap. 9.* ubi eandem opinionem tribuit *R. Saadia Gaon*, *R. Mosi Ægyptio*, *R. Isaac Abarbaneel*, &c. Fatetur tamen refutari eandem à *R. Gerundensi*: contra quem ipse ibidem nonnihil conatur excipere. Comperio cum opinione Gerundensis consentire *R. Joseph Albo*. Nobis sufficit *Matth. 22. v. 29. 30.* errorem hunc rejici. Quod vero *R. Menaße* cum suis usum cibi & potus in seculo futuro ibidem asserit, id à nobis ex *Matth. 22. v. 30.* ubi dicuntur esse ὡς ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ. Atqui angeli non magis edunt, quam generant. *Grotius in notis ad Matth. 22. v. 30.* etiam à Gentilibus *Homero*, *Plutarcho*, *Aristotele*, hâc ratione castigari hunc Judæorum errorem, quod mortalitatem ἀχωρίστως, connexum velint usum cibi & potus, & alterum per alterum necessario poni ac tolli. Sed hic distinguendum est inter immortalitem primam h.e. *posse non mori* quam peccando Adam perdidit, & secundam h. e. *non poße mori*, ut *Augustinus* loquitur. Priorem posse cum tibi, & generationes usu consistere, discimus ex statu Adami ante lapsum *Genes. 1.* Et vice versâ posse mortalitatem cum ἀσιτίᾳ consistere docent exempla Mosis, Eliæ, Christi *Math. 4.*

Promiscuæ libidinis usum in vitâ futurâ cum formosis & intactis puellis tradit *Muhammedus*. De quo vide *Pocockum in specimine historiæ Arabum p. 291. & in notis ad Portam Mosis pag. 295.* Sed de his satis. Indicemus nunc aliquot scriptores de matrimonio prout in mentem veniunt, & accuratè omnia perrimantibus usui esse posse videntur: quamvis antehac aliquos indicaverim in nostrâ *Bibliothecâ lib. 2. sect. 8. append. 2.* Inter Theologos Pontificios sunt præter Canonistas & Casuistas, scriptores de sacramentis, quales *Gulielmus Parisiensis*, *Ledesma*, &c. Sed vicem omnium præstabit *Thomas Sanchez*. Omnibus illis præmitte bullarium, *Concil. Tridentin.*

cum

cum remißionibus. Jurisconsulti Pontificii, quales *Guibertus Costanus*, *Brissonius*, *Petrus Oninius*, *Jacobus de Grano*, &c. nihil hic audent nec possunt contra Canonistas & Casuistas. Illi ergo, quia in illis quod ad quæstionum determinationem continentur, hic peculiariter numerandi non sunt. Quod ad Protestantes & Reformatos, præmissis statutis politicis, & determinationibus synodicis (quæ omnia quisque, imprimis suę nationis, sui territorii, suæ Ecclesię Nationalis aut Provincialis respicere tenentur), sunt *Lutherus*, quem Theologi & Jureconsulti in Germaniâ communiter fere sequuntur & citant; *Erasmus Roterodamus de matrimonio*; *Brentius in casibus matrimonialibus*; *Franciscus Lambertus in commentar. de sacro conjugio*; *Erasmus Sarcerius de causis matrimonialibus*; *Bugenhagius de iisdem*; *Beza de polygamiâ*, *& de repudiis & divortiis*; *Zanchius part. 2. de operibus creationis*; *Hemmingius de conjugio*; *Mentzerus de conjugio*; *Tarnovius de conjugio*; *Matheus Cotterius de gradibus prohibitis gallicè.* Quibus jungi potest, autoritatis causa & propter adversarios, *Rabanus Maurus de gradibus prohibitis*, qui seorsim editus in 8. cum ejusdem *Institutione Clericorum.* Inter Jureconsultos; tractatus *Hotomanni*, *Alberici Gentilis*, *Henningi Arnisæi*, *Stephani Maleschot*, *Joachimi Beust*, *Forstneri*, *Cypræi*, *Christenii*; & qui theoriam ac praxin Politiarum, tribunalium, Ecclesiarum, Academiarum, præsertim in Germaniâ, post omnes alios exhibuisse videtur, citatis passim autoribus, *Benedictus Carpzovius in Jurisprudentiâ consistoriali toto libr. 2.* Cujus usum ministris nostris, præsertim novitiis, & vicanis, quibus turba omnis generis scriptorum non ita ad manum esse solet, præ aliis commendo. Theologi, qui alibi in locis communibus, aut in casibus & explicationibus decalogicis, in scriptis elencticis, aut in commentariis ad scripturam hæc attingunt, *Inter locorum communium scriptores* sunt *Melanthon in loc. commun.* & imprimis *in Examine Theologico cum commentariis Pezelii*; *Aretius in problematis*; *Martyr in locis*; *Sohnius in Thesibus de conjugio*; *Molineus in dispp. Sedanensibus*; *Joh. Gerardi in loc. commun.* Adde scholasticos ad Magistrum & *Thomam*, & *Viguerii institutiones*, imprimis & *Becani theol. scholasticam in fine.* *Inter Casuistas* & scriptores decalogicos sunt, *Melanthon in consiliis*; *Balduinus*, *Amesius*, *Kesterus*, *Dedekenus*, *Bredenbachius in Casibus*; *Pruknerus in centuriis quæstion.* seu *in mille quæstionibus*; *Cythræus in regulis vitæ*; *Daneus in Ethicâ Christianâ*; *Thummius*, *Danhauwerus*, *Rivetus in decalogum*; *Zepperus in politicâ ecclesiasticâ.* *Inter scriptores elencticos*, sunt antagonistæ *Bellarmini*, *de sacramento matrimonii*; *Rivetus in catholico Orthodoxo*; *Meisnerus in philosophiâ sobriâ*; *Forbesius in Instruct. historico-theolog. lib. 9. c. 8.* *Inter commentatores ad scripturam*, *Willetus in Leviticum*, *Anglicè*; *Zepperus in explicatione legum forens. Mosaic.*; *Fr. Junius in appendice commentar. analyt.* ad

Leviticum. Inter Jureconsultos Nostratibus compendium, & facilem um præstabit *Grotii Jurisprudentia Hollandica cum commentariis. Brissonius,* *aton. & Franc. Hotomanni de ritibus & jure connubiorum* simul in minori Formâ recusi, Leidæ 1641. *Cornmannus in tract. de triplici annulo, &* *de annulo sponsalitio, qui editus est*, cum ejusdem libro de *Jure Virginita*. Quibus jungendi antiquarii & philologi de ritibus Nuptialibus apud dæos, Romanos, Græcos, hodiernos Gentiles, Muhamedistas, Christianos. Nec prætereundi *scriptores Oeconomici* in Bibliotheca indicati, qui materiæ de conjugio tanquam οἰκείᾳ primum & primarium locum assignant: Inter omnes & post omnes hujus rei fidem fecit *Cl. collega noster Berchringerus*, *in Oeconomicâ* suâ nuper accuratè & methodicè conscriptâ. Nostrates, & si qui præter illos Belgica attingunt, consulere poterunt *Oeconomicam Christianam Petri Wittewrongel* pii, eruditi, diserti & prudentis Ecclesiastæ, cum viveret, Amstelodamensis. Ad hanc classem referri debent scriptorum quorundam peculiares tractatus, ut *Georgii vienni libri quatuor de officio bonæ matrisfamilias*; *Ejusdem libri quatuor de* *ficio probi patris familias*; *Francisci Barbari libri duo de re uxoriâ.* Quibus adde *Filesacum lib. 2. selectorum tit. Uxor justa*, & commentar. in *rov.* 31. Hæc occasione hic indico apologiam pro sexu fæmineo Germ. & at. autore *Joh. Fredero* (aliter *Irenæo*), translatore ex Germanico in Latinum *Joh. Broscio* anno 1544. Alios tractatus de laude & vituperio mulierum alibi indicamus. *Medici* etiam non exiguam huc symbolam conferunt, in gravissimis quæstionibus de quibusdam irritantibus conjugium, de liberis suppositis aut legitimis. Unus instar omnium Theologis in ejusmodi casibus inservire poterit, *Paulus Zachias medicus* in tract. cui tit. *Quæstiones medico-legales.* Ubi complures alii tum Medici tum Jureconsulti citantur. Exstat etiam insignis *tract. medico-juridicus*, *de partu naturali & legitimo*, *autore Alphonso Caranca.* J.C. ubi etiam de exposito, & supposito. Apud *Thomam Sanchez Jureconsulti & medici* circa irritantia conjugium disquirentes indicantur.

* Appendicula *de liberis adoptivis*, *posthumis*, *supposititiis*, *exposititiis*, *spuriis.*

I. *De adoptione & adoptivis*, deque eorum jure, Jureconsultis tractandum est. An & qualis fuerit inter Judeos, quærendum apud scriptores de politiâ Judæorum, & commentatores ad *Esther* 1. *v.* 7. In theologiâ symbolicè & per modum comparationis aliquid docendum & discendum de adoptione, ad explicationem textuum 1 *Joh.* 3. *v.* 1. & *Rom.* 8. *v.* 23. *Ephes.* 1. 5. &c. ubi occurrit vox υἱοθεσίας. Beneficium adoptionis spiritualis didacticè delineavit *Amesius lib.* 1. *medullæ cap.* 28.

II. *De posthumis.* Pertinet hoc totum ad Jureconſ. qui non propriè, ſed tantum ſimilitudine quadam etiam poſthumos vocari dicunt, qui vivente patre poſt ejus conditum teſtamentum nati ſunt: ut notat *Accurſius ad L.* 3. §. 1. *de injuſt. nupt. D. Fr. Hotmannus* de his peculiarem tractatum conſcripſit anno 1593. tit. *ſcholæ in* 2. *titulos* 28. *lib. Digeſt.*

III. *De ſuppoſititiis:* Qui ſcil. non ſunt liberi eorum, quibus attribuuntur. Fit autem illa ſuppoſitio vel inſcio patre putatitio; vel conſcio & volente. *Poſterior* modus ſatis notus eſt: cum ſcil. ob nummos aut beneficia à genuino patre promiſſa putatitius vitiatam ab illo & jam prægnatem in uxorem ducit, ſibique primum illum partum imputari patitur; quaſi ſcil. ex ipſo ſive abſque ſponſalibus, ſive poſt ſponſalia, ante celebratas nuptias imprægnata eſſet. *Prior* modus duplex eſt: vel magis palliatus & tectus; vel craſſus & apertus. *Ille eſt*, cum mulier quæ virgo intacta cluit, ab alio imprægnata, de contractu ſponſalium cum alio quo viro ſibi proſpicit; aut etiam abſque ſponſalibus ad juvenem quem (qualis *Proverb.* 3. deſcribitur) aſtutè ad concubitum pellicit: quo facto nuptias petit, iiſque obtentis, primam prolem putatitio illi patri imputat. Quod tamen, cum tempus nimis contractum eſt, nec ullus color diſtinctionum partus immaturi, aut ſeptimeſtris, obduci poteſt, ignominioſum & infelicem ſæpe ſortitur eventum. *Iſte*, modus ſcil. craſſus eſt, cum mulier quæ provectioris ætatis, juveni marito nupta, ſimulat ſe ex illo gravidam, & tempore ementiti partus, abſente marito infantulum maſculum à pauperculâ aliquâ emptum juvantibus fidis conſilii hujus conſciis oſtentat, ſeque tanquam puerperam curari facit; & ſimplicem maritum, ſimulac domum rediiſſet, illo putatitio filio, hærede nobili & futuro toparchâ, exhilarat, & apud ſuos gloriari ac triumphare facit: tanto magis quod aſtrum familiæ illius inexſtinctum præter ſpem multorum ex provectioris ætatis uxore ortum eſſet. Sed dum infans ille pro qualitate ſuâ, ab adſcitâ nutrice in domo & ſub oculis putatitiæ dominæ matris ſuæ aliquamdiu lactatur, curatur: fraus detecta fuit. Exemplum aliquod ſuppoſitionis non quâ marito, ſed quâ matri alienus ſupponitur, vide 1 *Reg.* 3. *v.* 17. 18. In quo facto peccatum ſuppoſitionis & plagii concurrit. De plagiariis ἀνδραποδισταῖς 1 *Timoth.* 1. *v.* 10. contra quos lex fertur *Exod.* 2. *v.* 16. *Deuter.* 24. *v.* 7. Et in jure Romano *L. congruit ff. de Officio præſid.* Affinis eſt ſuppoſitioni quando quis alienæ familiæ doloſè ſe inſerit. Quales dicuntur ὑποβολιμαῖοι hypobolimæi. Hinc titulus Satyræ Menippeæ à celeberrimo *Heinſio* quondam in Græcanicâ literaturâ dum *Ariſtophanem*, *Pindarum*, Xenophontem eruditiſſimè interpretaretur, præceptore meritiſſimo, anno 1608. in *Gaſparem Scoppium* editæ, *tit. Munſterus hypobolimæus. Budeus in commentariis linguæ Græcæ* dicit eam vocem

vocem ſuppoſititios, & infantes ex adulterio natos ſignificare.

IV. *De expoſititiis.* Agunt de iis JCC. qui exponentes dicunt tanquam homicidas & patricidas puniendos. Compendio ſtudebis ſi notata in *Thologi ſyntagm. legeris.* Tangit tales ſcriptura *Rom.* 1. *v.* 31. ſub nomine ἀστόργων. Et crudelitatem parentum, qui tale quid agebant, legeſque Gentium, quæ facinora illa licita aut permittenda faciebant, perſtringunt *Tertullianus* apologet. cap. 9. „Sed quoniam de infanticidio nihil intereſt, ſacro an arbitrio perpetretur (licet parricidium homicidio interſit) convertar ad populum. Quot vultis ex his circumſtantibus, & in Chriſtianorum ſanguinem hiantibus, ex ipſis etiam vobis juſtiſſimis, & ſeveriſſimis in nos præſidibus apud conſcientias pulſem, qui natos ſibi liberos enecent? Siquidem & de genere necis differt, utique crudelius in aqua ſpiritum extorquetis, aut frigori, & fami, & canibus exponitis. Minutius in Octavio: Vos enim video procreatos filios nunc feris & avibus exponere, aut ſtrangulatos miſero mortis genere elidere. Vide, ſi placet, *Geraldi lib.* 1. *digreſſ. cap.* 8. imprimis *Elmenhorſtium in commentar. ad Minutium*; ubi autores citantur. Et Lactantius lib. 6. §. 20. „Quid illi, quos falſa pietas cogit exponere? Non poſſunt innocentes exiſtimari, qui viſcera ſua in prędam canibus objiciunt; & quantum in ipſis eſt, crudelius necant, quam ſi ſtrangulaſſent. Quis dubitet, quin impius ſit, qui alienæ miſericordiæ locum non tribuit? qui etiamſi contingat ei, quod voluit, ut alatur; addixit certe ſanguinem ſuum vel ad ſervitutem, vel ad lupanar. Quæ autem poſſint, vel ſoleant accidere in utroque ſexu, vel per errorem, quis non intelligit? quis ignorat? Quod vel unius Oedipodis declarat exemplum, duplici ſcelere confuſum. Tam igitur nefarium eſt, exponere, quam necare. At enim parricidæ facultatum anguſtias conqueruntur; nec ſe pluribus liberis educandis ſufficere poſſe prætendunt. De expoſitione illa, quâ Moſes expoſitus *Exod.* 1. longè aliter ſtatuendum. Vide commentatores.

V. *De ſpuriis.* De illis Jureconſulti: inter quos *Fr. Hotmannus in tract. de caſtis nuptiis part.* 5. Ubi etiam cap. ult. orthodoxè & piè de concubinatu. Rectè ibidem obſervat, concubinatum jure Canonico non eſſe prohibitum (uti vulgo dictitatur) & allegato c. *dicat aliquis* 32. *qu.* 4. Ubi opponit c. *qui non habet diſt.* 34. Ibidem fatetur hanc conceſſionem concubinatus Juſtiniaci ſæculi maculam fuiſſe: & rectè à *Leone philoſopho Imper. Conſtantinopol.* licentiam hanc novell. 91. repreſſam: & ejus exemplo Conſtantinum Porphyrogeneram conſtituiſſe, ut apud Chriſtianos nullum diſcrimen inter concubinatum & ſcortationem putaretur: apud Harmenopulum lib. 1. cap. 7. In his ergo aliiſque ſecurim legibus & dictatis juris Civilis pu-

tandis (si quæ ab imperitis invito jure divino allegari contingeret) in manum dat: „Hæc, inquit pag. 328. cùm ita sint, tamen veriorem contrariam „esse sententiam, vel hinc licet intelligatur: quia D. Paulus leges Ecclesiis „describens, statuit, ut quisque vitandæ scortationis caussa uxorem ducat: „& quoties de maris & fœminæ conjunctione præcepta dat, disertè maritos & uxores nominat: ut facilè intelligatur, illam Justinianici seculi maculam fuisse: quemadmodum de patrum veteris testamenti vitiis in „concubinarum & plurium uxorum habendarum consuetudine, satis jam „inter nostros Theologos convenit. Ut ad spurios revertamur, latinè generali acceptione dicuntur *spurii* omnes illegitimi: sed speciali acceptione spurii dicuntur vulgo concepti, aut incerto patre nati, qui scil. patrem nominare non possunt: vel si nominare possint, eum habent, quem habere non licet: quales nati ex stupro, adulterio, scortatione, raptu, incestu. *Nothi*, verò aut *naturales*, Barbarè *bastardi*, qui patrem certum habent & extra legitimum matrimonium ex eâ conjunctione nati sunt, quæ legibus concessa est, ex concubinatu scil. aut ex polygamiâ: de quorum permissione supra. De etymis & differentiis vocum istarum consulendi in Jureconsf. lexicographi, Etymologici ut Isidorus, cum Popma de differentiis vocum. Hebræorum generalis appellatio est ממזר *mamser Deuter.* 23. *v.* 2. de quâ lexicographi. Specialis appellatio est. *Judic.* 11. *v.* 2. *filius meretricis.* Metaphoricâ significatione νόθοι dicuntur *Hebr.* 12. *v.* 8. qui veris & genuinis filiis Dei spiritualibus illic opponuntur. Theologis doctrina de spuriis usum præstat in explicatione textuum *Deuter.* 23. *v.* 2. *Judic.* 9. *v.* 18. & 11. *v.* 2. 3. Et in quæstionibus de spuriis ad ministerium ecclesiasticum admittendis, aut non admittendis, deque eorum legitimatione: de quo nos infra tract. 4. & part. 2. politic. eccles. lib. 3. Et Jus Canonicum ibi citandum. Usum etiam habet in casibus ad 5. & 7. decalogi præceptum, ubi de amore parentum erga eos, (quibus odio & detestationi esse debet proprium peccatum); de eorundem curâ & educatione. De quo & pro quo serio admodum contendit *Pontus Heuterus Delfensis*, *canonicus* (cum res Romanæ starent) *Gorinchemensis*, postea Monachus Trudonensis, *in peculiari tract. in* 4. *de spuriis.* Ex Theologis nostris *Martyr class.* 2. *cap.* 11. §. 13. *& Lavaterus in Judic.* 5. de spuriis nonnulla attingit. Ex Pontificiis *Serrarius in Judic.* 11. Sed *Heuterus* modo cit. plenissime hanc materiam persequitur, & rationibus atque exemplis quamplurimis virorum in schola, Ecclesiâ, politiâ, militiâ, præstantium probare conatur, melius exemplo aliarum nationum habendos spurios, quam vulgò in Germaniâ & Belgio habentur. Pro eorundem bonâ educatione, & benigna non communi sed paternâ aut maternâ tractatione, militant rationes 1. à στόργη: quæ & hic locum habet.

à parentum officiis erga liberos *Epheſ.6.v.2.3.4. 2 Cor.12.v.14.* Quam- s enim origo paternitatis quod ad productionem activam ſit illegitima: ectus tamen productus, ſeu res, cum jam producta eſt, tenet. Parentes n debent culpam ſuam ſibi, non liberis tunc nondum exiſtentibus, im- tare. 3. Ex inſertis genealogię Chriſti ſpuriis & quidem ex inceſtu & adul- rio natis Perez ſcil. & Zerah, *Math.1.v.3.* adſcripto etiam nomine matris æ inceſtu & adulterio ſe polluerat. Quomodo *v.6.* Batſabe mater Salo- onis deſignatur uxor Uriæ; quæ cum uxor ipſius eſſet adulterium commiſe- t. 4. Ex noxio conſequenti. Quia parentibus imputatur, ſi nothi eorum m neglectos aut non bene habitos ſe vident, ex tædio aut deſperatione l malas artes aut deſperata conſilia ſe convertunt. Exemplum habes in bimelecho *Judic.9.* Iſmaele *Geneſ.21.v.20.21.* & quamplurimis aliis, quos u malæ frugi fuiſſe paſſim Hiſtorici teſtantur. *Martyr, Lavaterus*, & ex Pon- ficiis *Joh. Ferus in Judic.11.* cauſam pro ſpuriis benigne habendis & cu- ndis agunt. Lavateri verba ad cap. cit. fol.86. non poſſum, quin hic ex- beam.

Docemur neminem contemnendum eſſe, & multò minus injuria & contumelia afficiendum, propterea quòd pauper, extorris, illegitimo thoro natus ſit, ideoque ad dignitates aſcendere non poſſit. Præſertim ſi à Deo magnis virtutibus ornatur. Ille enim pauperes opulentos reddere poteſt, extorres in patriam ſuam reducere, obſcuros & ignobiles, claros efficere. Hæc omnia in Iephte facta ſunt. Pauperes mallent eſſe divites, extorres mallent in patria ſua verſari, illegitimi claro genere nati eſſe. Quis verò ſibi parentes eligere poteſt? Quod quis ſcorti filius eſt, non ſua culpa accidit, cur igitur hoc fraudi illi eſſe deberet? Poteſt etiam facile contingere, ut divites in paupertatem incidant, qui in patria ſua vivunt, in exilium ejiciantur, qui magiſtratum gerunt, privati fiant. Opera etiam hujuſmodi hominum, nobis ſæpe utilis eſt in morbis, incendiis, bellis, naufragiis, & aliis periculis. Niſi pius fuiſſet Iephte, quantum malum patriæ ſuæ potuiſſet dare?

3. Habent hoc loco, exules, pauperes, & in primis ſpurii, egregiam con-, ſolationem. Deus Iephte, qui pauper, extorris, nothus erat, tot dotibus, inſtruxit, & contra legem populo ſuo præfecit: Idem hodie quoque illos, qui tales ſunt, multis donis cumulare & gratiam eis apud homines conci-, liare poteſt: ne ergo animum deſpondeant, ſed hoc illis ſtimulus ſit ad, virtutem. Licet ad dignitates non promoveantur, tamen id moleſtum eis, præſertim in illa rerum corruptione, eſſe non debet. Multi egregii viri, ſponte ſe à Republica removerunt. Ferè fit, ut quia ſpurii contemnuntur, nec rectè erudiuntur, deteriores aliis evadant, & in deſperationem ruant:

 potius

,, potius dare operam debent, ut si obscuri sint natales, ita se gerant, ut vir-
,, tute illustres fiant. Pulcherrimum enim est nobilitatis genus, quam quis-
,, que propriis virtutibus acquirit. Cum Ciceroni ignobilitas generis obji-
,, ceretur: Satius est, inquit, meis gestis florere, quam majorum opinione
,, uti: & ita vivere, ut sim posteris meis nobilitatis initium & virtutis ex-
,, emplum. Nos his præmissis, quæstiones aliquot ad conscientiam pertinentes breviter determinamus.

I. *Quæst. An spurii sint, omnes liberi Clericorum, qui ex ductâ uxore sive moniali sive laicâ, nati sunt: aut liberi Laicorum quos ex Moniali aut ex Cloppâ in uxorem ductâ susceperunt. Resp.* Ita volunt Pontificii, nixi falsis suis hypothesibus, de prohibito conjugio Clericorum; & de crimine sacrilegii commisso in conjunctione, quamvis conjugali, cum muliere, quam Deo per solenne votum consecratam dicunt. Hypothesibus his sublatis (in controversiis de Cœlibatu Clericorum, & de Monachatu), inconcussa stat thesis negans. Vehementiores aut simpliciores Clerici ipsorum non tantum in suo nido, sed etiam inter nostros subinde effutiunt, omnes Apapistarum liberos esse spurios. Quamvis autem callidiores inter Clericos in terris reformatis hoc dissimulent, ex doctrinâ tamen ipsorum hoc sequi dicimus. Non enim agnoscunt legitimum inter Christianos conjugium, nisi illud quod tanquam sacramentum in Ecclesiâ Romanâ celebratur. Vide præter scriptores de conjugio supra cit. Becanum lib. 5. Manualis cap. 9. ubi ad *quæst.* An liceat cum Hæreticis matrimonia contrahere, respondet, *generatim loquendo non licere:* additâ inter alias hâc ratione, quod qui hoc agit *committit sacrilegium.* Postea subdit, solere speciatim disputari, an Catholici in Germaniâ possint contrahere cum Hæreticis, præsertim cum jam usu hoc receptum sit. Et respondet: *Ego existimo catholicos in Germaniâ sæpe excusari*; allatâ inter alias hac ratione. *Ignorantia potest illum excusare à peccato sacrilegii. Multi enim Catholici inculpabiliter ignorant, contractum matrimonii cum Hæreticis esse sacrilegum.* Cur ergo suos non instruunt? ne ignorantiam prætexant. An Becanus aut ullus sociorum Papistis suis unquam dicturus esset, si libet licet. Quod si monerent ipsos intra & extra confessionem, & publicè concionibus, lectionibus, scriptis hoc inculcarent, & consequentiis de sacrilegio, de statu liberorum, &c. conjugia & conscientias gravarent: quomodo possent ignorantes esse, & conjugium ex sacrilego non-sacrilegum fieri? Sed versatiles illi & λόγιοι conscientiarum Magistri, uti in hoc, sic in aliis casibus quamplurimis ostendunt se φιλαπτίζειν, & ad mores, consuetudines, χάριας, apud homines præsertim potentes canere τὸ *si libet licet.*

II. *Quæst. An ita spuriorum causa agenda est, ut in adeundâ hæreditate, &*

& promotione ad munera publica ipsi & legitimo nullo discrimine agantur? Resp. Neg. ad honorandum enim honorabile conjugium, & ad vagas libidines vitandas, leges de spuriis latæ; quas videre est in Jure Civili & Canonico. Citat eas *Tholosanus in syntagmate & Politica*, & *Tiraquellus de Nobilitate cap.* 15. Quibus nos, quod ad summam rei refragari nolumus. Et præivit hic lex forensis Mosaica Deuter. 23. v. 2. *Non ingredietur spurius Ecclesiam Domini, etiam generatione decimâ*, &c. Rationes legis illius à *Luthero in annotat. ad locum cit.* & ab aliis commentator. allatæ sunt potissimum istæ. *Quod* honor conjugio & ignominia scortationi debita hinc patescit. *Quod* spurii complures, si non plerique, sint vitiosi. Contra tamen apud antiquos, nothos æqualiter honoratos fuisse cum legitimis, testes sunt *Eustathius & Anonymus scholiastes ad Iliad.* 8. Servius ad Æneid. 3. restringit illud, ad reges & principes: *consuetudinis*, inquit, *regiæ fuit, ut legitimam uxorem non habentes, aliquam licet captivam, tamen legitimam haberent, adeo ut liberi ex ipsâ nati succederent.*

III. *Quæst. An ergo ita deprimendi; ut nunquam ad munera publica in Ecclesiis aut Politiis promovendi sint, nec hæreditate sive in totum sive ex parte aliquo in casu beandi? siquidem pietate virtute, sapientiâ, prudentiâ, fortitudine excellerent? Resp. Neg.* Et merito hic rigidas sententias & exaggerationes *in libro Sapientiæ cap.* 3. & 4. improbamus: nisi verba ejus commodè restringi queant ad plerosque, non ad omnes infeliciter natos. Si enim excellant, & ortus sui ignominiam, virtute & rebus præclarè gestis tegant, quidni promoveatur? Et si necessitati & bono Ecclesiæ aut Reipublicæ illi præ aliis consulere possint, quidni ipsorum & publici boni ratio habeatur? Quidni in & de legibus, de consuetudine, si quæ adversari videatur, prudenter dispensetur? Præit hic exemplum Israelitarum, qui rebus difficilibus Jephtæ tanquam maximè idoneo summam rei bellicæ commiserunt *Judic.* 11. *Heuterus* supra à nobis laudatus plurima spuriorum exempla collegit, qui in Republicâ & Ecclesiâ ad dignitates promoti floruerunt. Interim distinguendum est inter spurios ex incestu aliisque abominandis congressibus natos, & inter alios. Cujus distinctionis rationem, præsertim in ecclesiasticis vocationibus habendam infra part. 2. lib. 3. docebimus. Quod ad incestum, ille in probabili ignorantia, aut in communi conniventiâ, immo & approbatione νόμου καὶ χώρας alicubi commissus esse videtur. De spurio hærede scribendo, si nulli alii sint liberi legitimi, nulla difficultas est: si modo leges istius loci non impediant. Et favorem omnem spuriis, qui virtute suâ hoc merentur, exhiberi posse & debere, docet jus legitimationis.

LIBRI TERTII
TRACTATUS II.
DE
Funere seu Sepulturâ Mortuorum.

CAP. I.
Continens tripartitam Disputationem de Sepulturâ.

INter occasionata & quasi-agenda ecclesiastica numeratur sepultura. De quâ multa quæri & dici possent: quæ cum *D. Carolus de Maets collega noster, cum viveret, conjunctissimus* magnam partem disputatione tripartitâ anno 1651. eruditè, & pro more suo perquam accuratè ac judiciosè explicuerit; visum fuit indictam disputationem absque ullius vocis mutatione integram hic potius exhibere; quam ex eâdem medullam excerpere & in usum meum transferre: quod alioquin facturus fuissem, non sine nominis ipsius indicio & celebratione. Neque enim sum ex numero eorum qui nihil putant à se dicendum & scribendum nisi quod ipsi primum invenerint, & aliis hactenus indictum sit; aut saltem quod apud lectores paucarum literarum, & paucorum librorum cognitores tanquam à se inventum aut primò scriptum ostentare queant. Stat mihi semper illud Philosophi: *Non opus est fieri per plura, quod potest fieri per pauciora.* Hoc compendio utor, ut eruditorum inventa & bene dicta primum meditationibus meis subjiciam (modo libri ad manum sint), & inventis eorum si quid addere possim, addam; absque præjudicio tamen & contemtu eorum per quos profeci: præterea lectoribus indicium faciam scriptorum, qui mihi aut usui fuerunt, aut aliquid in hâc aut illâ materiâ aut quæstione præstitisse videntur; ut & illi eosdem aut aliquem ex iis, si ita visum fuerit, pro re natâ consulant & conferant. Peculiares etiam rationes sunt, cur potius hanc disputationem benedictæ τοῦ μακαρίτου memoriæ excitandæ & conservandæ recudendam dederim, quam alias ejusdem non minus eruditas & accuratas. Erat enim emortualis & ex postremis; cujus tertiam partem jam prœlo paratam, ego post obitum Autoris (qui incidit in 20. Aprilis) excudendam & 10. Maji sub præsidio meo defendendam proposui.

Prima

Prima pars hunc titulum præscribebat.

Disputatio Theologica, de Sepultura Mortuorum. Pars prima. Quam Favente Deo Opt. Max. Sub præsidio, D. CAROLI *de* MAETS *S. S. Theolog. Doctoris & in Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii, & in Ecclesiâ ibidem Pastoris vigilantissimi. Defendere conabitur.* STEPHANI SZATTHMARI *Ungarus. Ad diem* 22. *Martii, horis locoque solitis.*

ACturi de Sepulturâ paucula vocem spectantia præmittemus, postea §. 1.
de re ipsa dicemus. Sepultura ergo à *Sepeliendo* dicta est. Notat autem sepelire idem quod cadaver (quamvis ad alia etiam transferatur) condere sive id fiat per terræ injectionem, sive alio quocunque modo. Notat id Plinius Hist. Nat. lib. 7. c. 54. *Sepultus*, inquit, *intelligitur quoquo modo conditus, humatus vero, terrâ contectus.* Sepultura vero actum sepeliendi, saltem ordinarie. Sepulchrum vero significat locum in quo cadaver ejusve reliquiæ conduntur. De vocibus hebraicis קבר, קבור, שאול, קבורה obiter annoto; quod τὸ קבור & קבורה apud ebræos dupliciter accipiatur. Late videlicet & stricte. Late quidem & catechresticè τὸ קבור sumtum significat *terræ reddere*, stricte & proprie, terrâ condere. Catechresticam illam significationem habemus *Jer.* 22. *v.* 19. Ubi de Jehojakimo dicitur quod sepultura asini sepeliendus esset. Verba textus sunt קבורת חמור יקבר. nec non quod Catechresticam hanc significationem etiam imitati sint græci. Græcos hac Catechrestica loquendi ratione usos liquet ex Photio qui inter argumenta librorum Ctesiæ refert caput hoc καὶ περὶ τοῦ θάψαντος τὸν πατέρα διὰ τοῦ πυρὸς παρὰ τὸν νόμον, ἐξ οὗ δὲ ἔλεγχος Ἑλλανίκου καὶ Ἡροδότου, ὡς ψεύδονται, Et porro patet ex Diogene Laërtio qui in proëmio tradit, magos, ἀνόσιον ἡγεῖσθαι πυρὶ θάπτειν. Addo Latinis etiam in usu fuisse, ut docet illud Mecœnatis, *Nec nudum curo, sepelit natura relictos:* nec non quod ait Cic. Tusc. lib. 1. nimirum *in Hircania ali canes à quibus lanientur, eamque optimam censere eos esse sepulturam.* Et denique quod apud Plinium exstat hist. nat. lib. 4. c. 12. circa finem ubi ait: *domus iis* (Hyperboreis) *nemora lucique, & deorum cultus viritim gregatimque, discordia ignota & ægritudo omnis: mors non nisi satietate vitæ, epulatis delibutisque senibus luxu, ex quadam rupe in mare salientibus. Hoc genus sepulturæ beatissimum.*

Ut commode de re ipsa agamus, 1. nonnihil de causis sepulturæ dicemus. §. 2.
2. de effectis. 3. de subjectis. 4. de adjunctis. 5. De oppositis. Quantum ergo ad primum, quæritur.

1. *Unde ſepultura originem habeat, & quis ejus finis?* *Reſp.* mortem (quæ ex peccato eſt) ſepulturæ originem dediſſe nullum eſt dubium. niſi enim homo moriendi neceſſitatem per peccatum contraxiſſet, nullus ſepulturæ humanæ de qua hic agimus, (nam etiam quoſdam equos ſuos ſepeliviſſe auctor eſt *Plinius Hiſt. Nat. lib.* 8. *c.* 42. & aſinum vivum defodiſſe, magico ritu, ſacrificulos ſinuis ſanos refert *Jovianus Pontanus de bello Neap. l.* 5.) nullus locus fuiſſet. Nam nec neceſſaria fuiſſet, nec reperti fuiſſent, qui vivos defodere & terra operire voluiſſent. Morte autem in mundum ingreſſâ, morituri, ſepulchro condi voluere, & qui ipſos propius attingebant, jam mortuos ſepeliendos exiſtimavere, inclinatione videlicet naturali id ſuadente. Inclinationem hanc naturalem eſſe variam ſuadent. Et primo quidem quod in ſacris literis legimus, ſanctos cum viverent de cadaveribus ſuis ſepeliendis, ſuis præcepta dediſſe, & ſuperſtites cadavera ſuorum ſepeliviſſe. Videatur hac de re *Gen.* 23. *v.* 4. 19. & 25. 9. & 35. 8. 19. & 47. *v.* 29. 30. & 48. *v.* 7. & 49. *v.* 29. & 50. *v.* 13. *Num.* 20. 1 *Deut.* 10. 6. *Joſ.* 24. *v.* 30. 32. 33. *Jud.* 8. *v.* 32. & 10. *v.* 2. & 12. *v.* 7. 10. 12. 15. & 16. *v.* 31. 1 *Sam.* 25. *v.* 1. & 31. *v.* 12. 13. 1 *Reg.* 2. 10. & 11. *v.* 43. 1 *Reg.* 22. 51. 2 *Reg.* 13. 20. 2 *Par.* 24. 16. & 32. *v.* 33. & 35. *v.* 24. *Matth.* 14. 12. & 27. *v.* 6. *Act.* 8. *v.* 2. Deinde etiam quod plæræque omnes gentes cadavera ſuorum terræ mandare ſoleant, & ſepulchra inviolabilia eſſe debere exiſtimaverint. Apud Athenienſes, ſepulturæ tanta cura fuit, ut ſi quis dux peremtos bello ſepelire neglexiſſet, morte mulctaretur. Nicias totum exercitum ſubſiſtere juſſit ut duos milites ſepeliret. Factum Cimonis prætereo. Fuere quidem aliquæ gentes, de quibus literis proditum eſt, quod cadavera ſuorum ſepulturâ non dignarentur, ſed eæ prorſus barbaræ erant, & humanitatem prorſus exuiſſe videbantur; adeo ut ex ipſorum moribus, non magis probari poſſit inclinationem quæ in aliis eſt, ad rem de qua agimus, non eſſe naturalem; quam ex moribus quorundam populorum qui prorſus nudi incedunt, inclinationem qua alii feruntur ad nuditatem ſuam tegendam non eſſe naturalem. Huc etiam faciunt lamentationes piorum quiritantium quod cadavera piorum inſepulta jacerent, & laniatibus ferarum & avium expoſita eſſent, *Pſalm.* 79. *v.* 2. 3. Nec omittendum eſt quod Deus quibuſdam in præmium pietatis quandoque promiſiſſe legitur, quod ſepeliendi ſepulchriſque patrum inferendi eſſent: aliis vero comminatus eſt quod aut ſepultura carituri, aut majoribus apponendi non eſſent. Vide hac de re *Gen.* 15. *v.* 15. 1 *Reg.* 13. *v.* 22. & 14. 11. 13. & 21. *v.* 23. 24. 2 *Reg.* 22. *v.* 22. *Jer.* 8. 1. 2. & 14. *v.* 16. & 16. *v.* 4. 6. & 22. 18. 19. Hiſce accedit quod David cum audiviſſet Jabeſchitas corpus Saulis & filiorum ejus è muris Betſchanis abſtuliſſe, & combuſſiſſe, ne videlicet rurſus ludibrio Philiſtæorum exponerentur, ipſoſque

que eorum ossa sepelivisse intellexisset, non tantum eos laudaverit, verum etiam eos eo facto misericordiam erga Saulem exercuisse pronunciaverit. 2 *Sam.*2.*v.*4.5. Præterea *Deut.*34.*v.*6. ipse Deus corpus Mosis, cum mortuus esset, sepelivisse in valle quadam legitur, ita tamen ut nulli, quo loco sepulchrum Mosis esset, constaret. Quod Mosen sepelivit, factum sine dubio, ut, quam charus ipsi Moses fuisset, ostenderet. Quod eum loco incognito sepelivit, à plerisque interpretibus factum creditur, ne Israelitæ ejus reliquiis, ut viri Deo charissimi ad superstitionem & idolatriam abuterentur, quemadmodum nunc Pontificios reliquiis sanctorum, sive veris, sive falsis abuti videmus. Denique indignum est, nobilissimum animalium hominem, imo sanctos qui secundum animam & corpus templa sunt Spir. S. 1 *Cor.*6.*v* 19. 2 *Cor.*6.*v.*16. post mortem pari conditione facere cum brutis, quæ laniatibus ferarum & volucrum objiciuntur, atque ludibriis hominum exponere, decens vero ut corpus hominis matri terrę reddatur. Fluxit itaque sepultura cadaverum humanorum ex inclinatione quadam naturę, quâ cadavera nostra & nostrorum post mortem irreverenter tractari nolumus: nemo enim propriam carnem odit, *Eph.*5. Quoniam autem vix ulli sunt, qui nolint post mortem honeste tractari, inde forte etiam inolevit combustio cadaverum humanorum (nimirum quæ rationem supplicii non habet) apud gentes quasdam. Legimus 1 *Sam.* 31. *v.* 12. Jabeschitas cadavera Saulis filiorumque ejus combussisse, ossaque eorum sepelivisse. verisimile autem est hoc factum fuisse (aliam quandam hujus facti rationem quidam afferunt) ne rursus, Philistæi, ut antea, cadaveribus illorum illuderent. Legimus quoque Romanis (ut de aliis gentibus nunc nihil dicam) combustionem cadaverum in usu fuisse: at ait *Plinius Hist. Nat. lib.*7.*c.*54. cremationem illam non esse veteris instituti, verum natam postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere. Addit quod multæ familiæ priscos servarent ritus, nimirum mortuos terra condendi; quodque in familia Cornelia nemo ante Syllam dictatorem tradatur crematus; & quod id voluerit Sylla veritus talionem, eruto C. Marii cadavere. Quoniam autem hęc sepulturæ est origo, patet finem ejusdem esse, reliquiarum nostrarum post mortem quietem.

11. Quæritur *an nulli alii sint fines sepulturæ*? *Resp.* Gentiles olim credidere etiam cadavera defunctorum in eum finem esse sepelienda, ut animabus eorundem melius esset. Sic enim Virg. ait Æneidos 6.

Nec ripas datur horrendas, aut rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.

Verum superstitiosum esse hunc finem certum est. Nam, ut alia omittam, felicitas animarum quæ hinc emigravêre, aut earum infelicitas, non

pendet ab iis,quæ alii circa corpora eorum,ex quibus excesſêre, faciunt aut omittunt, ſed ex ſententiâ Dei judicis, qui animabus ex corpore egreſſis retribuit ſecundum opera, quæ in corpore facta ſunt. Inter Chriſtianos non deſunt viri magni qui ſepulturam à Deo ad ſpem reſurrectionis fovendam, inſtitutam volunt. Calvinus certe Inſtitut. 3. c. 25. §. 25. agens de reſurrectione, ſepulturam patrum qui ante Chriſtum vixerunt eum in finem inſtitutam fuiſſe ait. Probat autem id 1. ex aromatis quibus cadavera ſuorum condiebant. 2. Quia Spiritus Sanctus in narrandis ſepulturis, non minus diligenter inſiſtit, quam in præcipuis fidei myſteriis. 3. Quia Chriſtus Officium hoc tanquam non vulgare commendat. 4. Quia patres ſedulo cæremoniam ſepulturæ obſervarunt. 5. Quia Jacobus Patriarcha juſſit oſſa ſua in Chananæam referri. Imo ne putemus Calvinum patribus tantum qui ante Chriſtum manifeſtatum in carne exſtitere, ſepulturam in finem quem commemoravimus commendatam fuiſſe exiſtimaſſe, eam etiam eundem uſum in populo N.T. habere debere aſſerit, Comment. in *Actor.* c.8. v.2. Verba ejus ſunt. *Quanquam generalis etiam ratio, quæ ſemper & ubique apud pios valere debet, proculdubio, apud eos pondus habuit. Nam ſepeliendi ritus ad ſpem reſurrectionis ſpectat, ſicuti in hunc finem divinitus ordinatus fuit ab initio mundi.* Vide eundem *Comment. in Harm. ad Matth.* 8. 22. *& comment. Joan.* 19. 40. verum hanc ſententiam ſuis auctoribus relinquo.

Sequitur nunc ut de effectis ſepulturæ dicamus.

Quæritur ergo. 1. *An ſepultura mortuis ſolatii quid afferat, carentia vero*
3. *ſepulturæ iis officiat. Reſp. Neg.* Quia corporibus poſt mortem ſenſus nullus eſt. Unde nec gaudium ex ſepultura, nec dolor ex ejus carentia iiſdem naſci poteſt. Animæ vero ſeparatæ neſciunt in particulari quid in terris geratur. Vide hac de re *Job.* 14. *v.* 22. *Eccl.* 9. *v.* 6. *Jeſ.* 63. *v.* 16. huc etiam ſpectat promiſſio Joſiæ facta. 2 *Reg.* 22. *v.* 20. ea enim ipſi pollicetur Deus quod eſſet aggregandus ad patres ſuos, aggregandus ad ſepulchra ſua in pace, ut non viderent oculi ipſius totum iſtud malum quod Deus adducturus eſſet contra Hieroſolymam. Scio quidem exſtare epiſtolam quæ Luciani cujuſdam nomen præfert, & ab Avito quodam verſa dicitur, in qua narratur quod illi apparuerit Gamaliel tribus diſtinctis vicibus, indicaveritque locum quo corpus ſuum, nec non Stephani, Nicodemi, & Abibi filii ſui contineretur, & imperaverit ut ipſis oratorium fieret & aperiretur, ut rebus Chriſtianorum inde melius eſſet, nec non perhiberi per viſionem Ambroſio manifeſtata fuiſſe corpora, Gervaſii & Prothaſii, & ſimilia multa afferri poſſe, unde patere videatur animas à corporibus ſeparatas rebus mortalium intereſſe; verum verbum Dei nobis omnibus revelationibus

talibus

talibus potius esse debet. Huc accedit, quod patres Tertullianus, Athanasius, Chrysostomus, & alii quidam fatente *Maldonato in Luc. 16.* animas mortuorum viventibus apparere negent, & quidem ob rationes sequentes. 1. Quia id vivis inutile. Quoniam si vivis non credant etiam mortuis non credent, prout Abraham epuloni respondet. 2. Quia etiamsi homines oculis suis damnatorum supplicia viderent, nihilo magis se converterent. 3. Quia si id fieret progressu temporis res in contemtum veniret. 4. Quia ea res multorum errorum causa esse posset, diabolo se animam separatam simulante, & quidquid vellet hominibus persuadente. Addo quod *Augustinus libro de cura pro mortuis gerenda c. 13.* ratione & scripturis probat animas mortuorum non interesse viventium. Vide quoque quæ *c. 14.* habet. Epistolam illam Luciani (quam exhibet *Baronius Annal. tom. 5. ad annum Christi 415.*) quod attinet ea parvi ponderis est, utpote à superstitiosulo quodam scripta aut conficta, ut facile cuivis eam legenti patere potest. Quantum autem ad *Ambrosium nec ipse epist. 58. aut sermone 91.* ubi de inventione corporum Gervasii & Prothasii agit; nec *Augustinus de Civit. Dei l. 22. c. 8. aut Conf. l. 9. c. 7. aut lib. de unitate Eccles. c. 19. aut serm. de diversis 39.* ubi meminit inventionis ejusdem, dicit animas martyrum illorum Ambrosio apparuisse. Diutius hisce non immorabor. Tantum moneo, quod quo magis recessum est à temporibus Christi, eo frequentiores, crescente superstitione, apparitiones illæ esse cęperint. Vide judicium *Martyris hac de re loc. Commun. Class. 3. c. 14. §. de sepultura.*

11. Quær. *Quibus ergo prosit sepultura, si mortuis solatio non est? Resp.* Sepultura vivorum est solatium. Cum dico sepulturam vivorum esse solatium, intelligo tum eos ipsos quibus post mortem sepultura obtingit, tum alios qui eos charos habent. Illos quidem, non quod post mortem sepultura delectentur, sed quod viventes, ubi norunt se cum mortui fuerint sepulturæ honore afficiendos, gaudent, uti contra tristantur, ubi sciunt cadavera sua vel in sterquilinium projicienda, vel in patibulo relinquenda. Unde & Goliathus cum Davide congressurus, se eum non tantum occisurum, sed etiam peremtum feris & volucribus objecturum comminatus est: hosce vero, quia pauci adeo omnis humanitatis expertes sunt, ut non doleant, si, quos viventes dilexere, post mortem neglectos jacere videant, nec terræ reddere possint. Unde Jabeschitæ non sine vitæ discrimine cadaver Saulis filiorumque ejus Philistæis, qui ea suspenderant ignominiæ causa è muro Bethsanis eripuêre, eaque combussêre & ossa sepelivêre. Quo nomine etiam à Davide laudantur addito elogio, quod misericordiam erga dominum suum exercuissent, nimirum qua id fecerant, quod si vivens eos facturos cognovisset, misericordiam sive benignitatem interpretaturus fuisset.

§. 4. Pergimus ad subjectum sepulturæ, & primo quidem de ipsis sepeliendis, deinde de loco sepulturę dicemus. Primum quod attinet.

Quæritur *an omnes omnino homines ubi id nostræ potestatis est sint sepeliendi, adeoque an nefas sit corpora facinorosorum, post sumtum supplicium, insepulta relinquere?* *Resp.* Statuerat Deus *Deut.* 21. 33. ne cadaver suspensi pernoctaret in ligno, sed ut eodem die quo supplicium sumtum fuerat, sepeliretur. Quia alioqui terra polluenda esset. Unde viri quidam docti existimant etiamnum corpora facinosorum sepelienda, minimo vero in patibulis relinquenda, secus quam nunc sępe à Magistratu fieri videmus: nimirum ut cadavera sceleratorum coram sole putrescentia aliis terrori sint. Verum meo judicio non video quomodo id ex hoc loco probari possit. nam non concedam hanc legem fuisse perpetuam, sed dicam fuisse politico cæremonialem, eamque in Christo complementum suum accepisse, *Gal.* 3. 13. & nunc obligare desiisse. dicitur quidem causam legis esse perpetuam, nimirum, quod suspensi è ligno adeoque omnes malefici sint Deo exsecrabiles; nec manente causa legis, legem antiquatam censeri posse. Sed respondeo, 1. exsecrationem sive maledictionem quæ legi huic pro fundamento substernitur, non esse moralem illam quam quodque peccatum meretur & de qua agitur *Deut.* 27. *v.* 26. & *Gal.* 3. *v.* 13. sed cæremonialem quandam. consistebat autem ea in summo impuritatis cæremonialis gradu, qui non permittebat, ut sine contaminatione terræ, in eodem aëre cum viventibus hac maledictione maledicti per noctem relinquerentur; sed poscebat ut ante noctem terra obruerentur, ne videlicet terra pollueretur. Agi autem hic de cæremoniali non autem morali maledictione probatur. 1. Quia alioqui omnibus è ligno suspensis pereundum fuisset, quod tamen dici nequit. Quia fieri potuit ut ante suspensionem converterentur, vel si vivi suspendebantur, jam suspensi, resipiscerent, ut videmus factum in latronum altero cum Christo crucifixorum. Neque hic dici potest, nihilominus in se exsecrabiles fuisse suspensos è ligno, licet propter Christum in gratiam reciperentur, quia id cum aliis piis commune habebant. Licet enim nulla sit condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu, omnes tamen ob peccata nostra damnatione digni sumus, si nimirum in nobis ipsis consideremur. 2. Quia pollutio terræ quæ sequebatur ad pernoctationem suspensi in ligno cęremonialis erat, & similis, licet gradu major, impuritatibus illis cæremonialibus, quę sequebantur ad contactum hominis mortui, aut cadaveris animalis immundi. *Num.* 19. *v.* 14. *Levit.* 11. 10. 28. 31. & sequentibus aliquot. 3. Maledictio hæc typica erat, respiciens Christum *Gal.* 3. 13. *Resp.* 2. Negatur quod omnes malefici in quos ultimo supplicio animadvertebatur, maledictione de qua locus hic agit, maledicti fuerint. Quia nusquam id scri-

ptura

ptura dicit: & potuit Deus pro beneplacito suo suspensis è ligno maledictionem cæremonialem irrogare, reliquis facinorosis & ultimo supplicio affectis ab ea exemptis. eadem enim libertate etiam animalium quædam immunda, alia vero munda in V. T. pronunciavit. Patet itaque meo judicio, legem hanc de qua agimus non esse perpetuam sed Judæis peculiarem fuisse, adeoque ex ea colligi non posse facinorosos in patibulo relinquere nefas esse. Mecum sentit *Piscator in Gen.* 40. & *Perkinsius in Gal.* 3. *v.* 13. Nec omittendus hic *Rivetus*, qui maledictionem de qua *Deut.* 21. 23. agitur cæremonialem fuisse asserit. *Cathol. Orthod. tract.* 2. *q.* 60. §. 5. Alia quæ pro necessitate sepulturæ facinorosorum ultimo supplicio affectorum afferuntur, parvi momenti sunt, quare ea prætereo. Quamvis autem sentiam non illicitum esse facinorosorum corpora in patibulo relinquere, nimirum ut reliquis metus incutiatur, videndum tamen existimo, ne id fiat cum pernicie viventium, quæ vix evitaretur, si in locis quæ ab hominibus frequentantur & habitantur putrescere sinerentur. Ita enim severitas in noxios exercenda est, ne inde in innoxios damnum redundet. Supplicia enim pro fine habere debent, utilitatem reipublicæ.

Quantum ad alterum, Quæritur I. *An viventibus licitum sit sibi despicere locum in quo post mortem sepeliantur? Resp. Affir.* 1. Quia scriptura id nusquam vetat. 2. Quia sancti citra reprehensionem id fecisse leguntur, *Gen.* 23. *v.* 3. & seq. & 47. *v.* 10. 29. 30. 31. & 49. *v.* 29. & 59. *v.* 5. 12. 3. Si honestam sepulturam affectare licet, etiam locum sepulturæ eligere licet. Videndum tamen est ne hic nobis obrepat superstitio, neve putemus locum loco esse sacratiorem. quia ut discrimen temporum cæremoniale, sic & locorum sublatum est. *Joan.* 4. *v.* 21. Verum quidem est Patriarchas Jacobum & Josephum in Chananæâ quam in Ægypto sepeliri maluisse, verum dici potest id ab eis propterea factum ut Israelitas in fide de exitu ex Ægypto confirmarent, atque in eis desiderium potiundæ Chananææ excitarent. Et porro quia Chananæa typus erat patriæ cœlestis. §. 5.

II. Quæritur. *Quid sentiendum sit de sepulturâ mortuorum in templis? Resp.* Templa illa sunt duplicia vel enim heterodoxorum aut idololatrum sunt, vel cœtibus piorum ad cultum publicum inserviunt. In prioribus nefas esse arbitramur ut fidelis sibi locum sepulturæ deligat. Rationes sunt, quia nefas est idolothytis vesci, nimirum quamdiu adhuc sigillum idololatriæ habent & talia esse agnoscuntur: idque tum propter offensionem infirmorum inde secuturam 1 *Cor.* 8. tum etiam propter participationem idololatriæ quam incurrit is qui iis vescitur 1 *Cor.* 10. quod si autem id illicitum, etiam illicitum censendum est, ut fidelis locum sepulturæ in talibus locis sibi deligat, tum quia qui ita facit, offensionem infirmis parit, tum etiam

etiam quia superstitionem & idololatriam quæ in talibus templis exercetur approbare videtur. 2. Huc accedit quod nemo orthodoxorum in templis heterodoxorum præsertim Pontificiorum locum sepulturæ impetrare possit citra manifestam simulationem, & collusionem cum iisdem. Nam cum credant Templa sua pollui, si quis nostrorum in iis sepeliatur, ut docet *Azorius Inst. Mor. t. 1. l.8. c.12. q.8. & l. 10. c. 26. q. 13. & Tom.2. l.9. c.5.* fieri non potest ut quis locum sepulturæ in eis obtineat nisi sese religioni Pontificiæ addictum fingat, vel alius eo mortuo, mentiatur ipsum ritu Pontificio mortuum esse. Dices forte distinctionem locorum nunc esse sublatam, adeoque tam licitum esse sibi deligere locum sepulturæ in templis heterodoxorum & Pontificiorum quam alibi, sed respondeo, non esse sublatam necessitatem evitandi scandali, & fugiendæ idololatriæ, simulationis, & collusionis cum heterodoxis & idololatris. Tempore Apostoli etiam ciborum discrimen sublatum erat, sed tamen nolebat fideles vesci idolothytis adhuc sigillum idololatriæ habentibus, propter scandalum & participationem idololatriæ, quæ esum idolothytorum comitabatur. Per se omnia loca paris sunt conditionis; sed vitio hominum fieri potest, ut disparitas quędam ratione usus nascatur, quæ non tollitur nisi cessante abusu. Quantum ad posteriora, ea rursus duplicia sunt. Nam vel aliquando superstitione & idololatriâ polluta fuerunt, vel nunquam. Quantum ad priora, censeo non esse illicitum in iis locum sepulturæ sibi deligere, si nullus alius locus sepulturæ constitutus sit. Ratio est: quia & idolothytis sigillo idololatriæ sublato vesci licuit *1 Cor. 16. v.25. 26. 27.* & ratio scandali cessat. Posteriora quod attinet, nulla ratio est, quare in iis locis sepulturæ deligere non liceat, ubi alia loca sepulturæ constituta non sunt. Idem judicium esto de cæmeteriis quæ aliquando superstitione & idololatria polluta fuerunt, quod de templis.

III. Quæritur, *An non expediat ut potius cæmiteria constituantur in locis apertis & aëri perviis & ab hominum habitatione remotis, quam ut templa & cæmiteria iis vicina cadaveribus hominum sepeliendis aperiantur. Resp.* Plane censeo id expedire. Rationes sunt. 1. Quia templa loca sunt conventibus ecclesiasticis ad cultum publicum exercendum destinata. 2. Quia fieri vix potest quin ex cadaveribus in templis & cæmiteriis iis adjunctis pręsertim in urbibus populosis pręsertim tempore luis pestiferę, tetri venenatique & viventibus noxii halitus exhalent. 3. Quia constat Patriarchas extra civitates, in locis ab hominum habitatione remotis sepultos fuisse. Vide *Gen.23. v.4.* & seqq. & *35. v.8. 19. Jos.24. v.30.32.33.* Legimus quidem *1 Reg.2. 11. 2 Paral.24. 16.* Davidi regibusque ex eo natis sepulchra fuisse in civitate David, verum sepulchra regum non cuivis patebant, paucique iis in-

inferebantur. Deinde ratio esse poterat, ne videlicet ossa eorum ludibrio hostium in regni viscera penetrantium exposita essent. Denique (si verum est quod narrat *Josephus Antiq.7. c.12.*) magna vis auri Davidis sepulchro illata fuit. Commemorat enim Hyrcanum, cum obsideretur ab Antiocho qui Pius dictus fuit, ut obsidionem solveret, inde tria millia talentorum deprompsisse; postea vero Herodem aliâ cellâ apertâ, inde quoque magnam pecuniæ copiam sumsisse. Legimus quoque 1 *Sam.*23. 1. Samuelem in domo suâ fuisse sepultum: verum non legimus domum ipsius commune fuisse sepulchrum, quemadmodum sunt templa nostratia: forte id Samueli contigit, aut propter beneficia ipsius in Israelem, aut ut ipsius ossa tuta essent ab incursionibus hostium. 3. Etiam Judæi olim extra urbes sepeliebantur, *Marc.*5. 5. *Luc.*7. 12. *Joan.*19. 41. 4. Quia in urbibus populosis ubi templa pauca sunt, ossa mortuorum, præsertim lue pestiferâ ingruente sępe dissipantur, aut in ossaria conjiciuntur, quod inhumanum esse ostendit pientissimus rex Josias 2 *Reg.*23. *v.*16. 5. Apud Athenienses leges Solonis nullum in urbe sepulchrum admittebant. Excludebantur quoque sepulchra ex urbe Romanâ per *leges* 12. *Tabularum.* Patres veteris Ecclesiæ solicitè cavebant, ne quis in templis sepeliretur. Vide *Hospin. de Templis lib.* 3. *c.*1. *Stephan. Durantum de Ritibus Ecclesiæ lib.* 5. *c.*23. *Azorium Instit. Moral. Tom.*2. *lib.*9. *c.*6. 6. Ex sepulturâ in templis nata est & continuatur consuetudo arma defunctorum suspendendi in templis, ad multorum offensionem, & risum Pontificiorum, nostris exprobrantium quod isthæc admittant, at vero imagines Sanctorum ejiciant. 7. Consuetudo hæc in templis sepeliendi mortuos ex causis minime probandis fluxit. Cum enim pace redditâ ecclesiis, veteres martyres in cæmiteriis extra urbes vel aliis locis ignobilioribus sepultos in templa transferrent, postquam sacra pro defunctis fieri cæpta essent, hominesque superstitione capti ea mortuis prodesse crederent, nemo non voluit in cæmiteriis, juxta templa sepeliri, nimirum ut sacrorum illorum fructum post mortem perciperet. Sacerdotibus impetum non tantum non sufflaminantibus, verum etiam accendentibus: quia non parum quæstus ex ejusmodi officiis accederet. Hinc paulatim factum fuit ut quod Cyrillus lib. contra Julianum gentibus objecit viz. illorum templa celeberrima fuisse sepulchra & monumenta, etiam in Christianos quadraret, ut apud quos consuetudo sepeliendi in templis multis in locis ita invaluit, ut pauci reperiantur qui alicujus notæ sint, qui alibi quam in templis sepeliri velint, plęrisque etiam ipsis cæmiteriis quæ juxta templa sunt sordentibus. Dabit tamen consuetudo illa suo tempore hoc commodi, quod in die judicii δικαιοκρισίαν Dei testabitur. Inde enim elucescet multos majorem corporis sui curam gessisse quam animæ. Multi enim

 repe-

reperiuntur qui sibi dedecori ducerent alibi quam in templis sepeliri, qui tamen vivi de frequentatione templorum ad cultum publicum qui in iis à cætibus fidelium exercetur, parum aut nihil cogitant. Vide porro hac de re judicium *Petri Martyris loc. com. Classe* 3. *c.* 14. §. 14. & *Andreæ Riveti Comment. in Gen. exercit.* 171 *item in Epist. de Peste digressione de Sepulturis in Templis*, & *Catholici Orthod. Tom.* 2. *q.* 42. §. 3. item *Rever. Collegæ mei Gisb. Voetii Append.* 2. *disp. de Templis quæ est de cæmiteriis*, & *Joan. Gerhardi Tract. de Morte* §. 88.

IV. Quær. *Quid statuendum sit de consecrationibus templorum & cæmiteriorum Pontificiis*? Resp. de consecrationibus hisce videri potest *Pontificiale Romanum Cap. De Ecclesiarum dedicatione*, & *Cap. De Cæmiterii benedictione.* Nec non ut alios omittam *Azorius Instit. Moral. Tom.* 2. *l.* 9. *c.* 4. & 6. Cæterum ut rem breviter expediam consecrationes illæ & benedictiones superstitiosæ sunt. 1. Quia verbo Dei destituuntur. 2. Quia mediis superstitiosis fiunt. 3. Quia inefficaces sunt, nec mortuis ullum commodum afferunt. Nam impii ubicunque sepeliantur Deo odio sunt, nec locus sepulturæ tormenta quæ secundum animam in inferno perpetiuntur, ullo modo mitigare, nec resurrectionem eorum ulla ratione feliciorem reddere potest, Pii vero ubicunque terræ mandantur, Deo chari sunt. Nec locus, qualiscunque sit, ubi corpora ipsorum conduntur, felicitati animarum ipsorum aut resurrectioni eorum beatæ nocere potest. 4. Quia consecrationibus talibus Judaismus quodammodo revocatur, dum loca consecrata aliis sanctiora esse perhibentur. Ajunt Pontificii consecrationibus suis fieri, ne deinceps in locis consecratis diaboli habitent, (Vide *Durandum Rationalis lib.* 1. *c.* 8. *n.* 26.) verum 1. requirimus auctoritatem verbi Dei qua id probent. 2. Si id verum quomodo energumeni ubi ad templa Pontificiorum deferuntur mox non liberantur? 3. Ait Apostolus Petrus 1 Epist. c. 5. v. 8. *Diabolum fideles circumire ut leonem rugientem*, nec ullum locum excipit. 4. Consecrationes illæ cum sint superstitiosæ, non tam fugant quam alliciunt dæmonem. Collabente enim religione, crescente superstitione, invalescit Dei judicio Dœmonum efficacia, uti docet Apostolus 2 *Thess.* 2 *v.* 9. 10. 11. 12. Quod etiam patet ex frequentibus dæmoniacis, qui tempore Christi erant, cum religio miserè collapsa esset, & superstitiones invaluissent inter Judæos: Nec non ex oraculis gentium cum adhuc à vera religione alienę essent. Item ex spectris & energumenis apud Pontificios satis frequentibus. Quamvis enim sacrificuli & monachi quandoque deprehensi fuerint, spectrorum architecti, uti ostendit *Lavaterus de Spectris p.* 1. *c.* 7. & *Erasmus Epistolarum lib.* 22. & *Sleidanus Comment. de Statu relig. lib.* 9. Nec omnes qui apud ipsos habentur pro energumenis vere sint energumeni

ni ut docet exemplum Marthæ Brosseriæ apud *Thuanum hist. lib.* 123. facile tamen concessero non omnia quæ de spectris & euergumenis suis narrant, esse conficta. Denique liquet idem ex revelationibus monasteriensibus quas omnes fictas fuisse vix credibile est. Idem judicium esto de reconciliationibus templorum & cœmiteriorum post pollutionem, de quibus videri potest *Pontificiale Romanum C. de Ecclesiæ & cœmiterii reconciliatione, nec non cap. de Reconciliatione cœmiterii per se.* Et *Azorius tomo & libro paulo ante indicatis c.* 5.

v. Quær. *An fas sit permittere ut alii quam reformatæ religionis homines in cœmiteriis eorum, præsertim ubi distincta sectarum diversarum non sunt cœmiteria, sepeliantur? Resp.* Pontificii alios quam suæ religionis homines in templis, cœmiteriisque suis sepeliri nolunt. Imo vero etiam infantes non baptizatos in iis humandos esse negant. Concedunt tamen ut, si mulier pontificia gestans in utero fœtum, moriatur, is una cum matre in templo aut cœmiterio sepeliatur. Nimirum quia fœtus est tanquam pars ventris matris suæ, nec à matre separatus est. *vide Azor. inst. Moral. Tom.* 2. *l.* 9. *c.* 5. verum hisce missis, censeo non illicitum esse per se ut ii de quibus quæstio instituta fuit, in cœmiteriis reformatorum, sepeliantur. Rationes sunt 1. quia nusquam sacra scriptura illud prohibet. 2. Quia non absolute illicitum est tales ferre in urbibus in quibus orthodoxi rerum potiuntur. Quod si autem vivos tales in eadem republicâ tolerare licet, non video qui nefas esse queat, permittere ut in iisdem cum reliquis cœmiteriis sepeliantur. 3. Licitum, imo necessarium est, teste Apostolo 1 *Cor.* 7. ut vir fidelis uxori infideli ipsi cohabitare volenti cohabitet, & mulier fidelis viro infideli. Licitum quoque est ut vir fidelis retineat uxorem excommunicatam: Imo id etiam necessarium est, nisi causa excommunicationis sit aut adulterium aut malitiosa desertio. Idem dicendum de muliere fideli, cujus maritus excommunicatus est. Matrimonium quippe est naturæ non gratiæ, licet sine gratia eo nemo bene utatur. *Tit.* 1. *v.* 15. quod si autem fidelibus viventibus licitum, & sæpe necessarium est infidelibus cohabitare, imo cum iisdem una caro esse possunt, videre non possum quare infideles cum talibus non tantum uno in templo vel cœmiterio, sed etiam uno in sepulchro sepeliri nequeant, adeoque nec cur à locis in quibus orthodoxi sepeliri consuevêre excludendi sint. Nam non putem quempiam dicturum, ullum fidelem arcendnm à cœmiterio reliquorum, eo quod habuerit retinuit infidelem, id est vel jure suo usus est, vel etiam fecit, quod ut faceret ipsi necessarium esset. 4. Nihil contagii spiritualis accedere potest cadaveribus fidelium, à cadaveribus eorum qui tales non sunt, plurimum vero ubi vivi inter vivos fideles versantur; unde quoque Apostolus non necessariam cum

iis converſationem prohibet 2 *Cor.* 6. quod ſi ergo alii quam orthodoxi in republicâ feruntur, neſcio quare dici debeat, quod mortui à cœmiteriis (præſertim ubi ut dixi diſtincta non ſunt cœmiteria) orthodoxorum arcendi ſint. 5. Neſcimus quid gratiæ Deus, heterodoxis & improbis ultima vitæ hora præſtet, vide *Matth.* 20. *v.* 1. 6. & *Matt.* 27. *v.* 6. Multi regum Judaicorum impii & ſcelerati fuere, turpeſque idololatræ, & tamen omnes paucis exceptis ſepulti fuere in civitate Davidis, plærique etiam in monumentis piorum ſuorum majorum. 7. Tota Chananæa typus fuiſſe creditur, patriæ noſtræ cœleſtis, & tamen in ea etiam ſepeliebantur qui ex ligno pependerant, quos maledictos fuiſſe ſcriptura docet, *Deut.* 21. *v.* 23. 8. Nullus locus alio jam ſanctior eſt, nam ut ciborum ſic & locorum diſtinctio ſublata eſt. Unde conſequitur, à parte loci nihil eſſe quare per ſe illicitum ſit alios cum reformatis ſepelire eodem loco. Quod ſi quis tamen pertendat cœmiteria fidelium eſſe ſancta quæram quânam ſanctitate ſancta ſint id eſt utrum ſancta ſint ſanctitate operativâ, an ſignificativa an vero obſignativa? At nihil horum dici poterit, ut docte docet Rev. Collega meus *Gisbertus Voetius Appendicis* 2. *de Templis parte altera de Cœmiteriis Th.* VI. *Probl.* 2. 9. Huc accedit quod quotidie apud nos in iiſdem cum reformatis, ſepeliantur cœmiteriis, cujuſcunque religionis quæ in Rep. toleratur, homines, nullis quantum quidem mihi conſtat presbyteriis, claſſibus ſynodiſve reclamantibus. 10. Occaſionem dedit contrariæ opinioni perſuaſio Pontificiorum exiſtimantium templa cœmiteriaque ſua pollui, ſi in iis quos ipſi hæreticos vocant ſepeliantur, item ſepulturam, eſſe actum & partem religionis ſuam adeoque eſſe eccleſiaſticam, & denique quod non debeant in uno loco ſecum quieſcere qui vivi non habuere cum ipſis communionem. At quum hæc ſint imaginaria, merito opinio illa repudiatur. Quamvis autem res ita ſe habeat, minimè tamen nego. 1. poſſe Magiſtratum blaſphemos, Reip. perturbatores, alioſque nefarios homines, ob cauſas politicas, arcere mortuos à cœmiteriis ſubditorum ſuorum, quia etiam vivos è republica expellere poteſt. 2. Poſſe incidere caſum quo non expediat, id quod per ſe illicitum non eſſe dixi. Ut ex. gr. ſi qui alieni ſunt à vera religione, interpretentur colluſionem, aut approbationem impietatum ſuarum. Vide hac de quæſtione quoque ſententiam Cl. Collegæ mei *Gisberti Voetii Appendicis parte paulo ante indicata Probl.* 6.

DE SEPULTURA MORTUORUM.

PARS SECUNDA.

Resp. STEPHANO SZATTHMARI Ungaro 19 *Aprilis* 1651.

PRogredimur ad adjuncta Sepulturæ. Cùm autem ea diſpeſci poſſint, in particularia & generalia, de particularibus quibuſdam primo agemus, deinde de generalibus nonnullis. Ut autem aliquo ordine de particularibus dicamus, primo de talibus potiſſimum agemus quæ antecedunt & comitantur ſepulturam, deinde de talibus potiſſimum, quæ eam ſequuntur. Quantum ergo ad particularia primi generis.

Quæritur 1. *Utrum licitum ſit corpora defunctorum aromatibus condire ne putreſcant, verum ut in multa tempora conſervari integra poſſint?* *Reſp.* Ægyptiis ut defunctorum corpora condirent olim in more poſitum fuiſſe tradunt ſacræ literæ *Gen.* 50. *v.* 3. Nec non *Herodotus lib.* 2. *c.* 86. & ſequentibus aliquot, & *Diodorus Siculus Bibliothecæ lib.* 1. non uſque adeo procul à fine. Uterque modum conditura illius ſive ταριχεύσεως ediſſerit. Hebræos quoque cadavera ſuorum condiviſſe non tantum patet ex *Gen.* 50. *v.* 2. 3. 26. verum etiam hiſtoria euangelica *Marc.* 16. *v.* 1. *Joh.* 19. *v.* 39. 40. quamvis conditura cujus meminit hiſtoria euangelica diverſa fuerit ab Ægyptiaca. Ægyptiaca enim fiebat per aromatum in corpus immiſſionem, at vero ea de qua Euangeliſtæ agunt, per aromatum ad corpus appoſitionem. Arabas etiam mortuos condiviſſe Sacchias teſtatur Quæſtionum medico-legalium lib. 4. c. 10. Herodotus ait lib. 1. c. 140. Perſas cadavera ſuorum cera obliviſſe antequam ea terræ mandarent. Idem teſtatur *Strabo Geogr. lib.* 15. Condiviſſe etiam Peruvianos cadavera Regum ſuorum, dicit Joſephus de Acoſta Hiſt. Nat. & Moral. lib. 5. c. 6. Quid moris fuerit apud Babylonios, Lacedæmonios & Scythas ex Spondani opere quod *Cœmiteria ſacra* vocat, lib. 1. p. 1. c. 6. haberi poteſt. Hiſce ita præmiſſis propius ad quæſtionem propoſitam accedamus. Exiſtimo itaque conditu-ram mortuorum non omnino damnandam eſſe. Rationes quare ita ſentiam ſunt, 1. Quia Joſephus patrem medicis condendum dedit, & probabile non eſt, ſi id illicitum eſſet, id ipſum facturum fuiſſe. Huc accedit quod etiam ipſius corpus poſt mortem conditum fuerit, Gen. 50. v. 26. 2. Quia etiam conditura mortuorum tempore Chriſti apud Judæos in uſu fuit, nec à Chriſto nec ab Apoſtolis reprehenſa legitur. 3. Quia probat Chriſtus factum mulieris quæ ipſius corpus unguento pretioſo perfuderat, ni-

nimirum quia id factum fuerat πρὸς ἐνταφιασμὸν ipſius. 4. Quia ſi illicitum non eſt vivis, ſervare effigies ſive imagines ſuorum, non video quare illicitum ſit corpora præſertim virorum illuſtrium aromatibus condire, ut à poſteris conſpici poſſint, ipſique eorum adſpectu ad virtutem ſtimulentur. Nam condiri ita poſſe corpora ut in multas ætates durent, non tantum ait Diodorus libro ſupra citato, ſed etiam Sacchias exemplis nonnullis oſtendit. Dicit Corpus Cleopatræ poſt 125 Olympiadas incorruptum fuiſſe repertum. Item, Corpus Tulliolæ Ciceronis filiæ, annis mille trecentis poſtquam ſepultum eſſet integrum fuiſſe inventum, & denique Valentiæ quæ Urbs Hiſpaniæ eſt, conſpectum fuiſſe corpus Adoniram miniſtri Salomonis poſt duo millia annorum incorruptum, cum epitaphio Hebraico. Adducit Sacchias auctores ex quibus hęc habet atque ita fidem ſuam liberat. Et ego viciſſim Sacchiam. Quia quos ille citat mihi ad manum non ſunt, neſcio quam certa ſint hæc exempla præſertim duo illa ultima. Joſephus de Acoſta Hiſt. Nat. & Moral. lib. 5. c. 6. commemorat corpora regum Peruvianorum ad ducentos annos integra & incorrupta conſervata fuiſſe. Quod ſi conſtaret quod quidam viri magni credunt videlicet ſepulturam eſſe ſymbolum reſurrectionis, majoris momenti quam pręcedentia, argumentum inde pro codditura mortuorum haberi poſſet, verum ſententiam illam ſolide probatam non invenio. Dixi me condituram corporum humanorum in univerſum damnare non audere, verum neque ſimpliciter eam approbare velim, quaſi videlicet, res hæc extra omnem periculi aleam poſita ſit. Nam plurimum hic vanæ gloriæ ſtudio à viventibus peccari poſſe (ut in cæteris quæ ſepulturam ſpectant frequenter, & forte nuſquam frequentius peccatur) nemo ut opinor dubitabit. Accedit quod conituræ illæ corpoporum humanorum, præſertim ubi conditi ſanctitatis nomine celebres ſunt ſuperſtitioni nonnunquam ſerviant. Miraculo enim quandoque deputatur, quod corpora quædam poſt aliquot ætates integra reperiantur, cum id aromatum viribus tribui poſſit. Quamvis id etiam ex alia quadam naturali cauſa quandoque oriatur. Sacchias loco ſupra citato cadavera à fulmine icta corruptioni obnoxia eſſe negat, nimirum quod ſulphur, (ut quidam volunt) ipſis pro ſale ſit, vel quod, ut ipſe cenſet, fulminis vi abſumatur humidum, & ſic ſiccitate introducta, difficulter putredo ſequatur. Idem quoque, ex Cardano corpora veneno interfecta, non putreſcere tradit, refertque mulierem, quæ ex venenato pomo interierat mortuam ita riguiſſe ut in petram tota videretur eſſe verſa, nec venter ejus aut cultro aut gladio incidi poſſet. Commemorat quoque ex Pauſanię Eliacis lib. 5. militem qui ante 62 olympiadas mortuus erat, inventum, cujus vulnera adhuc recentia apparebant. Joſephus de Acoſta Hiſt. Nat. & Moral. lib. 3. c. 9. ait in

novo

novo orbe loca esse in quibus iter facientes vento frigidiusculo & tenui (qui ibi spirat) facile enecentur, mortui vero haud facile putrescant.

II. Quæritur, *quid statuendum sit de cereis ardentibus quos Pontificii cadaveri apponunt, adeoque & de facibus in Sepultura Mortuorum apud ipsos usitatis?* *Resp.* Mos ille probari nequit. 1. Quia non ex sacris literis haustus est, nec ex praxi Prophetarum, aut Apostolorum aut ecclesiæ Apostolicæ, sed à gentilibus ad Christianos dimanavit ut alia multa. Gentes enim funeribus faces addere solitos fuisse testis est Virgilius Æneid. XII. ubi de funere pallantis agens ita inquit.

Arcades ad portas ruere, & de more vetusto funereas rapuêre faces: lucet via longo ordine flammarum, & late discriminat agros.

Nec non Seneca de Tranquillitate animi cap. 11. *Totiens*, inquit *in vicinia mea conclamatum est. Totiens præter limen immaturas exequias fax cereusque præcessit.* Res hæc ita clara est ut Bellarm. de Purgat. lib. 2. c. 19. responsurus ad canonem Concilii Elibertini quo prohibetur incensio cereorum de die in cœmeteriis, dicat, reprehendi & prohiberi eam cæremoniam, quia fiebat ex superstitione gentilium, qui putarent corpora mortua sentire aliquid. Vide quoque *Joan. Steph. de ritibus ecclesiæ lib. 1. c. 23. & Polydorum Virgilii lib. 6. c. 10.* 2. Quia accensiones cereorum, & facularum apud ipsos religiosa sunt ceremonia, iisque mysticæ significationes affinguntur ab ipsis. Fatetur hoc Bellarmin. loco paulo ante indicato, ubi ait, errore gentilium sopito, non esse malum ceremoniâ accendorum cereorum uti ad significandum animas vivere, & defunctos nostros esse filios lucis non tenebrarum. Idem habemus ex *Joh. Steph. Duranto lib. & cap.* jam indicatis & *Spondano cœmit. sacr. lib. 1. p. 3. c. 7.* 3. Displicuit hic mos Concilio Elibertino can. 34. ubi ait, *Cereos per diem placuit in cœmiteriis non accendi. Inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt. Qui hæc non observaverint arceantur ab ecclesia communione.* Bellarminus ait reprehendi & prohiberi hanc cærimoniam quia fiebat ex superstitione gentilium, sed 1. absolute prohibet Concilium accensionem cereorum in cœmiteriis. 2. Pontificii superstitionem gentilium, sed 1. absolute prohibet Concilium accensionem cereorum in cœmiteriis. 2. Pontificii superstitionem superstitione commutarunt. vide porro hac de re *Rivetum Cathol. Orthodoxi Tract. 2. quæst. 41.* Ait Joannes Gerhardi Tract. de Morte n°. 102. in quibusdam Lutheranorum ecclesiis cereorum accensionem in usu esse in cœnæ celebratione, in novorum conjugum ad templum deductione, in funerum curatione, sed hoc inter ἥττημα ecclesiarum Lutheranarum reputamus.

III. Quæritur, *an expediat, ut loculi atque sepulchra eorum qui virgines obierunt floribus & corollis ornentur?* *Resp.* Ambrosius Orat. de obitu Valen-

lentiniani, morem ornandorum floribus tumulorum vetustum esse docet: Inquit enim, *non ego floribus tumulum ejus adspergam sed spiritum ejus Christi odore perfundam. Spargant alii plenis lilia calathis, nobis lilium est Christus.* Nec non Hieronymus in epistola ad Pammachium de morte uxoris: *Cæteri*, inquit, *mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos.* Deinde non tantum virginum, sepulchra floribus olim aspersa fuisse, sed & maritos conjugum suarum tumulos vario florum genere conspersisse ex dictis liquet: nunc autem loculis & sepulchris virginum non conjugatorum flores adhibentur. Ut autem propius ad quæstionem propositam accedam, censeo, tutissimum esse ut à tali loculorum & sepulchrorum ornatu abstineatur. Nam. 1. usus florum in sepulturâ mortuorum à gentilibus manasse videtur. Virgilius enim Gentiles eo ritu usos fuisse in mortuorum sepulturâ ostendit Æneidos 5. *Purpureosque* ait *jacit flores.* Et Athenæus lib. 15. c. 7. inquit Photon esse duplicis generis. Alterius quidem florem esse similem Hyacintho, Alterius vero quo utuntur in sepulchris esse decolorem. Mortuis etiam Lucianus Dialogo de luctu flores adhiberi solitos testatur. Nec non Cicero in Oratione pro Flacco. *Cujus* inquit, videlicet Antonii *damnatione sepulchrum L. Catilinæ floribus ornatum*, &c. Plin. Hist. Nat. lib. 21. c. 3. agens de Scipione, inquit, *Et jam tunc coronæ Deorum honos erant, & larium publicorum privatorumque ac sepulchrorum & manium.* Philostratus quoque amarantho sepulchra coronari solita fuisse auctor est. 2. Mos ille decorandi floribus loculos & sepulchra virginum tacitam sententiæ Pontificiorum ne præstantia virginitatis præ matrimonio approbationem continere videtur. Nam cum omnia apud pontificios, præsertim quæ spectant ad sepulturam fere religiosis cœremoniis & mysticis significationibus plena sint, dubitandum non videtur, quin floribus corollisque quas sepulturæ virginum adhibent aliis vero negant, dignitatem illam prætensam virginitatis præ matrimonio significari velint, cum tamen ea admittenda non sit. Status enim virginitatis in se consideratus statu matrimonii in se considerato sanctior non est. Uterque enim sic consideratus ex indifferentium numero est, quibus vel bene vel male quis uti potest. At vero si status uterque consideretur in ordine ad virtutes videtur status matrimonii statu virginitatis præferendus. Quia postquam peccatum in mundum ingressum est, conjugium medium factum est ad compescendas carnis ustiones. Quod si vero status uterque consideretur respectu personarum certis circumstantiis vestitarum, fieri potest ut status virginitatis statui matrimonii præferendus sit, verum id non nascitur ex statu virginitatis in se considerato sed ex circumstantiis talibus, cum per alias etiam fieri possit, ut huic aut illi personæ status matrimonii virginitatis statui anteponendus sit.

IIII. Quæ-

IIII. Quæritur, *quid statuendum sit de trinâ in viâ (quam quibusdam in locis Durandus Rationalis lib. 7. c. 35. n. 37. in usu esse ait) nimirum cum corpus ad sepulchrum defertur, statione? Resp.* Concedo, ubi qui portant cadaver fessi sunt ex onere, non illicitum esse quiescere, ne ipsi damnum auferant, at vero ut qui mortuum portant, & una cum ipsis qui funus comitantur, præcise ter quiescant, superstitiosum est. Quod porro patet, ex mystica significatione quam Durandus loco dicto trinæ hinc pausæ subesse ait. Inquit enim trina hac pausa significari, quod mortuus cum viveret in tribus specialiter se exercuit, videlicet in Dei dilectione, in charitate proximi & in custodia sui, sive quod in fide sanctæ Trinitatis vixit, atque vitam finivit 2. Ad repræsentandum quod dominus triduo in ventre terræ pausavit. 3. Ut, per tres diætas psalmodiæ, quæ tunc dicitur trina fiat ei absolutio tribus modis, scilicet cogitatione, verbo & opere commissis, & huc affert quod legitur. Exod. 3. *viam trium dierum ibimus in solitudine.*

V. *Quid sentiendum sit de portatione fulcrorum duorum prope funus, cum deportatur ad sepulchrum, quæ alicubi in usu est? Resp.* censeo omittendam esse. 1. Quia inter nos nullius usus est. 2. Quia ex papatu manasse videtur ut quo vigente loculus in iis prope sepulchrum, uti puto, deponebatur, donec pro defuncto sacrificium pontificium offerretur.

VI. *Quid statuendum sit de exequiis id est de comitatu quo funus ad sepulchrum deducitur? Resp.* Licitum esse ubi mortuus ad sepulchrum defertur, in solatium viventium, funus comitari, & ut ita fiat, ab iis ad quos cura sepulturæ pertinet, peti, nullus ut puto ambigit. Verum dubitatio aliqua esse potest, *utrum turba comitantium funus præcedere, an vero sequi debeat.* Ratio dubitandi esse potest, quia cum efferretur Abner, Joab cum populo præcedere feretrum jussus fuit, Rege Davide feretrum sequente 2 *Sam.* 3. 31. Deinde quia Polydorus Virgilius refert etiam apud alios populos turbam præcedere solitam fuisse. Vide eum de Invent. rerum lib. 6. c. 10. Denique quia in sepultura Regum & principum qui funus comitantur, partim præcedunt partim sequuntur, cum tamen in sepultura reliquorum nunc secus fiat. Turba enim comitantium feretrum subsequitur. *Resp.* In se hoc adiaphorum esse censeo, adeoque hic respiciendum quid consuetudo ferat. Ut enim in cæteris adiaphoris, à recepta consuetudine temere recedendum non est, sic nec hac in re, tum ne vanitatem nostram prodamus, tum etiam, ne aliis offendiculum objiciamus. Vide *Zeph.* 1. 8.

VII. Quæritur, *Quis situs mortuo respectu plagarum mundi in sepulchro sit assignandus? Resp.* Ait Durandus debere quem ita sepeliri ut capite ad occidentem posito pedes ad orientem dirigat, nimirum ut in ipsa positione quasi oret, & innuat quod de occasu festinet ad ortum; de mundo ad se-

culum, puto legendum ad cœlum. Verum indifferens est, quo situ mortuus in sepulchro jaceat. Nihil enim hac de re in verbo Dei præscriptum est, nec respiciet Christus quem situs quisque in sepulchro obtineat, cum veniet ad judicandum vivos & mortuos, sed quomodo vitam finierit. *Beati qui moriuntur in domino* Apoc. 14. 13.

VIII. Quæritur *quid sentiendum sit, de usu aquæ benedictæ circa mortuos, nec non incensatione eorundem? Resp.* Pontificiis familiare est corpus defuncti, loculum sepulchrumque aquâ benedictâ aspergere: nec non corpus defuncti semel iterumque, sacrificulo thuribulum è manu ministri accipiente, incensare, ut videre est in *pastorali Mechliniensi* §. de officio sepeliendi mortuos; sed & hęc probanda non sunt. 1. Quia uti confectio aquæ benedictæ (de qua vide pastorale, Mechliniense, statim in initio) sic quoque usus ejusdem, cum adhibeatur ad supernaturales effectus, ad quos nec per naturam nec per institutionem divinam valet, superstitiosus est. 2. Legimus quidem Tabithæ corpus *Act.* 9. lotum fuisse, sed aquâ benedictâ lotum fuisse, aut lotionem istam adhibitam fuisse ad fugandos dæmonas (quo fine à Pontificiis in sepultura usurpatur, uti testatur *Durandus Rationalis lib.* 7. *c.* 35. *n.* 38.) sacra scriptura non dicit. 2. Quia incensationes ejusmodi non tantum sunt actus otiosi, verum etiam superstitiosi, vide quæ *Joan. Steph. Durantus lib.* 1. *de ritibus Ecclesiæ*, disserit de mysticis significationibus incensi & thuribuli *lib.* 1. *cap.* 9. Item quæ Durandus habet de incendio quod mortuis adhibetur *Rationalis lib.* 7. *cap.* 35. *n.* 38. & denique *Pontificiale Romanum de virtutibus incensi c. de consecratione Ecclesiæ*, ex hisce enim habetur Pontificios incenso sine ulla auctoritate verbi Dei uti, ut typis quibusdam rerum spiritualium, & instrumentis ad effectus supernaturales. Fateor quidem posse res odoratas adhiberi ad dispellendum tetrum odorem qui forte ex cadavere diutius retento exspirat, emendandumque aërem, verum ea de re quęstio non est, sed de incensatione religiosâ.

IX. Quęritur *quid sentiendum sit de signo crucis quo Pontificii loculum, juxta pastorale Mechliniense ter consignant, dicente parocho vel ejus substituto, signo corpus hoc signaculo sanctæ crucis ut in die judicii resurgat, & vitam æternam possideat per Jesum Christum dominum nostrum. Resp.* Id ejusdem cum præcedentibus est notæ. Ubi enim Deus instituit loculos mortuorum signo crucis & quidem ter esse signandos, ut cadavera iis contenta resurgant & vitam æternam possideant? Non concessit Deus hominibus eam potestatem, ut pro libitu suo sacramenta vel sacramentalia instituant, vel rebus externis ad effectus supernaturales utantur; sed eos à verbo suo pendere jussit. Deinde iis qui in domino mortui sunt sufficit gratia Dei ad beatam resurrectionem, adeo ut nec præsentia signi crucis eam ullo modo promoveat,

veat, nec absentia impedire possit. Qui vero in impietate decessere, etiamsi vel crucium myriadibus signentur eorum cadavera, nihilo tamen feliciores erant. Dum vivitur, seminatur, quod postea metitur, qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum: qui vero seminat spiritui, ex spiritu metet vitam æternam. Vide *Matth.* 28. 19. *Luc.* 16. *v.* 29. *Col.* 2. 18. 23. *Gal.* 6. *v.* 7. 8. Similis farinæ est quod *Durandus ait Rationalis lib.* 7. *c.* 35. *n.* 39. quod capiti hominis Christiani, quocunque loco extra cœmiterium sepeliatur, crux sit apponenda, ad notandum illum Christianum fuisse, quia diabolus hoc signum valde vereatur, & timeat accedere ad locum crucis signaculo insignitum. Nam nec per naturam habet signum crucis ut à diabolo timeatur, nec per institutionem divinam. Aliis armis opus esse ut fugetur dœmon monuit nos Apostolus *Eph.* 6. *v.* 10. & seqq. Certe si tam præsentaneum adversus diabolum signum crucis esset remedium, mirum foret non tantum Apostolum verum etiam totam scripturam illud præteriisse. Ait quidem Apostolus *Gal.* 6. *v.* 14. quod non gloriaretur, nisi in cruce domini, sed loquitur, de doctrina de Christo in cruce passo. Plura de signo crucis ejusque prætensa efficacia non addo. Si tamen quis ea de re plura velit, adire poterit disputationes *Cl. & Rev. Collegæ mei D. Gisberti Voetii de Staurolatria.*

X. Quæritur, *quid sentiendum sit de iis, qui cum mortuus tumulatur, ad tumulum nudis capitibus stant? Resp.* mos hic natus est ex errore Pontificiorum, pro mortuo quem sepeliunt, precari solitorum: Unde etiam apud plerosque reformatos sensim exolescit. Nec immerito. Nam cùm ipsi pro mortuis non oremus (qui pro ipsis orandum non est) videndum est ne gestum illum orantium retineamus, ne cum pontificiis colludere videamur. Nec est quod hic quispiam dicat, quod, dum ita facit, pro se ipso aliisque viventibus, occasione tumulationis cui adest, precetur, nimirum ut Deus spiritu suo perpetuam mortis venturæ meditationem in ipso aliisq; operetur ut sese tempestive ad eam præparet: Quamvis enim ita esset, oratio talis, cum sit privata, non publica, & aliis præsentibus fiat, sine externis gestibus peragi debet, tum ne peccetur in illud Christi *Matth.* 6. *v.* 5. tum etiam ne aliis (cum mente non voce oretur pro mortuo orare videaris, aut cum pontificiis colludere. Ab omni specie mali cavendum esse monet Apostolus 1 *Thess.* 5. *v.* 22.

XI. *Quid statuendum sit de ritu apud quosdam populos usitato, quo in sepulchra una cum mortuis aurum argentumque & vestes atque alia quæ ad eos pertinuerant inferebantur, & forte adhuc quibusdam in locis inferuntur? Resp.* Refert *Josephus de Acosto Mexicanorum* regibus & magnatibus morientibus, mactari solitos fuisse ipsorum ministros, nimirum, ut eorum consortio &

ministerio post hanc vitam beatiores essent, nec non sepulchris ipsorum si sepeliebantur, (nam quidam etiam cremabantur) illatam fuisse magnam vim auri, argenti; unionum vestisque pretiosæ, ne videlicet post hanc vitam inopia premerentur. Idem commemorat Peruvianos solitos fuisse mortuorum oribus manibusque & vestium finibus (nam novis vestibus induti sepeliebantur) argentum inserere, quia credebant animas eorum post mortem oberrare & famem sitimque perpeti, atque aëris injuriis obnoxias esse, vide *eum Hist. Nat. de Moral. cap. 6. & 7. & 8. Josepus Antiq. lib. 7. c. 12.* narrat Davidem à Solomone sepultum fuisse, illatis in monumentum ejus maximis divitiis: verum tamen morem istum probandum non censemus. Nam 1. mortui talibus non indigent; usus enim harum rerum ultra præsentem hanc vitam non extenditur. 2. Monet Christus ut amicos nobis faciamus ex mammona iniquitatis, quod non fit ubi vestes, aurum, argentum, una cum mortuis sepeliuntur. 3. qui ita cum mortuis sepeliunt, aurum, argentum, vestes, furibus occasionem objiciunt sepulchra aperiendi, & quod ibi repositum est, auferendi. Huc facit quod refert *Barnabus Brissonius de expilato sepulchro Cyri. Vide eum lib. 1. de regio Persarum principatu circa finem.* 4. Ftiam hostibus occasio datur, ubi irrumpunt, sepulchra rimandi, ossaque defunctorum disjiciendi, ut avaritiam expleant. Nam etiam milites Vespasiani cum comperissent Judæos transfugas, aurum quod haberent deglutitum, postea egestum requirere, miseros occidère, ut aurum quod forte in ipsorum visceribus esset, raperent, vide *Josephum de Bello lib. 6. c. 15.* ubi ait una nocte duorum millium patefacta fuisse viscera. huc quoque pertinent quæ idem auctor recenset ejusdem operis lib. 7. c. 17. juxta distinctionem Latinam. 5. Fovetur hac ratione superstitio, quasi videlicet, res hujus mundi, mortuis prodesse possent. Nec refert quod Salomo à Josepho dicatur, magnas monumento patris intulisse divitias. Nam 1. Josephi testimonium hac in parte omni exceptione majus non est. 2. Non omnia quæ Salomo fecit probanda sunt. 3. Forte hoc fecit Salomo, (si fecit) ut tutius eo loco, divitiæ in casum necessitatis conservarentur. Magni quoque pretii non est, quod fere soleamus mortuos ubi loculo imponunter, indusio induere. Id enim non mortuorum sed vivorum causa fit, & præcipue ne si, aliquando retegantur, partes corporis quæ tegi solent & debent, viventium oculis pateant.

XII. *An expediat campanas aliquo mortuo pulsari? Resp. Durandus Rationalis lib. 4.* Campanis & iis quæ ad eas pertinent, nec non strepitui per eas excitato, varias attribuit mysticas significationes, & aliquo moriente campanas debere pulsari ait, nimirum ut populus audiens oret pro illo. Additque pro muliere bis debere pulsari, pro viro ter, pro clerico vero

toties quot habuit ordines. Quare autem bis mortuâ muliere, mortuo viro ter ſint campanæ pulſandæ, qui volet apud ipſum loco dicto videat. Omnes *ad ultimum* campanas impellendas ait, ut populus noverit pro quo ſit orandum. Pulſandas etiam campanus affirmat, quum mortuus ducitur ad *eccleſiam*, & *de eccleſia* ducitur ad tumulum. Vide quoque *Joann. Steph. Durantum de ritibus Eccleſiæ lib.* 1. *c.* 22. qui etiam, cum Durando campanas pulſari ait, ut populus oret pro defunctis. prætereram quod Pontificii campanis ſuis vim fugandi dæmonas attribuant, ut videre eſt apud Durandum & Durantium locis paulo ante indicatis. Hiſce præmiſſis propius accedo ad quæſtionem propoſitam, & dico 1. Conſecrationes campanarum earumque myſticas ſignificationes ſuperſtitioſas eſſe. Quia omni verbo Dei deſtituuntur. Dico 2. Non eſſe pulſandas campanas ut populus excitetur ad orandum pro defunctis. Nam 1. carent iſtæ orationes teſtimonio verbi Dei. Nam quod affertur à Pontificiis ex 2 *Macch.* 12. *v.* 44. nullius pretii eſt. Quia liber ille Canonicus non eſt. nec valet quod à quodam adducitur ex 2 *Timoth.* 1. 18. quia inde probari non poteſt Apoſtolum pro mortuo vel mortuis precatum fuiſſe. 2. Orationes tales ſunt inutiles. Nam fidelium animæ mox à morte ad Deum in æternam beatitudinem concedunt, impiorum vero in infernum; vide *Luc.* 16. *v.* 22. 23. & 23. *v.* 43. 2 *Cor.* 5. 8. *Phil.* 1. 23. *Apoc.* 14. *v.* 13. *Judæ v.* 7. Statuunt quidem Pontificii eſſe animas fidelium quæ deferantur ad locum quendam ſubterraneum, (quem purgatorium vocant) ut ibi per tormenta purgentur, iiſque prodeſſe ſuffragia viventium; verum purgatorium illud commentitium eſſe à noſtris abunde oſtenſum fuit. Poſſunt inter alios ea de re videri *Calvinus Inſtit. lib.* 3. 3. *c.* 5. *Sadeel de vera peccat. remiſſ. adverſus hum. ſatisfactiones*, *Chamierus Panſtratiæ Tom.* 3. *lib.* 26. *Martyr. loc. comm. claſſe* 3. *c.* 9. §. 11. & ſequentibus. *Chemnicius exam. Conc. Trident. p.* 3. *ad decretum de purgatorio. Ameſius Bellarm. Enervati Tom.* 2. *lib.* 5. Dico 3. Fruſtra pulſari campanas ad diabolos aut à cadavere, ſi id ſibi propoſitum habent Pontificii, aut aliunde fugandos. Vide ea quæ ſupra de crucibus dicta ſunt. Dices experientiam oſtendere ſtrepitu campanarum fugari dœmonas. Narrat enim *Martinus del Rio diſquiſitionum magicarum lib.* 2. *quæſt.* 16. Lucretiam quandam, quæ ex congregatione magorum domum deportabatur, cum audiretur matutinus campanæ pulſus quo populus ad orandum vocaretur, ſubitò à dæmone depoſitam fuiſſe, & *lib.* 6. *c.* 2. *ſect.* 3. *quæſt.* 3. diabolum monacho cuidam ex monaſterio ſuo fugam meditanti apparuiſſe, eumque ad fugam animaſſe, at vero uno ictu ſcilla à priore percuſſa, in fugam actum fuiſſe, eumque ſe in proximas latrinas demerſiſſe. Addit idem maleficas quotidie fateri, diabolos qui eas vehunt; audito campanæ ſigno, ipſas in

terram dejicere, & fuga trepidos dilabi. *Resp.* 1. Cum Papatus fabulis scateat, merito exempla hæc aliaque hisce similia nobis suspecta esse possunt. 2. Si vera sunt, inde tamen non habetur quod prætenditur. Diabolus veterator est, qui metuere se fingit, ut superstitione animos hominum occupet. Vide quæ *Josephus Antiq. lib.* 8. *c.* 2. *de Eleazaro quodam narrat.* 3. Testimonio maleficarum, ut quæ sese diabolo in servitutem dedere, standum non est; & quamvis verum esset quod ajunt nimirum diabolum audito campanarum sonitu onus infaustum dejicere, minime tamen inde probatur id per verum, non autem simulatum metum fieri. Dico 4. probandum non esse pulsationem istam campanarum, quæ diebus aliquot ante sepulturam defuncti, nimirum si dives est, in quibusdam reformatæ religionis locis adhuc obtinet, & à quibusdam reformatæ religionis hominibus usurpatur. 1. Quia hac ratione cum Pontificiis videmur colludere. Cavendum autem est ab omni specie mali 2 *Thess.* 5. *v.* 22. 2. Quia fieri potest, ut qui id faciunt, Pontificiis suspicionem injiciant, quod licet se reformatos simulent, papatum tamen intus foveant, aut saltem ei non magnopere adversentur. 3. Ea ratione Pontificiis, ut credibile est, sæpe occasio objicitur orandi pro mortuis. 4. Infirmis hoc pacto scandalum objicitur, imo nonnulli, cum abhorreant ab ista consuetudine ut papismum redolente, reluctante conscientia, metu contemtus abrepti, morem istum sequuntur, quod peccatum est *Rom.* 14. 5. Legimus Hiskiam 2 *Reg.* 18. 14. Serpentem æneum, olim jussu Dei factum, cum populus eo ad superstitionem abuteretur, confregisse, nobili exemplo posteris relicto, de tollendis superstitionis occasionibus, cui obstetricatur etiam campanarum illa pulsatio, occasione funeris à quibusdam nostrorum & Pontificiis usitata. 6. Frequens ille & diuturnus campanarum fragor qui excitatur cum multi ex divitibus moriuntur, ægrotis circa campanilia habitantibus, haud leviter incommodat. At vivis, propter mortuos, ut temere noceamus æquum non est. 7. *Synodus ecclesiarum Hollandicarum & Zeelandicarum anno* 1574. *Dordrechti habita censuit art.* 52. pulsationes campanarum mortuorum causa institutas ubique abrogandas esse. Objicitur, id fieri in honorem mortuorum, non autem ad superstitionem. *Resp.* Tanto nobis esse non debet prætensus ille mortuorum honor, ut propterea incidamus in incommoda quæ jam dicta sunt. 2. Honeste mortui sepeliri possunt, etiamsi fragor ille campanarum non excitetur, uti ex multis Belgii locis liquet. 3. Eadem ratione à reformatis in usum revocari poterit cereorum accensio ad funus, & facularum ubi sepeliendum est, nimirum si aliquis, præsertim inter magnates, exemplo suo præeat. Objicitur 2. ex pulsatione ista commodum redire ad tenuiores & ad reparationem templorum. *Resp.* 1. etiam iis locis, ubi tales cam-

campanarum pulsationes, non obtinent, tenuiores sunt & templa, neque tamen tenuiores propterea mediam patiuntur, aut templa concidunt. 2. Potius cogitandum erat de minuendis sumtibus sepulturarum quam de augendis. Nam omnibus notum est, quam non gratis quibusdam in locis mori liceat. 3. Non est faciendum malum ut eveniat bonum. Dico, quinto, si campanæ causâ mortuorum pulsandæ sint, hoc solum faciendum videri, ut populus ad deductionem funeris convocetur, ut alicubi in Belgio fit. Quamvis ne id quidem plane necessarium videatur. Nam multæ sunt urbes in quibus sine ullo incommodo, ubi mortuus ad tumulum portandus est, nullæ campanæ impelluntur, huc accedit quod convivia sine pulsatione campanarum, hospitibus complentur, & collegia varia citra campanarum pulsationem coëunt.

XII. Quæritur *quid statuendum sit de concionibus funebribus quæ vel nondum sepulto mortuo vel iam sepulto alibi habentur. Resp.* Memorat *Bullingerus Sermonum Decade* 5. *Serm.* 10. moris esse apud Helvetios, ut dum in loco Sepulturæ destinato deponitur funus & telluri mandatur corpus, fiant preces ab his qui deducunt funus, gratiasque agant quod in vera fide ex hoc sæculo evocarit mortuum, orentque dominum, ut ipsos quoque vera fide illuminatos mature ad se transferat. Præterea ut in cœtu ecclesiæ publico cum honore recitetur demortui fratris vel demortuę sororis nomen, omnesque admoneantur sortis suæ, & maturæ se morti præparent. Præterea diversæ ecclesiarum Belgicarum Synodi diataxibus suis circa sepulturam mortuorum ostendunt, etiam morem habendarum concionum funebrium in hisce provinciis obtinuisse. Denique *Joannes Gerhardi tract. de Morte* §. 89. inter ritus in Ecclesiis Lutheranis observari solitos circa sepulturam mortuorum, etiam numerat conciones funebres haberi solitas cum id ab amicis petitur, Verumtamen satius est ut ejusmodi conciones omittantur. 1. Quia cum fere nusquam se magis prodat superstitio, quam ut ex talibus concionibus etiam nascantur preces pro defunctis, præsertim cum conciones tales, suę comitentur preces, nec non cantus ecclesiasticus, vide *Joann. Gerhardi* loco paulo ante indicato. Unde enim putamus preces pro defunctis invaluisse, nisi ex talibus initiis. 2. Quia Pontificii, præsertim simpliciores percipientes concionibus talibus conjunctas preces, nec an pro vivis an pro mortuis fiant discernentes, in errore suo de precibus pro mortuis fundendis confirmantur. 3. Conciones ejusmodi fere degenerant in laudationes defunctorum; at inde multa incommoda oriri possunt. Nam 1. fieri potest ut laudentur tales qui nihil unquam laudabile gesserunt, præsertim si aut nobilitate generis, aut in dignitate constituti fuerint, potentesque relinquant hęredes aut amicos. Dices pastoribus videndum esse, ne indignos

lau-

laudent. Resp. 1. At quid si tamen pastor, officii sui non satis memor, spe sive metu impulsus, id tamen fecerit, nonne ministerium turpiter prostituetur & grave scandalum dabitur? 2. nonne fieri poterit ut pastor ignarus sceleris à viro commissi, (quod tamen alicui innotuerit,) mortuum laudet. & occasionem præbeat suspicandi ipsum vel pretio corruptum, vel metu laudes ab ipso extortas esse? 3. Quod si pastor, indignum non laudaverit, propinqui ejus, præsertim si potentes sunt, injuriam sibi factam judicabunt, & de vindicta cogitare poterunt. At omnia hæc evitari possunt abrogatis concionibus funebribus. 4. Fieri potest ut negligantur laudes pauperculorum, qui tamen pie & sancte, & exemplariter vixerint. Neque enim ubique ubi conciones funebres habentur, nullo discrimine habentur. At quam turpe est pastori decantare laudes divitum, & potentium, sæpè pietate pauperibus inferiorum, pauperum vero laudes negligere? Quis neget hanc esse prosopolepsiam? Atque inde grave scandalum concitari, nimirum dum pauperes vident virtutes suas sordere, potentiorum vero in aperto poni. Dices omnes posse impetrare ut defunctis amicis, conciones funebres habeantur. Resp. 1. An id ubique verum, præsertim respectu pauperculorum sit, nescio. 2. An omnium pro quibus habentur conciones funebres eadem ratio habeatur, alii considerent. 4. Conciones ejusmodi funebres pręcepto divino exemplisque prophetarum & Apostolorum destituuntur. 5. Synodus Ecclesiarum Hollandicarum & Zeelandicarum habita Middelburgi Zeelandorum An. 1574. art. 52. conciones funebres abrogandas censuit. Verba Synodi sunt, *de concionibus funebribus statutum est magna cum prudentia habita ratione ædificationis ecclesiæ; ubi in usu sunt, esse abrogandas: ubi vero introductæ non sunt, non esse introducendas, ad evitanda pericula & superstitiones quæ inde manant, quapropter etiam censemus, pulsationes campanarum circa sepulturas mortuorum ubique debere abrogari.* Simile est judicium Synodi Nationalis quæ Dordrec. celebrata fuit anno 1578. Articulo enim 58. ita loquitur: *propterea quod usus concionum funebrium periculosus est, censemus non esse introducendas ubi introductæ non sunt. Verum ubi in usu sunt, & ministrorum sufficiens numerus est, una cum senioribus judicantium non inutiles esse, tolerabuntur, donec sine scandalo abrogari poterunt. Sed tamen sub hac cautione, nimirum ut magis formam habeant extemporaneæ admonitionis, quàm concionis quæ precibus inchoatur & concluditur. Deinde etiam ne in iisdem defunctorum laus deprædicetur. Muneris quoque ministrorum erit ut curam gerant, ut usus campanarum qui in papatu tum aliquo è vivis excedente tum etiam tempore sepulturæ obtinet, removeatur.* Eadem est sententia Synodi Nation. Middelb. Zeeland. habitæ an. 1581. Art. 48. *Ubi conciones funebres non obtinent, non instituentur; At vero iis in locis ubi receptæ sunt, dabitur*
opera

opera ut mediis maximè idoneis abrogentur. Synodus Nationalis quæ an. 1619. Dordrechti habita fuit art. 65. eodem modo loquitur. Zepperus Politiæ Ecclesiasticæ lib. 1. c. 15. licet concedat uſum concionum funebrium, ἐγκωμιαστικὰς tamen vel πανηγυρικὰς repudiat, tum quia non omnes ita vivunt ut laudari mereantur, tum quia inde nihil exſpectandum eſt, quam ſi quiſpiam prætereatur, qui laudari dignus ſit, querimoniæ & in miniſtrum invidia & obtrectatio. Sed etiamſi tollerentur laudes defunctorum, manet tamen periculum ſuperſtitionis præſertim iis in locis ubi magna eſt Pontificiorum frequentia. Deinde quam difficile ſit conciones tales habere ſine digreſſionibus ad laudes defunctorum ſatis, ut puto experientia multis in locis docuit & ipſe Zepperus ibidem oſtendit cum ait; *Sin tanta defuncti in Eccleſiam, Remp., patriam, proximum, aut pauperes exſtent beneficia, vel tanta in eo fulſerit pietas, ut ſine ingratitudine, & erga Deum & defunctum nota, ſilentiò hæc preteriri & una cum defuncto ſepeliri non poſſint aut debeant; etiam, quam fieri poteſt verecundiſſime hoc fiet, iſque potiſſimum Scopus præfixus ſit; ut Deo hoc nomine agantur gratiæ, & ſuperſtites ad æmulationem tantæ virtutis, pietatis; & benemeritorum exſtimulentur.*

XIII. Quæritur, *quid ſtatuendum ſit de formulâ quadam εὐκτικῇ in orationibus funebribus teſte Joan. Gerhardi apud Lutheranos uſurpari ſolita, nimirum, Deus det ei pacatam quietem & beatam ad vitam reſurrectionem: adeoque & aliis iſti ſimilibus, quibus quidam cum de mortuis eſt ſermo, utuntur, dicentes, Deus habeat ejus animam, aut Deus beneſaciat ipſius manibus? Reſp.* Ab eiuſmodi formulis abſtinendum cenſeo. 1. Quia Pontificii mortuis optant quietem & pacem propterea quod credunt animas fidelium, ſaltem multorum, mox à morte purgatorii flammis excipi. At vero abſtinendum nobis eſt ab ejuſmodi formulis, quibus errorem approbare videri poſſimus. Formulæ illæ per ſe conſideratæ (quidquid ſit de ſenſu utentium) denotant eos de quibus loquimur, nondum quietem adeptos, aut reſurrectionis beatæ ſecuros eſſe, adeoque ſimplicioribus errandi occaſionem objiciunt. 3. Formulis talibus Dei homines in verbo Dei nuſquam utuntur, ut nec æquipollentibus, *Joannes Gerhardi tamen Tract. de Morte* §. 87. primam illarum formularum, quantum percipere poſſum, tueri conatur, eamque in orationibus Funebribus uſurpari ait, ut ſit publicum teſtimonium de requie & ſalute pie defuncti, cui de hac ſalute gratulemur. 2. Ad conſolationem lugentum. 3. Ad declarationem pii affectus erga defunctum: verum non eſt quæſtio utrum quis formulâ tali, aliave ſimili utens de ſtatu defuncti recte ſentire poſſit; neque an formula talis adhibita mitigatione & commoda interpretatione ſanum ſenſum, (quod nunc non examino) recipere queat, ſed utrum expediat, ut formulâ eâ; aliave ſimili εὐκτικῇ, ubi de mortuis

 ſermo

sermo est, utamur; præsertim postquam dogma illud Pontificium de Purgatorio cum annexis orbem perturbavit. Non expedire autem, ex præcedentibus patere arbitror. Quod si aperire libet quid sentiamus de salute pie defuncti, aut consolari lugentes, piumque erga defunctum testari affectum, cur non ita loquimur, ut sine interprete intelligamur? Non puto verba deesse quibus clare significemus, quid de statu pie defunctorum sentiamus, lugentes consulemur, aut quibus pium affectum erga pie defunctum ostendamus. Vide *Calv. Epist.* 366.

De Sepultura Mortuorum, Pars tertia. Quam D. CAROLUS de MAETS, *p.m. Theologiæ cum viveret, Professor eximius & Ecclesiæ Pastor vigilantiss. conscripserat & ad editionem parârat. Quamque nunc Favente Deo Opt. Max. Sub præsidio,* D. GISBERTI VOETII, *SS. Theolog. Doct. ejusdemque facultatis in inclyta Acad. Vltraj. Profess. ac ibidem in Ecclesia Pastoris vigilantissimi. Publico examini subjicit,* STEPHANUS SZATTHMARI *Ungarus. Ad diem* 10. *Maij.*



Equitur nunc ut de adjunctis quibusdam sepulturam consequentibus præcipuè agamus.

Quæritur ergo 1. *Quid judicandum sit de silicerniis, id est conviviis, quæ exhiberi solebant, à propinquis defuncti post ejus tumulationem? Resp.* Gentiles sepulchris mortuorum apponebant cibos ad placandos manes justaque solvenda defunctorum umbris. Iliad. ψ multa cum Patroclo animalia cremata legimus. Æneid. 6. Sepulchro Polydori lac & sanguinem additum fuisse Poëta canit. Hisce similia habet Æneid. 5. agens de sepulchro Anchisæ. Ex Ovidio aliisque inter veteres similia haberi possunt, quæ prætereo. At peæterire non possum quod refert Josephus de Acosta hist. Natur. & moral. lib. 5. c. 7. videlicet fere per totam Indiam Occident. gentibus in more positum fuisse ut in sepulchris cibum potumque apponerent. Præterea etiam apud Gentes aliquo sepulto convivia celebrari solita fuisse patet ex Homero Iliad. ω in descriptione funeris Hectorei. Nec non ex Varrone, quem citatum vide à *Joh. Andrea.* Quem stet de Sepultura veterum disp. 7. ubi quoque nonnihil de visceratationibus apud Romanos, habet. Videri quoque potest, *Spondanus lib. 1. p. 3. c. 17. cœmiteriorum sacrorum.* Tempore Augustini in Africa & alibi ad memorias sanctorum pultes, panis & merum afferebatur, atque ex his convivia lib. 6. c. 2. Matrem suam Monicam interfuisse ait. Idem eadem de re agit de Civitate Dei lib. 8. c. 27. Hisce præmissis

missis dico non expedire, ut ejusmodi convivia exhibeantur. 1. Quia convivia talia superstitioni gentilium sunt similia. Vide *Augustin. Confess. lib. 6. c. 2.* 2. Quia Pontificii ex conviviis veterum Christianorum, de quibus paulo ante dictum fuit, probare conantur, orationes suas pro mortuis, & ipsi similia instituunt atque ex iis cibum & potum mittunt ad pauperes & religiosos, ut pro anima defuncti orent. Vide *Bellarm. lib. 1. de Purgatorio c. 3.* 3. Quia convivia talia testimonio verbi Dei carent, & exemplis. 4. Quia molestum est iis, qui in luctu versantur, occupari in apparandis conviviis, ut quę non lugentium sed lætantium negotium sunt. 5. Sæpe accidit in talibus conviviis ut hospites cibo & potu exhilarentur, & vino incalescant, adeoque lugentium dolorem augeant: quippe qui videant propinquos aut familiares suos, calamitate suâ non affici, nec flere cum flentibus, sed potius ridere contra præceptum Apostoli *Rom. 12. vers. 15. Hebr. 13. vers. 3.* 6. Quia per talia convivia impensæ funebres non parum augentur magno sæpe cum viduarum & orphanorum incommodo. Videndum autem potius erat ut minuerentur: utpote quæ etiam sine talibus conviviis, dum nemo alteri cedere cupit, & alias ob causas, satis, immo nimis magnę sint. 7. *Ambrosius lib. de Helia & Jejunio c. 17.* convivia ex cibis ad memorias martyrum allatis instituta improbavit, & inhibuit Mediolani: ut docet *Augustin. confess. lib. 6. c. 2.* Nimirum ne ulla occasio ingurgitandi se daretur, & quia ista quasi parentalia superstitioni gentilium essent similia. Et ipse Augustin. lib. 8. de Civitate Dei c. 27. ait, quod talia convivia à Christianis melioribus non celebrarentur, & in plærisque terrarum non esset talis consuetudo. Vide eundem quoque enarrantem, quomodo sese multi gesserint dum ejusmodi convivia celebrarent *lib. 1. de Moribus Ecclesiæ c. 34.* Vide quoque *Synodum Arelatensem tertiam c. 5.* Nec non canonum in septima Carthaginensi ex præcedentibus Aphricæ conciliis recitatorum vigesimum septimum. Hæc sufficere videri possent ad determinationem quæstionis propositæ, nisi obstare viderentur loca quędam Scripturæ, quæ talibus conviviis favere cuipiam videri possint. Quo circa verbo ad ea respondendum est. loca itaque illa exstant. *2. Sam. 3. 35. Jer. 16. v. 6. 7. Ezech. 24. v. 17. & Tobiæ 4. v. 18.* Verum non difficilis est responsio. Quantum enim ad primum is meo judicio nihil ad rem facit. Nam 1. Sensus loci non est, accessisse, populum ad Davidem, ut eum ad epulum funebre invitaret, sed monuisse ut cibo aliquo se refocillaret, ne nimia illa tristitia & consternatio quam conceperat ex cæde Abneris ipsi noxia esset. 2. Dicitur versu eodem Davidem non admisisse admonitionem istam populi; adeoque etiamsi tum epulæ illæ funebres in usu fuissent, probari non posset, eas à Davide approbatas fuisse, sed potius contrarium inde haberetur; ut

qui non convivio funebri, ſed jejunio claudendam ſepulturam Abneris cenſuit: quomodo quoque jejunio proſecutus fuerat cędem Saulis & Jonathanis, ubi ea ipſi innotuiſſet. 2 *Sam.* 1. *v.* 12. quod etiam Jabeſcitæ fecerant, longius tamen tempus jejunio dantes. Vide 1. *Sam.* 31. *v.* 13. Quantum ad alterum; eo non commendantur convivia, de quibus agimus, ſed tantum quid moris tunc eſſet explicatur. Non commendari autem ibi morem illum de quo agitur, patet, quia ibidem recenſetur, quod Judæi etiam tum propinquo aliquo amiſſo, pro illo ſibi cæſuram atque calvitium inderent, quod tamen Deus vetuerat *Levit.* 19. 27. & 21. 5. *Deut.* 14. *v.* 1. Neque agitur de conviviis quæ propinqui defuncti aliis inſtruerent, verum de prandio cœnâve ad quam ab aliis vocabantur, qui ob mortem propinqui lugerent: Locus Ezechielis præcedenti ſimilis eſt. Locum ex lib. Tobiæ deſumptum quod attinet is græce ita ſonat ἔκχεον τοὺς ἄρτους σου ἐπὶ τὸν τάφον τῶν δικαίων, καὶ μὴ δὸς τοῖς ἁμαρτωλοῖς, in vulgata vero latina ſic redditur, *panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex ea manducare & bibere cum peccatoribus.* Verum 1. liber hic apocryphus eſt, ut à noſtris adverſus Pontificios ſæpius oſtenſum fuit. 2. Oſtendi nequit hic præcipi ut convivia de quibus hic agimus inſtruantur, nedum quod ſenſus ejus ſit, quem vult Bellarminus videlicet, inſtruendum eſſe convivium, pauperesque vocandos, ut ipſi poſt acceptam eleemoſynam orent pro animabus defuncti. Quidni enim dicemus præcipere Tobiam filio ut juſtorum defunctorum propinquos menſæ ſuæ adhiberet, nimirum ut eos recrearet & conſolaretur. 3. Etiamſi auctor hujus libri ſilicernia laudaſſet, mirum id non foret, quod & alia in eo occurrant non probanda. Quale illud eſt quod traditur ab Angelo, juxta auctorem libri illius cap. 6. v. 1. De adolendo corde & hepate piſcis à Tobia juniore capti, ad fugandos dœmonas in perpetuum. Id enim tale eſt, ut nullo tectorio incruſtari poſſit. Pugnat enim cum iis, quæ à Domino noſtro Chriſto Jeſu traduntur. *Matth.* 12. *v.* 43. & 17. *v.* 21. Vide latius hac de re *Joan. Rainoldum in Cenſ. lib. Apocryph. prælect.* 46. & 47. quamvis autem improbem apparatum conviviorum à propinquis defuncti poſt ejus tumulationem exhibendorum: nolo tamen ita moroſus eſſe ut cenſeam eos qui ad deducendum funus ad ſepulchrum advocati peregre advenere, ubi non habent à quibus recipiantur, à propinquis defuncti domo excludendos eſſe, aut hoſpitalem ipſis denegandam. Nam ſilicernia ita improbo, ut tamen humanitatem & hoſpitalitatem non damnem. Poteſt hoſpes benigne excipi, etiamſi non convocetur turba hominum una cum ipſo epulatura.

II. Quæritur. *Quid ſtatuendum ſit de panibus qui à Pontificiis poſt tumulationem in pauperes diſtribui ſolent? Reſp.* Certum eſt pauperibus benefaciendum

endum esse. Verumtamen morem istum probandum non censeo. Nam 1. originem duxit ex more veterum ab Ambrosio Mediolani abrogato & à melioribus Christianis teste Augustino, servari non solito, ex cibis ad memorias martyrum allatis convivia instituentium & inde partes aliis mittentium. 2. Faciunt id Pontificii teste Bellarmino, ut eos quibus panes conferuntur, invitent ad precandum pro anima defuncti.

III. Quæritur. *Quid statuendum sit de consuetudine quæ alibi obtinet, qua in templis quæ nunc cæmiteria fere ubique sunt, post concionem panis butyrumque in pauperes distribuitur, nimirum ex reditibus quibusdam ad eum finem à quibusdam legatis? Resp.* Censeo morem eum vix posse excusari. 1. Quia distributio talis tali loco & tempore facta, magnam similitudinem habet cum more quorundam veterum parentalia gentilium redolente, cibos quosdam ad memorias martyrum adferentium. 2. Quia vix dubitari potest, quin ii, qui primi testamentis suis ut eo loco & tempore ex legatis cibi illi distribuantur instituêre, ea ratione tum pauperes qui ipsorum beneficio cibos illos accepturi essent, tum alios excitare voluerint ut pro ipsorum animâ precarentur. 3. Quia probabile est Pontificios qui cibos accipiunt, occasione loci invitare ut pro animabus eorum, quorum beneficio cibos illos accipiunt, orent. Præstaret ergo meo judicio ut alio loco cibi tales in pauperes distribuerentur, ne videlicet superstitionibus occasio præberetur.

Requiritur nunc ut ad adjuncta quædam sepulturæ generalia, id est quæ eam antecedunt, comitantur, & consequuntur, transeamus.

Quæritur ergo 1. *Quid statuendum sit de luctu ob mortuos? sive an licitum sit lugere mortuos? Resp. Aff.* 1. quia Apostolus 1 *Thess.* 4. *v.* 13. non simpliciter vetat lugere mortuos; sed tantum modum lugendi. Etenim non vult, ne contristemur, sicuti reliqui qui spem non habent. 2. Quia legimus Christum ob Lazarum, licet suscitandus esset, lachrymatum esse, *Joan.* 11. 35. nec non ob excidium Hierosolymitanis obventurum *Luc.* 19. 41. 3. Huc quoque faciunt exempla sanctorum. Abrahamus luxit Saram conjugem, *Gen.* 37. *v.* 34. 35. *Levit.* 10. *vers.* 6. 7. concessit Moses Israelitis ut deflerent casum Nadabi & Abihu filiorum Aaronis, tantum prohibuit Aaronis filiisque ejus superstitibus nudationem capitum & lacerationem vestium suarum, nimirum quia *oleum unctionis super eos esset. Num.* 20. *v.* 29. dicitur tota domus Israelis Aaronem è vivis ereptum flevisse triginta diebus, sicuti quoque ob Mosen *Deut.* 34. 8. Idem Samuele mortuo ab Israelitis factum memoratur 1. *Sam.* 25. 1. David 2. *Sam.* 1. 17. Saulem & Jonathanem deflevit, ut etiam Absalomum filium suum 2. *Sam.* 18. 33. Jeremias lamentatus est propter Josiam dixeruntque omnes

musici de musica in lamentationibus suis de Josia dicta 2 *Chron.* 35. *v.* 25. Religiosi quidam viri plangorem magnum super Stephano, quem extulerunt, edidisse memorantur *Act.* 8. *v.* 2. 4. Licitum est tristari ob malum quod propinquo aut amico evenit, modo ne tristitia sit inordinata. At vero mors propinquorum & amicorum malum quoddam ipsorum est. Quia licet piis mors per Christum transitus sit in meliorem vitam, tamen in se mala est, quia est destructio naturæ, unde eam omnes naturâ, uti in se est, & consideratam reformidant, & Apostolus eam 1 *Cor.* 15. 26. ultimum hostem vocat. 5. Licitum est lugere propriam calamitatem. At vero calamitas quędam est orbari propinquo amicove dilecto. Per mortem enim ipsorum consortio, alloquiis; & officiis privantur. 6. Licet tristari ob calamitatem aliorum nobiscum in mundo viventium, præsertim publicam. At vero mors multorum multis sæpe, imo toti alicui Reip. aut Ecclesiæ calamitosissima sæpe est: patet id ex interitu Josuę, Josaphati, Jojadæ, Hiskiæ, Josiæ & aliorum multorum; 7. Storgæ à Deo naturæ sunt inditę; non vult ergo Deus, (nam ipse opus suum non damnat) ut eas exuamus, sed ita moderemur ne inordinatæ evadant, Atqui storgæ illæ hominem stimulant, ad luctum propinquo aliquo amisso; ut vel ex ipsis bestiis patet, in quibus sensum doloris videmus, ubi aut compare suo aut pullis orbantur. Videntur tamen quædam in contrarium objici posse, quare ad ea paucis est respondendum. Primo ergo objicitur, quod sanctorum moderationi contrarium videatur lugere mortuos. Poscit enim ea ut sese placide divinæ voluntati submittant. *Resp.* Non omnis luctus ob calamitatem sive suam sive alienam pugnat cum moderatione debita, sed inordinatus tantum, id est, talis qui cum murmuratione, adversus Deum judiciorum ejus accusatione, aut cum diffidentia desperationeve conjunctus est. Nam & Christum graviter tristatum fuisse, ob poculum quod ipsi bibendum erat legimus *Matth.* 22. *Heb.* 5. Cum tamen in eo nihil inordinatum fuerit. 2. Objicitur, quod David cum ipsi indicatum esset filiolum ipsius mortuum esse, se laverit, atque unxerit, & vestimentis mutatis domum Jehovæ sit ingressus & sese incurvaverit, & postea domum regressus petierit ut sibi cibus apponeretur, & comederit, cum antea jejunasset, & humi cubasset, & iis qui factum ipsius mirabantur, dixerit: *dum infans viveret, jejunans flevi, quia dicebam, quis scit, gratiam est facturus mihi Jehova, ut vivat infans. At nunc mortuus est, quorsum ego jejunarem? possemne revocare eum denuo? ego sum abiturus ad ipsum, at ipse non est reversurus ad me. Resp.* Non ait David se post mortem filioli sui non amplius contristatum fuisse (nimis enim teneræ sunt storgæ parentum, qui omnem humanitatem non exuerunt, quam ut mortes filiorum suorum & quidem talium, quibus ipsi peccatis suis perniciem accersiverunt, sine ulla

tristitia ferant) verum tantum significat, se non amplius cum jejunio & humicubatione Deum orare pro vitâ filioli sui ut antea fecerat, quia ipsa re compererat, comminationem quam Deus per Nathanem strinxerat, non fuisse conditionatam, sed absolutam. 3. Objicitur quod mors malum sit necessarium, quod nullo modo evitari potest, frustraque doleamus ob id quod necessarium est, nec effugere licet, imo quod hoc nihil aliud sit, quam malum malo cumulare. *Resp.* 1. Licet omnibus moriendum sit, luctus tamen omnis propterea non est illicitus. Nam inhumanum est aliorum malis non commoveri; & stupor potius est quam fortitudo propria damna quæ ex morte eorum qui nobis chari fuere ad nos redeunt, pro nihilo ducere. Propterea nobis à Deo affectus inditi sunt ut ob prospera gaudeamus, Deoque læti gratias agamus, ob adversa vero tristemur, peccatorumque nostrorum, ob quæ immittuntur recordemur, eorumque remissionem postulemus, ne gravius nos affligat. Licet itaque luctus ille frustra sit, si instituatur ad recuperandum eum qui è vivis excessit, ut David docet 2. *Sam.* 12. frustra tamen non est, quatenus fructus & testimonium est humanitatis ejus, quæ in nobis est, facitque ad humiliationem nostri coram Deo, & nos ad peccatorum confessionem, veniæque petitionem & ad vitæ emendationem excitat. 4. Objicitur quod fideles per mortem ad meliorem vitam transeant, adeoque non tristandum sed ob eorum mortem gaudendum sit. *Resp.* Neque etiam flendum dicimus ob mortem fidelium, quatenus est transitus ad meliorem vitam, sed quatenus est naturæ destructio, id est dissolutio animæ & corporis; & quatenus mors fidelium est nobis & aliis noxia. Christus ob poculum quod sibi bibendum erat, graviter tristatus fuit, quamvis poculi illius bibitio, & Ecclesiæ salutaris, & sibi fructuosa, & Deo gloriosa futura esset. Sed non fuit tristatus ob poculum illud, respectu fructuum istorum, sed quatenus poculi illius bibitio inclinationi naturali contraria, sibique molesta & amara erat. Quocirca dictum illud *Cypriani Serm. de Moral.* dicentis sibi revelatum non esse lugendos mortuos; dextre accipiendum est. Nec Thracum mos imitandus qui nato homine flevisse dicuntur, exsequias vero cum hilaritate celebrasse. Idem judicium esse de consuetudine, quæ olim apud Massilienses obtinuit teste *Polydoro Virgilio de Invent. rerum lib.* 6. *c.* 10.

II. Quæritur. *Quid sentiendum de signis luctus ob mortuum? Id est an licitum sit signis luctum ob mortuum prodere?* *Resp.* Quamvis de signis luctus disp. 5. de Voto Jephtę thes. 6. egerimus, & quidem ita ut determinatio quæstionis propositæ inde facile haberi possit, in gratiam tamen eorum ad quorum manus disputatio ea non pervenerit, quid hac de

quæ-

quæstione censendum sit, hic etiam non explicare gravabimur. Signa itaque luctus duplicia sunt, nimirum vel communia, vel quibusdam gentibus peculiaria. Prioris generis suspiria, lachrymæ, lamentationes, planctus, jejunia & alia quædam hujus generis. Posterioris generis sunt, cineres, cilicium, humicubatio, vestium laceratio, capillorum barbęque tonsura, vel nutritio capillorum, barbævc, vulsura, corporis incisiones, vestes pullæ, aliaque similia. Exempla horum rituum non adfero, qui volet videre, poterit quæ attulimus Disput, & thesi Disputationis paulo ante indicatæ. Prioris generis signis in luctu ob mortuum uti nefas esse, præsertim quando per mortem ejus quem lugemus aut nobis aut familię nostrę, vel Reipub. aut ecclesiæ grande aliquod detrimentum nascitur aut metuitur, nemo facile dixerit. Abraham *Gen.* 32. *v.* 2. Saram, Josephum 50. *v.* 1. David, Absolomum 2. *Sam.* 18. 33. flevisse legitur. Viri religiosi qui extulere Stephanum plangorem magnum super eo fecisse leguntur. David ob mortem Saulis & Jonathanis, cæsumque Israelitarum exercitum cum viris suis 2. *Sam.* 1. 12. flevisse & jejunasse dicitur. Huc accedit quod ipse Christus ob Lazarum excitandum, tamen *Joan.* 11. 35. Nec non *Luc.* 19. ob calamitates Hierosolymitanis eventuras fleverit. Observandum tamen est. 1. ne quid ficte fiat, id est, ne signis hisce tristitiam simulemus, cum revera non tristamur. Simulatio enim talis peccatum est. Quod enim mendacium est in verbis, id simulatio talis in factis est. Hinc apparet quid statuendum tum de præficis veterum, de quibus videri potest *Elias Schedius de diis Germ. Syntag.* 2. *c.* 51. tum de similibus Russorum, de quibus videri potest *Guagninus Rerum Polon. Tom.* 2. *in pag.* 902. 2. Ne signa luctus nostri immoderata sint, Id est, ne talia sint ut animi impatientis, aut tristitia absorpti indices esse queant. 3. Ut τȣ͂ πρέποντος sive decori ratio habeatur. Quemadmodum enim in precibus, quas ab aliis sejuncti ad Deum fundimus, multi sæpe gestus liciti sunt, imo etiam utiles esse possunt, sic etiam in luctu evenire potest, ut quædam privatim licita sint, videlicet ne quid ficte agere videamur, aut ne quicquam facere judicemur, quod persona nostra indignum sit. Quantum ad signa posterioris generis, plæraque talia sunt, ut licita esse queant. Sed videndum 1. ne exotica, id est talia quæ usitata non sunt in gente in qua vivimus, affectemus. *Zeph.* 1. *v.* 8. 2. Ne signa illa superstitiosa sint, aut talia, ut is qui iis utitur cum superstitiosis colludere videatur. *Levit.* 19. *v.* 27. & 21. 5. Ab omni enim specie mali cavendum est. 1. *Theß.* 5. *v.* 3. 3. Ne talia sint ut iis peccetur in præceptum sextum. *Levit.* 19. 28. & 21. 5. *Deut.* 14. 1. Adeoque refugiendi sunt mores Scytarum de quibus *Cælius Rhodiginus Antiq. lect. lib.* 17. *c.* 21.

Roma-

Romanorum de quibus *Lipsius Saturnal. lib.* 1. *c.* 8. Gallorum de quibus *Cæsar de bello Gallico lib.* 6. Peruvianorum de quibus *Josephus de Acosta Hist. Nat. Moral. lib.* 5. *c.* 7. Et Braminum de quibus agit *Abrah. Rogerius c.* 19. 4. Ne signa illa luxum potius quam luctum spirent. Nam semper à luxu est abstinendum: utique etiam in luctu. Luxu tristitiam testari perinde est, ac si quis cilicio, cinere, jejunio & squalore, penula detrita lętitiam suam ostendere vellet. Distinguenda sunt signa luctus, à signis quibus quispiam mortuus esse indicatur. Luxu nescio quomodo luctum testari possumus, cum squalor potius luctum deceat; At mortuum esse aliquem ex nostris variis significare possumus. Testantur nunc multi aliquem è suis esse mortuum pulsatione plurium campanarum per plures dies: emissione multorum virorum catervatim per plateas discurrentium eo fine ut alios solicitent, ut funus comitentur; Vestitu atro sed novo, palliisque sed pretiosissimis, ad terram usque dimissis, imo nonnunquam ita longis ut ab aliis attolli necesse sit. Parietibus pannis atri coloris solem fere excludentibus, & diem in noctem fere commutantibus obductis; panno atri coloris pretiosissimo, longissimo, latissimoque loculus, in quo mortuus jacet, tegente; Obambulatione quæsitis ambagibus per plures plateas, cum mortuus ad sepulchrum defertur, instituta. Insignibus defuncti feretro prælatis, loculove impositis, parietibusque vel columnis templi, in quo defunctus conditur, una cum armis affixis, nec non ex ædibus, ex quibus mortuus elatus est, appensis aliisque similibus, in quibus sæpe non parum vanitatis est. De signis hujus generis apud Græcos Romanosque usitatos. vide *Polydor. Verg. lib.* 6. *c.* 9. & 10. Et si quis scire, velit ritus Sinensium, adeat *Trigautium de expedit. apud Sinas lib.* 1. *c.* 7. 5. Etiam videndum ne signis hujus generis utentes, ficte agamus. Fieri enim potest ut qui propinquum amisere, etiamsi minime tristentur, sed gaudeant ob luculentam hæreditatem, aut etiam alias ob causas, operose tamen signa luctus cumulent, ut alii tristari videantur. 6. Ne usu talium signorum animi impatientiam prodamus. 7. Curandum est ut tum luctu ipso quem ob mortem propinqui concepimus, tum signis luctus, utamur ad majorem nostri humiliationem coram Deo, meditationemque vanitatis rerum hujus mundi, ut ad altiora aspiremus, & quæramus ea quæ in cœlis sunt.

Restat ut de oppositis Sepulturæ dicamus.

Quæritur ergo hic 1. *Quid statuendum sit de more gentium quarundam, quæ sepulturam mortuorum plane neglexisse perhibentur? Resp.* Refert cælius Rhodiginus Lect. Antiq. lib. 17. c. 19. Lotophagos cadavera suorum capedunculis & loculis projectis in mare projecisse, parum referre asseveran-

tes, humone an aquâ, an igni cadavera dissolverentur. Albanos mortuorum curam gerere nefas esse arbitratos. Sabæos corpora defunctorum æque ac stercus duxisse. Quin etiam Reges in sterquilinia rejecisse. Troglodytas mortui cervicem pedibus alligasse, & raptim cum risu & jocis extulisse, nullaque loci cura habita terræ mandasse, atque capiti cornu caprinum affixisse. Schytis non tamen omnibus in more positum fuisse, ut honoris causâ mortuos vorarent. Fuisse in Hyrcaniâ qui canes nutrirent, quibus vita functos vorandos objicerent, qui proinde sepulchrales dicerentur. Polydorus Virgil. lib. 3. c. 10. de invent. rerum ait Persarum corpora non fuisse sepulta, antequam ab alite aut cane traherentur. Tibarenos quos dilexissent senes suspendisse ex patibulo. Taxilos vulturibus non secus mortuos quam Caspias eosdem cæteris bestiis objecisse. Parthorum sepulturam, aut avium, aut canum laniatum fuisse. Anthropophragi hostes captos occidunt, occisos in frustra secant & comedunt. Vide *Joan. Lerium Hist. Americ. c.* 15. Prætereo quod supra allatum fuit de more Hyperboreorum. Non inquiro utrum, quæ hactenus recitata sunt, omnia vera sint, sed ut ad quæstionem propositam respondeam. Dico 1. Inhumanum esse cadavera suorum, aut in sterquilinium abjicere, aut feris & avibus lanianda objicere, eorumve nulla cura duci. Patet veritas hujus assertionis ex iis quæ parte 1. thes. 2. dicta sunt. 2. Inhumanum esse cadavera suorum ubi ea sepeliendi datur facultas, insepulta relinquere, aut in mare præcipitare. Patet id ex parte primâ, & thesi eadem. Dixi *ubi sepeliendi facultas est.* Nam ubi illa facultas deest, ut cum sepulturam vis hostium impedit, aut longinqua navigatio, & nimia à terra distantia prohibet alia res. Nam si non teneor vivos periclitantes salvare, ubi non possum, multo minus teneor, mortuos, ubi id nequeo, sepelire. Deinde ita mortuorum sepultura curanda est, ne vivis eorum asservatione eorum pernicies creetur, quod facile fieret, si in navigatione longinqua, ii quos mori contingit, in navi asservarentur, putredine videlicet cadaverum vivos inficiente. Unde damnandum non est quod magistri navium, in navigationibus longinquis, ubi procul à terra sunt, cadavera eorum qui moriuntur, Storeæ involuta, appenso pondere in mare demittunt. 3. Sensu humanitatis destitutos esse, quibus perinde est, sive post mortem sepeliantur sive non sepeliantur. Vide part. & Thesin eandem. 4. Nefas esse hostium devictorum carnibus vesci, atque ex iis convivia more Antropophagorum instruere. 1. Quia omnes gentes, in quibus aliquid humanitatis est, ab esu carnis humanæ ut referitatis plena abhorrent. 2. Quia multa sunt animalia. quamvis carnivora, quæ à cadaveribus animalium suę speciei abstinent. 3. Quia si semel id obtinuerit, ægre contineb untur obsessi, & lon-
gâ

gâ fame pressi, à mactatione suorum, ut eorum carnibus vescantur, & famem sedent. Quoniam etiam ubi mos hostium carnes vorandi non obtineret, quandoque inventi fuere qui liberos occiderent atque eorum carnibus vescerentur. Vide 2 *Reg.* 6. 28. *Joseph. de bello lib.* 7. *c.* 8. 4. Hinc forte factum, ut magistratus Sancerranus ut videre est apud *Thuanum Hist. lib.* 55. tempore obsidionis asperrimæ quæ contigit anno præcedentis sæculi 73. parentes qui filiolam triennem jam mortuam & elatam refoderant, & comederant ultimo supplicio affecerint. Probabile enim est, eum veritum esse, ne si id impunitum relinqueretur, etiam vivi occiderentur, & ad cibum quærerentur, prætextu addito, quod nimirum fame vel morbo mortui essent. Vide de motibus qui quandoque exsurgunt in iis qui extremâ fame laborant *Joannem Lerium Hist. Americ. c.* 22. *p.* 369. 370. 4. Quia Scholastici extra casum gravissimæ necessitatis carne humanâ vesci illicitum esse contendunt; quidam etiam ut *Victoria* (quem citat in hanc sententiam *Lessius de Justitia & Jure lib.* 4. *c.* 3. *dubit.* 2.) & *Azorius instit. moral. Tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 12. *quæst.* 4. id nullo casu licitum esse volunt, alii tamen licitum esse volunt, aliis tamen reclamantibus, qui videri possunt apud Lessium loco jam indicato, ubi etiam nonnihil de *mumia* dicitur. 5. Gentes paulo humaniores hostes publicos sepeliendos duxere. Vide hac de re *Grotium de Jure Belli ac Pacis lib.* 2. *c.* 16. §. 3.

II. Quæritur. *Quid statuendum sit de combustione cadaverum humanorum? Resp.* Jabeschitæ (uti parte 1. Thesi. 2. memoravimus) cadavera Saulis filiorumque ejus cremaverunt. Crematio cadaverum, ut ibidem dictum, etiam Romanis in usu fuit. Græci quoque etiam corpora mortuorum combussisse leguntur. Testatur id Lucianus Dialogo de luctu ubi ait, ὁ μὲν Ἕλλην ἔκαυσεν, ὁ δὲ Πέρσης ἔθαψεν, ὁ δὲ Ἰνδὸς ὑάλῳ περιχρίει, ὁ δὲ Σκύθης κατεσθίει, ταριχεύει δὲ ὁ Αἰγύπτιος. Idem fecere Galli teste *Cæsare lib.* 6. & Germani uti docet *Tacitus lib. de moribus Germanorum.* Sarmatas etiam quandoque cadavera suorum cremasse refert *Alex. Guagvinus Rerum Polonicarum Tom.* 2. *p.* 19. *edit.* 1584. Apud Mexicanos mos ille quoque insolitus non erat, *Joseph. de Acosta Hist. Natur. & Moral. lib.* 5. *c.* 8. Crematio etiam apud Bramines sive Brachmannes obtinet, uti refert *Abrahamus Rogerius cap.* 19. *tractatus*, quem de iis scripsit. Cæterum non comburenda sed sepelienda mortuorum cadavera saltem ordinarie hisce rationibus probatur. 1. Quia Patriarchas cadavera suorum non cremasse, sed sepelivisse legimus. 2. Quia in populo Israelitico more majorum obtinuit uti haberi potest ex parte 1. *Thess.* 2. 3. Quia etiam Apostolica Ecclesia morem sepeliendi mortuos servavit. Vide *Act.* 5. *v.* 6. 9. 10. & 8. *v.* 2. 4. Quia idem ille mos inter Christianos adhuc perseverat, imo etiam in-

 ter

ter multas Gentes quæ à Christo alienæ sunt. 5. Quia Deus sepelivisse non cremasse corpus Mosis legitur, *Deut.* 34. *vers.* 6. 6. Quia Crematio orta videri potest ex petulantiâ hostium in corpora defunctorum. Cum enim cernerent si quibus cum aliis bellum esset, hostes omne genus contumeliarum exercere in cadavera suorum, ne amplius id fieret, cremanda esse duxerunt. Vide *Plin. Hist. Nat. lib.* 7. *c.* 54. 7. Quia humanitati convenientissimum est, ne ipsi quos dileximus conficiamus, sed per se in sua principia resolvi sinamus. 8. Quia Josia ossa Prophetæ qui de ipso vaticinatus erat, attingi noluit, cum cremaret ossa sacerdotum Idololatricorum, 2. *Reg.* 23. *v.* 19. 27. 11. Diximus quidem Jabescitas corpora Saulis filiorumque ejus cremasse, & ossa eorum sepelivisse. 1. *Sam.* 31. 12. 13. Legimusque eos à Davide laudatos fuisse, 2. *Sam.* 2. 5. Verum 1. ordinarium non erat inter Israelitas ut mortui cremarentur. 2. Quare id ab iis factum videri possit, aperuimus parte 1. thes. 2. 3. Non dicitur quod David eos laudarit, eo quod cadavera Saulis & filiorum ejus cremassent, sed quod Saulem sepelivissent. Præterea quod nonnulli non corpora ipsa Saulis filiorumque ejus, sed aromata circa corpora cremasse non improbabile esse judicant. Deinde scio, etiam nonnullos alios textus ex sacris literis adferri posse, ex quibus forte quis colligat, etiam honoris ergo corpora regum, quorundam Judaicorum cremata fuisse: verum textus ii si bene perpendantur, non dicunt unde id colligatur. Primus horum exstat 2. Chron. 16. 14. ubi de Asa dicitur; *Quem sepeliverunt in sepulchris ejus, quæ foderat sibi in civitate Davidis, deponentes, eum in cubile quod impleverat aromaticis speciebus paratis unguentario opere, & combußerunt ei ustionem perquam maximam.* Atqui hic non dicitur crematum fuisse, Asam ipsum, verum in honorem ipsius multa aromata fuisse succensa. Alter habetur 2. *Chron.* 21. *v.* 19. Ubi de Joramo dicitur quod populus ei non fecerit ustionem similem ustioni majorum suorum, sed neque hic locus dicit majores Joram crematos fuisse, ipsique id quia se male gesserat negatum fuisse, sed tantum populum non succendisse aromata circa ipsum, prout circa majores ipsius fecerant. Tertius exstat *Jer.* 34. *v.* 5. verum nec is aliter quam præcedentes est intelligendus, uti ex constructione כן ישרפו לך patere potest. Vide Chaldæum paraphrasten, nec non *Salomonem Jarchi*, *Davidem Kimchi* & præter hos versionem Gallicanam, Anglicanam, & Belgicam. Vulgata tamen hic habet *sic comburent te*, verum fatetur *Cornelius à Lapide* alios, nimirum *Hugonem*, *Lyranum*, *Vatablum*, *à Castro* melius ex Hebręo vertere, comburent tibi. Vulgatam sequitur *Pagninus & Tigurini*, sed viri magni etiam falli possunt, quomodo etiam falli credo eos qui existimarunt non quidem combusta, sed tamen ustulata fuisse corpora

Regum

Regum Judaicorum; ut diutius ætatem ferrent, De odoribus circa mortuos non tantum apud Judæos in funeribus regum, sed etiam apud alias gentes adhiberi solitis nihil addo; qui volet adeat *Joan. Andr. Quenstedt, de Sepultura veterum disput.* 4. Nec non *Cornel. à Lapide Comment. in Jerem. c.* 34. *v.* 5. Dixi initio determinationis hujus quæstionis corpora defunctorum non comburenda sed sepelienda esse, *saltem ordinario.* Nam certum est, fas esse magistratui, propter horrenda facinora, facinorosos exurere, nimirum ut alii à similibus sceleribus absterreantur. Vide *Levit.* 20. *v.* 14. *Joh.* 7. *v.* 25. Deinde non ausim damnare Jabeschitas qui quum corpora Saulis natorumque ejus eripuissent ludibrio Philistæorum ea combusserunt, nimirum ne uti probabile est, rursus Philistæi iis illuderent, aut forsan ignominiosius quam antea tractarent. Notum enim est quantum sibi nonnunquam in mortuos, (ne de vivis nunc loquar,) permittant ferini homines. Refert Thuanus hist. lib. 52. inter alia plus quam barbaræ crudelitatis exempla à Pontificiis in Laniena Parisiensi edita, Cadaver Casparis Colinii nefarie interfecti miris modis injuriose fœdatum in stabulum proximum abjectum fuisse, & postremo capite amputato, (quod Romam usque perlatum fuisse dicit) pudendis item & manibus ac pedibus truncatis per vicos ad Sequanam tractum esse: & eum in eo esset ut in profluentem à pueris mergeretur, inde retractum ad furcas Monfalconias, cruribus in altum sublatis & propendente corpore ferreis catenis suspensum, & igne subjecto ustulatum fuisse ut per omnia elementa veluti torqueretur.

III. *Quæst. Quid statuendum sit de curâ & cultu reliquiarum? Resp.* Pontificii nomine reliquiarum, ubi de Sanctis agunt, intelligunt corpora sanctorum, quaslibetque eorum particulas, capillos, ossa, carnes, dentes, cineres, pulveres, vestes, & alia quibus ipsi usi fuerunt dum in terris viverent, item vela, pannos, & cætera quæ ad eorum ossa, aut corpora admoventur, vel quæ ipsos tetigerunt, vel quæ ad ipsos pertinent. Vide *Azor. Institut. Moral. Tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 8. *Bellarminum de Ecclesiâ Triumphante lib.* 3. *de cultu sanctorum*, nomine reliquiarum etiam intelligenda dicit loca ubi sancti passi sunt. 2. Diligenter Pontificii reliquias Sanctorum sive verorum sive putativorum perquirunt, sepulchris suis ossa talium eruunt, capsis includunt, & circumferunt, aërique & soli sæpenumero exponunt, clericisque ea attrectare permittunt. 3. Statuunt reliquias Sanctorum esse colendas & adorandas, verum in modo cultus non conveniunt, uti fatetur Medina in 3. p. Thomæ quæst. 25. art. 6. ubi ait; *Ex dictis constat, quomodo (ut certum de fide Sanctorum reliquias esse adorandas, de modo autem adorandi non est adeo certa & infallibilis fidei definitio. Vasquez Tom.* 1. *ad* 3. *p. Thomæ Disp.* 113. tribuit

Bonaventuræ & aliis quibusdam quod statuant figuram crucis Christi, non esse adorandam quoad materiam, sed ea solum ratione quia figura & imago est Christi crucifixi, crucis vero ex qua Christus pependit, etiam materiam secundum se ab exemplari divisam, quatenus fuit instrumentum nostræ redemtionis venerandam esse: ita ut sub illius cultu & veneratione Christus ipse non comprehendatur. Unde colligit eos eadem proportione de Sanctorum reliquiis loqui debere. Medina loco paulo ante citato statuit, *quod idem prorsus cultus sit tribuendis reliquiis sanctorum qui ipsis sanctis impenditur.* Vasquez reliquias secundum se adorandas non esse ait, sed solum conjunctas cogitatione cum eo cujus sunt reliquiæ, eum in ipsis apprehendendo; quomodo quoque imagines, sine suo exemplari nullo modo licitum venerari ait Disp. paulo ante indicata. *Filiucius* Tom.2.Tract.23.c.1.quæst.8. Reliquias Christi, ut sudarium, fasces, spinas, clavos, &c. adorandas dicit eodem modo quo Christus adorari debet, id est, latria, quamvis non per se sed per aliud. Quatenus scilicet habent quandam habitudinem contactus ad Christum, ut propter hoc cogitemus, quodammodo Christum esse in ipsis. Idem statuendum pronunciat de ligno crucis ex quo Christus pependit. De cruce vero quæ in similitudinem crucis ex qua Christus pependit facta est, statuit quod etiam debeat adorari cultu latriæ per aliud, nimirum quatenus est imago Christi in cruce expansi, non autem quatenus est imago crucis, in qua Christus mortuus est. Et huc affert *Thomam p.3.quæst.25.art.4.* Reliquias vero Sanctorum adorandas esse, non eodem cultu quo sancti adorari debeant, id est, duliæ sed per habitudinem ad illos, id est non per se, sed ratione illorum. Ex hisce habemus esse inter Pontificios qui statuant, aut saltem si sibi congruenter loqui velint, statuere debent, reliquias Sanctorum secundum se esse adorandas: Alios vero velle esse quidem adorandas, & quidem eo eodem cultu quo ipsi sancti ab ipsis adorandi statuuntur, verum propter aliud, id est propter habitudinem ad illos sive cultu relato. 4. Credunt Pontificii reliquias eorum qui Sanctorum catalogo adscripti non sunt, sine auctoritate Romani Pontificis publice colere nefas esse; posse tamen coli privatim aliquid illorum tanquam reliquias. Vide *Azor. Instit. Moral. Tom. 1. lib.9.c.8.quæst.8.* 5. Accusant Calvinistas quos vocant, ubicunque possunt reliquias Sanctorum exurere & cineres in flumina projicere, atque id fecisse anno 1562. circa corpora Sanctorum Irenæi, Hilarii & Martini. Vide *Bellarm. de Eccles. Triumphante lib.2.c.1.* Hisce præmissis dico: 1. Corpora ossave defunctorum, adeoque nec sanctorum temere sepulchris suis eruenda non esse, multo minus, in partes dividenda, circumferenda, atque per varias mundi plagas dissipanda esse, sed curandum ut in sepulchris suis quiescant. Quod probatur 1. Quia legimus quidem sanctos corpora suorum

rum sepelivisse, minime autem sepulchris suis eruisse, aut aëri solive exposuisse, in partes divisisse, & quaquaversum distribuisse, ut hic caput, alibi brachium, alibi pes, alibi crus, aut pars aliqua alia esset. 2. Legimus Josiam severe mandasse 2 *Reg.* 23. *v.* 18. Ne quis ossa viri Dei qui de ipso vaticinatus fuerat, commoveret. 3. Quia Deus hostibus suis comminatur, quod post mortem sepulchris suis eruendi & soli lunæque & toti exercitui cœlorum expandendi essent. *Jes.* 14. *v.* 19. *Jer.* 8. *v.* 1. 4. Antonius, ut videre est in vita ejus, quæ attribuitur Athanasio, Ægyptios reprehendit quod corpora pie defunctorum præcipue vero sanctorum, funerarent quidem linteisque involverent, terræ vero non mandarent, sed lectulis imposita intra privatos parietes retinerent, idque mortuis honori esse ducerent. Nimirum quia Patriarcharum & Prophetarum corpora in eum usque diem sepulchris servarentur, & Christi corpus in monumento positum esset saxo advoluto quo tegeretur, donec tertio die resurgeret, nec dari posset quod majus sanctiusque esset corpore Domini. Dixi corpora ossave defunctorum adeoque nec sanctorum, *temere* sepulchris suis eruenda non esse. Neque immerito. Nam facile concedemus fas esse ut magistratus corpora facinorosorum, jam sepultorum, ad terrorem aliorum, sepulchris eruat, sicuti fecisse legimus Josiam 2 *Reg.* 23. *v.* 16. 2. Fas esse ut piorum corpora quæ tempore persecutionis locis facinorosorum sepulturæ deputatis sepulta, vel in sterquilinium abjecta fuerunt, in honestiorem locum transferantur, ibique sepeliantur. Nobile talis translationis exemplum habet *Thuanus Hist. lib.* 17. ubi refert regnante Maria, cadaver uxoris Petri Martyris, quod ante quadriennium sepultum fuerat, eo quod mariti doctrinam amplexa esset, damnatum atque bajuli humeris impositum in sterquilinium dejectum fuisse; sed rerum potiente Elisabetha ossa ejus semesa stabulo eruta, frisundæque ossibus permista, terræ mandata esse. Ratio est, quia æquum est, ut deleatur ignominiæ nota, quæ ab hostibus veritatis, piis, eorumve cadaveribus, & quidem in vituperium veritaris inusta fuit. 3. Fas esse, ut quis quem viventem dilexit, nec quo vellet loco defunctum sepelire potuit, postea occasione data, modo absit superstitio, & cura sepulturæ ad eum pertineat, postea ad locum destinatum transferat, præsertim si id defunctus cum viveret petierit. Sic legimus *Exod.* 13. *v.* 19. Mosen cum Israelitis ex Ægypto abeuntem accepisse secum ossa Josephi, (petiverat enim Josephus ut ita fieret cum adhuc viveret) atque ea Israelitas *Jos.* 24. *v.* 32. Sihecemei in possessione filiorum Josephi sepelivisse. Dico 2 quamvis nefas non sit asservare (ubi abest periculum Idololatriæ) res quæ aliquando ad sanctos pertinuere, corpora, nefas tamen esse, ossave sanctorum aut quippiam eorum quæ reliquiarum nomine intelligunt Pontificii, religiose adorare, sive id fiat, cultu absoluto sive

re-

relato: Quod breviter sic ostendo. 1. Quia adorandas esse reliquias sanctorum, nec Deus mandavit, nec sibi placere ut id fiat, uspiam in sacris literis ostendit. 2. Deus ita sepelivit corpus Mosis *Deut.* 34. ut locum sepulturæ ignotum esse voluerit, nimirum ne corpus ejus aut ossa adorarentur. 3. Damnavit Deus omnem ἐθελοθρησκείαν. *Col.* 2. 4. Ipsi sancti religioso cultu adorandi non sunt. Vide *Deut.* 6. 13. & 10. 22. *Jes.* 42. 8. & 48. 11. *Matth.* 4. *v.* 10. *Apoc.* 19. *v.* 10. & 22. *v.* 8. 9. 5. Quia plæræque reliquiæ sanctorum quas Pontificii tantopere jactant, supposititiæ sunt. Vide *librum Calvini de reliquiis perquirendis*; *Hospinianum de templis lib.* 2. *c.* 7.; nec non *Marnixii tabulas differentiarum parte* 5. *Hospinianum de templis lib.* 2. *c.* 7. *Disput. Rev. Collegæ mei Joh. Hoornbeeck de Reliquiis*, *& Johan. Gerhardi tractatum de Morte p.* 103. huc etiam facit misera illa jactatio *Baronii* agentis de numero clavorum quibus Christus crucifixus fuit, ad annum Christi 326. §. 54. nec non ingenua *confessio Caßandri quæ exstat Consultat. §. de veneratione reliquiarum.* Non examinabo ea quæ Pontificii pro cultu reliquiarum afferunt, quia id prolixum foret, & a multis factum fuit. Videri inter alios possunt *Cham. Panstrat. Tom.* 2. *lib.* 20. *c.* 8 9. *Riveti Cathol. Orthodoxi tract.* 2. *quæst.* 54. *Ames. Bellarm. Enervat Tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 4. *Joh. Gerhardi tract. de Morte* §. 95. *& seqq.* Dixi reliquias sanctorum non esse cultu religioso adorandas, quæret ergo aliquis. *Utrum cultu civili adorandæ sint? Resp.* Neque id dico. Sanctorum qui vere tales fuerunt virtutes prædicandæ sunt, & imitandæ, cadavera eorum ossave, adorationis non sunt capacia, ut nec pili, ungues, vestes, laciniæ, libri, aut alia his sæpe viliora. Dico tertio calumniam, esse, quod Calviniſtæ (quos vocant Pontificii) ubicunque possunt reliquias sanctorum exurant, & influmen projiciant, & mendacium quod corpora Sanctorum Irenæi, Hilarii & Martini exusserint, & in flumen projecerint. Vide hac de re *Joan. Rainoldum lib.* 1. *de Idololatria Romana c.* 9. ubi mendacium illud refutat, Objiciunt nobis belli homines crudelitatem in reliquias Sanctorum, cum ipsi in sanctos tum vivos, tum mortuos sint crudelissimi. Pœnas hæreticis (quales ipsis omnes vere fideles piique sunt) statuere, quatuordecim, uti videre est apud *Sylvestrum Prieratem in summa* §. *de hæresi & Hæreticis num.* 11. *& seqq.* Et *Azorium Instit. Moral. tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 10. & sequentibus aliquot; quarum tertia, (ne omnes commemorem) confiscatio bonorum. Quarta depositio ab omni dignitate, sive sint laici sive clerici, sive Papa, vel Imperator. Decima quod non possunt hæredes institui. Undecima quod eorum Vasalli absoluti sunt à debito fidelitatis; & totius obsequii: Et quicunque alii aliqua obligatione obstricti ut famuli, liberti. Duodecima, quod morte plectendi sint. Azorius Instit. Moral. tom. 1. lib. 8. c. 13. ait supplicium illud alibi gladio, alibi submersione

mersione, alibi ut in Italia, Hispania combustione inferri, Galliam, Italiæ & Hispaniæ addit: sed ignes ibi exstincti sunt, quibus olim fideles exurebantur, faxit Deus ne unquam reviviscant. Decima tertia, privatio sacramentorum & Ecclesiasticæ sepulturæ. Decima quarta, quod nec tabelliones ipsis possint inservire, instrumenta pro ipsis faciendo; nec ullus advocatus possit ipsis præstare patrocinium. Adhæc horribiles adversus eos qui doctrinam salutarem profiterentur persecutiones passim suscitavere, nec una peste eos delere conati sunt: notius hoc est quam ut probari debeat. Denique ne quidem mortuos in monumentis suis quiescere passi sunt. Supra auditum quid Caspari Colignio viro maximo, quid Martyris uxori post mortem acciderit. Nunc addam non mei sed *Thuani* verbis quid *Bucero*, *Fagioque* viris præstantissimis in Angliâ, in quam vocati venerant, post mortem evenerit. Inquit ergo Thuanus hist. lib. 17. *Moxque de exhumatione Buceri & Fagii cadaverum agitur: ac quoniam uterque dum viveret, non solum perniciosam & erroneam doctrinam* (nimirum judicio hostium veritatis) *sparsissent, sed familiam inter sectarios ambo duxissent, nec solum ipsi ab Ecclesia catholica aberrassent, sed & aliis exemplum ab ea deficiendi dedissent, decretum, ut demortuorum cadavera quam primum exhumarentur: esse enim contra sacra decreta, ac disciplinam, ut eorum qui tales sint corpora ecclesiasticæ censuræ tradantur, & pertinere ad manifestam divini numinis contumeliam sacrarumque legum violationem: idque cum nonnullo animarum periculo & fidelium offensione coniunctum esse, ut ii, qui legibus moribusque ab aliis essent sejuncti, communem cum cæteris sepulturæ religionem participarent: expiandum igitur locum, nihilque relinquendum, quo etiam elementis ipsis injuria fieret, & concedendum hoc quidquid esset, infirmorum conscientiis. Citati mortui primo atque altero edicto, productique contra illos semel atque iterum testes. Cum nemo compareret, qui eorum defensionem suscipere auderet, tandem tanquam contumaces damnati sunt, dieque dicta, coram Academiæ ordinibus, postquam Cestrensis oratione habita judicii severitatem excusavit, neque justum esse dixit permittere, ut infirmiorum animi ob inexpiatum nefas diutius torqueantur, sententia pronunciatur, & mortuorum cadavera effodi, ac magistratui regio, quandoquidem sanguinis pœnam sacerdotibus non licet, tradi jubentur. Aliquot dierum spatium intercessit, dum Londinum missa sententia, à magistratu regio mandatum veniret, quo pœna infligebatur. Interea Pernus in Bucerum, quem familiariter cognoverat, maxime virulentam orationem habuit: illiusque exemplo plerique ex juventute per lasciviam in demortui contumeliam multa carminibus luserunt. Tandem VIII. Eid. Febr. cadavera effodiuntur, & parata ad id in foro area palus magni ponderis in terram defigitur, cui corpora quasi vivorum alligantur, comportata magna ligni, strue, qua*

exurerentur. Tum tabulata eriguntur inclusis cadaveribus, & utraque ex parte sudes defixæ circumdata catena ferrea: injectique libri protestantium undique conquisiti magno numero, qui flamma diffundente se una concremati sunt.

IV. Quæritur. *Quid statuendum sit de oßariis sive ossuariis, id est ædiculis in quibus oßa sepultorum, è sepulchris eruta omniumque oculis exposita asservantur?* *Resp.* Ossaria hæc tollenda censeo. 1. Quia jam antea probavimus cadavera mortuorum esse sepelienda. 2. Quia etiam probavimus ossa eorum sepulchris eruenda non esse. 3 Quia videntur ossaria eo fine inventa esse, ut populus aspectu ossium iis contentorum magis excitaretur, ad preces, fundendas & emendas missas, pro iis, quos amisisset, ut eo citius ex purgatorio liberarentur. 4. Cum ossa quæ in ossaria conjiciuntur, fere sint tenuioris fortis hominum, qui sepulchra avita non habuere, facile pauperibus dum id vident, dolor & tristitia oboritur, quod non tantum dum hic vivunt, verum etiam post mortem durior sit ipsorum conditio quam divitum. Objicitur hic expediri ossaria, ut ossa iis contenta videntes recordemur nos esse mortales, adeoque nobis à superbia, avaritia cæterisque vitiis caveamus. *Resp.* 1. Si verbum Dei, si morbi, funeraque quæ sæpius oculis obversantur, nos sapere non doceant, neque ad meliorem mentem conspectus ossium humanorum nos adducet. Non decet ut ob commodum incertum inhumanitatem in alios exerceamus, quam erga nos exerceri nolimus: pauci enim sunt, qui non malint ossa sua in sepulchris relinqui, quam exhumari & in ossaria inferri. Vide hac de re *Hospinianum de Templis lib.* 3. *c.* 3. *Zepperum Politiæ Ecclesiasticæ lib.* 1. *c.* 15. *Rev. Collegam meum Voetium. Append.* 2. *ad Disp. de Templis parte altera quæ est de Cœmiteriis Thes.* 6. *Probl.* X. Alia quæ de Sepultura dici possent nunc prætereo, quantum vero ad illa, quæ jam dicta sunt, rogo lectorem, ne quæ ego dextera manu obtuli, ipse sinistra accipiat. Non omnia sunt, fateor, ejusdem momenti; quædam sunt graviora, quædam leviora. Omnia tamen talia, ut non immerito, quid de iis sentiendum sit, inquiri possit.

Spicilegium ad præcedentes disputationes de Sepulturâ.

QUæstio præambula est, *An Sepultura Mortuorum propriè sit agendum sacrum ecclesiasticum Christianum: an vero commune humanum, & sæculare, œconomicum scil. & politicum? Resp.* Distinguendum est. 1. *concl.* Primo & propriè est œconomicum: quisque enim suos mortuos sepelire tenetur. Patrifamilias tanquam capiti, curam hanc incumbere, docent exem-

pla

pla Abrahami *Genes.* 23. & *Jacobi Genes.* 35. Patrum vero Sepulturam, liberis aut aliis quibuscunque hæredibus incumbere, docent exempla Isaaci & Ismaelis *Genes.* 25. Jacobi & Esaui *Genes.* 35. Notum est jure communi antiquo ac novo hoc obtinere. 2. *concl.* Suprema & directiva potestas circa sepulturam, est penes Magistratum: qui prospicit, ut ab iis, ad quos hoc pertinet, curetur, & quidem honestè ac legitimè. Illorum enim est civium sanitatem curare, ne mortui fœtore & terrore viventibus incommodent. Hinc est, quod Scriptores politici, tanquam de οἰκείᾳ suæ prudentiæ & disciplinæ parte, de Sepulturâ tractare solent. Etiam in quibusdam casibus Magistratus ipse de publico Sepulturam curat. Sunt autem illi casus, 1. Cum peregrinus & ignotus plane, in terris ipsorum moritur. 2. cum quis ex civibus aut subditis moritur sine ullis hæredibus, cognatis, agnatis, propinquis, amicis; qui hoc agant. 3. cum ob duram paupertatem cognatus aut propinquus, si quis supersit, hoc præstare nequit. 4. cum Sepultura alicujus, honoris causâ, ob defuncti præcedentem dignitatem, aut ipsius aut prædecessorum merita, publico Principum & Magistratuum jussu & sumtu curatur. Maximè probabile est 2 *Sam.* 3. Abnerum à Davide hâc ratione Sepultum. Alexander Darium Codomannum regio apparatu sepeliri jussit. Apud Athenienses publicâ sepulturâ honorabantur, qui pro patriâ pugnando occubuerant. Modus istius sepulturę describitur à *Thucydide.* 5. Cum quis ob quamcunque bonam causam aut speciatim ob causam Christi post mortem sive insepultus, sive exhumatus infami ligno, aut palo affixus aut inter cadavera asinorum, boum, equorum ad sterquilinia projectus, aut sub patibulo defossus fuit. Exemplum illustre est Jabesitarum 1 *Sam.* 31. & historiæ ac quotidiana experientia plura suppeditant. Unum hic solummodo exemplum notabo, de uxore Petri Martyris cujus cadaver temporibus Marianis à Papistis jussu Cardinalis Poli exhumatum & in sterquilinium conjectum, posteà regnante Elizabethâ publico jussu ab Oxoniensibus rursum è fimo & stercore erutum veteri honorificentissimo loco & sepulcro restitutum fuit; & ossa ejus cum ossibus S. Eridesvidæ ibidem sepultæ & ab Anglo-Papistis religiosè olim cultæ, permixta fuerunt: ne aliquando Papistę similem ignominiosam exhumationem tentare possent. Vide hanc historiam in vitâ Martyris una cum locis ipsius editâ, & rursum à *Melchiore Adamo in vitis theologor. exterorum.* 3. *concl.* Ecclesia & Ecclesiastici antiquitus sub dominio infidelium constituti fidelium defunctorum præsertim martyrum funebrem curam in se susceperunt: uti infra *lib.* 4. *tit. de Cœmeteriis* notabimus. Præiverat illis exemplum Ecclesiæ Hierosolymitanæ *Actor.* 8. *v.* 2. Rationes hujus facti sui istas habuisse arbitramur: quod Magistratus ignominiosè corpora tractarent, aut tractari permitterent (vide

Martyrologia) ; & quod cognati aut proximi à fide alieni eos sepelire noluissent, præsertim martyres infami morte peremtos: aut si aliqui eorum hoc non detrectassent; ab Ecclesia tamen iis hoc tuto committi non poterat: ne Ethnicis superstitionibus funerationi admixtis, nomen & memoria sanctorum fœdari videretur. Hanc rationem tacitè innui putamus à Minutio in Octavio, cum ait. *Veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus.* Quales autem superstitiones à Gentilibus adhibitę fuerint ex antiquitatum scriptoribus, aut potius peculiaribus tractatibus *Kirchmanni*, *Gutherii*, *Meursii* compendio disci potest. Accedit hęc ratio: ne Christiani ab istis humanitatis officiis, alieni, aut à Gentilibus superari viderentur. *Ultimum illud & maximum pietatis officium est, peregrinorum & pauperum Sepultura*: uti de Christianis loquitur *Lactantius lib.* 6. Ad quem locum dissertantem lege *Hieronymum Magium Anglarensem lib.* 3. *miscellan. cap.* 19. An autem in sepulturâ lapsu temporis excesserint antiqui, & externâ specie ad Gentilium inveteratam consuetudinem propius accesserint, hic non disquiremus: remissis lectoribus ad controversias de templis, de reliquiis, de suffragiis pro mortuis, de cultu Sanctorum.

Pontificii sepulturam Christianorum etiam in Politiis fidem amplexis, soli Ecclesiæ suæ in solidum vindicant, tanquam sacrum & agendum ecclesiasticum. Hinc in ipsorum agendario (dicto, *Rituali*, seu *Pastorali*) titulus, de *Exequiis* una cum proximè sequenti titulo de *Officio defunctorum*, & in Missali tit. *Missæ pro defunctis*. Et in *Jure Canonico tit. de Sepulturis*, qui est 28. *lib.* 3. *decretal.* & 12. *lib.* 3. *Sexti.* & 24. *lib.* 2. *Institut. Juris Canonici Lanceloti.* Hinc titulus libri Jesuitæ Gretseri de *Funere Christiano*; & Jesuitæ *Theodori Peltani de Christianis Sepulturis*, *exequiis*, *anniversariis*. Et certè si omnia ipsorum mysteria & agenda sepulchralia perspicias, invenies horrendæ idololatriæ & vanarum superstitionum colluviem: haut aliter ac ex Gentilium opinionibus, cura, pragmatiâ circa defunctos bona pars idololatriæ ipsorum pallulavit. De quo scriptores de Idololatriâ, ejusque origine. Ut jam non dicam per illam paleam dictam sacram & Ecclesiasticam Clericis bonam partem frumenti, & culinarii nidoris generari. Reformatæ Ecclesiæ complures statim ab initio hanc curam in se susceperunt, ob duas rationes: quarum *una*, ut doctrinâ, antecessione, & exemplo suo homines ab inveteratis ritibus Gentilibus in funere adhiberi solitis abducerent nec quorumvis fidelium ex Papatu vix emergentium & πατροπαραδότῳ consuetudini incoctorum particulari judicio & ordinationi totum hoc committerent; & sic ad primævam Ecclesiæ Apostolicæ hâc in parte simplicitatem suos revocarent & assuefacerent. *Altera* ratio erat à necessitate: quia pleræque primæ Ecclesiarum reformatarum collectiones sub supremis aut sub-

ſubalternis Magiſtratibus à religione noſtrâ perquam alienis fiebant; ubi ſoli Eccleſiæ Papali, ejuſque Clero totum hoc committebatur: à quibus eorumque ſuperſtitionibus etiam hâc in parte ſecedere debebant. Non poterat ergo tali in caſu communitas eccleſiaſtica, & anteceſſores ejus, quin funeralia curanda & ordinanda in ſe ſuſciperent. De quo facto eorum ad imitationem apoſtolicæ & proximè ſuccedentis Eccleſiæ, ferè judicandum eſt, ac de negotio & celebratione conjugiorum. Vide ſupra hujus libri tract. 1. cap. 1. Procul ergo habendæ omnes opiniones Ethnicæ & Pontificiæ formaliter religioſum ac ſacrum ſive ſacramentum ſive ſacramentale funeribus & ſepulturis, ſepulcris, mortuorum cadaveribus, manibus & ſtatui mortis tribuentes. De ſacro, myſtico, religioſo in genere ſupra *lib. 2. tract. 2.* & *in 3. part. ſelect. diſpp. tit. de Benedictionibus & ſacramentalibus, & infra lib. 4. tit. de Templis, cœmeteriis*, &c. ex profeſſo agimus. Et hinc eſt, quod Eccleſiæ Belgicæ ex clandeſtinis & privatis factæ publicæ, in liturgiis ſuis & ſtatutis eccleſiaſticis titulum *de Sepultura planè omiſerint.* Cur autem Eccleſiæ Belgicæ peregrinantes in Angliâ ſub Eduardo VI. formę & rationi eccleſiaſtici miniſterii à Joh. à Laſco conſcriptæ inſeri voluerint (pag. 634.) titulum de *Ritu ſepeliendi mortuos*, ex verbis ibid. facile colligitur: *In mortuorum ſepulturâ non adhibemus faſtum ullum theatricum: ullumve aut Ethnicum aut Papiſticum faſtum: ſed ſummam ſimplicitatem, cum publicâ interim funeris honeſtate retinemus, ad eccleſiæ ædificationem.* Erat etiam ratio ipſis peculiaris: quod cum iſtic peregrini eſſent, ac propterea arctiorem communionem inter ſe colerent, inſuper extra externam eccleſiæ Anglicanæ communionem & publicam liturgiam atque adeo extra rationem & conſuetudinem ſepeliendi, quæ iſtic obtinebat, conſtitutæ; non potuerint non ſimplicis ſepeliendi formæ illic locorum aliquam facere mentionem. Eccleſiæ Gallicæ & aliæ quæ in regiminis ac rituum ſimplicitate iis propius conformantur, ſepulturæ non meminerunt. Statuta Eccleſiaſtica Genevenſia a. 1561. ejus meminerunt: ſed tantum ut ſuperſtitiones alioſque abuſus evitarentur. In liturgia Anglicana ſub Eduardo, Elizabetha & deinceps titulus de Sepultura locum habent uſque ad annum 1648. quo dictæ liturgiæ non obſervantia à Parlamentis Angliæ & Scotiæ ſtatuta fuit: uti patet ex *directorio publici cultus* &c. tunc edito pag. 58. In Canonibus Eccleſiaſticis Hungar. & Tranſſylvaniæ a. 1649. editus c. 76. & 77. itidem de modo ſepeliendi, quid ſtatuitur, ad reſecandas præcedentium ſæculorum ſuperſtitiones. Prior liber diſciplinę Eccleſiarum Scoticarum pag. 65. de eodem agit ad omnium abuſuum expurgationem. Eccleſiæ fratrum unitatis in Bohemia, Moraviâ &c. eundem in antiquo ordine ſuo eccleſiaſtico a. 1633. primum latine edito deſcribunt ſepulturam, abſque ſuper-

ſtitionibus ſuſcipere & præſcribere: quippe quæ in medio Papatu tanquam oves inter lupos vivebant. In plerisque, ſi non omnibus, Germanicis eccleſiis cura & præfectura Sepulturæ ad Eccleſiaſticos, hoc eſt ad illos qui jura epiſcopalia poſt excluſos in terris Proteſtantium Papales epiſcopo-principes, (principes epiſcopos appellat *Weberus in Introduct. Epiſcopali tit. 1.*) hactenus poſſident & exercent. *Carpzovius lib. 2. juriſprud tit. 24. definit.* 390. determinat jus ſepulturæ accenſeri juribus epiſcopalibus; quod ſpectet ad eccleſiam; & ab eâ illud impetrandum ſit; & quod cura eccleſiæ ſpectet ad epiſcopum. Id probat ex ordinat. elector. Saxonici, & jure canonico. Addit tamen ibidem, moribus hodiernis in territoriis proteſtantium ſpectare ad patronum & magiſtratum. *Laurentius Ohm J. C. in tract. de Jure Epiſcopali* §. 1. dicit omnia à ſe relatâ regulari jure epiſcopis competere: *ſalvâ* tamen *manente inferioribus antiſtitibus, prælatis & clericis, nec non laicis & ſæcularibus principibus, comitibus, nobilibus, civitatibus*, &c. *exceptione, ſi quam ex conſuetudine, præſcriptione, privilegio & gratiâ, pactis, conventis, tranſactione & ſimilibus fundamentis, in uno alterove hujus capitis membro habili (cujus exercitium ſive ipſi per ſe immediatè ſive aliis idoneis, perſonis eorum mandato vel curâ mediantibus, & in ſummâ, ut dici ſolet, paribus cæteris ſibi arrogant & ad ſe pertinere contendunt) opponere ac liquidò demonſtrare poſſint.* Alioquin in Papatu ad ſolas eccleſias parochiales ſpectat jus ſepulturæ, *Abbas in cap. Clem. dudum num.* 37. *de Sepult.* Et eccleſiæ parochiales cum omnibus agendis & juribus ſuis, directè ſubſunt poteſtati epiſcopali. In eccleſiis orientalibus ſuperior cura & directio ſepulturæ, eſt penes eccleſiaſticos: nec aliter fieri poteſt; quia ſupremi domini politici iſtic à Chriſtianiſmo alieni ſunt; eccleſiis tamen & familiis Chriſtianis hanc curam in ſolidum relinquunt.

Ad partis 1. *theſin.* 1.

Hebræis ſepulcrum etiam dicitur שאול *ſcheol*, quæ eadem vox ſignificat ſtatum mortis ſeu mortuorum. Gr. ᾅδης. Arab. *almahad.* De quarum vocum origine, ſignificationibus ſynonymis diſquirit *Parkerus lib. 1. de deſcenſu ad inferos.* Ante eum *Raynoldus de libr. Apocryphis prælect.* 81. 82. 83. Poſt eum *Jacobus Windet in tract. de Vitâ Defunctorum Statu.*

Ad th. 3. *quaſt.* 1.

De ſuperſtitioſis actionibus Papatus circa apparitiones mortuorum, ſeu ſpectrorum, egimus 1. *part. ſelect. diſpp. tit. de Spectris.* Quæcunque de ſtatu defunctorum poſt hanc vitam in Papatu creduntur, & auxilia ac ſuffragia quę viventes animabus laborantibus præſtare ſatagunt, nituntur tum ementitis tum veris apparitionibus: quarum oracula & revelationes an ſint divinę an diabolicæ, certò à ſe ſciri poſſe, ingenuè fatentur: uti nos ex dome-

ſticis

ſticis ipſorum teſtibus probavimus in 2. *part. ſelect. Diſpp. tit. de Probationibus Spirituum.* Memini primis mei miniſterii annis contigiſſe, ut fœmina aliqua in illo vico non ſine magnâ perturbatione & lamentis contenderet templum ſibi aperiri, ut pugillum terræ à mariti tumulo deſumtæ inde auferre poſſet, & ex ſuſcepto voto (neſcio cujus inſtinctu) religiosè ad aliquam religioſarum peregrinationum ſtationem manu ſuâ geſtare, atque illic deponere poſſet, in laborantis animæ mariti ſublevationem.

Ad th. 4. *quæſt.* 1.

Huc referri debent iſtæ quęſtiones

1. *An* αὐτόχειρες. 2. *An uſurarii manifeſti.* 3. *An excommunicati.* 4. *An infideles, aut hæretici.* 5. *An vivi.* 6. *An totum cadaver: an vero per partes in diverſis locis? Reſp.* ad 1. quod ſi in melancolico delirio, aut in graviſſimæ tentationis paraxyſmo ſibi manus intulerint, & tamen antequam exſpirarent, ſigna pœnitentiæ ediderint, puto ἐπιείκειαν adhiberi poſſe, & tacitè in loco publico ſepeliri. Sin ex conſcientiâ ſcelerum, & ad pœnæ infamiam præveniendam, ſeipſos occiderint: negari non poteſt, quin politia ad deteſtationem ſceleris & ad alios abſterrendos, pro variantibus circumſtantiis, ſepulturam aſini aut ſepulturam in infami ligno, aut in rogo, talibus aſſignare queat. Confer *diſp. noſtram de Homicidio ſui ipſius. Reſp. ad* 2. Antehac regnante Papatu omnis ſepultura publica & honeſta archifœneratoribus illis dictis Lombardis, ab Eccleſiâ denegata fuit: ita ut ne quidem per oſtium cadaver efferri potuerit, ſed tantum per parietem pertuſum aut ſubtus limen. Nec potuerunt Principes & Magiſtratus illis publicam, honeſtam & Chriſtianam (uti appellabant) ſepulturam procurare: quamvis politicam exercendi fœnoris tolerantiam invitâ & reclamante Eccleſiâ, ipſis pręſtarent. Quin inſuper anno 1540. edicto Caroli V. ipſis prohibitum publicis ſacris intereſſe. Nos, ſi præſentem rerum ſtatum reſpicias, nec aſſignamus nec negamus illis publicam in loco publico Sepulturam: quia illi nec vivi nec mortui partem habent in noſtrâ Eccleſiâ, non magis quam hæretici, Pagani, Judæi, Muhammediſtæ. Quibus omnibus ſi publicæ in loco publico (qui nunc ubique fere eſt cæmiterium aut tęmplum) ſepulturæ honorem Magiſtratus concedat: nos non intercedimus, 1. *quia* nihil ad Eccleſiam; quà Eccleſiam; quæ illos qui foris ſunt, non judicat 1. *Corinth.* 5. *v.* 12. 2. Et *quia* cœmeterium aut templum quatenus ſepulturæ civium deſtinatum eſt, nobis non eſt ſacrum; nec locus ſacer ſanctitate inhærente ſeu interna aut externâ & relativâ. De quo infra *lib.* 4. *tit. de Templis & cœmeteriis.* 3. *quia* communis civium & incolarum ſepultura ad eccleſiam quà talem per ſe non ſpectat, tanquam agendum ſacrum & eccleſiaſticum (uti paulo ante probatum eſt): ſed ad hære-

des

des particulariter, & ad Magistratus directivam potestatem publicam. *Resp.* ad 3. de excommunicatis similiter judicandum censeo. Casuistę Pontificii cum Jure Canonico, illis negant sepulturam in templo & cœmeterio. Immo & sub suspensione constituto, si moriatur impœnitens. *c. 15, cui*, de sententiâ excommunicationis. Ubi Vivianus in rationali Juris Canonici, hanc rationem assignat, quod in peccato mortali sine pœnitentiâ mortuus sit. In *Canonibus Ecclesiar. reformatar. Hungaricar. a.* 16. *lat. editis in* 8. invenio simile quid de excommunicatis: sed aliâ ex hypothesi, & alio fine. *Resp.* ad 4. De infidelibus aut hæreticis idem. Si quod discrimen inter illos & fideles, inter inhonestos & honestos inter cives & peregrinos, aut inquilinos, quod ad locum aut modum sepulturæ in bonum publicum videatur statuendum: id publicæ Magistratuum potestati relinquendum est. De injustâ exhumatione Buceri, Fagii, & uxoris Petri Martyris in Angliâ vide *vitam Buceri* unà cum operibus Anglicanis, & vitam Martyris unà cum locis commun. ipsius editam; & *Thuani histor. lib.* 17. Confer infra lib. 4. titulos de templis & cœmetriis. *Resp.* ad 5. Sepultura vivorum, vel defossione in vacuam scrobem, vel inclusione in vacuo aliquo & spaciosiori sepulcro fieri posset: & quidem vel absque conjunctione vivi cum alio cadavere aut cadaveribus; vel cum conjunctione. Mezentii crudelitatem sic describit Virgilius: *Mortua quin etiam jungebat corpora vivis.* Crudelitatem Joh. Galeacii ducis Mediolanensis in eo describit quidam historicus, quod parochum pauperculæ viduæ sepulturam mariti negantem quod juribus parochialibus satisfacere non posset, comprehendi & vivum cum cadaveribus colligatum in terram defodi jusserit. Infelix specimen suæ lenitatis & moderationis erga reformatæ religionis consortes in introitu regiminis sui edebat anno 1597. Archidux Albertus, nuper ex Cardinali factus Belgii Hispanici Princeps. De quo legi possunt *Belgarum historici*, & *Martyrologium*: & *responsum Ill. Ordd. Fœderati Belgii ad literas archiducis*, quibus ipsos ad pacem, & unionem sub naturali Principe (se scil.) invitabat. Utrumque supplicium sane dirum est, posterius tamen magis dirum. *Resp.* ad 6. Totum cadaver sepeliendum & naturalis ratio & probata exempla suadere videntur. Excipimus casus cum publici interest, ut flagitiosorum capita, corpore defosso, contis affixa publicè prostituantur. Aut cum alia aliqua necessitas non sinit totum cadaver in unum sepulcrum inferri. Huc refer quando funere medicato cadaver condiri & conditum absque corruptione & tetro fœtore servari nequit nisi inde exemtis & extra gloriosum sepulcrum intestinis, aliisque visceribus defossis. Quod societas Jesuitica Gallicana cor Henrici IV. tanquam peculiare cimelium in templo suo Fleschano custodiendum petierit & obtinuerit, id non sine
sym-

symbolico mysterio factum dicebant libelli aliqui illâ tempestate (a. scil. 1608.) editi. Inter quos *Anti-Cottonus Gall. & Belg. cum subsecuto hyperaspiste.*

Addatur quæstio, *An cadavera, aut ossa de loco in locum transferenda, & alibi de novo honorificè sepelienda? Resp.* In Papalibus hagiologiis, & in historiis ac praxi beatificationum ac canonizationum frequenter occurrit vocabulum *elevationis*: quâ denotant sanctorum sive confessorum sive martyrum exhumationem, & in gloriosa ac peculiaria templa & loca translationem: ut istic ostentarii osculanda proponi, religiosè coli, atque adorari, in processionibus circumgestari, & per institutas peregrinationes visitari, & à solenniter jurantibus tangi possint. Cultum reliquiarum vide refutatum ab antagonistis *Bellarmini lib. 2. de Ecclesiâ triumphante cap.* 3. Nos *in 3. part. selectar. dispp. tit. de Peregrinationibus Compostellanis, & tit. de processionibus*, eandem superstitionem perstrinximus. Opponunt Pontificii factum Josephi *Genes.* 50. *v.* 24. cum 47. *v.* 29. *Hebr.* 11. *v.* 22. & *Actor.* 7. *v.* 16. *Resp.* Josephus, Jacobus & reliqui patriarchæ ex Dei peculiari revelatione & monitu per spiritum propheticum præviderunt & denuntiârunt liberationem Israëlis ex Ægypto, & introductionem in terram Canaan; in cujus rei memoriam & fidem, sepulturam ibidem sibi delegerunt. Hoc ex locis citatis colligi potest: præterea nihil. Ostendant Pontificii translationem & λειψανοθρησκείαν, supra designatam, aut à Josepho exercitam, aut sibi per spiritum Dei tale quid revelatum ac mandatum fuisse: & loca illa, ad quæ reliquiæ transferuntur, esse terram promissam à posteris dictorum sanctorum, aliquando possidendam, & hoc peculiari *translationis* seu *elevationis* signo ac monitorio fidem promissæ possessionis confirmandam. Nostri aliquando transtulerunt cadavera aut ossa defunctorum, quæ à Pontificiis exhumata asini sepulturâ denuo sepulta, aut ad sterquilinia erant projecta, aut sub infami ligno defossa, aut ex eodem suspensa: idque ob causam Christi; aliquando etiam ob causam quam politicam. Quâ infamis sepulturæ, in honorificam mutatione, indicant se justificare causam & memoriam eorum antea ab aliis injustè damnatam. In hoc imitantur laudatos à Davide Jabesitas 2. *Sam.* 2. *v.* 5. 6. Et pios in primitivâ Ecclesiâ, qui martyrum suorum exuvias, si quas ex asininâ aut infami sepulturâ retractas nancisci poterant, honestè sepeliebant. Exemplum uxoris celebris Petri Martyris, à Papistis exhumatæ & ad sepulturam asini condemnatæ, postea sub Elizabetha ab Oxoniensibus denuo honorificè sepulcro suo restitutæ, supra indicavimus. Simile fuit factum nostrorum, qui post Sylvam-ducis à fœderato Belgio a. 1629. subjugatam ossa honestæ & piæ matronæ Agnetæ Greven ob repudiatum viaticum itineris extremi à Parocho oblatum, & constan-

tem veræ religionis professionem, sub patibulo defossę, ad postulatum alicujus aut aliquorum ex posteris ipsius, effoderunt, & loculo inclusa, honestè & frequenti comitatu ad chorum templi Johannis delata, juxta sepulcrum Gisberti Masii Episcopi (qui infamis hujus sepulturæ autor fuerat) sepelierunt. Quo nomine ab inepto & futili quodam idiotâ *Van Geel titulo Rustici Flandrici* libros scribillante, me traduci audio; quasi tale quid parum consonè meæ doctrinæ egerim aut consuluerim. Sed nulla nostræ doctrinæ & praxios communio cum Papisticâ de elevationibus & exhumationibus cum toto λειψανοθρησκείας choragio, à Casuistis, & Canonistis ad tit. *de reliqu. & vener. sanctorum* præscripto: uti ex dictis liquere arbitror. Quam bene autem conveniant mores & facta eorum hâc in parte, cum decretis Pontificum & Conciliorum, ex *Zypæi Jure Canonico novo lib. 3. tit. de reliq. & vener. sanctor. pag. 264. & ex Barbosæ collectaneis ad Bullarium & decisiones SS. congregat*, in vocibus *beatificatio*, *reliquiæ*, *S. Rochus;* denique ex *Bressero lib. 6. de conscientiâ* & *Molano de picturis sacris*, qui volet, cognoscere poterit. Divortii hujus antehac indicium aliquod fecimus cum alibi, tum in *disp. de Canonizatione Sanctorum.* Sed quidquid sit de consilio & facto nostrorum, quod tamen quam maximè probo, sciat rusticus Flandricus, aut illi qui has nugas & ineptias illi suggerunt, me nullam illius consilii aut facti partem fecisse: quippè qui post novem menses in plantatione & ordinatione Ecclesiæ reformatæ istic exactos ad propriam Ecclesiam reversus eram; ubi de ossium dictę Agnetæ honorificâ translatione ac sepulturâ aliquamdiu post discessum meum factâ, aliquanto post ex aliorum relatione aliquid perceperam. Sunt & alii casus, in quibus Magistratus absque sepulcri violatione cadaver aliquod effodere potest, & solet. Celebris est effossio & incineratio fanatici Davidis Georgii per Senatum Basiliensem: cujus rationes descriptas invenies in *comentariolo historico de Davide Georgio*, ab Academiâ Basiliensi conscripto; *& in Epistolâ Joh. Acronii Medec. & Mathemat. in Acad. Basileensi Professoris;* quæ est 67. *1. centur. epistolarum à Simone Abbes Gabbema a. 1663. editarum.*

Ad §. 5. quæst. 1.

De Sepulturæ loco, modo, & funebri pompâ non decet fideles nimium sollicitos esse: sed potius hæredibus præscribendum; ut honestam moderationem & frugalitatem adhibeant. De beatâ morte, & animæ post mortem statu ac loco nemo frustra solicitus erit; modo in domino. *Quid enim prodest cuiquam, si totum mundum lucratus fuerit animâ vero suâ mulctetur?* &c. Math. 16. v. 26. Prodigalitatem in curâ victus, amictus, domuum, utensilium &c. pro viventibus, inter vitia numeramus: & quomodo eam in curâ sepulturæ mortuorum virtuti adscribemus? imprimis si ex fastu & vana superstitione proficiscatur. Non probo quidem ludicrum illud Diogenis

responſum (apud Laërtium, & Cicer. 1. Tuſculan.) quo inhumatum ſe projici petebat, poſito prope ſe bacillo, quo volucres & feras abigeret: cumque amici dicerent, non ſenties, regerebat, *Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil ſentienti?* Nec tamen improbo illud Euripidis apud Stobęum ſerm. 277. (edit. gr. lat. Geſneri), Ἀνθρώπων δὲ μαίνονται φρένες, δαπάνας ὅταν θανοῦσι πέμπωσι κενάς, id eſt, *mentes hominum inſaniunt, cum ſumtus inutiles pro mortuis expendunt.* Xenophon lib. 8. Cyri pædiæ refert mandatum Cyri, ut corpus ſuum terræ quamprimum redderent; non auro aut argento aut ullâ re conderent. Sed miſſis Gentilium apopthegmatis audiamus Gul. Thracium armigerum in tabulis teſtamentariis (apud *Foxum in commentar. rerum in Eccleſiâ geſtarum lib. 2. pag. 125.*) ita loquentem: „De corpore vero ſepeliendo nec ſtatuere ſe nec ſua valde referre, ubi con„datur. Præclarè enim ab Auguſtino dictum eſt, ſepulturę pompam ma„gis eſſe vivorum ſolatium quam mortuorum ſubſidium. Itaque quod eam „rem ſpectat, id quidquid eſt negotii, voluntati ſe legatariorum prorſus „permittere. Cum teſtamentum hoc præter hic exhibita inſignem purioris religionis confeſſionem continens ad manus Warami Cantuarienſis delatum eſſet, ſententiâ hæreſios in Thracium mortuum pronuntiata, & cadaver ejus effoſſum in cineres redactum fuit a. 1531. Quo nomine rex Henricus 8. graviter indignatus, Cancellarium Parkerum hujus ſententiæ executorem judicio ſiſtit: qui culpâ in Archiepiſcopum Waramum jam defunctum rejectâ, numeratis in Fiſcum Regis 1000. præter propter coronatis, à judicio ſe vix redemit.

Quę Canoniſtę de jure & poteſtate eligendi & non eligendi ſepulcrum & de ſepulcro ejus qui non elegit ad tit. *de Sepulturâ* diſceptant, ipſis relinquimus. *Ibid. ad quæſt. 2.*

Sepulturas in templis ex ſuperſtitione ortas, & *tum* Gentiliſmi putatitio ſacro ac religioſo (quod à *Gutherio lib. 3. de jure manium explicatum eſt*) *tum* novitati Papatus potiſſimum tribuendas, indubium eſt. Ne conferendis antiquitatibus Eccleſiæ Iſraeliticæ & Chriſtianæ cum Gentiliſmo & novitate Papali multum laboremus, audiatur ingenua confeſſio recentiſſimi Canoniſtæ *Zypæi lib. 3. Juris Canonici novi pag. 202. Sepulchra olim non in Eccleſiis tantum, ſed nec in civitate fieri permittebantur. Choppin. Monaſt. lib. 2.* „*tit. 1. n. 15.* Primum Eccleſiaſtici deinde Principes, denique paſſim omnes „infringere cœperunt; ut nunc vel homines infimæ ſortis ſub ipſis altaribus „fere condantur. Adde rationes templaris ſepulturæ, quas compendio ex Jure Canonico collectas exhibet *Lancelotus lib. 2. inſtitut. Juris Canonici tit. 24. Cur in Eccleſiis & locis ſacris Sepulturæ conſtituantur h. d.*

„ Tractemus nunc de Sepulturis, quæ quidem, per fideles, non niſi in

„ sacris & religiosis locis, ideo constituuntur: quod minus ibi spiritibus vexan-„ tur immundis, & quod sanctorum illorum commendantur patrociniis, quo-„ rum nomini Ecclesia, in qua corpora conquiescunt, est consecrata. Acce-„ dit quod defunctorum proximi ad sacra loca venientes, sepulturamque con-„ spicientes, suorum recordantur, & pro eis pias preces fundunt. Unde mor-„ tuorum sepultura, & cœmeteria apud illas Ecclesias, & monasteria ex anti-„ quo disposita esse comperiuntur, in quibus religiosorum conventus sunt „ constituti, ubi orationes, & missarum solennia, tam pro vivis, quam pro „ defunctis, frequentius celebrantur.

Cur autem reformati in Galliâ, quæ in templis Papisticis habent sepulcra majorum suorum, repetierint, infra lib. 4. tract. de templis disquiremus.

* *Ad part. 2. §. 5. quæst. 1.*

Occasionem quærendi de conditurâ cadaverum dant textus *Genes.* 50. *v.* 2. 2 *Paralip.* 16. *v.* 14. & *Johann.* 19. *v.* 39. & 12. *v.* 3. 7. coll. cum *Marc.* 14. *v.* 8. De modo condiendi cadavera agit *Bellonius de Medicato Funere lib.* 3. ubi Physica & medica. De quibus & *Zachias in quæst. Medico-legalibus lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 9. qui ibidem non pœnitenda inspargit ad antiquitatum & textus *Genes.* 50. illustrationem facientia. *Bellonius lib.* 2. quæ ad historiam, criticam, & antiquitates spectant, potissimum prosequitur. Eadem tractantur à *Kirchero in Oedipo Ægyptiaco. Bernard. Gomesius in diasceps. de sale lib.* 1. *cap.* 18. conditurам per salem extollit, & per balsamum, myrrham, aloem insulsum conditurae genus appellat. Non pauca ad historiam de cadaveribus conditis pertinentia collegit *Kornmannus in lib. de miraculis mortuorum.* Conferri etiam possunt *Baronius ad ann.* 34. §. 48. & *Casaubonus exercit.* 16. §. 112. Syri & Ægyptii, quos secuti Græci, Romani, nimis sumtuosè corpora ungebant, condiebant, additis etiam auro, argento, cippis, titulis, obeliscis, pyramidibus, mausoleis. Inter antiquos Christianos etiam conditurae aliquæ adhibitæ fuerunt; & fortè modum excesserunt sive id κακοζηλία Gentilium, sive ad testandam fidem resurrectionis, sive ad imitandum exemplum à Christo approbatum *Marc.* 14. *v.* 8. sive aliâ de causâ hoc egerint. Tertullianus in apologet. cap. 42. *Si Arabiæ queruntur, sciant Sabæi pluris & carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Loquitur de thure in sepulturâ Christianorum. De aris sepulchralibus, deque superbis sepulcris pene ad formam templorum exstructis, *Heraldus ad Tertulliani apologet. cap.* 13. De *pyramidibus* & *obeliscis* post *Petr. Bellonium lib.* 1. (qui glaciem hic fregisse videtur), & *Raderum in commentar. ad* 1. *epigr. Martialis, Sandeum in theologiâ symbolicâ, Leonem Allatium in commentar. ad Philonem Byzantium de septem orbis spectaculis*, fusissimè *Athanas.*

Kirche-

Kircherus in Oedipo Ægyptiaco. De *labyrinthorum* antiquis & ſuperbis ſtructuris, quæ ſepulcri cauſâ fiebant, deque tumulorum editorum amplitudine, de ſepulcris marmoreis, &c. *Bellonius lib* 1. *cap.* 9. 15. de arboribus quæ ſepulcris inſeri ſolebant: Ibid. c. 17. De *columnâ Trajani*, in quâ oſſa ejus condita, & de mole Hadriani, quæ pro ſepultura ipſius poſita fuit, *Pancirollus & Salmuthus in antiquè deperditis tit.* 29. & 30. Hodie caſtellum S. Angeli vocatur, & à Pontifice inhabitatur. In quod tetraſticho ſic luſit Beza:

Cæſareos cineres quæ moles clauſerat olim,
Arx eſt Romano nunc ſacra Pontifici.
Quam bene, qui mortis nunc eſt mortalibus autor,
Morti ſacratas obtinet iſte domos!

De *coloſſo* ampliſſimæ molis dicto *androſphinge*, qui etiamnum ſupereſt, *Bellonius lib.* 1. *cap.* 2. De eodem ſphinge, aliiſque coloſſis, obeliſcis, pyramidibus, labyrinthis, & ſeptem mundi miraculis, *Pancirollus & Salmuthus lib. cit. tit.* 31. & 32. De *Mauſoleo* Iidem *tit.* 32. §. 8. & ante eos *Majolus tom.* 1. *dier. canicular. colloquio* 23. Conferri poſſunt, ab iis, quibus vacat, *Kirchmannus aut Gutherius*, de conditura, ſepulcris, & locis ſepulturæ. Quibus non vacat, & preſſius explicandis textibus modo citatis inſiſtunt, conſulant, Phyſiologiam ſacram *Joh. de Mey* ad locum *Geneſ.* 50. ubi appendicem habet de antiquis ſepulturæ ritibus in ſepulturâ memoratis: de quibus etiam *Jeſuita Menochius lib.* 8. *de Republicâ Hebræorum cap.* 4. & 5. *De ſepulchris regum Iſrael Pineda lib.* 8. de rebus Salomonis cap. 3. De ſpeluncis, montibus, collibus, vallibus rupibus ad ſepulcra delectis, ex profanis ſcriptoribus multa colligi poſſent: Sed hac vice ſuffecerit indicaſſe *Geneſ.* 23. *Marc.* 15. *v.* 46. *Deuter.* 34. *v.* 6. Ingentium ſaxorum cumulos ad ſepulcra collectos & ordinatè conſtructos quales in Drentiâ, & vicino tractu, imprimis etiàm in Scandiâ etiam hodiè conſpiciuntur, ſtudiosè deſcribit *Johannes Picardius in antiquitatibus Drentiæ a.* 1660. *diſtinct.* 5. De ſimilibus, cumulis, & de collibus rotundis, *Warenus in antiquit. Hibernicis c.* 24.

* *Ad quæſt.* 2.

De candelis in funere adhiberi ſolitis Perſius ſatyr. 3. ſub finem: *Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis, In portam rigidos calces extendit.* Ubi vide ſis doctiſſ. *commentar. Caſauboni.* In Papatu bis luminaribus utuntur; primum cum defuncti *corpus honeſtè compoſitum, loco decenti cum lumine collocatur:* ſunt verba Ritualis tit. Ordo commendationis animæ. *Deinde*, cum cereos accenſos in exequiis & funeribus deferunt. Quem ritum eccleſiaſticum antiquiſſimum, neutiquam omittendum ſancit Rituale tit. *de Exequiis.* Ubi inſuper in caſu paupertatis,

sacerdotum, ad quos defuncti cura pertinet, aut *alicujus piæ fraternitatis, si istic fuerit, impensis debita lumina adhiberi vult*. Sed quomodo ritus hic antiquissimus dicitur, cum canon. 33. Concil. Eliber. statuerit: *Cereos per diem placuit in cœmeterio non accendi: inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt. Qui hæc non observaverint, arceantur ab Ecclesiæ communione.* Bellarmini insulsam interpretationem Albaspinus Episc. Aurelianensis in notis ad canones dicti Concilii a. 1622. ne quidem referre dignatus est; causæ desperationem haut obscurè confessus, cum trepidus interpretationem arripit ut novam, sic magis absurdam. Præmissâ enim hypothesi sententiæ Tertulliani & Cypriani, de animabus martyrum sub altari hærentibus, & habitantibus, ibique dum Deus eorum mortem ulcisceretur exspectantibus, subjicit: *Quoniam autem cereis ardentibus, igni, fumigationibus, spiritus divexari ipsa experientia animadverterent: haut scio an illi patres vetuerint, admoveri cereos ardentes, ne animæ sanctorum, quæ sub altari permanerent, admoto igne inquietarentur.* En subtile εὕρημα. Ipse satis præcaverat cum initio hujus capitis pag. 46. has desperationis voces emittebat:

„ Hic canon illius Concilii difficillimus sanè crucem fixit interpretibus,
„ vix ut aut ne vix quidem explicari evolvique possit, quo factum est, ut
„ perridiculas & valdè absurdas explicationes interpretes excogitarint; ideo-
„ que mihi magnopere metuendum, ne mea deterior sententia existimetur.

Atque hæc quidem de luminibus vel super aut juxtà loculos collocandis, vel in deductione funeris gestandis. Lucernæ aut lampades ipsi sepulcro inclusæ ibique per multa sæcula luminaturæ *in omnibus fere monumentis* (teste *Gutherio lib. 2. cap. 32.) inveniuntur.* Ibid. paulo post: *post multos annos apertis tumulis immisso aëre, lucernæ illæ statim accenduntur.* Quâ arte id fieri possit, à multis quæsitum fuit. Si ex lino asbestino, id est, inextinguibili (quod ex lapide amianto conficitur) lampades illæ instruantur, jam ratio facile inveniri posset, cur perpetuo luceant: haut aliter ac pyropus seu carbunculus, aliaque fossilia aut vegetabilia aut animalia lucida. De asbesto vide *Pancirollum & Salmuthum tit.* 4. & autores ibi citatos. Aut si lampades oleo incombustili instruantur, forte intelligi posset cur ultra 1500 annos perpetuò fulgore luxerint, quæ in subterraneis Italiæ monumentis superiori sæculo inventæ dicuntur ab autoribus apud *Salmuthum tit.* 35. citatis: inter quos *Hieronymus Ruscelli*, qui olei istius dilucidam descriptionem dedit. Sed admiranda hæc non satis explicata (si vera de iis referant autores citati), quod admisso aëre lucernæ illæ sepulcrales accenderentur (uti habet *Gutherius modo cit.*); & quod eædem per tot sœculorum decursum lucentes, admisso aëre ilico exstinguerentur; uti testatur *Pancirollus tit.* 35. Fortunius Lycetus Philosophus Patavinus a. 1621, de lucernis illis peculiarem tractatum edidit:

dit: de quo ipse in tract. de propriorum operum historiâ a. 1634. lib. 1. cap. 9. *Diuturnis vigiliis ad hasce lucernas è tenebris intellectus eruendas elucubravi*, &c. & postea: *contradictorem neminem habuit, quem ego viderim, laudatores plurimos*, &c.

Continet libros quatuor: quorum 1. lucernarum variis locis detectarum historias describit. 2. varias doctorum de admirandâ istius luminis causa opiniones recenset. 3. causas veras mirabilis hujus eventus detegit. 4. dubitationes varias, & quæstiones huc pertinentes dissolvit. Peculiares quosdam ritus ab Ethnicismo derivatos observabam a. 1629. & 1639. Sylvæducis, cum in plantandâ & ordinandâ Ecclesiâ juxta cum aliis istic versarer. Defuncto alicujus dignitatis aut census, ilico ad postes domus luctus candela incensa laternæ inclusa suspendebatur, & strues fasciculorum ligneorum (vernaculè *mutserden*) ad latus ostii collocabatur. Quorum illud Ethnico-Papisticam superstitionem, istud antiquorum Gentilium præparationem ad combustionem cadaverum sapere videtur. Quamvis autem id planè otiosè nunc fiat, ubi nulla amplius cadaverum combustio obtinet: consuetudo tamen illa non nisi Ethnicismo originem suam debet. Sexcentæ ejusmodi vacuæ observationes monstrari possent, quarum homines causam & originem ignorant. In agro vicino, signum defuncti erant duo pugilli straminis formâ crucis ante ostium, aut in viâ proximâ dispositi. Quod ad materiam, seu stramen, per illud aliquem illic defunctum significabant; hoc est, eum lecto letali subducto (quod communi more fieri assolet) stramini impositum esse. Alibi fenestris, & ostio clauso seu connivente, aut pheretro ante ædes posito, aut alio signo idem significatum volunt. Sed quod ad figuram crucis, quam etiam in loculis, in corollis, in tumulis, in cippis seu erectis super monumento lapidibus exprimere solent, eâ superstitionem suam Papistæ proclamant. De quo *vid. 3. part. sel. Dispp. tit. de Staurolatriâ.*

Ad quæst. 3.

Adde quæ de herbis & coronis sepulcralibus notata sunt à *Magio Anglariensi lib. 2. miscell. cap. 17. ubi cap. sequ.* explicat Pythagoræ superstitionem, qui mortuos in myrti, oleę, & populi nigræ foliis sepeliendos præceperat.

De florum coronarumque apud Gentiles sparsione aliquot autorum testimonia congessit *Elmenhorstium ad Minutium* ad illa verba: *coronas etiam sepulcris denegatis*: plura addidit *Ouzeelius* ad eundem.

Ab ejusmodi abstinebant antiqui Christiani, uti patet ex *Minutio* modo cit. & ex *Justino apol. 2. quem adducit Ouzeelius.* Qui ibidem ostendit ex Prudentii hymno de exequiis sanctorum, Christianos postea ab hac simplicitate recessisse: *Nos*, inquit Prudentius, *tecta fovebimus ossa Violis & fronde frequenti, Titulumque & frigida saxa liquido spargemus odore.* Cum quo conferendus

rendus

rendus locus Hieronymi ad Pammachum super obitu uxoris cap. 2. Nec mirum cum tot Gentilium superstitiosis ritibus quamvis per prædecessores tam rigidè condemnatis, nihilominus multis in plebe τὸ ἀρχαῖον & carnificem consuetudinem sectantibus, tepidisque aut tepescentibus doctoribus nimis diu & patienter hæc tolerantibus, tandem victas dederint manus; quin etiam quæsitis prætextibus cum diutius palliare nequirent, superstitionem in religionem mutare se dicebant, affingendo illi usum quem religiosum, unde tandem in Papatu edolârunt mysticam necessitatem & efficaciam. Sic scil. ars deluditur arte. Ut Judæos olim multa ab Ægyptiis, Assyriis, Chaldæis, Græcis, aliisque Gentibus accepisse docet nos collatio historiæ sacræ cum profana: sic similiter de pluribus antiquorum Christianorum, imprimis cum ex persecutione cœpissent emergere, ritibus judicandum est. Morem spargendi flores, sertis limina prætexendi &c. ab Ethnicis ad antiquos Christianos, ab his ad hæc usque tempora derivatum fatetur Jesuita *Martinus de Roa lib. 2. singularium cap. 5.* qui tamen ibidem adducit *Tertullianum lib. de Coronâ*, & *Chrysostomum in orat. de Kal. Januariis*, contra ritus ejusmodi contestantes. Sed dicet, uti alibi excipit, superstitionem in religionem à Christianis, & ab hodierno Papatu mutatam esse. Regero ego superstitionem in aliam superstitionem mutatam esse: & præsumtam talem quamcunque religionem repugnare verbo Dei: uti hoc alibi & generaliter & particulariter probavimus in 3. *part. select. Dispp. tit. de Superstitione, Idololatriâ, Jubileô, Processionibus.* Ipse *Roa lib. 2. cap.* 20. veterum Christianorum morem cum *Chrysostomo homil. 22. in cap. 4. epist.* Corinthios superstitionis arguit, quod spreto majorum more gentium ritus sequerentur, accensis lucernis & his nominibus impositis, quæ plurimum duraverit, ejus nomine puerum appellando. Cur morem hunc Pontificii, æque ac alios, non retinuerunt, superstitione in excogitatam quam religionem mutatâ?

Ad 4. quæst.

De numeri ternarii vacuâ observatione à Gentilismo ad majores nostros derivatâ, ex hominum moribus cum Bongo de mysteriis numerorum, & Ausonii Edyllio XI. (tit. *gryphus ternarii numeri*) collatis plurima observari possent. Nos de numeris nonnulla notamus in 2. *part. select. dispp. tit. de Superstitione.*

Ad 6. quæst.

Huc refer quæstionem, mihi ante annos 24. (si bene memini) à ministris Ecclesiæ alicujus in medio Papatu versantis propositam. Quæstio mihi proposita, & ad eandem responsio mea his verbis conceptæ erant.

Quæritur

Quæritur an liceat deducere funera Papistica, in quibus cruces, faces, cantus aliique ejusmodi superstitiosi ritus adhiberi solent, quos docent Ritualia ipsorum & usus vulgaris.

" *Resp.* negatur, I. *Quia* committitur superstitio participata & indirecta
" adminimum, quomodocunque quis sibi caveat. Esse autem istam pompam
" superstitiosam nemo reformatus dubitat. Insuper quomodo quis partici-
" pare possit peccato alieno docent vulgati versiculi apud Casuistas, quos
" etiam refert Amesius in Medullâ: *Consulo, præcipio*, &c. Jam vero om-
" nem talem participationem esse illicitam, constat ex disputatione de Ido-
" lothytis 1. *Corinth.* 8. *&* 10. coll. cum *Ephes.* 5. *v.* 7. 11.

" II. *Quia* committitur adminimum species mali; Videmur superstitio-
" sum istum morem sepeliendi approbare, aut saltem non improbare; aut
" susque deque habere. Atqui hoc esse illicitum docemur, 1. *Theßal.* 5. 22.
" coll. cum *Judæ vers.* 23. *&* *Philipp.* 4. 8.

" III. *Quia* videbimur sic aliquâ ratione, hâc scil. in parte, ecclesiasticam &
" spiritualem communionem cum Papismo colere, & quidem ex hypothesi
" Papistarum. Nam illi sepulturam nominant ecclesiasticam, & faciunt
" agendum ecclesiasticum: uti constat ex *Rituali seu Pastorali*, tit. *de Exequiis*
" *p.* 143 & *Jure Canonico tit. de Sepulturis.* Hinc etiam *Becanus lib.* 5. *Manual. c.*
" 11. disputat non licere Papistis ordinariò comitari funera Protestantium.
" Quamvis revera longè dispar sit ratio; nostrorum n. funera (saltem Refor-
" matorum) nihil habent ecclesiastici propriè ita dicti, neque ex rei verita-
" te neque ex nostrâ opinione. Jam vero nullam ecclesiasticam, aut in ec-
" clesiasticis communionem cum Papistis colendam, docemur ex *Apocal.*
" 18. *v.* 4. cum 2. *Corinth.* 6. aliisque textibus: unde nostri probant seces-
" sionem à Papatu.

" IV. Denique, *quia* scandalizantur *tum* rigidi Papistæ, dum aliquo mo-
" do in suâ superstitione confirmantur; *tum* infirmi, dubii, & in bivio consti-
" tuti; *tum* etiam zelotæ & γνήσιοι Reformati. Atqui nemini scanda-
" lum præbendum docemur *Math.* 18. *v.* 6. 7. & 1. *Corinth.* 10. coll. cum
" *cap.* 8.

Postea nactus Exercitationes theologicas Davidis Parei cum eas perlustro, inveni eandem fere quæstionem lib. 2. exercit. 54. pag. 267. ab illo propositam: *An amico rectè sentienti in Republicâ Pontificiâ liceat funus ad templum prosequi:* Indicatur ibidem in margine, quæstionem hanc Coloniâ missam fuisse 21. Novembr. a. 1597. Ad eam cum distinctione sic respon-
" detur. Si per leges & caritatem possit, potius abstineat à tali officio. Si

„ non possit, videri eum sic facientem, absque peccato servitutem eam ferre „ posse. Antea autem sic tolerantiam dictæ servitutis limitaverat 1. Si Magistratus, vel lex jubeat. 1. Si professione & discessione ad templum sacra ipsorum exequialia improbare se ostendit. Sed *prior conditio* nihil facit ad τὸ licitum aut illicitum esse: Si quid sapiat superstitionem aut idololatriam, si non directam, saltem indirectam aut participatam; id humanâ lege aut jussione Magistratus non potest fieri licitum. Ideoque reformati qui in politiis Papisticis commorantur, mulctas pecuniarias non raro persolverunt, quod non paruissent mandatis & legibus pœnalibus, de infantibus parocho illius districtus, ubi ipsi habitant, ad baptismum offerendis, de matrimoniis coram proprio parocho celebrandis, de puerperis per eundem parochum purificandis seu Ecclesiæ restituendis, de genu flectendo, aut caput aperiendo ad idola in compitis disposita, imprimis ad idolum panaceum frequenter per plateas, & solemniter in processionibus circumferri solitum. Alibi jussioni Magistratus, de inscriptione in album fraternitatum artificum, & observatione statutorum & consuetudinem cujusque fraternitatis, non parent; quia sciunt per inoffensę conscientiæ jura illud non posse fieri. *Posterior conditio*, quomodo servari possit velim uberius explicatum fuisset. Quomodo reformatus prosequens funus improbabit sacra exequialia? An nudo silentio? Hoc minimè sufficit; cum facta ejus coram hominibus loquantur. An vero abstinentiâ ab iis, quibus per conscientiam adesse & interesse non debet? Atqui illa distinctè & minutim fuissent designanda. Si aquâ lustrali eum aspergant, an eam tacitè recepturus? an vero Valentinianum imitaturus sit, qui testibus *Sozomeno lib.* 4. *cap.* 6. sacerdotem coram Juliano Imperatore conviciis adoriebatur, & tantum vestis suæ incidebat atque abjiciebat, teste *Nicephoro lib.* 11. *c.* 1. quantum gutta aquæ lustralis madefecerat. Si celebrent missas pro defunctis, si omnes flexis genibus orent pro animâ sive sepeliendi sive jam sepulti, an reformatus omnibus externis ritibus se conformabit; an vero & factis & verbis contra eosdem protestabitur? & cui bono, quo eventu? Hæc omnia primò explicanda essent.

Rationes Parei sunt:

1. *Rat.* quia Magistratui in civilibus per se licitis est obtemperandum, etiam cum aliquâ molestiâ *Rom.* 13. *v.* 5. 1 *Petr.* 2. *v.* 18. atqui deductiones funerum sunt officia civilia, quatenus lege jubentur, & licita per se, quia caritatis &c. *Resp.* Hęc Papistica esse civilia per se licita, sumitur; non probatur. Quid si quis dicat hoc de esu idolothutωn 1. *Corinth.* 10. à quibus apostolus tantopere dehortatur; quid responderent? *Deindè* cum molestia aliquid fertur, cum quis nihil agit, sed patitur. Atqui deducens funus Papisticum in

tem-

templum, aliquid agit. Jam vero omnis actio humana, in individuo seu singulari est moraliter bona aut mala.

2. *Rat.* Reformati possunt sine suo peccato, lege vel Magistratu jubente, juvare structuram templi, pendere reditus sacros, servare stationes urbis, dum fit pompa publica. Quia hæc sunt onera civilia suo genere non impia. *Resp.* Hic reformati solummodo exactiones, & onera ferunt: sed ipsi immediatè sacris Papisticis & superstitiosis exequiis non cooperantur.

,, 3. *Rat.* A majori licet reformatis (cum aliter non possunt) uti mini- ,, sterio errantium, & ceremonias humanas servare; dummodo fidem suam ,, apertè profiteantur, errores disertè improbent, & nihil per se impium ver- ,, bis & factis committant. Multo magis licet comitari funus cum impro- ,, batione superstitionum. *Resp.* Si quis se inclinaret coram imagine crucifixi, genuflecteret ad ostentatum Deum panaceum, aquâ lustrali ad ingressum templi se aspergeret, infantes baptizandos exorcizaret, aut pastori exorcizandum committeret, absolutionem pastoris post editam auricularem confessionem peteret & acciperet, non tamen sine apertâ & verbali protestatione contra superstitiones Papisticas; an illa protestatio factis contraria coram Deo & hominibus irreprehensibilem quem constitueret? Non arbitror. Sed hæc pluribus prosecuti sumus in dispp. de Superstitione & Idololatriâ. ,, Ad probationem desumptam ex exemplis Prophetarum, Christi, ,, Apostolorum, qui sæpè sunt usi ministerio errantium Sacerdotum, cum ,, taxatione corruptelarum *Resp.* Sed illi non sunt cooperati aliorum erroribus & superstitionibus. Perpetuo eadem falsæ hypothesios chordâ oberratur, de purâ putâ passione aut tolerantiâ mali, & nullâ actione aut cooperatione eorum, qui funera Papistica deducunt. Quæro ego, an liceat cum Magistratus id mandat, missam frequentare. Si affirment Nicodemitæ, aut Libertini, vide quomodo illud Doctores reformati citati in 3. *part. select. dispp. tit. de Idololatriâ indirectâ*, refutaverint, & nos ibidem cum iis.

Ad quæst. 7.

Olim & etiam hodie à quibusdam attendi solet ad situm mortui *primo post* obitum in lectulo letali, seu mavis stramine: *deinde* in loculo: in *tertio* & cum loculo in hâc aut illâ parte domus; *quarto* in feretro, & in elatione funeris: *quinto*, in depositione ex feretro, & in illatione in sepulcrum. Nos ad vacuas illas observationes minimè attendendum censemus. Ita ut otio- ,, sum planè sit statutum in Rituali Romano tit. de exequiis: Corpora defun- ,, ctorum in Ecclesiâ ponenda sunt pedibus versus altare majus; vel si con- ,, duntur in oratoriis aut capellis, ponantur cum pedibus versis ad illarum ,, altaria, quod etiam pro situ & loco fiat in sepulcro. Presbyteri vero habe- ,, ant caput versus altare. *Et rursum pag. 147. in rubricâ.* Deposito feretro

 in

„ in medio Ecclesiæ, ita ut defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus altare „ majus; si vero fuerit Sacerdos, ut dictum est, caput sit versus ipsum al- „ tare, &c.

Pertinet etiam ad situm, quod apud Gentiles tum Gręcos tum Romanos cadaver ad januam deponerent: dequo comentar. ad Suetonii Augustum cap. 1. Homeri Iliad. 7. Virgil. Æneid. 11. Hodie etiamnum apud multos nostratium simulac loculo conditum est in atrio & vestibulo ædium collocatur. Idem Lutetiæ observari testatur *Joh. Stephanus Durantus lib. 1. de ritibus Ecclesiæ Catholicæ cap. 23.* Qui ibidem ait, apud veteres (An majores in Galliâ, an veteres Christianos in Imperio Romano, an utrosque intelligat, nescio) in tricliniis aut cœnaculis collocata fuisse; uti & *Actor. 9. v. 39.* idemque Tholosæ observari.

Ad quæst. 8.

Rituale Romanum aspersionem aquæ benedictę parochis pręscribit 1. in morbo pag. 115. tit. *de visitatione & curâ infirmorum.* 2. in agone pag. 118. tit. *Ordo commendationis animæ.* 3. postquam exspiravit, & corpus honestè compositum loco decenti cum lumine collocatum fuerit. pag. 140. *tit. eodem.* 4. cum feretrum & corpus super eo in templo aut cœmeterio sane depositum est. pag. 153. tit. *de Exequiis.* 5. cum corpus ad sepulcrum delatum fuerit. pag. 153. *eod. tit.* 6. cum fiunt exequię absente corpore, & in die tertio, septimo, trigesimo, & anniversario, circuit tumbam aspergens, pag. 208. tit. *Officium defunctorum.* Similiter in exequiis & officio defunctorum fit incensatio: tit. cit. 7. in exequiis parvulorum ante usum rationis defunctorum. p. 210. tit. *de exequiis parvulorum.* Ubi etiam de imponendâ *coronâ de floribus, seu de herbis aromaticis, & odoriferis, in signum integritatis carnis & virginitatis.*

Ad quæst. 9.

Rituale pręcipit, ut parva crux super pectus inter manus defuncti ponatur: aut ubi crux desit, manus in modum crucis componantur. pag. 141. tit. ordo *commendationis animæ.* Et si aliquo in casu contingat corpus extra Ecclesiam aut cœmeterium sepeliri, semper crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quievisse. pag. 144. tit. de *Exequiis.* Cum „ conveniunt ad funus efferendum, Parochus indutus superpelliceo & stolâ „ nigrâ, vel etiam pluviali ejusdem coloris, clerico pręferente crucem, & a- „ lio aquam benedictam, ad domum defuncti una cum aliis procedit, di- „ stribuuntur cerei, accenduntur intortitia. Mox ordinatur processio, pręcedentibus laicorum confraternitatibus, sequitur clerus regularis & sæcu- „ laris, per ordinem, binique procedunt, prelatâ cruce, devotè psalmos, ut „ infra, decantantes, parocho præcedente feretrum cum luminibus, &c.

pag.

pag. 145. eod. tit. Mores docent nos etiam loculum, & pannum, qui tegit loculum, & tumulum cruce ſignari; & ſerta, ac cippos ſeu erectos lapides in modum crucis formari. De ſtramine cruciato ſupra diximus. Singulæ fraternitates tum ſacræ (e.gr. Mariæ, Antonii, Sebaſtiani, &c.) tum profano-ſacræ (ut fabrorum, ſartorum, ſutorum, piſtorum, mercatorum, &c.) immo & ſinguli ſtatus hominum, peculiares aliquos ritus adhibent: quos infinitum eſſet percenſere.

Ad quæſt. 11.

Huc refer quod mortuos propriis veſtibus & quidem pretioſiſſimis indutos antiqui Gentiles, & hodie nonnullæ gentes ſepelire ſolent. Quod præterquam quod prodagilitatem ſapere videatur, neſcio an ſatis conveniat cum Job. 1. v. 21. *nudus exivi de utero matris meæ, & nudus redibo illuc.* 1 Timoth. 6. v. 7. *nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quidquam poſſumus* Eccleſ. 9. v. 8. *& partem nullam eſſe eis*, &c. Sepultura Chriſti *Joh.* 19. & Lazari *Joh.* 11. ſine veſtibus eorum peracta. Lycurgus ſanctione ſuâ cum aliquid emendare ſtuderet, plura tamen relinquebat. Sic enim de illo Plutarchus in Laconicis & Lycurgo: *Piacula quoque ſuſtulit, ac ne quid una cum cadaveribus ſepelirent, mandavit, præter puniceam veſtem, & olivæ folia, in quibus æque omnes cadavera componerent*, &c. Quidquid ſit de hoc ritu, ſaltem vaniſſima eſt obſervatio Pontificiorum de ſacerdote cum veſtibus ſacerdotalibus ſepeliendo.

De quo ſic in Ceremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 38. fol. 94. a. „Loto, & terſo corpore, clerici familiares, ſeu alii Eccleſiaſtici viri cum Cęrimoniario induant illud primum veſtibus ordinariis uſque ad Rochettum, deinde ſacris veſtibus, quibus vivens induebatur, dum ſolemniter erat celebraturus, hoc eſt, caligis, & ſandaliis, amictu, alba, cingulo, ſtola, manipulo, cruce pectorali, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta coloris violacei, annulo, & mitra ſimplici, ac etiam pallio cum ſpinulis, ſi erit Archiepiſcopus, vel aliàs utens pallio, & ponant ſuper pectus ejus crucem aliquam, quam manibus teneat. Ante quinquennium (ni fallor) in templo Petri aperto ſepulcro Bernulphi 20. Epiſc. Ultrajectini, qui obiit anno 1054. inventa ſunt particula oſſis cruris, & bacillus paſtoralis argento in capite veſtitus, cum reliquiis ſeu mavis quiſquiliis togæ. Commentatores Pontificii ad Levitic. 10. v. 5. *Ex hoc exemplo*, inquit Lyranus, *inolevit conſuetudo, quod ſacerdotes novæ legis cum veſtibus ſacerdotalibus ſepeliuntur.* Quem ſequitur *Toſtatus*, Sed conſequentia malè ducitur à ritibus ſepulcralibus Sacerdotum V. T., ad ritus Miniſtrorum N. T. *Deinde* ex textu certò colligi nequit, quod eos in & cum omni apparatu ſacerdotali terrę mandarint, ſed tantum quod *portaverint eos in tunicis ſuis* (ubi vulgata verſio: *tule-*

tulerunt eos ficut jacebant, veſtitos lineis tunicis) ad extra caſtrametationem. Cum enim induti ſacerdotali ſchemate eſſent percuſſi, & ilico, mandante Moſe, ex ſanctuario extra caſtra deportandi, nulla præfeſtinatione fieri potuit mutatio veſtimentorum. Sed hoc nihil ad ſepulturam ſeu tumulationem ſine aut cum veſtibus ſacerdotalibus, aut aliis quibuſcunque: de quibus loco cit. ne quidem κρῦ. Aliud enim eſt veſtitum aliquem ſubito morientem de plateâ, aut de menſâ tolli, aut ex curiâ, ex templo, &c. ubi mortuus concidit, efferri: & aliud, eum ſic veſtitum in terram defodi. Nec moris erat apud Judæos mortuos veſtibus ſuis indutos, in ſepulcrum inferri, uti colligimus ex *Math.27.v.59.* ubi Chriſtus veſtibus ſuis ſpoliatus *v.35.* cum *Johann. 19.v.23.* & nudus de cruce deſumtus, ſindoni involvitur. Confer loca *Johann.11.v.44.* & *19.v.40.* & *20.v.5. 6. 7.* Hunc morem Judæorum *Johann. 19. v.40.* indicatum, quod ad involucra explicant & aſſerunt *Baronius anno 34.§.136. Toletus in Johann.20. Jac. Chifletius tract. de linteis ſepulcralibus Chriſti cap.2.* Ne quis autem dicat, ſolis Sacerdotibus hunc honorem habitum, ut cum ſacris veſtibus ſepelirentur, commonſtro Exod.29. v.29. *Et veſtes ſanctæ quæ ſunt ipſi Aaron, erunt filiis ejus poſt eum ad ungendum cum eis, & ad conſecrandum cum eis manum eorum. Septem diebus induet eos ſacerdos loco ipſius de filiis ejus,* &c. Numer. 20. v.25.-28. refertur Aaroni veſtes ante obitum ademptas, iiſdemque Eleazarum indutum.

Ad quæſt. XI.

Nos infra lib. 4. ex profeſſo agimus de abuſibus Papiſticis circa campanas.

Ad quæſt. XII.

Fatendum eſt, rationes aliquas fuiſſe cur in primâ Eccleſiarum multarum reformatione, in vacuo illo à miſſis, totoque officio defunctorum à Papatu exerceri ſolito, ſubſtitutæ fuerint aliquæ Eccleſiaſticæ & piæ paræneſes & conſolationes formâ concionum propoſitæ. Nec tamen diffitendum, eſſe rationes & quidem nec pauciores nec minores, cur reformatione jam conſtitutâ non introducantur, ubi non ſunt; aut abrogentur, ubi ſunt. In reformatione Eccleſiæ Scoticanæ anno 1563. priori libro diſciplinæ pag. 65. tit. de ſepulturâ, ſtatutum ut ſepultura fieret abſque cantu, lectione ſcripturæ, concione funebri. Rationes quas iſtic ſubjiciunt, mox infra referemus. In Helvetiâ, Germaniâ, Angliâ, uſus earum etiamnum remanet. Idque tum experientiâ, tum tot editis concionibus funebribus edocemur. Omnes quis enumeret vulgaribus linguis editas? Ante annos complures habui in Bibliothecâ, & paſſim inſpexi ac percurri 200. *funebres, &* 100. *nuptiales conciones Brandmylleri concionatoris*

Baſi-

Basileensis, latine in 8. editas. Anglicè prostat concio funebris in tragicum obitum comitis Essexii a. 1598.; alia in ignominiosum obitum Johannis Atertoni Episcopi in Hiberniâ ob infandum flagitium Dublini a.1641.suspensi; quæ habita à Nicol. Barnard Decano Ardagensi. Etiam, si bene memini, habitæ in funere parvulorum. Rationes quæ pro continuato talium concionum in Ecclesiis reformatis usu militant sunt sequentes. 1. *quia* utiliter capita de quatuor novissimis, hâc occasione explicantur, & applicantur. 2. *quia* propinqui & hæredes consolationem & excitationem aliquam ad imitandum percipiunt, cum emortualia, & beata mors, sepulti, & benefacta viventis recensentur. 3. *quia* alieni à religione nostrâ, hâc occasione conciones nostras subinde audiunt. Rationes adversæ sententiæ collectas habes à *Francisco de Combles* Ministro Metensi, in lib. cui tit. *Consolations generales & particulieres pour les malades*. Ubi part. 2. in principio discursum habet de talibus concionibus, ad excusandam Ecclesiam Metensem, reliquasque Gallicanas, apud quas usus earum abest. Statum quæstionis ita format:

An Ministri vi muneris sui obligentur, non quidem ad consolandos eos qui dolent ob mortem suorum (hoc enim conceditur); sed ad habendas conciones funebres, quotiescunque quis de Ecclesiâ ipsorum sepelitur.

Præmissâ sequenti limitatione. 1. Non esse absolutè illicitum. 2. Immo aliquo in casu admodum utile: præsertim si rex, aut Princeps, aut publica ejusmodi persona defuncta sit. 3. Sed si tantum in funere optimatum & ditiorum habeantur conciones, videri sapere illam prosopolepsiam, quæ taxatur *Jacobi* 2 *v*.1-6.

Pro negante sequentes adducit rationes,

1. *Quia* in scripturâ nullum mandatum, nullum exemplum, cum de piorum morte & funere agitur *Genes*.50.*v*.3-10. 2 *Sam*.13.*v*.37. 1 *Paralip*. 7.*v*.22. 2 *Paralip*. 35.*v*.25. *Joh*.11. ubi de Lazaro. *Actor*.8. ubi de Stephano. & *cap*.12. ubi de Jacobo, *Joh*.19. ubi de sepulturâ Christi.

2. *Quia* est aliqua species mali: putabunt enim Pontificii id fieri pro mortuis. Hæc ratio, inquit, fuit Synodis Gallicanis, cur eas prohiberent.

3. *Quia* originem habet à Gentilibus, qui mortuos (vide *Guthertum lib*. 1. *cap*.25.) laudabant.

4. *Quia* Ministri magno incommodo laborarent tempore pestis, si pro singulis sepeliendis habendæ essent conciones.

5. *Quia* difficile esset Ministris, cum frequentia sunt funera, novis inventionibus conciones suas instruere: ne si eâdem fere chordâ oberrent, auditoribus fastidium pariant.

6. *Quia*, ubi frequenter conciones funebres habentur, populus tardior fit ad statas conciones audiendas.

7. *Quia*

7. *Quia* admodum incommodum & difficile est Ministro, virtutes & præclarè gesta defuncti referre & in exemplum proponere: ubi aut nulla sunt, aut non nisi gesta excellenter mala. *Ista* nollent referri hæredes: *illa* à te fingi, conscientia non patitur. Ex his difficultatibus quomodo se extricabit, ut simul Deo placeat, & hominibus non displiceat?

Ecclesia Scoticana loc. cit. has adfert rationes,

„ Non ignoramus, inquiunt, aliquos concionem funebrem requirere, aut „ saltem lectionem alicujus textus scripturæ, ut viventes commonefiant, „ quod sint mortales, & ipsis similiter moriendum sit. Sed tales intelli- „ gant, conciones quas quotidie habemus isti usui inservire; quas si homi- „ nes contemnant, potius superstitionem alent, & falsam opinionem (*Papi-* „ *sticam scil. de quâ supra dictum erat*), quam ejusmodi homines ad piam pro- „ prii sui status considerationem adducent. Adde, quod Ministri aut maxi- „ mam partem occupati erunt circa conciones funebres, aut personarum re- „ spectum habebunt; concionantes in funere divitum & honoratorum, sed „ tacentes in morte pauperum: quod à Ministris salvâ conscientiâ fieri ne- „ quit &c. Putamus etiam respectu diversorum inconvenientium non ita „ decorum esse, ut templa prædicationi verbi & administrationi sacramen- „ torum appropriata, fiant loca sepulturę &c.

De concionibus funebribus alicubi venalibus, quæ pluris emi dicuntur quam missæ pro defunctis, de pulsibus campanarum simulac quis defunctus est, de primâ terræ injectione à parocho facta; deque cantibus, antiphonis & responsoriis ad sepulcrum, vide Altare Damascenum pag. 882. 883. ubi ritus illos exhibet, & examinat. Rationibus specialibus illic legendis, addit hanc generalem, *Quod nec Sacerdotes, nec Levitæ, nec Prophetæ, in mortuorum exequiis eo munere functi sint*. Cui subjicit has speciales.

„ Orationes funebres Nazianzeni & aliorum ab Atheniensium more vi- „ dentur derivatæ. Qui mos in republica magis tolerabilis erat ubi Orato- „ res mortui laudes prędicabant, quàm in Ecclesia. Cum in omni funere non „ haberentur, patet in Ecclesiam introduci non posse absque invidiosa pro- „ sopolepsia. Ditiores hoc officio cohonestabuntur, neglectis pauperibus. „ Nam ad singulas funerationes non potest concionari. Etsi aliâs ratione „ dignitatis personarum alios aliis anteponere ei liceret, in ministerio tamen „ fungendo nihil faceret cum pauperum contumelia. Incumbit illi quidem „ ex officio solari viduas & orphanos, qui tunc temporis maximè egent „ consolatione. Conciones funebres in Anglia venales sunt, ut olim in pa- „ patu missæ. Imo pontificii dicunt majoris constare conciones funebres „ quàm missas. Nam cum 4 denariis missam compararent, concionem abs- „ que 4 florenis comparare non possint; nulli tamen harum concionum ma-

,, gis avidi sunt quam pontificii, quia missæ vicem supplere putant. Merce-
,, narius concionator ad prædicandum potius mortui laudes, quàm Dei
,, verbum conductus, iniquissimum fœneratorem, scortatorem egregium,
,, Dei expertem in mundo, qui ne vel unam sorte concionem unquam audi-
,, verat, sanctorum albo inscribet, & toga lugubri aut ampliori mercede pro
,, meriti ratione donabitur.

Parasiticam & mercenariam hanc operam non tantum istic (affirmante *autore Altaris Damasceni*), sed & alibi nonnunquam adhiberi jam pridem didicimus ex illis qui loca illa frequentant, aut inde in Belgium nostrum sedes suas transferunt. Nec dissimulat *Zepperus lib. 1. Polit. Eccles. cap. 15.*

Hæc hactenus proposita lectoribus consideranda offerimus: sic tamen ut magis probando ordinem nostrarum, Gallicarum, Scoticarum Ecclesiarum tanquam βελτίονα & tutiorem, formatâ & stabilitâ jam reformatione: non improbemus moderationem *Fr. de Combles*, nec usum aliarum Ecclesiarum; quæ vel ob initia reformationis, & collectionis Ecclesiarum, vel ob alias rationes, ab iis omnino sine aliquo majori incommodo abstinere nequeunt. Hoc tamen velimus, ut Ministri gratis easdem habeant, sine mercede aut honorariis: ad omnem πλεονεξίας, & scandalorum occasionem tollendam. Ita Ecclesiæ peregrinorum in Angliâ sub Eduardo VI. illic loci & illo rerum statu, conciones funebres habebant: pariter & quædam Belgicæ, præcipuè in Ducatu Geldrico, usque ad annum 1619. easdem continuabant; & nos in extremis Hollandiæ finibus (ubi in vicos quosdam post annum 1610. reformatio demum introducta fuit), easdem ad tempus aliquod habuimus, tum ut superstitiones Papales in exequiis, homines dedoceremus, tum ut ad conciones Ministrorum reformatorum audiendas eosdem alliceremus. Nec dubito quin ministri fratrum unitatis Bohemicæ illas conciones (de quibus ordo eorum ecclesiasticus cap. *de formâ ægrotos visitandi, & mortuos funerandi*) ἀδαπανῶς habuerint.

* *Ad part. 3. §. 6. ad quæst 1.*

Vide Tertullianum de resurrectione cap. 1 de epulis illis sepulcralibus Gentilium, earumque superstitioso usu, quas DIs manibus consecrabant, & vel ad sepulcrum relinquebant vel comburebant; quas nefas erat alicui attingere: quod iis delectari, aut etiam pasci putarent animas. Alicubi tamen ab ipsis parentantibus epulas comedi solitas colligimus ex *Tertull. lib. de testimonio animæ cap. 4.* ,, Vocas, inquit, porro securos, si quando
,, extra portam cum obsoniis & mattalis tibi potius parentans, ad busta
,, recedis, aut à bustis dilutior redis. At ego sobriam tuam sententiam exi-
,, go: misellos vocas mortuos, cum de tuo loqueris, cum ab eis longè es.
,, Nam in convivio eorum, quasi præsentibus & conrecumbentibus sortem

„ suam exprobrare non possis, debes adulari propter quos lætius vivis. Eundem morem advocat Epiphanius in Ancorato pag. 573 edit. lat. in fol. ut ex eo κατ' ἄνθρωπον probet apud Gentiles aliqua fuisse vestigia seu mavis umbram fidei de resurrectione mortuorum: Veruntamen coguntur à con-„ suetudine confiteri mortuorum resurrectionem. Nam ubi posita sunt cor-„ pora defunctorum, accedunt & inclamant, nomina proferentes sepulto-„ rum mortuorum, *Resurge* (dicentes) tu, comede, & bibe & lætare. Et siqui-„ dem animas illic putant permanere, ubi reliquię mortuorum sepultæ sunt, &c. Hunc morem, à Gentilibus ut & alios complures, ad Judæos manasse, ex apocrypho lib. Tobiæ *cap. 4. v. 18.* non immerito colligere videmur. Quamvis Lyra, Carthusianus, & recentiores Serrarius ac Fabius Justinianus in commentar. suis ad locum cit. unà cum Turriano ad lib. 4. epistol. Pontificum cap. 13. & *Bellarminus lib. 1. de purgatorio cap. 13.* exponant de cibis datis in eleemosynam pauperibus, & consequenter per eleemosynæ meritum in auxilium, satisfactionem, & suffragium animarum. Sed primum pura fuit κακοζηλία receptæ consuetudinis, quæ usque ad Augustini tempora observata, reprehenditur ab eodem *serm. 15. de sanctis*; & *lib. 6. confess. c. 2.* & *conc. 1.* in *Psal. 48.* & *epist. 64.* ad Aurelium. Quod autem antiqui Christiani epulas illas transformârint, & etiamnum *hodie* in Papatu substituant iis apud sepulcra *agapas* (uti testatur *Pamelius in notis ad Tertull. de testimonio animæ cap. 4.*) *& mensas pauperum*: illud postea superstitiosæ isti observationi ita affictum, & *excogitato commento* (loquor stylo indicis expurgatorii Belgici, tit. Bertramus) apologiæ & observationi moris illius datum fuit: juxta acaconicam regulam. *Sic ars deluditur arte.* Per hanc artem omnes alii Gentilium & Judæorum ritus, immo omnis theologia fabulosa Gentilium, nec minus Ethnico-Judaico-Muhammedico Papistici ritus poterunt χριστιανίζεσθαι: & sic juvabuntur Nicodemitæ, Neutrales, Libertini, carnales syncretistæ; atque ultima manus catalogo martyrum ac confessorum imposita erit. Quod ad suffragia pro animabus defunctorum, quę Pamelius dissimulat & Fabianus aliique citati exsertè asserunt, ea alibi solidis argumentis exploduntur. Et datis iis, non concessis, quid opus est contra prohibitionem Christi *Math. 6. v. 2.* palam ad sepulcra aut super sepulcris cibum & potum ponere, & ibi pauperibus distribuere, atque hoc modo specie aliquâ cum Gentilium ritibus symbolizare. Quæro, si clam eleemosynas multas intentione Papisticâ pro animâ defuncti largirentur, an frustra laborarent?

Nec prętereundum, quod convivia quę post deductionem funeris in domo emortuali à ditioribus non tantum, sed & mediocris sortis, quin & pauperibus Papistis celebrantur, minime vocari possint, *agapæ & mensæ pauperum.* Concludimus nihil aliud esse, quam ritum Gentilem, inde primum per ple-

plebem, poſtea per quam cœcorum aut ignavorum clericorum tolerantiam, denique per approbationem & canonizationem Papatus, uſque ad noſtra tempora devolutum. Cum ritu antiquorum Ethnicorum comparari poteſt ritus Samogitarum, Sudinorum, Curonenſium, Lithuanorum; quos Joh. Meletius in epiſt. ad Georg. Sabinum (inſertâ tract. *Joh. Laſicii de religione,* &c. *Rußorum, Tartarorum Spiræ anno* 1582. *in* 4. *apud Bern. D'Albinum*) ita deſcribit pag. 262.

„ In funeribus hîc ſervatur ritus à ruſticanis: defunctorum cadavera ve„ſtibus & calceis induuntur & erecta locantur ſuper ſellam, cui aſſidentes „illorum propinqui, perpotant ac helluantur, epota cerevisia, fit lamenta„tio funebris, quæ in lingua Rutenica ſic ſonat **Ha le le/ le le/ y procz ty „mene vmarl? ÿ za tij nie miel ſzto yeſty albo pity? y procz tij vmarl? Ha „le le/ le le ij za tij nie miel kraſz ije mlodzice? ij procz tij vmarl?** Id eſt, „Hei, hei mihi. Quare mortuus es? Num tibi deerat eſca aut potus? Quare „ergò mortuus es? Hei hei mihi: An non habuiſti formoſam conjugem? „Quare ergo mortuus es? &c. Hoc modo lamentantes enumerant or„dine omnia externa illius bona, cujus mortem deplorant: nempe, liberos, „oves, boves, equos, anſeres, gallinas, &c. Ad quæ ſingula reſpondentes, „occinunt hanc Næniam, Cur ergò mortuus es, qui hęc habebas?

„ Poſt lamentationem dantur cadaveri munuſcula, nempe, mulieri fila „cum acu: viro linteolum, idque ejus collo implicatur. Cum ad ſepultu„ram effertur cadaver, plerique in equis funus proſequuntur, & currum „obequitant quo cadaver vehitur: eductiſque gladiis, verberant auras, vo„ciferantes **Gey geythe begaythe peckelle.** id eſt, aufugite vos dæmones „in infernum. Qui funus mortuo faciunt, nummos projiciunt in ſepul„chrum, tanquam viatico mortuum proſequentes. Collocant quoque pa„nem, & lagenam cereviſiæ plenam ad caput cadaveris in ſepulchrum il„lati, ne anima vel ſitiat vel eſuriat. Uxor mane & veſperi, oriente & oc„cidente ſole, ſuper extincti conjugis ſepulchrum ſedens vel jacens, lamen„tatur diebus triginta. Cognati verò ineunt Convivia die tertio, ſexto, „nono, & quadrageſimo, A Funere. Ad quę convivia animam defuncti „invitant, precantes ante januam. In his conviviis, quibus mortuo paren„tant, tacitè aſſident menſæ tanquam muti, nec utuntur cultris. Ad men„ſam verò miniſtrant duæ mulieres, quę hoſpitibus cibum apponunt, nullo „etiam cultello utentes. Singuli de unoquoque ferculo aliquid ſub men„ſam jaciunt, quo animam paſci credunt, eiſque potum effundunt. Si quid „fortè deciderit de menſa in terram, id non tollunt, ſed deſertis (ut ipſi lo„quuntur) animabus relinquunt, manducandum, quæ nullos habent vel „cognatos vel amicos viventes, à quibus excipiantur convivio. Peracto

 prandio,

„ prandio, sacrificulus surgit de mensa, ac scopis domum purgat. animasque
„ mortuorum cum pulvere ejicit, tanquam pulices, atque his precatur ver-
„ bis, ut è domo recedant. *Iely/ Pily ducisse: nu wen, nu wen*: hoc est, edi-
„ stis ac bibistis animæ dilectæ, ite foras. Post hęc incipiunt convivæ inter
„ se colloqui & certare poculis. Mulieres viris præbibunt & viri vicissim mu-
„ lieribus, seque mutuo osculantur.

De Japoniis testatur *Carolinus in hodierno Gentilismo linguâ nostrate anno* 1661. *edito pag.* 213. 215. quod pueri quotidie sepulcrum visitent, spargendo rosas, & aquam calidam apponendo, quâ defunctus sitim restinguat. Quodque alias quasdam vestes sericas comburant, ut defuncto de vestibus prospectum sit. *Jesuita Franc. Soliers lib.* 1. *histor. ecclesiast. Japoniæ cap.* 14. *num.* 218. scribit, de duabus mensis omni ciborum genere instructis, usque ad pretium 40. aut 50. scutorum (gallicè *escus*): sed non addit quid de cibo illo fiat, an istic relinquatur ab hominibus, an ab igni, quo cadaver comburitur, absumatur. Plures alios funerum ritus, Papisticis admodum similes, ibidem legat, cui vacat.

Ad quæst. 3.

Non immerito hæc quæstio proponitur: quod hic Ultrajecti malum illud bene (uti videtur) positum, hactenus loco motum non est; movendum tamen speramus, post tam multa quæ non minus bene posita videbantur, successivè intra paucos annos loco mota. Maximum obstaculum videtur voluntas testatorum, & contestatio hæredum, si qui supersint, etiamnum antiquæ superstitioni addicti. At quam multa sunt, quæ eo modo ac fine nunc non fiunt, quo testatores ea fieri voluerunt. Neque enim anniversaria defunctorum. nec aliæ quæcunque missæ aut preces in templis aut piis domibus publicè celebrantur: reditibus nihilominus in pios usus analogos aut proximè similes reservatis & erogatis? Neque enim sentimus hominum minimè pauperum prædæ exponendos; aut prætextu confiscationis (quam factam esse nemo hactenus probavit) otiosis & delicatulis, sub pauperum larvâ & titulo, contra conscientiæ ictus latitantibus, distribuendos: quod scilicet ad falsum & superstitiosum cultum, nunc per reformationem apud nos abrogatum, à donatoribus legati sint. Sed de hoc infra ex professo lib. 4. Quod si hæredes aut posteri rationes à superstitione desumtas non admittant: hanc saltem per Papisticam suam religionem declinare nequeunt, ex *Math.* 6. *v.* 2. 3. Bosius in Româ subterraneâ lib. 4. cap 34. postquam ex Nazianzeno agapen seu sacrum epulum distinxisset in natalitium, funebre, connubiale; & pro funebri adduxisset Origenem in *Job. lib.* 3. subdit: de
„ tali agape dicere intendit Hieronymus quando in Epistolâ ad Eustochium
„ reprehendit ostentationem & vanam gloriam in faciendâ eleemosynâ,
di-

„ dicendo: *cum manum egenti porrexerint, buccinant? cum ad agapen voca-„ verint, præco conducitur.* Quamvis autem Bosius ibidem agapas exemplis & autoritatibus aliquot commendare aut saltem defendere conetur: dissimulare, non potuit, quin ex vitis patrum lib. 5. nobis exhiberet contrarium factum Arsenii: cum moriturus esset Abbas Arsenius, delegavit nobis, dicens; *videte ne velitis pro me agapen facere: quoniam si feci ego pro me ipso, id invenio.* Quo dicto elidi mihi videtur fructus suffragii quem defunctorum animæ ex iis percipere putantur. Quidquid autem sit de suffragio (de quo alibi disputandum), saltem Hieronymi testimonio cit. arguitur publica illa ante ora quorumvis, juxta voluntates testatorum, eleemosynarum distributio. Quod *Bosius ibidem pag. 646.* ex vita Thaumaturgi, Nazianzeni oratione ad Nyssenum, Theodoreto, Evagrio, allato discrimine inter Ethnicorum convivia & agapas Christianorum, harum permissionem & celebrationem defendere se putat; id frustra est. Talem enim substitutionem *quid pro quo*, quamvis veteres malo bene posito affinxerint, minime tamen in eo secuti sunt Paulum 1 *Cor.* 8. & 10. qui artem arte deludere non docuit.

Ad §. 7. quæst. 1.

De luctu præter autores cit. vide & alios à nobis adductos *lib. 2. politicæ eccles. tract. 4. cap. 2. p. 979. & seqq.* Iis nunc addimus, ex antiquariis & philologis *Gutherum lib. 1. cap. 14. & 23. lib. 3. c. 28. 29. 30. Bellonium lib. 2. de funere medicato cap. 14. & 15.* Ex theologis commentar. in *Genes. 50. Actor. 9. Math. 9. v. 23.* Ubi post omnes & supra omnes ritum hunc à Gentilibus assumtum explicat *Joh. Lightfoot in horis Hebr. & Thalmud.*; *Aretium part. 1. problemat. Fabium Justinianum in Tobiam p. 479. Filesacum lib. 3. selector. p. 258. Tractatum Thalmudi à recentioribus adjectum tit* אבל רבתי, id est, *luctus magnus*, ubi de ceremoniis quibus mortui lugendi. Hodiernorum Judæorum morem & ritus describit *Buxdorfius in synagogâ cap. 35.* Vide & *Hieronymum tom. 1. in epist. ad Paulam super obitu Blæsellæ*: ubi de moderando & abrumpendo luctu. De quo etiam comment. ad 1 *Thess.* 4.

Ad quæst. 2.

De signis luctus, vestibus Calvinus in epistolis, pag. 472. edit. Genev. in fol. Antehac in Papatu cucullos lugubres (vernaculè **Huyk-covels**) à propinquis funus deducentibus, & pallæ latæ (vernaculè **Faeljen**) adhiberi solent. De *castris doloris* in funere principum & magnatum per Jesuitas adornatis, subinde indicium fecerunt novellæ & Mercurii.

De diebus luctus comment. ad *Genes. 50. Fab. Justinianus in Tobiam pag. 467.*

Ad §. 8. quæst. 2.

Hic nihil habemus addendum, nisi grammaticum hoc, quod secundum Servium *pyra* diceretur strues lignorum ad cadaver cremandum: *rogus*, cum jam funus ardere cœperit: *bustum*, cum jam exustum aut semi-ustum: sed rogum à pyrâ non differre vult *Gutherius lib. 1. c. 26.* Quem vide, si placet.

Ad §. 8. quæst. 3.

De cultu reliquiarum alibi disputantes si quis audire velit, adeat autores à collegâ τῷ μακαρίτῃ indicatos. De apotheosi mortuorum, apud Gentiles, & cultu eorum tanquam Deorum ex historiis nimis notum est: quod quomodo secunda bestia imitata sit, exposui in 3. *part. sel. dispp. tit.* de canonizatione sanctorum. De Imperatoris Adriani Antinoo, Justinus Martyr apolog. ad Antoninum Pium: *quem cuncti per timorem tanquam Deum colere cœperunt.* Epiphanius in epit. cathol fidei, notat *Antinoi delubra, & quæ in eis fiunt mysteria.* Ælius Spartianus in Adriano: *Et Græci quidem volente Adriano eum consecraverunt, oracula per eum dari asserentes, quæ Adrianus ipse composuisse jactatur.* Videat, cui vacat, *Casauboni & Salmasii notas ad loc. cit.* & *Joh. Langum in notis ad Justini loc. cit.* Fanaticum hunc Ethnicismum sapiunt inscriptiones sepulcrales *DIs manibus.* Propius ad sacrum & religiosum sepulcrorum & mortuorum statum explicandum, accedere videtur, illud Epiphanii in Ancorato, Reges, inquit, & tyranni cru-„ delissimi, cum adamatos quosdam habuissent, eosque in terrâ sepeliissent, „ &c. propter suam in eos benevolentiam, *sepulcra ipsorum prætextu non* „ *bono, per seductionem vitæ subditos cives colere præceperunt: quemadmo-* „ *dum Antinous*, &c.

Ad quæst. 4.

Agimus de Ossariis in disp. de templis à collegâ hic cit., quam infra lib. 4. inserimus.

* *Appendix paralipomenωn de Sepulturâ.*

DE *Libitinariis & Pollinctoribus*, & *vespillonibus*, &c. *Libitinarii* sunt, qui locant aut vendunt ea, quæ ad pompam funebrem sunt necessaria. *Pollinctores*, qui abluunt & ungunt cadavera. *Vespillones*, qui ad sepulcrum deferunt in illud immittunt, & in terram defodiunt. *Nonius Marcellus* generalius exponit *pollinctores*, de iis, qui mortuos curant. *Vespillo* in glossario Isidori, & in Excerptis Pythœanis exponitur *sepulcrorum violator.* Quod puto ita accipi, uti apud Virgilium, *Quid domini facient, audent cum talia fures*, id est, *servi.* Dicuntur enim non raro à vespillonibus sepulcra spoliari. Unde in

in epigrammate græco, Ιητρὸς Κρατέας καὶ Δάμων ἐνταφιαστής, &c. quod totum exhibeo in *dissertatione de termino vitæ.*

In Papatu ordo quidam vespillonum est, quos nostro idiomate appellant **Celle-Broeders**, vestiti tunicâ lineâ, cucullione, & pallio atri coloris: notante Hospiniano de Monachis cap. 70. in fine. *Præficæ* erant planctus principes, non doloris: fœminæ ad plangendum conductæ, quæ dant cæteris modum plangendi, quasi ad id præfectæ. Sic Festus. Addit Nonius Marcellus, *ut & flerent, & fortia facta laudarent.* Horatius in arte poëticâ, *Ut qui conducti plorant in funere dicunt, Et faciunt prope plura dolentibus ex animo.* Similem vacuam observationem à Gentilibus ad Judeos transiisse, videmur colligere ex *Jerem.9.v.17. Math.9.v.23.*

Funera gr. θρηνήτρια, πενθερὰ seu *funerea* apud Servium in Æneid. 9. ad quam pertinebat luctus seu dolor; quales mater, soror. Notum est ex Cicerone de senectute vulgatum Ennii distichon: *Nemo me lacrumis decoret, neque funera fletum Faxit*, &c. Masculinum πενθερὸς similiter significat non tantum socerum, sed omnem dictum affinem ad quem pertinebat luctus: uti observatum à *Scaligero in notis ad disticha Catonis pag.89.*

Lecticarii, & *sandapilarii:* quorum illi à lecticâ seu feretro (gr. φερέτρῳ) honoratiorum, isti à scandapilâ, seu feretro viliorum denominantur.

Custodes cadaverum, qui ad mortui cadaver pernoctabant. *L. & si quis §. impensa D. de relig.* Quibus in Papatu successerunt vigiles, tum viri tum fæminæ, qui in loco illo, ubi cadaver repositum vigilantes pernoctant. Adde *bustuarios* & *Ustores.* Atque hi omnes familiâ libitinariorum continebantur: exceptis funeris; ut dictum est.

De lotione cadaverum. Apud Gentiles eam usitatam fuisse, discimus ex autoribus à *Gutherio lib.1. cap. 13. & 15. cit.* Et ex Euripide in Phœnissis, ubi Creon introducitur Jocastem sororem accersens, ut filium defunctum abluat. Et, Apuleio Milesiar. 8. *accuratissimè corpus ablutum unitâ sepulturâ ibidem marito perpetuam conjugem reddidere.* Et illo jactato Ennii versiculo, *Tarquinii corpus bona fæmina lavit & unxit.* An tantum ad unctionem ea parare intenderint, (uti affirmat *Gutherius cap.17.*) an aliud quid mystici subfuerit, non ita dixero: suspicor tamen aliquid subfuisse, cum aquæ vivæ aspersionem, quâ viventes ad lustrationem utebantur, considero. Diabolus Dei simius, gnarus per aquam & sanguinem venturum Messiam (*1 Joh.5. v.6.*), & fideles sub V.T. ad expiationes & lustrationes ex mandato Dei eadem adhibuisse, inanias illas inter Gentiles promovit. Videantur de aquâ Beza & Grotius ad *Math.27.v.24.* Quæritur an apud Judæos morem hunc imitati sint, & utrorumque morem Christiani, etiam tempore Apostolorum, & deinceps. Utrumque affirmandum videtur, ex *Actor.9.v.37.* ubi

ubi exemplum Tabithæ. Ad quem textum rectè obſervat Gaſpar Sanctius in commentar. pag. 208.

„ Conſueverunt omnes ferme gentes mortuorum hominum cadavera la-
„ vare. De Græcis probat apud Homerum Patrocli funus. De Latinis Mi-
„ ſeni funus apud Virgilium, & Tarquinii apud Ennium. De Hebræis ſatis
„ probat hic locus: & Chriſtum Dominum non ſolùm unctum eſſe tradit
„ Chryſoſt. hom. 84 in Joannem; & videtur colligi poſſe ex Joanne cap.
„ 19. ubi dicit Chriſtum ſepultum eſſe; ſicut mos eſt Judæis ſepelire. At
„ Judęi mortuos non ſolùm ungebant, ſed etiam lavabant.

Poſt eum *Grotius*, & *Pricæus* teſtimoniis aliquot adductis idem confirmant. De Chriſti lotione quod timidius Sanctius, pauló confidentius *Chifletius de linteis Chriſti*, &c. *cap.* 4. *& Lorinus in Actor.* 9. Quorum *ille* addit ex Metaphraſte lacrymis B. virginis plagas Chriſti emundatas: *iſte*, ſordes pretioſas ac mundas ex abluto corpore collectas à Balduino Hieroſolymorum rege ad ſuos Flandros è Paleſtinâ miſſas fuiſſe per abbatem S. Bertini. Sed excipi poſſet, datâ lotione Chriſti, ex eâ non ſatis ſolidè probari morem communem: poterat enim peculiaris ratio hic eſſe, quod ſanguine & vulneribus fœdatum eſſet. In antiquâ Eccleſiâ lotionem obtinuiſſe, ut & alios ritus πατροπαραδότους, facile crediderim. Tertullianus apologet. cap. 42. *rigere & pallere poſt lavacrum mortuus poſſum.* Quod B. Rhenanus de hâc lotione interpretatur. Pontificii etiamnum hodie lotionem illam obſervant. In ceremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 38. p. 94. a. pręſcribitur, ut cubicu-
„ larii & familiares ipſius Epiſcopi defuncti corpus aquâ calidâ cum vino
„ & herbis odoriferis lavent & mundent, &c. ſed licet corpus non aperia-
„ tur, omnino agendum & curandum eſt opportunis remediis, ut ſine fœ-
„ tore uſque ad præſtitutum tempus ſepulturæ ſervari poſſit. Quod ad hanc mundationem, addito inſuper vino & aromatis, credo ob peculiarem rationem eam requiri, ne ingratus odor eos, qui ſpectatum, inſuper & pedes oſculatum veniunt, offendat; quin contra de cadaverum ſanctorum ſuaviſſimo odore (de quo in legendis & vitis ſanctorum Papalium, non raro gloriari ſolent) ex unius atque alterius ſubornati, aut forte polypoſi teſtimonio, tanto facilius fidem faciant. *Joh. Stephanus Durantus lib.* 1. *cap.* 23. §. 13. lotionem antiquorum & mediorum probat ex *Tertull. apologet. c.* 42. *& adverſus Gnoſticos cap.* 7. *& ex epiſtolâ Dionyſ. Alexandrini apud Euſebium lib.* 7. *cap.* 17. *&* 22. *Gregor. Magno homil.* 39. *& lib.* 5. *dialog. c.* 17. *& lib. c.* 27. *Bedâ de exequiis S. Guthberti Gregor. Turonenſi lib. de gloriâ confeſſ. cap.* 104. *& in vitis patrum cap.* 9. 10. 20. *Eginharto in vitâ Ca*r*oli M.* De lotione Judæis uſitatâ cenſent *Calvinus* & *Beza* ad *Actor.* 9. & hic in *concionibus de reſurrectione pag.* 64. 65. 66. quod à patribus per manus tradita eſſet,

esset, ut in morte ipsâ visibilis aliqua resurrectionis imago piorum animos in bonam spem erigeret. *Beza* addit, ad hanc lotionem respicere Apostolum 1 Corinth 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis.* Uterque etiam reprehendit, quod Christiani post Christi adventum & impletionem, & toleratas primum, postea sepultas ceremonias hanc lotionem imitari voluerint, & Pontificii etiamnum hodie imitentur: *quasi perpetua esset legalis ceremoniæ observatio*; ut, *Calvinus* loquitur. Sed ego malim lotionis ritum æque ac unctionis aliosque funerales ab omni sacro symbolico, mystico, typico absolvere, & ad consuetudinem atque imitationem referre. Nihil enim eorum, quæ dicuntur, ex scripturâ certò probari potest.

De spiritus exceptione, osculis, conclamatione. Gutherius de his ritibus Gentium *lib. 1. cap.* 13.

De cippis, imaginibus, coronis, aris, sacrificiis, rogi lustratione. Gutherius lib. 1. cap. 15. 22. 27.

De epitaphiis, titulis, inscriptionibus cantu, lamentationibus, epicediis, lessis, næniis, laudationibus. Gutherius lib. 1. cap. 23. 25. *& lib. 2. cap.* 26. 27. *Antiquas* cipporum inscriptiones à *Grutero*, aliisque antiquariis collectas habes: *Novas* à *Fr. Zweertio* in selectis orbis Christiani delitiis anno 1608. *Basileenses* libello peculiari editas anno 1602. à *Simone Grunæo Ligio* tit. *Monumentorum Basileensium antigrapha.* Cippos & inscriptiones Judæorum, aliorumque Orientalium nuper peculiari tract. exhibuit *Clariss. Hottingerus. Epitaphia metrica* in mediocriter spissum volumen in 8. collegit *Petrus Andreas Canonhierus.* Epitaphia pœne innumera apud recentiores poëtas, *Joh. Secundum, Lotichium, Sabinum, Buchananum, Julium, & Josephum Scaligerum, Heinsium, Grotium, Barleum, Huigenium,* aliosque invenies. De modo conscribendi epitaphia scriptores de re poëticâ *Jul. Cæs. Scaliger, Vossius, Jac. Pontanus, Giessenses.* Quandoquidem hodie nihil magis pervulgatum, quam scriptio epitaphiorum, non absurdè hic quæritur, cur Concil. Toletanum 3. (a. 600.) *can.* 21. sic statuerit: „Funebre carmen quod vulgo de-„functis cantari solet, vel in pectoribus se, aut proximos, aut familias cæ-„dere, omnino prohibemus. Sufficiat autem quòd in spe resurrectionis „Christianorum, corporibus famulatus divinorum impenditur cantico-„rum. Prohibet enim nos Apostolus sanctos lugere defunctos, dicens: „De dormientibus autem novo vos contristari, sicut & cæteri qui spem non „habent. Dominus non flevit Lazarum mortuum, sed ad hujus vitæ æ-„rumnas ploravit suscitandum. Si autem potest hoc episcopus omnibus „Christianis prohibere, non moretur agere: religiosis autem omnino ali-„ter fieri non debere censemus. Sic enim Christianorum per omnem mun-„dum humari oportet corpora defunctorum. *Resp.* non omne funebre carmen,

men, sed *quod* tunc *vulgo defunctis cantari solet prohiberi*; nullum aliud erat, quam quod ad imitationem Gentilium, luctum ciebant, & super fidelibus in domino defunctis eas fundebant querelas, quæ fidei & spei Christianæ minimè conveniebant; quin & fatum seu Dei voluntatem & providentiam, injustitiæ, aut invidię accusabant; & cum Deo aut Diis expostulabant: Quali ferè stylo etiam hodie nonnulli inepti Gentilis theologiæ & poësios imitatores utuntur. Lamentationes ergo, seu lessos seu threnos ejusmodi prohibebant, qui luctum Gentilium (*1 Thess.4.*) saperent. Qualis autem Gentilium luctus fuerit, disci potest ex autoribus supra indicatis; ubi de luctu, & de præficis: cum quibus hodierni Gentilismi luctus apprimè convenit. Vide *Godefr. Carolini hodiernum Gentilismum cap.24.*

De ludis, & spectaculis gladiatoriis in funere exhibitis. Gutherius lib. 1. cap. 27. Quales autem fuerint ludi in funere exhibiti compendio disces ex *Rosino & Demstero lib. 5. antiquit. Romanar. cap.* 24. de manibus & animabus defunctorum sanguine placandis, inque eum finem mactatis hominibus, & tandem institutis gladiatorum pugnis ad bustum (qui ideo dicti *bustuarii*) *Rosin.* & *Demster. ibid. cap. cit.* Sed de abominandis gladiatorum pugnis & spectaculis plenissimè omnium *J. Lipsius in tract. cui tit. Saturnalia.* Huc referri possunt hodiernorum Gentilium spontanea ad bustum homicidia: ubi maximè cari & propinqui, præsertim uxores defunctorum in rogum insiliunt, aut peculiarem sibi rogum parant, quo in cineres redigantur, de quo ex variis itinerariis, *Carolinus cap. cit.* Hæc à dæmonum sacerdotibus & ab ipso dæmone formâ deastri, aut defuncti alicujus apparente, miseri illi docentur spe factâ, quod in alterâ vitâ cum maritis suis diu feliciterque vivent. Ad hanc religionem diabolicam pertinent sacrificia humana ubique fere apud Gentiles frequentata; quos Israelitę imitabantur, carissima pignora in sacrificium offerendo. Vide *Psal.* 106. *v.*37. 38. *Levitic.*18. *v.*21. *Deuter.*12. *v.*31. 2 *Reg.*16. *v.* 3. & 17. *v.* 17. & 21. *v.*6. 2 *Paral.*28. *v.*3. & 33. *v.* 6. Gentes, quæ humanas hostias obtulerunt, & autores qui hoc referunt, ex parte indicantur à *Grotio in annotatis ad lib.2. de verit. relig. Christ. pag.* 86. *edit. in fol.* & uberius in *lib. de satisfactione Christi cap.* 10. *pag.* 144. *& seqq. edit. in* 4. De liberorum oblatione factâ Molocho *Seldenus syntagm.* 1. *de DIs Syrus cap.* 6. Plenissimè & Gentium, & autorum, etiam eorum qui inter Gentiles sacrificia hæc improbârunt, indicium factum est à *Serrario in Judic.* 11. & post eum à *Lorino in Ps.*106. (ipsi 105.) *v.* 37. ubi citat Pinedam aliosque.

De feriis denicalibus & novendialibus. Gutherius lib. 1. cap. 16. Novendiales aliquâ ex parte diu inter Christianos servatas ibid. colligit ex *Justiniani novellâ c.* 115. & ab Augustino hanc veterem superstitionem

arguî,

argui, in quęst. super *Genes. Nescio*, inquit, *utrum inveneniatur alicui sanctorum in scripturis celebratum esse luctum noveno dierum, quod apud Latinos novendial appellatur.* Plura de superstitione novendiali, vide *ibid.*

De inferiis & anniversario mortuorum sacrificio. Gutherius lib.2.cap.11. Cum his confer tricesima & anniversaria Papatus, de quibuis in *Rituali tit. de officio defunctorum*, & *Joh. Steph. Durantum.*

De precibus in mortuorum memoriam fusis. Gutherius lib. 2. cap. 13. Confer Pontificiorum preces & suffragia pro defunctis; eorumdemque octavum, tricesimum, anniversarium.

De consecratione, & divinis honoribus. Gutherius lib.2. cap.4. 5. 6. De origine & causâ apotheosios optimè *Lactantius lib. 1. §. 15.* ex recentioribus *Kirchmannus de funeribus.* Nos *part.3. sel. dispp. tit. de canonizatione sanctorum* apotheseos Papales explicuimus. *Ibidem pag. 534.* nonnulla notamus, de usu vocis *Divi.*

De sepulcrorum titulis, ornamentis, munimentis, appensis insignibus, vexillis, &c *Gutherius lib.2. cap.27.* titulos in tres species dispescit, *ad honorem, ad infamiam, ridiculos.* Exempla singulorum invenies in antiquis in inscriptionibus *Gruteri*, quarum auctaria nunc Romæ, & alicubi in Germaniâ parari audio. Novas dedit *Fr Zweertius*, & *Basileenses supra cit.*

De ornamentis & munimentis. Gutherius lib. 2. c. 28. 29. 30. Sed horum variantes species, formas, materiam, pretia apud gentes antiquas, hodiernas quis enumeret?

De appensis insignibus, vexillis armis, &c. in sepultura nobilium, & militarium heroum ac præfectorum hodie usitatis, non est quod dicam: cum templa jam publica & honoraria defunctorum receptacula sint. Lavaterus in libello de ritibus & institutis Ecclesiæ Tigurinæ cap. 6. *Vexilla quoque & alia anathemata ex templa sublata sunt.*

De cenotaphiis, & imaginaria sepulturâ. Quæ fiebat circa absentium corpora: scil. inferiis peractis (de quarum modo, *Virgil. Æneid. 3. in descriptione solennis sepulturæ Polydori*) cenotaphium exstruebatur. A quo distingui debet tumulus honorarius, ritè sepultis insuper excitatus, quo eorum memoria amplius celebraretur. Hic referri possunt imagines & statuæ, ac similia monumenta istic & pluribus in locis excitata. Vide hæc explicata à *Gutherio lib.2. cap. 17. 18.*

Imaginarium funus erat, cum alicui jam dudum defuncto & sepulto honoris causâ imaginarium funus ducitur. Ejus descriptio in exemplo Pertinacis fusè exhibetur à *Gutherio lib.2. cap. 2.* Gentilium inanias seu vacua monumenta secuti videntur (quamvis forte non passibus æquis) qui inter Christianos ejusmodi inscriptiones sepulcrales posuere, qualis Bru-

„ gensis illa apud Zweertium in deliciis pag. 503. *Adsta parumper hospes, & „ pios jube manes havere.* Hic situs est N. V. JOAN. à PAMELE, &c. „ quorum monumentum, non sepulcrum est lapis quem vides. *Carpzovius lib. 2. Jurisprud. consistorialis tit. 24. definit. 39.* magnatibus & nobilibus cenotaphia & monumenta honoraria, cum appensis vexillis ob consuetudinem nec repugnante jure concedenda putat. Sed per cenotaphia non puto eum intelligere, qualia nos, sepulcra scil. cadaveribus vacua.

De larvatis funeribus. Vocabantur talia, cum cadaveribus vel mutilis vel deformibus substituebantur larvæ eorum faciem repræsentantes, vel ipsa gypso aliove tectorio, aut vestibus involuta ac tecta oculis spectantium exhibenda efferebantur, aut transferebantur. De his vide *Camerarii horas subcesivas centur. 1. cap. 96.*

De sepulturâ vivorum, exhumatione, iteratâ sepulturâ. Supra suo loco, de iis aliqua notavimus: ubi omissa memorabilis historia Dionys. Halicarnassei lib. 2. antiquit. Romanar. *Vestales virgines si stupratæ fuerint fœdissimo & maximè miserabili traduntur supplicio. Vivæ enim funebri pompâ efferebantur amicis ac cognatis lecticam prosequentibus; delatæque ad Collatinam portam extra muros in subterraneâ cellâ sepeliebantur.* Quod si earum negligentiâ ignis Vestæ exstinctus esset, flagris cædebantur, testibus *Livio lib. 8. & Val. Maximo lib. 1. cap. 1.*

De confraternitate sepulturæ. Hujus supra tit. de libitinariis, debuissem meminisse. Romæ primum instituta fuit illa confraternitas à Crescentio Sylva presbytero Senensi, sub Julio 3. anno 1551. teste *Camillo Fanucci Senensi in tract. Italico de piis operibus orbis Romæ a. 1601. lib. 3. cap. 29* Erectę confraternitatis talis exstat descriptio in Bullâ Pii 4. anno 1560. quâ eam & ordinationes ejusdem approbat, atque insuper privilegiis indultis, & indulgentiis donat. „ Descriptio, quam ex bullâ colligimus, talis est: con- „ fraternitas orationis & mortis, ad orationem 40. horarum mense quoli- „ bet peragendam, & pauperum defunctorum corpora dicenter sepelienda, „ & quolibet mense pro animabus confratrum, & eorum, quorum corpora „ ab ipsis humata sunt, anniversarium celebrandum, aliaque pia opera ex- „ ercenda. *Fanuccius loc. cit.* refert occasionem erectæ fraternitatis; & addit, eam à Julio 3. confirmatam, seque simpliciter nominasse *confraternitatem mortis*: sed cum Papa animadverteret nomen illud esse horridum & odiosum, imposuit, ut orationem 40. horarum singulis mensibus faceret, & se nominaret *fraternitatem orationis, aliter mortis*: quo nomine nunc in omnibus scriptis appellatur; quamvis compendii causâ vulgò dicatur *mortis*. Pia opera, gesta, & statuta hujus fraternitatis legat ibid. si cui hoc tanti est.

De

De loco sepulturæ, adhuc plura in singulis nationibus, territoriis, civitatibus observari possent: sed quia pleraque sunt adiaphora, non est quod iis enarrandis immoremur.

De ritibus partim adiaphoris, partim otiosis, partim superstitiosis; qui apud Gentiles, Pontificios, Protestantes & reformatos, adhibentur infinitum esset disquirere: siquidem iis analogicè applicari posset illud Jerem. 2. v. 28. *Secundum numerum quippe civitatum tuarum fuerunt dii tui Jehuda.* Et quidni secundum numerum vicorum, regionum, suburbiorum unius ejusdemque civitatis? De recentium Judæorum partim vacuis partim superstitiosis observationibus *Buxdorf. in synag. c.* 35. Quisque minister in loco ministerii sui ad omnia quæ fiunt attendat, eaque ad verbum Dei examinet, an sint adiaphora, an facta otiosa, an superstitiosa, sive directè, sive indirectè. Quibus inservire possint regulæ à nobis positę in 3. *part. sel. dispp. tit. de Idololatriâ indirectâ, & de superstitione.*

De tempore sepulturæ, ista queri possent.

1. *Quo die mortui sepeliendi?*
2. *Quoto die?*
3. *Quâ parte diei?*

1. *Quæst. Quo die, fasto an nefasto, Lunæ, an Martis*, &c. *Resp.* Nullum Christianis discrimen est dierum: excepto dominico, quo solenni cultui divino est vacandum. In hâc urbe antehac magnam partem deductiones funerum reservabantur in diem dominicum: nullâ aliâ, ut puto, de causâ; quam ut plures die illo ab operibus ordinariis vacivo, funus comitarentur. Sed quia præsertim in funere ditiorum & potentiorum, maxime Pontificiorum tum strepitu campanarum, tum operoso & pompatico apparatu, tum opiparis & frequentioribus conviviis funeralibus sanctificatio sabbathi immane quantum impediebatur: piè & prudenter funerum deductiones ab ampliss. Senatu prohibitæ sunt; ne scil. per mortuos viventium devotio & exercitia pietatis detrimenti quid caperent. Et hæc inter alias una est, ex illis, quas vocant, novitatibus, & apostasiis à moribus πατροπαραδότοις, quas per concionatorum quorundam instructiones & adhortationes posterioribus annis introductas vociferantur partim religioni nostræ minus faventes aut neutrales, partim ignorantes aut falsi fratres; quibus stat illud

Moribus antiquis res stat Romana, virisque.

Cum interea non pauca Apostolicę & primæ reformationis nostræ antiqua antiquari æquo animo patiantur, immo & velint, curent, satagant, ubicunque possunt. Audiant Apocal. 2. v. 4. *Sed habeo adversum te, quod caritatem tuam primam omiseris.* Dierum, sepulturæ, aliisque negotiis humanis fasto-

rum aut nefastorum, seu atrorum, nulla nunc apud nos conscientia superesse debet. De quo monuimus 3. *part. sel. dispp. tit. de superstitione pag.* 130. Quivis dies seligi potest: ne dominico quidem excepto, si necessitas requirat; siquidem nulla opera servilia tali in casu sunt illicita *Math.* 12. *v.* 3.- 14. *Luc.* 13. *v.* 14.- 17.

2. *Quæst. Quoto die? Resp.* tempus definitum præfigi nequit. Indefinitè interim moneri debemus, in excessu tam diu non differendam sepulturam, ut cadavera fœtore suo viventibus noceant: nisi forte medicatione, (de quâ suprâ) & conditurâ aliquâ, aut saliturâ prævenìatur. Omnes condituras, exenterationem, & salituram dierum 30. usque ad 70. olim requisita fuisse, nec licuisse diutius salire, vide observatum à *Chifletio cap.* 2. *Ab altera* parte in defectu tam festinata sepultura non sit, ut dubium sit de morte; & eveniat illud, quod aliquando evenisse, exemplis quibusdam comprobatum est. *Cornmannus in lib. de miraculis mortuorum cap.* 56. refert epigramma *Jani Vitalis*, de *Joh. Duns Scoto* ante obitum sepulto & in sepulcro demum mortuo

Quod nulli unquam hominum accidit viator,
Hic Scotus jaceo, semel sepultus,
Et bis mortuus; omnibus sophistis
Argutus magis atque captiosus.

De eodem *Scoto* per profundas & intentas meditationes in ecstasim subinde prolapso, idem refert *Paulus Jovius* in elogiis, & *Possevinus* in apparatu. Qui posterior quamvis fateatur eum à plerisque existimari vivum fuisse humatum; ibidem tamen addit, eum apoplexiâ correptum obiisse a. 1308. Sed forte infortunium hoc excogitato de morte ex apoplexiâ commento fratres cœnobitæ, qui festinatæ hujus sepulturę autores fuerant, concelare voluerunt. Memini me plura exempla semi-mortuorum, ante mortem sepultorum, aut alias pro mortuis habitorum, quamvis nondum sepultorum; partim legisse, partim audivisse: quorum aliqui restituti sunt; aliqui ex certis indiciis (ex violento scil. capitis, manuum, pedum ad capulum impulsu non sine vulneribus & ex effracto aut perfracto ex parte capulo) aliquamdiu post aperto sepulcro, ibi adhuc vixisse, & expirasse deprehensi sunt. Memorabile est exemplum apud *Thuanum Herois illius militaris*, qui in bello civili Gallico multis vulneribus pertusus inter mortuos projectus, in terram defossus, tandem tamen à famulo quæsitus, refossus, & sic paulatim sanitati restitutus fuit. Memorantur exempla aliquorum qui grassante peste inter densata funera sine pompâ, sine spectatoribus, sine funeris deductoribus, sine testibus (uti antehac id fieri solet) in sepulcrum illati, postea inde educti sint, aut ipsi redierint. Christina Poniatovia virgo Bohema in ecstasi-

ecstasibus suis anno 1627. 1628. visa fuit astantibus agonizare, & expirare: uti mihi à duobus testibus oculatis (quorum alter adhuc hodie, dum hæc scribo, in sæculo est; alter an supersit ignoro) mihi narratum est. Extat hemerologium ecstaseωn & revelationum Christinæ anno 1632. in 16. editum, & postea anno 1658. cum aliis quibusdam revelationibus tit. *lux in tenebris*, recusum.

Et ratio est, quod sensus, motus, respiratio in fæminis hystericâ passione, aut in hominibus ecstasi aliquâ sive naturali sive diabolicâ, aut syncope aut catalepsi correptis, ab astantibus percipi nequeat: ita ut tales aliquando tanquam mortui sepulti sint. Hinc volunt morem illum apud Romanos introductum, ut exspirantes aquâ calidâ lavarent, & per intervalla conclamarent, ut si quid vitalis spiritus adhuc delitesceret, eum expergefacerent. Vide *Servium in Æneid. 6. Propertium, Senecam, Lucanum, Ausonium* de hac conclamatione citatos apud *Cornmannum cap.* 56. Ubi habet quendam pyræ impositum adhibitis ignibus erectum esse. Refertur alicubi facinorosum in furcâ strangulatum, & postea anatomicorum cultro subjectum, per sensum sectionis ex syncope suâ quasi revixisse. *Clariss. vir Justus Lyræus* ὁ μακαρίτης, collega noster cum viveret, & historiarum atque humaniorum literarum in hâc Academiâ professor mihi aliisque narrare solet se Middelburgi gymnasii Rectorem agente, facinorosum quem ante prandium ibi suspensum, & sine ullo motu aut vitæ indiciis in furcâ usque ad horam, ni fallor, quartam pomeridianam, pendentem, visum à pueris illic fortè ludentibus alterum crus movisse ac paululum attraxisse: Quo audito & viso à sociis quibusdam navalibus, unum ex illis ilico in patibulum ascendisse, & laqueum per festinationem & trepidationem abscidisse: quo factum ut suspensus ille decidens gravissimo capitis vulnere afflictus sit; ex quo, in publico nosocomio, quo delatus fuerat, ibique ut poterat curatus, & usui rationis ac sermonis restitutus, triduo post discesserit. Ita ut non immerito, tempus aliquod inter mortem & sepulturam intercedere debeat: ne per errorem vivos sepeliri contingat. Quantum autem temporis præfigendum sit, positive; seu quod sic (ita loquar cum physicis de quantitate cujuscunque speciei corporum quærentibus) non ita defeniri potest: facilius forte negativè, seu *quod non. Paulus Zachias* in quæstionibus Medico legalibus *lib. 4. tit. 1. quæst.* 10. §. 28. Idcirco is terminus (tridui scil.) assignatur à medicis exspe„ctandus in quibusdam, qui ob morborum vim veluti mortui jacent, & „ ab ipsis verè mortuis non distinguuntur. *Ibid. quæst. xı seu ult. §. 6. pag.* 170. „ Cæterùm ad id, quod pertinet ad eos, quos revixisse ferunt (si post con„gruum tempus id factum dicant, nam de Ere Pamphilio post decem dies „ revivilscente fabula mera est) illos non fuisse verè mortuos, sed potiùs

Apo-

,, Apoplexia, vel consimili morbo detentos, ex quo è vivis ex cessisse appa-
,, rent, cum tamen adhuc vivant, eo autem morbo discusso, manifestè vive-
,, re cernuntur, & ignorantibus, ac fatuis, idiotisque revixisse, & à mortuis
,, suscitati existimantur, quod ex Aristot. probat *Licetus de spontan. viven. ort.*
,, *lib.4. cap. 5.* at in Medicina facienda hęc non adeò de rarò eveniunt, ut
,, multam admirationem nobis incutiant; non tamen id firmari posset
,, quandocunque, sed congruo tantùm tempore, ut dixi, nempè in fratres
,, dies à putativa morte; nam supra hunc terminum difficilimum, & for-
,, talsè etiam impossibile est, hominem naturaliter reviviscere ob rationem,
,, de qua infra. Undè non sine mysterio Lazarus post quam suscitatus est,
,, ad insinuandam nempè omnes vitæ terminos in eo prętериisse, ne du-
,, bium aliquod intercedere posset, quod non esset mortuus, sed Apo-
,, plexia, aut hujusmodi aliquo morbo detentus; quin & in eo mortis ma-
,, nifestissima jam signa erant conspicua, fœtebat enim jam, & corruptionem
,, patiebatur.

,, *Ibid.* §.44-57. *pag.* 181-187. Circa tertium dicendum videtur, quòd
,, ultrà terminum trium dierum, cum tanto morbo, qui hominem quoad
,, nos sensu, & motu privet, vitam esse superstitem pro impossibili sit existi-
,, mandum, & hoc dico universaliter loquendo de omnibus prædictis mor-
,, bis, quia si ad particulares casus deveniamus, de Syncopi aliter sentien-
,, dum, ut supra innuimus, terminumque breviorem circumscribendum
,, censeo, quia syncopis est ipsa mors. Dicitur enim dissolutio nexus Natu-
,, ræ ab Aretæo, undè convertuntur Mors, & Syncopis, cum utraque disso-
,, lutio nexus Naturæ sit, & Syncopis nihil aliud sit, quàm terminus Syn-
,, copis, seu Syncopis confirmata Gerard. Cremonens. ex quo *Vallesc. ubi*
,, *suprà.* Unde benè *idem Vallesc. & cum eo Duret. in Holler. pract. lib. 1. cap.*
,, *30. in annotat.* neminem mori dixerunt absque Syncopi, ita ut quamvis
,, fortis Apoplexia, & quælibet suffocatio, etiam ex utero tanti morbi exi-
,, stant; non occidunt tamen nisi superveniente Syncopi, ex qua dissolvitur
,, tandem nexus Naturę, & animal interit.

,, Ex quibus multò magis roboratur allata opinio, quòd nimirùm brevio-
,, rem terminum assignare debeamus in Syncopi affectis, ut pro mortuis ha-
,, beantur, quam in iis, qui Apoplexia, aut consimili morbo detinentur.
,, Quid autem differat, & ex quibus potissimùm dignoscatur Syncopis à
,, cæteris illis morbis, Medici optimè noverunt, quorum testimonia in par-
,, ticularibus adhibenda: duo tamen sunt pręcipuè, sudores frigidi in ipsa
,, accessione Syncopis, qui in aliis morbis non comparent, & recordatio
,, post accessionem, quę in Apoplecticis & consimilibus abest. In cæteris
,, ergò morbis tres dies pro termino vivendi assignantur ab omnibus. *Avic.*
part. 3.

„ *part. 3. tract. 5. capite 12. Vallesc. lib. 1. Philonii cap. 19. in clariss. Savonarol*
„ *in pract. magn. cap. 1. in dub. de Apoplex. & ibid. rubr. 10. Paschal. libro 1.*
„ *pract. cap. 13. in fin. Fontanon Pract. lib. 1. cap. 16. Lemnius de occult. Nat.*
„ *mirac. lib. 2. capite 3. Cesalpin. art. Medic. libro 5. capite 34. Mercurial. pract.*
„ *lib. 1. cap. 19. Dominic. Terill. de caus. repent. mort. sect. 6. cap. 2. & alii.* Ra-
„ tionem ejus termini esse voluerunt omnes, humorum motum, tanto e-
„ nim, inquiunt, spacio, nempe horis 72. omnes humores suum motum
„ habent, itaque si humores immoti jam consistant, mortis signum est ex-
„ ploratissimum; cum eorum enim motu signa vitæ manifesta apparerent.
„ Ego quidquid sit dicendum de hujusmodi humorum motu, non aliam
„ causam agnosco, nisi difficultatem, & impossibilitatem ulteriùs protra-
„ hendi vitam cum tam sævo, ac tam valido morbo, ob quam etiam super-
„ vacaneam putat eam tridui expectationem *Fortunat. Fidel. libro 4. Relat.*
„ *Medic. cap. 1.*

„ Circa quartum denique, Medici cum Galeno loco citato ad nonnulla
„ experimenta confugiunt ad dignoscendum, an homo verè mortuus sit, vel
„ adhuc vitę aliquam portiunculam conservet, gossipii, seu lanæ tenuissimè
„ carptæ flocculum, vel accensam candelam ori jacentis admovent, & ex
„ motu, vel immobilitate flocculi, vel candelæ vitam, aut mortem depre-
„ hendi volunt. Vel cyathum aquà plenum super ægri pectus imponunt,
„ & ex ejus similiter motu vitam explorant: sed has experientias tanquam
„ minùs tutas respuit, & parvi pendet *Hollerius libro 1. cap. 59.* Alii specu-
„ lum tersissimum ori admovent, quod si infici, & obfuscari deprehendant,
„ vivere adhuc ægrotantem dicunt, sin minùs, jam è vivis excessisse. Tutior
„ fortasè hęc, non omni tamen ex parte. Optâssem, ut alia signa, & tutiora
„ experimenta, si fieri potuisset, adduxissent, sed ultra prędicta, ne verbum
„ quidem. Fortasè quia neque aliæ supererant experientiæ, & signa quę-
„ cunque recenseri poterant, minùs tuta animadverterant.

„ Quomodocunque sit, nonnulla ego hinc inde excerpta subdam, quę
„ considerata majorem. & evidentiorem ejus rei cognitionem facere pos-
„ sunt. Consideranda itaque antè omnia propono accidentia ipsius morbi,
„ quo vel detinetur, vel ex quo decessisse pręsumitur ęgrotus: si enim ea for-
„ tissima fuerint, ac validissima, & ex eorum numero, quę magis exitialia
„ judicantur, de vita, quantum est ex hoc, modica aut nulla spes est; ut si
„ Syncopis absque ulla causa manifesta adveniat, atque illicò æger omni
„ motu, & sensu etiam pulsus, & respirationis destitutus appareat cum faciei
„ lividitate, cum tenui, ac frigido sudore, pallore, & intensâ partium frigidi-
„ tate: maximè si antea solebat ęgrotus frequenter, ac fortiter absque causa
„ manifesta exsolvi, nam *juxta Hippocrat. dogmat. 2. Aphor. 41.* tales de repentè
„ moriuntur.

„ Contrarium tamen his videtur ſentire *Mercatus lib. 1. de intern. morbor.* „ *curat. cap.* 13. quippè qui docens quando de morte Apoplectici certi eſſe „ debeamus, quando verò dubii, dicat, quòd ſi in Apoplexia illicò ſimul „ adveniat Syncopis, quod ex reſpirationis omnimoda abolitione deprehen- „ dimus, tunc debeamus expectare, ac dubitare de morte; quod ſi Synco- „ pis paulatim adveniens dehinc ita creſcat; ut homo ampliùs non reſpiret, „ tunc mortem eſſe pręſentem credendum eſt, ac prudenter quidem hęc ad- „ monet. Cęterùm in quacunque ſuffocatione ſpuma in ore apparuerit, „ de morte dehinc major certitudo erit; de his enim dicebat *Hippocr.* 2. „ *Aphor.* 43. quòd non ampliùs in vitam revocantur, & licet hoc ſecundum „ plurimùm, & non ſemper veritatem habeat, ut Galenus in commento & „ alii multi docent, illud tamen ſatis eſt, hoc eſſe ſignum exitialiſſimum, & „ quo apparente perpauci à morte evadunt, & junctum maximè reſpiratio- „ nis deperditioni, ſeu totali abſciſſioni, aliiſque ſæviſſimis ſymptomatibus, „ fortiſſimam Apoplexiam, & ſuffocationem demonſtrat, ex qua ęgros ne- „ ceſſariò quamprimùm perire contingat, immò neque ad tertium uſque „ diem perdurare docet experientia, & adnotant auctores omnes *Holler.* „ *lib.* 1. *de morb. int. cap.* 7. *in ſchol. Piſo de morb. cognoſc. & curan. lib. cap.* 16. „ & alii. Si præterea facies apparuerit livida, & nigricans, aut viridis mor- „ tis ſignum. *Raſ.* 16. *contin. tract. primo, capite* 1. *Aviten.* 113. *tractat.* 2. „ *cap.* 6. *in fin.* Tales enim caloris ſuffocati, & extincti jam omninò certum „ præbent indicium. Si item præter multa experta ad excitandum ęgro- „ tum, ſternutatoria naribus applicita fuerint, & ille non ſternutaverit „ omnium conſenſu pro mortuo judicandus. *Gordon. in Lilio par.* 3. *cap.* 12. „ *Valleſc. Philon. libro* 3. *cap.* 4. *Savonarol. in pract. magn. capite* 11. *rubrica* 3. „ *Piſo lib.* 1. *cap.* 11. Id enim conſopitam, immò omninò extinctam omnem „ virtutem denotat, quæ ſi quantumvis exilis adhuc vigeret, ad ſternutato- „ rii irritationem expergiſceretur, cum maximè hoc medicamenti genus „ primum ipſum ſenſorium, & virtutum penè omnium ſenſibilium prom- „ tuarium validè ſtimulare poſſit. Præter hęc autem membra in mortuo ri- „ gida evadunt, nullo modo flexibilia, ſquallor item, ac ſiccitas quędam „ membrorum adnotatur, quæ etiamſi in iis, qui adhuc etiam vivunt appa- „ reant, non tamen adeò conſpicua ſunt.

„ Poſtremò oculi veniunt conſiderandi, ubi enim homo vivit, quan- „ tumvis exilis vita remaneat, oculi tantiſper fulgere, & intuentium imagi- „ nem reddere ſolent; non enim verum crediderim, quod *Plinius lib.* 26. „ *cap.* 6. firmat, Hominem ſcilicet ex morbo non periclitari; quamdiù ocu- „ lorum pupillæ intuentium imaginem reddant, quaſi cum moriturus eſt, „ id non contingat; ſi qui enim adhuc ſpiritus vitę remanſerint, ii facilimè

„ per oculos, partem nempè lucidissimam, ac diaphanam apparent, & è
„ cerebrò quamdiù homo vivit semper luminosus spiritus in oculos profi-
„ ciscitur. *Galen. comment.* 4. *in* 3. *Epidem. tex.* 28. at ubi nulla vitæ spes su-
„ perest, oculi jam omninò obfuscati, ac veluti panno quodam obducti,
„ spiritusque extincti nullam evidentem saltem reddunt intuentium ima-
„ ginem.

„ His accedit unum, aut alterum infallibile mortis signum, partium
„ nempè, aut partis alicujus livor, & æstuatio cadaveris, & fœtor ex ipsius
„ jam putredine ortum deducens, est enim fœtor proprium putredinis acci-
„ dens *Galen. in primum prognost. comment. ultimo tex.* 42. quo præsente, du-
„ bio absque dubio non est locus, ut in Lazaro. Quæ dubia signa expectari
„ desiderat *Mercat. loco suprà citato.* Libet denique adnotare hîc Persarum
„ morem, de quo *Herodot. in Clio non longè à fin.* hi mortuum non ante hu-
„ mari permittunt, quam aut ab alite, aut à cane trahatur. Hoc existima-
„ verim illos ideò facere, quod ex nullis aliis signis possit haberi mortis cer-
„ titudo, nisi cum alites, & Canes fœtore allecti è cadavere expirante ad
„ illud accurrunt.

Hæc prolixius hic exhibenda duxi, ut concionatores, quibus morientibus plerumque adesse, & de eorum exspiratione juxta cum astantibus judicare contingit, cauti esse discant, & cogitent, abundantem cautelam non nocere.

3. *Quæst. An cadavera condita, domi servanda, lectis & mensis adhibenda, quasi adhuc viverent? Resp. Neg. quia* mortui non habent partem in omni quod fit sub sole, *Eccles.* 9. *v.* 6. & consequenter ab ipsorum præsentiâ, & quasi conversatione cum illis abstinendum est. *Deinde* mortui sepeliendi: uti in principio disp. de sepulturâ probatum est. Fuit ergo aut nimis otiosum ac vanum aut merè superstitiosum factum Ægyptiorum, qui mortuos conditos domi servabant, teste *Cicerone* 1. *Tusculan.* & Pomponio Mela lib. 1. cap. 9. *& desiccatum cadaver convivam & compotorem faciebant.* Rem visam narrare se dicit *Lucianus lib. de luctu:* immo & morem fuisse Ægyptiis nobilium,
„ & præcipuè sanctorum martyrum corpora linteamine quidem involvere,
„ & studium funeri solitum non negare: terrâ vero non abscondere, sed su-
„ per lectulum domi posita reservare: hunc honorem quiescentibus reddi
„ inveteratæ consuetudinis vanitas tradidit. Sic *Athanasius* in vitâ S. *Antonii.*
Libet hic conferre judicium *Henrici de Hassiâ Carthusiani* (qui floruisse putatur circa anno 1300. & obiisse a. 1317. secundum *Eisingrenium* & *Possevinum*, quamvis alii ab illis notati dissentiant) in commentar. suis in Genesim, quem ubique fere sequitur, & cujus verba describit Bartholomæus Sibylla Dominicanus in speculo peregrinar. quæstion. decad. 1. cap. 2.

quæst. 6. pag. 53. edit. Venetæ 1587. in 8. *An corde mortuo, anima corpus informet.* ,, Ad quam sic respondet: cum complexio fixa cæterorum membrorum corporis non dependeat à corde, nulla repugnantia videtur, quod ,, complexione cordis corruptâ, adhuc in aliquâ parte aliâ corporis, possit ,, esse complexio fixa sufficiens unioni animæ, ad partem illam, &c. *Et* ,, *paulo post:* Et ita stat cum cessatione operationum vegetabilis & sensibilis ,, animæ in toto corpore, quod anima adhuc informanter inhæreat corpori, ,, & ita adhuc hominem mortuum non esse, per solutionem unionis informativæ ad corpus, &c. *Ibid. postea hoc insert corollarium:* Ex qua con- ,, clusione sive opinione, sequitur hoc corollarium, quod non semper, qui ,, vulgari æstimatione habetur mortuus sit simpliciter mortuus, quia ad ,, cessationem sensus, & motus cordis, non sequitur semper deanimatio ,, corporis. Sed potest contingere, quod post illam cessationem quandoque ,, per magnum tempus maneat unio informativa animæ ad corpus, & ita ,, contingere potest, quod quandoque homo vivus sepeliatur in sepelitione ,, mortuorum, qualiter tempore pestilentiæ fieri consuevit. Potest etiam ,, nonnunquam ex aliqua causa accidentali contingere, quod in homine ,, sano cessat anhelitus, & omnis motus, & sensus longo tempore, ut per ,, diem vel circa; ita, ut omnino mortuus appareat. Immo aliquis potest sic in ,, naturalibus dispositus esse, quod ad aliquem planctum, vel contemplatio- ,, nem fortem, spiritibus ad intra tractis, jaceret simillimus mortuo. Sicut ,, Beatus August. narrat in lib. de civit. Dei. de quodam presbytero. Ergo nisi ,, causa subsit, non est festinandum, aut præcipitanter agendum in sepe- ,, liendo mortuos, ne contingat sepelire vivos. Hæc Henricus de Assia ubi ,, supra.

ADDITIO.

,, Hinc Aver. narrat Arietis historiam, qui capite amputato ambulabat ,, 7. phys. com. 4. & quamvis id Galenus neget, concordat nihilominus A- ,, lex. in Paraph. de anima cap. ultimo, ubi vult, quod corde ablato ab ani- ,, mali, possit moveri, & vivere, velut testudo, & Camaleo, & pari ratione, ,, ablato capite, qui etiam dicit: Argumenta, de principatu animę, utrum ,, in corde, vel in capite consistat, esse communia.

Nos testimonia *Avicennæ apud Rhodiginum lib. 4. cap. 16. & Plinii lib. 11. cap. 37.* de animalibus sine corde inventis hic addimus: siquidem iis adhibenda fides. Ante complures annos legi (si bene memini) in scriptore quo physico ex celebri anatomico citatum testimonium de cane, qui ex secto corde latraverat, & motum progressivum exercuerat.

4. *Quæst. Quâ parte diei, die an nocte, quâque horâ mortui sepeliendi?* *Resp.* Hoc per se adiaphorum esset: sed noctu aut clam ut fiat, sine conscientiâ

ſcientiâ & conſenſu Magiſtratus, minimè convenire videtur: ne clandeſtina latrocinia hâc occaſione, terris tegi contingat. Poſſunt tamen varii neceſſitatis caſus incidere, quibus clam Magiſtratum ſive nocte ſive de die tectè corpora terræ mandanda eſſent. Ubi tum diſtinguenda eſt lex divina & forum poli, quo funerandi officium licitum, immo & neceſſarium eſt; à lege pœnali Magiſtratus & foro ſoli, quo aliquando illicitum eſt. Antiqui Chriſtiani, ut nocte ſacra ſua celebrabant, & antelucanos conventus agebant, ita & mortuos ſepeliebant; aut ſi aliquando de die, id clam fiebat. Hujus rei teſtimonia vel ſola ſepulcra illa & cœmeteria in Româ ſubterraneâ conſtituta ſuppeditant. De quibus liber *Anton. Boſii.* Ratio autem cur inſcio & inſalutato Magiſtratu ſuos clam ſepelirent, hæc erat, quod ſepulturam eorum negaret, & prohiberet. *Tertull. in apologet. c.* 37. „Nec mortuis parcunt Chriſtianis; quin illos de requie ſepulturæ, de aſylo quodam „mortis, jam alios, jam nec totos avellant, diſſerent, diſtrahant. *Lactantius lib.* 5. *cap.* 11. „Et non tantum artus hominum diſſipat, ſed & oſſa ipſa „comminuit, & in cineres furit, ne quis exſtet ſepulturæ locus, &c. Quæ„nam illa feritas, quæ rabies, quæ inſania eſt lucem vivis, terram mortuis „denegaſſe? *Ambroſius epiſt.* 31. *quæ eſt contra Symmachum.* Ubi tunc erat „iſta ſententia, cum direptis Chriſtianorum facultatibus, ipſos vitalis anhe„litus ſpiritus inviderent, & nullis uſquam negata defunctis, inhiberent ſu„premæ commercia ſepulturæ. Quos Gentiles præcipitârunt maria reddiderunt. De Donatiſtis, ubi præ valebant, ſimilem fere in orthodoxos im„manitatem refert Optatus *Milevitanus lib.* 6. *pag.* 68. Quid referam etiam „illam impietatem, de veſtra conjuratione venientem, quia ad hoc Baſili„cas invadere voluiſtis, ut vobis ſolis Cœmeteria vindicetis: Non permit„tentes ſepeliri corpora Catholica, ut terreretis vivos: Male tractatis & „mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, „odia veſtra vel mors aliena compeſcat. Jam tacet cum quo paulo ante li„tigabas. Quid inſultas funeri? quid imputas ſepulturæ? quid cum mortuis „litigas? perdidiſti malitiæ fructum. Etſi corpora non vis in unum quieſce„re, animas tamen in uno apud Deum poſitas, non poteris ſeparare. Quam prope ad Gentiles & Donatiſtas accedant Pontificii ſupra indicatum fuit. Poteſt etiam nocturnum tempus ſervari extra tempora perſecutionis: vel ad evitandas funeris expenſas: vel quod frequentibus funerum deductionibus & ſepulturis (uti tempore ſævientis peſtis) dies vix ſufficere, ſaltem totus aut potior ejus pars impendi vix poſſit; vel quod facinoroſis extremo ſupplicio affectis funeris honor non conceditur; qui clandeſtinâ idcirco aut nocturnâ ſepulturâ, connivente aut permittente magiſtratu, terræ mandantur.

LIBRI TERTII
TRACTATUS TERTIUS.
DE
Aliis quibuſdam quaſi-agendis.

SUnt & alia quædam indirecta ſeu quaſi-agenda; 1. *partim occaſionata*, 2. *partim conceſſa*, 3. *partim purè petitoria*. *Occaſionata* ſunt, cum ab Eccleſiâ aut per Eccleſiam ad id conſtitutis, quædam aguntur, quæ occaſio ſtatus & neceſſitas particularis Eccleſiarum requirit.

Conceſſa ſunt, quæ ex peculiari Principum, aut Magiſtratuum, aut quorumcunque, pœnes quos tunc ſæcularis poteſtas & potentia, aguntur.

Petitoria ſunt, cum Eccleſiæ aliqua agenda propriè formaliter & ſpecie politica à poteſtatibus ſæcularibus, decerni & executioni mandari poſtulant.

CAP. I.

De quaſi-agendis occaſionatis, 1. petitionibus & contractibus pro redemtione libertatis. 2. de collectis hunc in finem inſtituendis. 3. de ſcholis. 4. de arbitriis.

§. 1. ECcleſiis clandeſtinis, aut purâ ſive conniventiâ ſive tolerantiâ ſub infideli aut heterodoxo Magiſtratu gaudentibus; hoc agendum, ut prece & precio libertatem tolerantiæ, aut majorem pro viribus, datâ quâcunque occaſione acquirant, & conſequantur; aut imminutam ac violatam reſtituant. Agendum hoc à conſiſtoriis & delegatis ex conſiſtorio, aut ex totius Eccleſiæ corpore ſelectis, qui ad hanc pragmatiam maxime idonei, aut majori gratiâ atque exiſtimatione apud ſæculares Dominos ſive omnes ſive aliquos pollere videbuntur.

In Poloniâ ſolent hoc agere per Magnates & Proceres religionis ejuſdem conſortes; quos Eccleſiarum patronos illic appellabant.

In Bohemiâ, eique incorporatis Sileſiâ, Moraviâ, Luſatiâ, eodem fere modo libertas olim à Regibus petita. De quo conſulenda hiſtoria Eccleſiarum Slavonicarum.

In Galliâ, primum per viros principes, ut Condæum, Architalassum Colignium: deinde per Regem Navarrenum: postea per Regis Galliarum facti jam à reformatione apostatici unicam sororem, ducissam Bary: tum post edictum Nannetense, per conventum mixtum ex Ecclesiasticis & sæcularibus: postremo per synodorum deputatos sive immediatè sive per commissarium & procuratorem compellantes regem. De quo historiæ Gallicanæ; tit. *Memoires*, &c. gestorum sub Carolo IX. Et *Histoire Ecclesiastique*, &c. usque ad annum 1572. *Histoire de derniers troubles*, usque ad annum 1601. Quæ à nostris scriptæ sunt. A Pontificiis scriptæ sunt Thuani, Petri Mathei, Boterei, Gramondi: quorum duo posteriores studia partium nimis prodidere.

In Imperio Germanico, per Principes Protestantes: de quo Sleidanus, ejusque continuatores.

In Belgio, per nobiles fœderatos libertas ab inquisitione, & suppliciis postulata. Quamvis autem omnes reformatam religionem non profiterentur, primi tamen quasi ductores & agitatores Illustr. Brederodius, Comes Cuylenburgicus, Ludovicus Nassavius cum multis aliis apertè satis eam professi erant, quin & tres nominati heroës confessioni Belgicæ anno 1562. una cum epistolâ ad principem Belgarum & Regem Hispaniarum Philipp. 2. mittendæ, (non tamen missæ, ob aliqua impedimenta), subscripserant. Historias Belgicas in Bibliotheca indicavi.

In Angliâ libertas à quibusdam ceremoniis, nomine mille ministrorum postulata fuit à Rege per Raynoldum & Chartertonum ad id delegatos; sed minime obtenta, anno 1603. De quo descriptio collationis habitæ in aulâ Northamptoniensi Angl. & Belg. & Oxoniensium responsio ad postulatum mille ministrorum, Angl.

Coloniæ cives Augustanæ confessioni addicti, liberatem exercitii petierant à Senatu Coloniensi: quæ petitio, una cum epistolâ intercessoriâ principum ejusdem confessionis, typis edita anno 1582. Sed nihil obtentum.

Collectæ in tali statu Ecclesiarum à synedrio, aut delegatis ejus fieri solent ad expensas in sollicitationes & procuratores; imprimis etiam in redemtiones principibus, & in donaria Sejanis aliisque aulicis & muneraiis eorum offerenda. Prout etiam ab iisdem Ecclesiis non tantum clandestinis, aut conniventiæ, sed etiam ab Ecclesiis apertæ tolerantiæ ad stipendia ministrorum, lectorum, æditurorum seu janitorum, cursorum, & ad synodos, collationes, missiones, correspondentias instituendas, necesse est collectas fieri. Ex quo solo fonte, tanquam tributo justitiæ, ἀνὰ singulis membris Ecclesiæ imponendo omnes expensæ faciendæ: nisi spontaneæ oblationes domesticorum, aut aliarum Ecclesiarum, aut orthodoxo- §. 2.

rum principum, aliquod præstent levamen. De ejusmodi collectis, & ecclesiasticâ ad eas delegatione, vide 2 *Corinth.* 8. & 9. *Actor.* 11. *v.* 29. 30. & 24. *v.* 17. *Galat.* 2. *v.* 10. *Rom.* 15. *v.* 25. Et Tertullianum *apolog. cap.* 39. ubi vocat deposita pietatis: quæ collecta dicit *egenis alendis humandisque*, „ & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, janique domesticis seni- „ bus. Item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel custo- „ diis dumtaxat ex causâ Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt. Confer de sustentatione eorum qui in carceribus, aut metallis detinebantur, *Tertull. ad Martyres cap.* 1. de sepulturâ martyrum, & sustentatione infirmorum etiam catechumenorum, & incarceratorum, *Cyprianum epist.* 89. *&* 95. Dionysius Corinthius apud Eusebium lib. 4. cap 23. Ecclesiæ Romanæ laudem hujus munificentiæ tribuit *quod ecclesiis permultis, quæ in quâque civitate sunt, vitæ subsidia* seu *viatica* (ἐφόδια) *mitteret.* Paulum ex collectis & ærariis ecclesiarum adjutum in expensis itinerum & legationum euangelicarum sustinendis, constat ex 2 *Corinth.* 11. *v.* 8. alias Ecclesias spoliavi, &c. *Philipp.* 4. *v.* 10-17. cum gratiarum memorat subsidia sibi à Philippensibus missa. Confer quæ de his notata supra *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 5. *& infra lib.* 4. *tract.* 2 *&* 3. Praxim hujus pragmatiæ nôrunt, & alios docere poterunt Ecclesiæ Belgarum in Anglia, ut & in Germaniâ atque alibi partim apertæ partim clandestinę.

§. 3. Scholarum & expensarum scholasticarum cura in Ecclesiis clandestinis, aut tantum toleratis, penes eos esse debet, qui ab Ecclesiis ad id constituuntur. Sed de scholarum regimine & inspectione *infra part.* 2. *lib.* 3. aliquid dicendum.

§. 4. Arbitrium de controversis Βιωτικοῖς, aut etiam judicium (siquidem in casu necessitatis Politia concedat aut toleret) est penes Pastores & Synedrium, aut potius illos, qui à synedrio ad id deligantur: quod in Ecclesiis sive clandestinis sive toleratis frequentioribus, Pastores litibus omnibus cognoscendis & terminandis non sufficiant; ne dicam, quod in quibusdam controversis mercaturam, aliasque hominum occupationes concernentibus, non semper tantâ polleant perspicaciâ, ac illi qui istorum πεῖραν habent. Totum hoc videor mihi colligere ex 1 Cor. 6. v. 1.-7. *Sustinet aliquis vestrum negotium habens adversus alterum, judicio experiri sub injustis, ac non sub sanctis, &c. itaque si judicia habeatis de iis quæ ad hujus vitæ usum pertinent, eos qui nullo loco habentur in Ecclesiâ, eos in subselliis collocate,* &c. Ad hujus rei intelligentiam „ exhibeo hic ex notis Bezæ sequentia: privatim & domesticis arbitriis con- „ troversias de rebus istis esse potius definiendas.

„ v. Istiusmodi audiendis disceptationibus minimè adhibendos esse pa- „ stores, doctores, aliósve Ecclesiæ gubernatores aut Diaconos, in suis sacris

fun-

,, functionibus plus satis occupatos, sed alios potius quosvis, ex iis quos ,, postea Laicos vocarunt, in aliis utilioribus rebus minimè omnium occu- ,, patos. Sic enim τοὺς ἐξουθενημένους hyperbolicè dictos interpretor, non qui ,, maximè sint imperiti, vel qui sint vilissimi. Hæc illa est igitur Aposto- ,, lica doctrina, ipsius Christi & mandato & exemplo plurimis locis con- ,, firmata, nedum ut utrumque gladium seu Petro seu aliis à Petro ullis pa- ,, storibus concesserit. quod si attentè, ut oportuit, à veteribus illis Episco- ,, pis, ab ambitione, fateor, quę mox illos sequuta est, procul remotis, sed ,, tamen ab Apostolica regula deficientibus, fuisset consideratum: neque ,, seipsos tot laboribus fatigassent, de quibus alicubi conqueritur Augusti- ,, nus & Gregorius quoque Romanus: neque posteris invadendę Magi- ,, stratuum potestati aditum certo cum humani generis exitio tandem se- ,, quuturo patefecissent. Id verò utinam saltem veteres illi Episcopi tam ,, probè cognovissent, & tam prudenter cavissent, quàm Sylvanus ille Troa- ,, dos tunc Episcopus, quum jam in immensum Tyrannis episcopalis sub ,, Arcadio & Theodosio juniore excrevisset, de quo libet exscribere quæ ,, Nicephorus recitat lib. 14. cap. 39. *Quoniam*, inquit, *is optimus vir erat*, ,, *quum ii qui sub eo erant Clerici, in causis ut nugis undecunque inter eos qui ju-* ,, *dicio contenderent, provenientibus, veluti nundinationem instituerent, ne quis* ,, *ex clero posthac causam judicaret, constituit: sed supplicantium libellos ac-* ,, *ceptos* (en gradus Episcopalis fructum) *uni ex fidelibus laicis, quem præcipuè* ,, *justi & æqui studiosum esse sciebat, accito dedit, eique judicio causarum com-* ,, *misso, de jure contendentium nugamenta ad eum rejecit.*

CAP. II.

De quasi-agendis ab Ecclesiâ, aut Politiâ, aut utrâque concessis.

SUnt ea celebratio conventuum mixtorum, consilia in negotiis politicis, coronatio & solennis introductio regum ac principum, legationes, episcopalis audientia, regimen politico-episcopale, regimen politico-abbatiale, &c.

Conventus mixti sunt, quando Ecclesia sive clandestina, sive tolerata §. 1. delegat quosdam qui unà cum Proceribus politicis ejusdem professionis in cœtum coeunt, ad deliberandum de iis, quæ propagationi Religionis, & Ecclesiæ libertati prodesse aut obesse putantur. Tales conventus, & quidem ex Regis & Regni concessione reformati agebant in Galliâ usque ad annum 1623. inclusè: cum postremus conventus (saltem apertè) habitus fuit Rupellæ: cujus nomine scriptum publicè tunc editum. Post id tempus

multis in Galliâ mutatis, alia istarum rerum facies conspecta fuit. De quo annales. Agebant autem in illis conventibus, de libertate suâ juxta edictum Nannetense, servandâ, exercendâ; & de querelis, si quæ de non-observatione edicti aut ejus violatione afferrentur, audiendis, ac debitis remediis quærendis, adhibendis. Alibi, ubi in politiâ aut sub Principe Pontificio clandestina, aut tolerata Ecclesia versatur, quo modo aut quâ formâ ejusmodi conventus habeantur, mihi non constat. Saltem in commune subinde de talibus deliberandum & statuendum, evincit temporum necessitas & recta ratio; & consequenter similes conventus, aut analogum quid requiri. In Poloniâ & vicinis idiomatis Slavonicis terris, omnes Synodi ecclesiasticæ tales mixtos conventus pręstare videntur: quippe quæ ex ecclesiasticis & patronis constituantur. *Vide acta celebris concordati Sendomirensis, harmoniæ confessionum inserta, & Joh. Læti historiam ecclesiasticam ad annum 1678. pag. 669. & ann. 1595. pag. 671. & ann. 1612. pag. 713. & Historiam ecclesiar. Slavonicar. lib. 1. cap. 13. pag. 98.* ubi de colloquio Thoruniensi.

Atque hæc quasi agenda versantur circa Ecclesias & negotia Ecclesiastica, eorumque adjuncta, & circumstantias.

§. 2. Consilia in & super negotiis ac causis politicis subinde petuntur à Principibus & Magistratibus, ac petentibus dantur ab ecclesiasticis sive seorsim evocatis & ad consilium admissis, sive ecclesiasticè congregatis, in Synedrio aut Synodo. Ex antiquitate, intermediâ ætate, novitate Papatus, & temporibus reformationis exempla adduci possent. De quibus pariter judicari nequit. Plerisque in locis voluntate & concessione Principum, ac jure prę-scriptionis, ecclesiastici ordinariam & quidem primam ac primariarum comitiorum partem faciunt. Alicubi thesauris, supremis judiciis, militię sive terrestri sive navali præficiuntur. Ubique fere ob possessiones amplissimas in agrariis consiliis & conventibus potiores partes tenent. Sed missis moribus Pontificiorum, & illorum, si qui vel in totum vel ex parte iis conformes sunt: videamus, an ubi Principes & Magistratus pleraque illa parerga & quasi agenda, ab ecclesiasticis abstulerunt, aliqua sint aut relinqui possint. Quod comes Leicestrius anno 1586. *interpretes sacrarum literarum adjungebat sibi specie pietatis & aliorum dissimilitudine* (ut loquitur *Grotius annalium lib. 5.*) & quod multi ex illis (non omnes) à vulpe circumventi consiliis ipsius altius se immiscerent, id merito improbandum, nulli imitandum: minus tamen odiosè agitandum quam præfectorum Geldrię & Groningæ comitis Wilhelmi Heerenbergensis, comitis Renneburgii, Principis Chimaici, comitis Egmondani, aliorumque procerum, Magistratuum Prę-fectorum militarium, Optimatum & Nobilium; qui perfidię, proditionis, transitus

transitus ad hostes, rebellionis, perturbatæ pacis publicę passim à Grotio, Borrio, Meterano, Reidio, aliisque historicis nostratibus notantur. Quo ipso tamen nihil istius ordinis viris, quorum integritas & fides omnem perfidiam, proditionem, rebellionem procul habet, prejudicatum est. Concionatores illi cum plurimis Proceribus & Optimatibus, qui conservationem patriæ, & in eâ veræ religionis publicè tunc receptæ & stabilitę contra vim Hispanorum & tyrannidem Papæ; maximè intendebant, circumventi ac delusi specie zeli pro religione & patriâ à Leicestrio ostentati, ab illo hoc magis exspectandum credebant, quam à quamplurimis aliis prẹsertim in Hollandicâ & Ultrajectinâ Provinciis (ubi multi quod ad religionem Pontificii, neutrales, dubii Libertini,) eidem tanquam harum provinciarum gubernatori tantâ potestate ab Illustr. DD. Ordd. Generalibus instructo, favebant, atque illum, ut & Sereniss. Anglię Reginam tanquam post Deum tutelares suos ab his Provinciis invocatos & accersitos respiciebant. Hoc totum. Aliqui inter ministros, qui ultra privati civis officium his arcanis & simulacris Reipublicæ & rectorum se ingesserunt, ab imprudentiâ & ἀλλοτριοεπισκοπῇ excusari non possunt: minime tamen collusionis cum hostibus, aut patriæ hostibus proditæ, aut perfidiæ suspecti esse debent. Et quidquid illi fecerint, hoc omnibus verbi Ministris Belgicis, nondum tunc natis, probro & fraudi esse non potest: nedum, ut propterea religio, Ecclesia, ecclesiæ & ministerii potestas à Christo constituta tolli aut deprimi debeat, magis quam potestas Magnatum, procerum, Magistratuum, ob perfidiam Ordinum & Magistratuum Artesiæ, Hanno-niæ, &c. prẹfectorum Geldriæ, & Groningæ. Nobilium, procerum, præfectorum, ut, comitis Egmondani fil. Principis Chimiaci, &c.

Quod ad consilia ab ecclesiasticis postulata & data, & consiliarios principum ex ecclesiasticis assumtos: talia possint incidere tempora, tales rerum perturbationes, tales mixturæ negotiorum, & causarum politicarum cum ecclesiasticis; ut non tantum licitum, sed etiam necesse esset ad commune Reipublicæ & Ecclesiæ bonum ab ecclesiasticis consilia postulari & dari; præsertim si subsit explicatio & determinatio casus conscientię. Sic bellum in Galliâ sub Henrico II., Et Smalcaldicum in Germaniâ sub Carolo V. susceptum non fuit, sine præcedente Consilio Theologorum. Celsiss. Princeps Arausoniensis Wilhelmus I. usus dicitur operâ prẹstantiss. Theologorum & concionatorum suorum, Loselerii Villerii, & Joh. Taffini, tanquam consiliariorum. Celsiss. Princeps Mauritius supremus belli Dux, & gubernator Hollandiæ, Zeelandiæ, &c. anno 1588. concionatores ab Ecclesiis & classibus suis deputatos in consilium adhibuit super pace de quâ tum agebatur inter Sereniss. Angliæ Reginam, & Potentiss. Regem Hispaniarum, propositâ hac quẹstione, *An liceret fœderatis Provinciis pacem cum*

Hispano inire, sine salvæ religionis, ut tunc erat, stipulatione: ad quam negantes respondebant. Quod si forte quis opponat, Nefas fore, si verbi minister ullis negotiis & causis politicis aut consulendo, aut agendo se immisceret. *Resp.* si quâ Minister, & ex vi muneris ecclesiastici hoc ageret, concedo: sin tanquam civis & subditus, distinguendum puto. Quid si salus Reipubl., quæ suprema lex est, & extrema quædam necessitas legem non ferens, & mandatum Principis aut Magistratus hoc requirant: an non fideli civi ac subdito audiendum esset illud Judæorum, *in loco ubi vir non est, tu te virum præsta?* An vero *obsequii gloria*, quæ alias urgeri solet, tali in casu tenues evaderet in auras? Non arbitror.

§. 3. *Regum, Principum* Magistratuum coronatio (alicubi additur unctio), aut solennis introductio, antehac ubi vis ferè per ecclesiasticos peragi solet. Pontificii volunt, unctionem ab episcopis peragendam: uti in V.T. à Prophetis 1 *Sam.* 10. 1 *Reg.* 1. &c. Sic *Adamus Contzen lib.7. politic.cap.* 3. ubi etiam, cum & ex *Serrario in* 1 *Sam.* 10. multis contra *Martyrem class.* 4. *cap.* 1. §. 20. 21. probat unctionis antiquitatem, à regibus Gentium jam diu ante ingressum regum Israeliticorum, usurpatam: atque adeo in Christianismo observandam. Sed meminisse debebat *Abulensem ad* 1 *Sam.* 10. affirmare ceremonias in constituendo atque inaugurando rege adhibitas, potius à consuetudine inductas esse quam à lege. Ex recentioribus *Casp. Sanctius in* 1 *Sam.* 10. fatetur, se non invenire *de hâc regum unctione ullam in scripturâ sacrâ legem, sicut de sacerdotali; usum tantum reperire, ex ipso loquendi modo, eumque legitimum.* Sed dato, non minus unctionem, quam coronationem, aliosque ritus esse adiaphoros: rectè tamen de eo monere *Martyrem*, prout à Pontificiis hodie adhibetur, & *Serrarius loco citato*, aliique eam adhiberi dicunt, tanquam symbolum seu signum sacrum & mysticum quid; atque adeo ab Episcopis administrandum. Atqui tale, sine verbo Dei (uti rectè *Martyr loco cit.*) in N.T. nullum est; sive illud sacramentum sive sacramentale appelletur. Multo minus tanquam typus & umbra futurorum in Christo (qualem illam sub V.T. unctionem facit *Serrarius*) adhiberi debet. *Ludov. Servinus* quondam regis Galliarum advocatus *in tract. cui tit. Vindiciæ secundum libertates Ecclesiæ Gallicanæ*, legitimum tunc Regem Henricum IV. contra Ligistas defensurus, contendit ad legitimam regis potestatem non requiri coronationem aut unctionem: & adfert exempla regnorum Castellę & Lusitaniæ, &c. uti ante hac *lib.* 2. *desper. causæ Pap. sect.* 2. *cap.* 20. ostendimus. Quod vero *Serrarius* dicto miraculo ampullæ Rhemensis in gratiam Gallorum Papistarum nescio quid superstruit, id hâc vice prętereo; & Papistis Hispanis apud personatum *Patricium Armachanum* (hoc est, *Cornelium Jansenium* tunc Professorem Lovaniensem,

vanienſem, poſtea Epiſcopum Iprenſem) *in Marte Gallico*, excutiendum relinquo; atque una flammulam ſacram ſeu vexillum, quod apud Gallos pro reliquiis colitur iiſdem apud *Zypæum Archidiaconum, cum viveret, Antwerp. juris canonici novi lib.* 3. *p.* 266. Pro miraculoſo oleo Gallicano, regumque ſacrâ ac myſticâ unctione, ſi quis peculiarem theologiam videre aveat, is legat *anonymi, cætera docti & diſerti, vindicias Gallicas Larvato Patricio oppoſitas anno* 1638. *cap.* 2. 3. 4. Nos de ejuſmodi endemiis quibuſdam miraculis ante annos aliquot diſquirebamus, *in* 2. *part. ſel. diſp. tit. de miraculis.* Quod autem miniſtris ſacrorum tales ritus adminiſtrandos vindicant, & agendariis ſuis eccleſiaſticis (*Ceremoniali Romano lib.* 1. *ſect.* 5. *& Pontificali part.* 1. *fol.* 78 - 100.) inſcribunt, id ſine *ratione ab utili* non fieri credendum eſt; ut poteſtas epiſcoporum & Papæ etiam in temporalibus tanto magis ſtabiliatur. Eſt enim juxta ipſos (apud *Auguſtinum de Anconâ, & ex eo apud recentiorem Iſidorum Moſconium Archiepiſcopatus Bononienſis Vicarium tract. de majeſtate eccleſiæ militantis*, *anno* 1602. *lib.* 2. *cap.* 2. Poteſtas juriſdictionis temporalis & ſpiritualis triplex; immediata, derivata, & in miniſterium. Immediatè Papæ fuit conceſſa poteſtas à Deo; derivativè epiſcopis; miniſterio imperatoribus & regibus. *Ibid. pag.* 649. Papa hodie (omiſſis antiquorum inſtitutis) transfert imperium de gente in gentem, eligit, confirmat, reprobat, coronat, inungit & conſecrat ex *d. cap. Venerabilem, Clem. Romani cap. Apoſtolicæ, & ibi Gloſſ. & Doct.* Nos verbo dicimus, prętèr preces & adhortationes ex ſcriptura de officio principum & ſubditorum; nihil ibi fieri à miniſtris quod ſit ἴδιον agendum miniſtrorum. Ultra ſi quæ peragant, ut introductionem ſolennem, ſtipulationes, conditionum & legum prælectionem, promiſſionis & juramenti poſtulationem ac receptionem; ea omnia peragere ex poteſtate delegatâ, ab ordinibus & magiſtratibus regni, aut principatus, aut reipublicę, aut à corpore populi ſive pleno ſive repræſentativo. Quod ſi hic & nunc bono publico & ad pacem, conducere judicârint illi, penes quos poteſtas politica; ut per miniſtrum eccleſiaſticum nomine & juſſu ſuo hæc agantur: utique non video, cur miniſtro minus parendum ſit, quam cuicunque alteri civi; ſiquidem tale quid illi imponeretur.

Legationes. Si mores hodiernos & pręcedentium ſæculorum ſpectemus, frequenter ſæcularibus clericis non tantum, epiſcopis ſcil. ſed & ſubinde regularibus, legationes committuntur. Quod ad miniſtros reformatos, vi muneris ſui ſibi tale quid nec tribuere, nec affectare, nec uſurpare, nec juſſi admittere debent. Neque enim implicari debent hujus vitę negotiis 1 *Tim.* 2. *v.* 4. cum conſcii ſint, ſe officiis ſacris non ſufficere. *Ad hæc quis idoneus?* 2 *Cor.* 2. *v.* 6. Sed uti ad conſilia politica niſi vocati & juſſi à Principe aut Magiſtratu §. 4.

tanquam cives, peculiari gravique necessitate ita ferente, accedere non debent; sic nec ad legationes: multo minus tanquam antecessores ecclesiastici, ex potestate divinitus sibi impositâ privatas suas opiniones, sua consilia, sua dictata de hisce, aliisque particularibus negotiis politicis, legationibus, legatorumque electionibus, ut & de Magistratuum, gubernatorum, præfectorum militarium hic & nunc factis aut faciendis institutionibus & electionibus, apertè & publicè, æque ac doctrinam salutis, pro concione promulgare. Non tamen negandum est, quin si principes aut magistratus ad negotia pacis apud vicinos aut in propriâ Republicâ per syrraxes turbatâ, alios æquè fidos, idoneos, gratos non inveniant; ministri in tantâ necessitate humeros suos huic oneri subducere non debeant: quippe cives & subditi, qui in tali casu obedientiæ gloriam non minus quam alii cives, sed multò magis affectare teneantur, & exemplo suo concivibus præire. Confer, *supra lib.2. tract.2. cap.1. §. 5. 6.*

§. 5. *Episcopalis audientia*, olim necessitate aliquâ (ut putabatur) urgente, introducta fuit: De quâ exstat titulus C. *de episcopali audientiâ*, qui est 4. lib. 1. ad cujus L. 1. *negotiatores* & L. 7. *Si qui.* L. 8. *episcopale.* Ad quas leges, Doctores variè commentantur. Qui jure canonico se ligatos vident, aut eo ligari volunt, *audientiam* interpretantur *jurisdictionem*, & specialiter circa negotia & causas pretii in mercaturâ servandi, aliaque purè βιωτικά. Similem curam postea injunxit Episcopis *Athalaricus* Rex Gothorum apud *Cassiodor. lib.9. variar. epist.5. Carolus M. in capitulari cap.5.* jurisdictionem in incestuosos iisdem tribuit. Quantum Jus Canonicum episcopis tribuat, vide *Lanceloti lib.4. Institutionum juris canonici, & Piasecii praxim episcopalem part.2. cap.4. Vallensem, Zypæum, Honorium ab Axel*, aliosque, qui compendia juris canonici scripsere. Specialiter prælatorum regularium jurisdictio cognosci potest ex *Roderici vasto volumine de Regularibus part.4.* & *Bartholom. Mirandæ manuali prælatorum.* Ut nunc omittam auditores cameræ Apostolicæ, auditores sacri palatii summi Pontificis, auditores rotæ primi & secundi gradus, &c. de quibus scriptores de curiâ Romanâ, & ex parte aliquâ *Tholosanus lib.15. syntagm. cap.42.* Chilpericus rex Gallorum a. 578. donavit episcopo Crasmaro fiscum regium cum quâdam temporali jurisdictione in Flandros, teste *Majero lib. 1. annal. Flandr.* Quamplurima istius generis, ex diplomatum & donationum archivis imprimis Germanicis, etiam Gallicis, Belgicis, &c. erui possent. Quod ad Belgica, indicavit pleraque *Aubertus Mireus in fastis Belgic. & Burgund.*, *in libro donationum*, *in lib. diplomatum*, *& Heda ac Beca in histor. episcopor. Ultrajectinor.* De Galliâ, ut compendio studeam, testis est *Tholosanus lib.15. syntagm. cap.12.* „ hodie, inquit, in Galliâ in plerisque locis ex liberalitate principum, & jure clien-

„ clientelarum per ecclesias possessarum, etiam in laicos & jurisdictionem „ temporalem habent episcopi & abbates, &c. *Bochellus lib. 8. decretar. eccles. Gallic. tit. 9.* satis ostendit jurisdictionem episcopalem illic viguisse semper & etiamnum vigere. Ubi imprimis notandum *cap. 63. decretum synodi Rhotomagensis anno* 1581. Cum, ajunt, & canonicis & regiis con„ stitutionibus jurisdictio ecclesiastica semper sejuncta fuerit à sæculari „ tam in personalibus civilibus quam criminalibus causis: ita ut nec à sæ„ cularibus judicibus ecclesiastici debeant compelli ad debita solvenda, nec „ ab his puniri, si quid animadversione dignum commiserint, sed ad judices „ ecclesiasticos debeant remitti in casibus præscriptis à sacris canonibus. „ Monemus in domino dictos judices sæculares, ut dictis canonibus pa„ reant, nec falcem in alienam messem mittant. Quod si moniti non pa„ ruerint, excommunicationis vinculo se noverint subjacere.

Anno hujus sæculi 1606. præcipua causa curâ Pauli V. breve 17. Aprilis in sereniss. Rempubl. Venetam fulminatum & Romæ affixum ac publicatum fuerit, erat incarceratio Brandolini Valdemarini abbatis Nervesiani & Scipionis Saracini canonici Vicentini. Canonicus confracti cum contemtu sigilli Rectoris Vicentini, & tentatæ violationis viduæ affinitate ipsi quam proximè junctæ, & cum repulsam sæpe passus fuisset ostiorum ac ædium dictæ viduæ fœdis imaginibus maculatorum, insuper libidinis suæ in templis proditæ, & sic dati publici scandali accusabatur: Abbas vero (referente Paulo Veneto in considerationibus censurarum Paulo V. *pag.* 20. *edit. in* 4.) „ Ac si per multos jam annos tyrannidem erga bona & vicino„ rum conjuges exercuisset, multos, & inter eosdem quendam sacerdotem „ suum domesticum veneno sustulisset, patri insuper ipsi & fratri genuino „ venenum exhibuisset, plurimos alios occidisset, cum aliqua ex propriis „ suis sororibus aliquandiu rem habuisset, artibus magicis sua illa facinora „ ad actum perduxisset, & talia in summa perpetrasset, quæ absque summo „ horrore enarrari non possunt, ut querelæ à diversis hinc inde contra ipsum „ satis superque testantur. De quâ tragico-comœdiâ libelli quamplurimi latinâ & vernaculâ linguâ vulgati sunt; & tota historia gestorum per annos 1605. 1606. 1607. idiomate Italico conscripta, unde in Gallicum a. 1625. traducta prostat. Dictans jurisdictiones episcopales, & per ulteriorem ascensum archiepiscopales patriarchales Papales, spirant scripta *Franc. Bozzii de temporali ecclesiæ monarchia & jurisdictione anno* 1602. *Odoardi Westoni Angli theologi Duaceni Juris Pontificii sanctuarium; Isidorii Mosconii de majestate ecclesiæ militantis, aliorumque complurium antehac indicatorum in 2. part. sel. dispp. tit. de Papæ potestate temporali.* Nominatim jurisdictionem cum imperio omnibus episcopis vindicant, qui eisdem potestatem

tem coactivam tribuunt, & exſertè atque in formâ jus armorum, in caſu (ut loquuntur) neceſſitatis: quod fit ab *autore apologiæ pro Henr. Ludovico Caſtaneo Rupepoſæo Pictavienſium epiſcopo anno* 1615.*gall.* Atque his in exceſſu nimis exorbitantibus opponi poteſt interpretatio Cujacii in paratitlis C. & poſt eum Gothofredi in notis ad rubricam C. de epiſcop. audientiâ: ubi contra Accurſium negant eam eſſe juriſdictionem. Hactenus morum & factorum narratio: nunc quærendum quid eccleſiæ expediat: ſit ergo, 1. *concl.* In antiquâ eccleſiâ ſub magiſtratibus Ethnicis, rectè juxta 1 *Cor.*6. *v* 4.5. arbitrio fratrum ab eccleſiâ ad id conſtitutorum cauſę contentioſæ determinabantur. 2.*concl.* nec malè quod Epiſcoporum judicio peremtorio (poteſtate per ſpecialem Imperatorum conceſſionem delegatâ) in illo caſu neceſſitatis finirentur. 3.*concl.* hoc tamen magis expediviſſet eccleſiæ & muneri paſtorum, ſi per fratres ad id maximè idoneos & à paſtore aut paſtoribus, aut presbyteris eccleſiaſticis deſignatos ac ſelectos, cauſæ illæ tractatæ fuiſſent. Rationes ſunt, 1.*quia*, ſi milites ſemper ad expeditiones quaſlibet parati & in procinctu ſtantes, hujus vitę negotiis extra militaria officia, implicari non debent: multo minus anteceſſores eccleſiarum. Ratio conſequentiæ petitur à difficultate muneris paſtoralis. De quâ nos *infra part.*2.*lib.*1.*tract.*2. Sed ipſum Antecedens, & conſequentiam habet Apoſtolus 2 Timoth.2.v.4. *Nemo qui militat implicatur hujus vitæ negotiis*, &c. Antecedens variis ex antiquitate teſtimoniis illuſtrârunt *Grotius & Pricæus ad loc. cit.* De conſequente & conſequentiâ videant Pontificii diſſentem *Claudium Eſpenceum theol. Pariſienſem in commentar. ad* 2 *Timoth.*2. *v.*4. ubi antiquorum querelas & teſtimonia adducit, & hodiernos in Papatu abuſus animosè perſtringit. 2.*quia* cauſarum criminalium, & ſuppliciorum capitalium judicia nimis odiosè, ſaltem non ita decorè ab eccleſiaſticis tractarentur. *In concil. Matiſconenſi anno* 588. (repetente id *Bochello tit. cit. cap.*8.) prohibetur *presbyter in judicio illo ſedere, unde homo ad mortem tradatur.* In jure civili (L. *ſi quis* 10. C. *de epiſc. & cleric.*) dicitur *ſanctitatem epiſcopis ignoſcendi gloriam reliquiſſe*; & L. *nec honore*, Eod. *Epiſcopum ad teſtimonium dicendum admitti non decet: nam & perſona oneratur*, &c 4.*concl.* Ubi Magiſtratus, ſub quibus vivit eccleſia, eſt Chriſtianus; nulla neceſſitas cogit poteſtatem & juriſdictionem ejuſmodi circa negotia & cauſas ſæculares, ſive membrorum Eccleſiæ ſive paſtorum, aut prece aut pretio à principibus & Magiſtratibus impetrare: nedum ut uſurpetur, tanquam jure divino, aut naturali, aut humano epiſcopis aliiſve eccleſiaſticis competens. Hic conferri poſſunt noſtrorum diſputationes Anti-Papales, de clericorum ſubjectione, & commentar. ad *Rom.*13.*v.*1. 5.*concl.* De illis eccleſiis aut eccleſiaſticis, ad quos jure hæreditario devolutæ ſunt clientelæ, toparchiæ, &c.

seu dominia prædio annexa, & de territorialibus aliter judicandum. Possunt illi, rebus sic stantibus (uti ab aliis toparchis fieri solet) judices moribus antiquis eligere aut constituere, quibus judicia civilia & criminalia committantur. De principatibus & supremis potestatibus Ecclesiæ alicui, aut ecclesiastico & regali sacerdotio per donationem regum & principum annexis, mox sequ. §. dicemus. In orientalibus ecclesiis similiter aliquam jurisdictionem episcopis antehac concessam, & usitatam, colligimus ex Histor. Ecclesiast. De episcopis in ecclesiis Moscoviticis, quæ à Græcis plantatæ, & regimini eorum conformes sunt, testatur Sigismundus baro ab Herberstein, & ex eo *Tholosanus lib.* 15. *cap.* 12. §. 37. quod jurisdictionem habent. Si Orientales hodie ex indulto aut concessione Imperatoris Othomannici adhuc simili potestate gauderent (quod ignoro) utique haut importunum esset eam illic exerceri.

Politico-episcopale regimen, ob temporum injurias, & peculiares occasiones ac necessitates, etiam ἰδίας rationes Regum & principum introductum: ut e. gr. in partibus Germaniæ, ubi à Carolo Magno, territorialis potestas politica episcopis collata fuit. 1. ut essent, qui fide potestate & potentiâ instructi subditos in fidem Christianam ejusque sectatores & Doctores facile insurgentes promtè compescerent. 2. ut ipsi fidos haberent vasallos & munerarios, qui à se unicè dependerent, & fines Imperii tuerentur contra populos illos, qui jam subjugati ad antiquam suam libertatem anhelabant. Ejusmodi cum tanquam Ecclesiastici primum instituti essent, postea superaddita vel adjunctâ sæculari potestate, in principes desierunt. Hinc est quod *Lutherus tom.* 5. *Jenens. German. fol.* 90. distinguebat inter *Principes Episcopos & Ecclesiasticos Episcopos*, Kirchen und Fursten Bisschoppen. Quorum illi *sint Doctores & presbyteri dicti, Luther. tom.* 2. *fol.* 90. *& tom.* 6. *fol.*: *isti Principes Episcopi præcipuè habeant curam rerum sæcularium*: sunt verba Christ. Weberi Theol. Doct. & Ecclesiastæ Halensis in Introductione episcopali *tit.* 1. §. 16. De iisdem episcopis agit Mich. Havemannus in Helice hierotacticâ, seu dissert. theologico-politicâ de Jure Episcopali. Ubi de jure episcopali ex mente juris canonici, de nativo jure episcopali sive potestate ecclesiasticâ ad ductum sacræ Scripturæ, de translatione juris episcopalis ad status Imperii confessioni Augustanæ addictos, &c. Ex JCC. Laurentius Ohm disputationem conscripsit de Jure Episcopali, apud quem plures alios JCC. citatos invenies. §. 6.

De illis ergo Imperii principibus, temporalia curantibus & ecclesiasticis doctoribus ac presbyteris agenda sacra relinquentibus, hic quærendi & dicendi locus non est: quia ipsorum actiones & agenda sunt purè politica & militaria; quamvis nomine episcoporum & administratorum indigitentur.

In hiſtoriis Aub. Miræi, Brachelii, &c. de bello Germanico jam ab a. 1618. invenies nomina Marchionis Brandeburgici Chriſtiani Wilhelmi adminiſtratoris Magdeburgenſis, & Chriſtiani Ducis Brunſwicenſis epiſcopi Halberſtadienſis militaria Principum munia ſtrenuè obeuntium. *Lutherus* admodum exagitatur à Jeſuitâ *Serrario lib.* 5. rerum Moguntinarum *pag.* 887. quod Alberto Archiepiſcopo Moguntino per literas auſus fuerit conſulere, ut uxorem duceret & epiſcopatum in ſæcularem principatum converteret, ipſeque ex Archiepiſcopo fieret Dux. Sed Imperatoriæ Majeſtati & comitiis Imperii talis Metamorphoſis tam abſurda & ridicula viſa non fuit: quippe qui anno 1648. in pace Oſnabrugenſi epiſcopatus Verdenſem, Bremenſem, Hallenſem, &c. in ſæculares principatus & ducatus transformârunt, abſque ullâ agendorum ſacrorum & eccleſiaſticorum jacturâ. Quam pacem Innocentius X. ob bonorum eccleſiaſticorum, uti prætexitur, abalienationem, fruſtra bruto bullarum fulmine abrogare conatus fuit.

§. 7. *De Politico-abbatiali* regimine aliorumque prælatorum regularium (quale eſt abbatis Fuldenſis, Abbatis Trudonenſis, Abbatiſſæ Thoorenſis in diœceſi Leodienſi, & abbatum in Arteſiâ, Hannoniâ, Brabantiâ, Limburgo, &c. prima in Ordinum panegyri loca tenentium, ſimiliter quæri poſſet. Inter Pontificios Eſpenceus in 2 *Timoth.* 2. *v.* 4. pag. 18, 19. de hac onerosâ ſpiritualium & temporalium combinatione ſic profatur: Atque utinam, „quod Ambroſius ſubjungit, valeret, Non convenit, inquit, hominem „unum duplicem profeſſionem habere: valeret inquam in Chriſti republi„ca, quod in ſua Plato valere voluit, ne iidem homines in diverſis ſimul of„ficiis occupentur, terram colant, pecunias cumulent, militent, lib. 8. de „rep. Nam & armatæ militię militibus negotiationes prohibentur, ut ei ſe „totos expediant, multo magis clerum convenit, ut ſe totum ſacro mini„ſterio dederet, alienum eſſe ab omni temporalium ſollicitudine, propriæ „etiam vitæ, famæ, quæſtus, &c. At nunc, quod hîc poſt Auguſtinum quæ„ritur Anſelmus, nunc inquam, videmus & clericos & monachos, alta„rium ſtipendiis non contentos, mercimonia exercere, interceſſiones ven„dere, viduarum munera captare: quod hîc quoque Bruno, ſecularium cau„ſarum diſcuſſionibus intendere, habere mundum judices de temporalibus „judicantes, epiſcopos ſpiritualibus vacare debere. Quid dicturi boni pa„tres, qui hujus & ſimilium locorum occaſione, ſacris hominibus adeò „profanis negotiis interdixerunt, ut & inde titulum fecerint, Ne clerici, „vel monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant, quid inquam, dicerent, „ſi viderent hodiernos Reverendos & Sanctiſſimos in domibus Regum „eſſe, ab aulis & palatiis non diſcedere, principum non pacificis modò lega-

tionibus

„ tionibus fungi, verùm etiam in bellis esse legatos, fiscorum promos & „ condos, nec raro interversores, nam & ad mandras & episcopas, ne dicam „ galeros, nulla in hoc regno via hactenus expeditior, quàm litium secula- „ rium institoria, nedum judiciaria, ut quàm hodie nunquam magis que- „ rimoniæ illi locus fuerit, de qua Gregorius I. lib. 7. epistola 114. & habe- „ tur 1. q. 1. ca. Fertur ad Theodericum & Theobertum nostros, hoc est, „ priscorum Francorum reges, nihil sibi in honoribus ecclesiasticis gravita- „ tem, nihil defendere industriam, dum vitia remunerantur honore, hinc sa- „ cerdotes non proficere, sed perire: perire autem, ut ad Gaudentium de- „ plorat Hieronymus, & cum pastoribus greges.

Quid antiqui, quid jus canonicum de hoc statuerint, discimus ex c. *clerici* c. *ex literis*, de vitâ & honestat. clericor. Et ex Harmenopuli compendio canonum tit. 4. ubi canon Apostolorum 34. *Episcopus ea tractans, quæ ad Rempubl, fiscumque spectant; nisi desinat deponitor.* Verba 5. canonis Apostolorum (uti dicitur) sic se habent in emendatâ, jussu Gregor. XIII. corporis canonici editione: *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus sæculares curas non suscipito: alioquin deponitor.* Jam vero canones Apostolorum (ita dicti) Pontificiis sunt authentici. Vide testimonia ex illis collecta à Coco in censurâ Patrum. Photius in Nomocan. tit. 8. cap. 13. ubi rubrica: *De episcopis & clericis mundanum aliquid exercentibus*, sive id *publicum sive privatum* sit, *aut* etiam *redemturam aut tutelam.* Balsamo in scholiis ad cap. cit. adducit synodicum commentarium sub Anchialo Patriarcha confectum quo *quivis sacri ordinis ab actione mundanorum officiorum & munerum abstinere* jubentur. Ibidem citat Imperatoris Leonis philosophi novell. 86. quæ episcopis & clericis prohibet *advocationes, redemturas, sponsiones.* Similia habentur in Justiniani novellis, ubi 123. cap. 6. sic rubrica: *Ut clerici à muneribus personalibus & negotiis sæcularibus abstineant.* Ratio in ipso textu additur: *ne sacra ministeria impediantur.* His aliisque non obstantibus, mores à legibus & olim & nuper divortium fecisse, compertum est. Quomodo episcopi sæcularibus & militaribus negotiis occupati, plerumque infelicitatem, Deo huic mixturæ maledicente, Reipublicæ accersiverint, infra *part. 2. lib. 4. tit.* de Episcopis lectori indicabimus. De abbatibus, aliisque prelatis regularibus lib. cit. tit. de Monachis ἐν παρόδῳ aliquid dicetur. Hic solummodo observet lector ex notis Jesuitæ Sirmondi ad capitula Caroli Calvi pag. 108. regem illum in diuturno regno suo duos habuisse Cancellarios Ludovicum S. Dionysii abbatem, & Gauzlenum abbatem SS. Vincentii & Germani; qui posterior sub Ludovico etiam filio *eodem functus Magistratu* (sunt verba Sirmondi) *episcopatum* adeptus est Parisiensem. Hæc nos hâc occasione referimus, non ut ordinem illum alicubi positum turbemus, aut quenquam

rebus novis ſtudere velimus: ſed ut cum Apoſtolo meliorem viam oſtendamus: ut abſque neceſſitate, tales mixturæ ſeu combinationes non introducantur, ubi non ſunt: publica autem mutatio decreto & facto nullius tentetur, niſi eorum, penes quos poteſtas publica. Quo ipſo tamen non prohibetur eccleſiaſticis in foro poli ſeu conſcientiæ meliorem amplecti ſententiam, atque unâ de facto onus ſeu epiſagma illud ſeculare aut deponere ſi ſubierunt, aut non ſubire.

CAP. III.

De petendis decretis, ordinationibus, & executionibus Magiſtratuum.

§. 1. HÆc quaſi-agenda dicuntur; quia ſunt nudæ admonitiones, compellationes, obteſtationes, petitiones, ſuper agendis à poteſtate ſæculari. Talia autem impropriè vocantur agenda ſeu negotia mixta, quę ſcil. pertineant ad Rempublicam & eccleſiam. Quamvis enim unum ſit objectum commune ſeu materiale; aliud tamen eſt objectum formale Eccleſiæ quà talis, & aliud Reipublicæ, quà talis: ab hoc objecto ſpecifica eſt diſtinctio, haut aliter ac ſpecificatio ſcientiarum, e. gr. unius corporis humani objecta phyſico, medico, pictori conſideratio, ſpecificè quod ad modum conſiderandi phyſicum, medicum, pictorem diſtinguit. Ab illo conſideratur, ut naturale ſeu mobile; ab iſto, ut ſanabile; ab hoc ut effigiabile: & hinc ſcientia illius eſt & dicitur phyſica, iſtius medecina, hujus eicaſtica ſeu pictura. Ex ſtupidâ aut affectatâ hujus diſtinctionis ignorantiâ, ſuperioribus ſæculis tanta omnium in eccleſiis & politiis orta confuſio: eccleſiaſticis quibuſdam (inter quos eminebat archiflamen Romanus) in ſæcularia involantibus; & politicis τὰς non ſegniter ἀπομειβομένοις, viciſſim repræſalias non tantum ſibi concedentibus, ſed & omnem poteſtatem ſacram in ſolidum vindicantibus; immo & in heterogeneam, hoc eſt, in ſupremam, dominantem, ſæcularem transformantibus. Similem Cęſareo-Papatum in hâc Euangelii luce partim ſæculares partim eccleſiaſtici aliqui Principum & Magiſtratuum κόλακες parturire mihi videntur. Quidquid, Deo permittente, futurum ſit, piè eruditis & prudentibus eccleſiarum anteceſſoribus hoc omnibus inculcandum, falcem Eccleſiæ in meſſes politicas non mittendam; nec tamen ſuffragio aut ſilentio probandam ſæcularium ἀλλοτριοεπισκοπὴν, & uſurpationem, ſi quam unquam videre & tolerare cogantur. Sed de poteſtatis unius ab altera diſcriminatione, ex juris divini tabulis abundè diſſertatum eſt *lib.* 1. *tract.* 2.

§. 2. *Petitiones* illæ agendorum politicorum ſecundum objecta diſtinguuntur.

Aliæ enim ſunt decretorum à Magiſtratu condendorum, & faciendarum executionum circa negotia, res, cauſas politicas ac ſæculares: *aliæ* decretorum atque executionum, circa negotia, res, cauſas eccleſiaſticas. Poſteriores rurſum dividuntur, in eas, quæ petunt aut libertatem & permiſſionem; aut inſuper approbationem, confirmationem, defenſionem ſive communis doctrinæ, aut communis regiminis ab Eccleſiâ ſtatuti & recepti: ſive ſpecialis cenſuræ, ab eccleſiâ decretæ; cui notatus aut notati præfractè, ἀπλήκτως, & violenter ſe opponunt: Ut in caſu miniſtri ab exercitio miniſterii ſuſpenſi, aut plane exauctorati; qui tamen ſuggeſtum aſcendere, baptiſmum & cœnam adminiſtrare, ſynedria & claſſicos conventus frequentare non deſineret; & in caſu membri Eccleſiæ, qui non obſtante cenſurâ ſuſpenſionis aut excommunicationis, ad menſam accedere, panem & vinum à miniſtro diſtribuente non porrectum arripere, edere, bibere auderet. Non convenit miniſtris aliiſque in Eccleſiæ regimine conſtitutis, aut privatis membris, ut violentas manus in ejuſmodi homines injiciant, externis luctis & pugnis violenter agentes arceant, retrudant, abigant: quia arma eorum non ſunt carnalia 2 *Corinth.* 10. *v.* 3. Hic ergo neceſſariò poteſtas & potentia magiſtratus imploranda: ſi præſtò non ſit, nec præſto eſſe velit; ferendum eſt, & ſacrorum adminiſtratio tali tempore & loco ſive palam ſive clam peragenda, quo ab illâ infeſtatione & perturbatione tuti eſſe poſſimus. Excipio tamen hic licitum, immo neceſſarium inculpatæ tutelæ moderamen, contra quoſcunque homines privatos, miniſtri aut alterius in cœtu eccleſiaſtico jugulum petentes. Quæ autem ſint inculpatæ tutelæ requiſita & conditiones, alibi (ad 6. *decal. præc.*) explicandum eſt.

I. *Exempla primi generis* in antiquâ Eccleſiâ occurrunt in codice canonum Eccleſiæ Africanæ pag. 160. decretum concil. Carthagin. anno 399. quo legati mittuntur Epigonius & Vincentius Epiſcopi, petituri à glorioſiſſ. principibus, ne quis audeat confugientes ad eccleſiam, quocunque reatu involutos, inde abſtrahere. Sed rectius boni patres à tali decreto & legatione abſtinuiſſent. *Can.* 58. *Concil. Carthagin. anno* 401. *pag.* 171. ubi inter alias neceſſitates ab Imperatoribus poſtulandum decernitur, ut juberent reliquias idolorum per totam Africam amputari, templa deſtrui, &c. Hoc rectius, quam quod ipſi epiſcopi propriis manibus, aut juſſu ſuo per alios reliquias illas tollerent: quod ſine uſurpatione non potuiſſe fieri antehac judicavi in 3. *part. ſel. diſpp. tit. de Idololatriâ pag.* 309.-312. Niſi forte à Magiſtratu ſpecialis poteſtas ipſis collata eſſet. Eam tamen petere, recipere, exequi minus decorum videtur, & maximè odioſum muneri & miniſtris eccleſiaſticis. In eodem *concil. a.* 401. ſunt & alia petenda, *can.* 59. Ne clerici de judicii ſui cognitione cogantur in publico dicere teſtimonium.

*can.*60. de paganorum conviviis auferendis *can.* 61. de ſpectaculis die dominico non celebrandis. Ejuſdem commatis ſunt plerique ſeqq. canones uſque ad 75. incluſè. & *can.* 84. In ſynodis noſtratibus ſimilia poſtulata reperies. In nationali Dordracena anno 1619. ex ſynodorum particularium Hollandię auſtralis decretis collecta & contracta erant à deputatis Zuydhollandicis, & à me juſſu eorum tunc in latinum ſermonem converſa.

,, Ut à ſupremo Magiſtratu obtineri poſſit.

,, I. Abolitio omnium reliquiarum Pontificii fermenti; quales ſunt, ,, 1. baptiſmus, 2. confirmatio matrimonii, 3. peregrinationes religionis ,, ergo, 4. ſuperſtitiones circa mortuos & ſepulturam mortuorum, quæ mul- ,, tis in locis adhuc obtinent, 5. baptiſmi adminiſtratio per obſtetrices, ,, & ſi quæ alia ſunt pontificiæ idolomaniæ exercitia.

,, II. Vindicatio ſanctificationis Sabbathi: ne per nundinas, & merca- ,, tus, convivia & comeſſationes, feſta Bacchi, item *encœnia*, exercitia ludi- ,, cra, venationes, aucupia, auctiones publicas, choreas, & tripudia, ludos ,, ſcenicos hiſtrionum, item agyrtarum ac funambulorum, &c. profa- ,, netur.

,, III. Sanctio unius ac perpetuæ juramenti formulæ, ſecundum quam in ,, omnibus dicaſteriis illud præſtetur.

,, IV. Ut nulli conſtituantur ædiles nec proviſores menſæ. Spir. S. (ut vo- ,, cant) niſi qui noſtræ religioni ſunt addicti. Et ne iſti, titulo illo proviſorum, ,, irrepant in officium diaconorum.

,, V. Ut coërceatur omnis abuſus nominis divini per temeraria, illici- ,, ta juramenta. Etiam omnis intemperantia in conviviis, veſtibus, &c.

,, VI. Ut augeatur ſtipendium 1. miniſtris, præcipuè vicanis. 2. emeri- ,, tis. 3. miniſtrorum viduis. Etiam ut claſſicales ſumptus miniſtris reſti- ,, tuantur.

Ejuſdem generis poſtulatum indicatur in ſynodi Nationalis Middelburg. anno 1581. reſponſis ad quæſt. particulares, quæſt. 45. Synodus quoſdam ex ſuis delegat, qui, ſi aliquando tractatum de pace inſtitui contingeret, apud ſuam Excell. (Principem Arauſonienſem Wilhelmum I.) alióſque dominos ad dictum tractatum deputatos communi nomine eccleſiarum, ſupplicent atque inſtent, eoſdemque per literas admoneant, ne ulla ſuperſtitio & idololatria denuo reſtituatur.

Jam inde ab anno 1619. à ſynodis particularibus complures ejuſmodi petitiones inſtitutæ; & quædam toties totieſque iteratæ, ut tædeat numerum earum inire. Conſulantur repertoria ad acta Synodorum, Zuyd-Hollandic. Noord-Hollandic. &c. Ubi imprimis obſervandæ petitiones, ne comitatus Lingenſis venderetur capitulo Monaſterienſi (*Synod. Leid.*

Leid. 1649. *artic.*7. & *Schoonhov.*1650. *art.* 16.); ut Magiſtratus interpoſito juramento promittant defenſionem reformatæ religionis (*Syn. Schoonh.* 1630. *artic.* 37.); ut removerentur publicè iniquum fœnus exercentes, vulgò dicti Lombardi (*Synod. Roterod.* 1621. *art.* 44.); ut conſtringantur prętores ad officii ſui executionem (*Synod. Hagienſ.* 1634. *art.* 43.); ut eligantur ubique Magiſtratus & prętores reformatam religionem profitentes; aut ſaltem ab eâ non alieni (*Syn. Leid.* 1619. *art.* 96.) &c. Anno 1651. occaſione panegyris habitæ Hagę-Comitis, à deputatis ſynodorum nonnulla fuere poſtulata; ad quæ quid reſponſum, & quid obtentum fuerit, leges in hiſtoriâ A. Aiſma vernaculo ſermone edita.


II. *Secundi generis* petitionum exempla dant poſtacta Synodi Dordracenæ anno 1619. ubi de approbatione & confirmatione doctrinæ & regiminis eccleſiaſtici. Sic olim conſervatio & defenſio publicæ doctrinę ab imperatoribus petita. *Nicephor. lib.*9. *c.*36.

III. *Tertii generis* petitionum exempla in hiſtoriâ eccleſiaſtica, & in actis noſtratium ſynodorum, claſſium, conſiſtoriorum, frequentia occurrunt. Cum ſcil. aliquis ex membris prętertim ex anteceſſoribus cenſurâ notatus, à miniſterii exercitio ſuſpenſus, aut planè depoſitus, nihilominus gradum ac locum retinere, & conſequenter, invitâ eccleſiâ, exercitia continuare ipſumque ordinem illegitimè & violenter turbare audet. Magiſtratus opem & autoritatem tali in caſu eccleſia implorare cogitur; ſiquidem Magiſtratus ſtatu rerum cognito, ſponte ad ἀταξίαν illam compeſcendam non accurrat. Et hoc cum eccleſia poſtulat, & Magiſtratus ſive vocatus ſive invocatus hoc agit, neuter quidquam pręter officium committit. Et quidni tale quid eccleſiis reformatis quippe publicis, & in tutelam peculiarem receptis, hoc officii præſtet; cum conventibus toleratis (e. gr. Anabaptiſtarum) hoc denegare non ſoleat. Ita nuper in hâc urbe cœtui Anabaptiſtico in proceſſu contra quatuor ex ſuis concionatoribus Socininiſmum foventes & molientes, judicio ſuorum ſe ſubtrahentes, cœtuſque ſui ordinem & pacem ipſo facto perturbantes, præſto fuerunt: hâc hypotheſi, quod de doctrinâ ſuâ & ſuorum eccleſiæ cuilibet toleratæ (quamdiu, & quatenus tolerata) judicare permittitur. Cum autem non tantum præcipua hujus cœtus Ultrajectini membra & cum iis ſexdecim concionatores ejuſdem confeſſionis Flandro-Anabaptiſticæ ſocii, à ſuis quiſque cœtibus in Hollandiâ huc miſſi & ad hujus cauſæ cognitionem delegati, judicarent non manere iſtos quatuor in doctrinâ Anabaptiſticâ, uti ea primum ex tenebris Papatus emerſit, & hactenus communiter recepta ac tradita fuit: non immerito prohibuit ampliſſ. Senatus quatuor viris illis exercitium concionum publicarum in illo cœtu, ſub gravi mulctâ pecuniariâ. Quia decretis hujus, & aliarum provinciarum

cautum

cautum est, ne cœtus & exercitia Socinistica, quocunque velamine tecta, hic admitterentur.

LIBRI TERTII
TRACTATUS IV.
DE
PSEUDO-AGENDIS.
CAP. I.
De Pseudo-agendis usurpatis.

§. 1. Seudo-agenda sunt vel *usurpata*, vel *ficta*. *Illa* sunt, quę utiliter aut necessariò aguntur, & agenda sunt: sed à politiâ, non ab Ecclesiâ. *Ista*, quæ finguntur esse formaliter sacra & ecclesiastica; & hoc respectu directè aguntur atque agenda putantur à ministris sacrorum.

Priora sunt vel magis generalia, vel magis particularia: *Illa* sunt, quę ad Papæ & Episcoporum potestatem indirectè (in ordine scil. ad spiritualia) pertinere putantur. Qualia sunt, sequentibus juris canonici in Extravagantibus, & decretal. titulis designata; partim ad regimen partim ad jurisdictionem pertinentia. Extravag. *Joh.*22. lib. 1. tit. 5. De sede vacante: intelligit sedem imperatoriam. 8. de Judæis & Saracenis. 10. de crimine falsi. 11. de privilegiis. 12. de pœnis. In Extravag. commun. lib. 1. tit. 9. de Treugâ & pace. lib. 2. tit. 2. de dilationibus, ubi de falsorum florenorum fabricatione. lib. 4. tit. 13. de immunitate ecclesiarum. lib. 5. tit. 6. de crimine falsi: ubi agitur de alchymiâ. In Decretalibus, Clementin., Sexto sunt tituli, De conjugio leprosorum, de conjugio servorum, de delictis puerorum, de deposito, de emtione & venditione, de locato & conducto, de homicidio voluntario & casuali, de infantibus & languidis expositis, de Magistris, de pignoribus, de postulando, de procuratoribus, de pręscriptionibus, de raptoribus & incendiariis, de sagittariis, Qui filii sint legitimi, de successionibus ab intestato, &c. In septimo Decretalium à Petro Mathei J. C. Lugdunensi collectarum, qui nunc cum corpore juris canonici excuduntur, occurrunt, seqq. tituli, lib. 1. tit. 9. De insulis novi orbis, lib. 2. tit. 10. de dilationibus & cessio-

cessionibus bonorum. tit. 11. de cambiis, tit. 12. de censibus. tit. 13. de testamentis & ultimis voluntatibus. tit. 14. de nautis & naufragium patientibus. lib. 3. tit. 4. de comitibus Palatinis. tit. 6. de medicis. tit. 10. de juramentis. lib. 5. tit. 4. de libris prohibitis. 5. de libellis famosis. tit. 8. de homicidis & bannitis. tit. 14. de monetarum tonsoribus, &c. Si cum his conferantur bullarium, praxes episcopales, & decreta Conciliorum, plura deprehendes ejusdem generis agenda. Nos infra *part. 2. lib. 4.* ubi de hierarchia Romanâ forte sua cuique adscribemus. Interim usurpata clericis, ex scriptoribus pro potestate temporali Papæ, Barchinonensis cancellariâ Apostolicâ, Ceremoniali Romano, Pontificiali Romano, ceremoniali Episcoporum, scriptoribus de capitulis & canonicis alibi indicatis, colligi poterunt.

Particularia aliquot usurpata hic seorsim notamus. §.2.

I. *Bella* atque arma Papalia, & Episcopalia. De quibus supra in transitu. Adde hic *Marianam* de rege & regis *institut. lib. 1. cap. 10.* ubi contendit, summam & curam rerum politicarum, oppida & arces, vires, copias, potentiam episcopis ac viris sacratis à regibus conferendam, augendam. De militibus episcoporum *Aurelian.* & *Altisiodor.* ex *Rigordo* historico notat *Fr. Juretus* ad *Ivonis epist. 28.*

II. *Correctiones Kalendarii:* de quibus in 3. *part. select. dispp. tit.* de sabbatho & festis.

III. *Asyla:* de quibus, & in genere de immunitatibus, Canonistæ; *tit. 49. lib. 3. decretal. & tit. ad Extravag.* de immunitatibus Ecclesiarum; ex recentissimis *Zypæus lib. 3. pag. 274. & seqq.* ea explicat ac tuetur: ubi & alii citantur. Cui adde ex theologis *Azorium lib. 8. instit. moral. cap. 9.* & *Serrarium in Josuæ 20.* qui ex *Tholosano*, *Covarruviâ*, *Germonio ibid. cit.* fusè de asylis Judæorum & Christianorum disquirit. Ante eos *Tholosanus lib. 3. de Republ. cap. 22. 23.* Disceptationem hic non ingrediar: soleo eam referre ad explicationem decalogi 6. præc. Interim si quis sententiam nostrorum aveat scire, is adeat *Martyris loc. comm.*, aut commentar. in *1 Reg. 1.* Post quem, sed breviter hanc quæstionem attingit *Zepperus lib. 1. explan. leg. Mosaic. forens. c. 7.* Et ex Pontificiis *Masius* in *Jos. 20.* qui propterea à nonnullis judicatur hæreticè loqui, teste *Serrario quæst. 10.* qui tamen ipsum excusare conatur. Pro asylis languidè admodum *Adamus Contzen lib. 5. politicæ cap. 7.* Quod ad quæstiones de asylis an, cur, qualia, &c. eam politicis & Jureconsultis determinandam relinquimus: modo non repugnent juri divino, & naturali, aut legi morali. Sed quæstionibus 1. *An* ab Ecclesiâ aut Ecclesiasticis asyla constitui, aut aperiri debeant, 2. *An* templa & aræ (quippe loca sacra, uti dicitur), debeant esse

asyla. 3. *An* controversia de jure asyli, & refugii τοῦ δεῖνα ad asylum; ab Ecclesiâ determinari debeat, (ut vult *Zypæus loc. cit.*) nos in neg. partem determinamus. Vide infra *lib.*4. *tit.* de Templis. Non est prætereundum, tanto zelo hanc causam à Pontificiis agi, ut *Caspar Sanctius in comment.* ad 1 *Reg.* 2. *v.* 31. 37. *Salomonis* jussum & factum *Benajæ* condemnârit: & tract. de asylis autore *Rittershusio* J. C. celeberr. *Conradi* filio ante annos aliquot editus ilico Romæ chartâ patenti in fol. editâ, juxta cum aliis quibusdam libris prohibitus sit: & *Andreæ Masii* universa commentaria in Josuam legi prohibeantur, *nisi expurgentur*: sunt verba *indicis libr. prohibit. Hispanici poster.* a. 1619. à nostris in lucem protracti & editi in 4. Rationes à *Serrario*, *Tholosano*, *Zypæo*, &c. & *Viviano in Rationali juris canonici* allatæ tam insulsæ sunt, ut responsum non mereantur. Infra tamen *lib.* 4. *tit.* de templis in transitu eas perstringemus.

IV. *Legitimatio spuriorum.* De spuriis supra *tract.* 1. in fine aliquantulum notavimus. Legitimatio eorum & κλήσει & χρήσει politica est. Agunt de eâ JCC. *ad Novell.* 89. *cap.* 11. *& L.* 1. 6. 10. *C. de natur. lib.*; eamque vocant *natalium restitutionem*; nonnemo tamen inter illos (Donellus) *originis paternæ confirmationem.* Eandem distinguunt in plenam & non-plenam. *Plena* est, quæ fit aut per subsequens matrimonium, aut per rescriptum principis. *Non plena* est, per quam patria potestas & jus filiationis ad certos effectus tribuitur; ut per eam legitimatus filius consequatur saltem jus succedendi soli patri legitimanti, pro cive Romano habeatur, & capax fiat omnium honorum, dignitatum, aliorumque beneficiorum & commodorum, à quibus ob defectum natalium excludebatur. Hæc fit per oblationem curiæ, aut per testamentum, principi oblatum. *Novell.* 89. *c.* 3. 4. 5. 10. Hic nusquam Ecclesiæ, aut antecessoribus in Ecclesiâ, aut episcopis, aut eorum primo seu primati ita dicto, hoc est, Patriarchæ Oecumenico, legitimatio tribuitur. Quibus Imperator aut Princeps legitimandi potestatem demandat, dicuntur comites Palatini: *Covarruv. lib.* 3. *variar. resolut. c.* 6. quos abusivè ita dictos ait *Tholosanus lib.* 6. *c.* 8. §. 16. In politiâ Judęorum nec secundum leges Mosaicas, nec moribus, legitimationem à Pontifice peractam scimus. Ex quo ergo jure divino, aut naturali, aut antiquo ecclesiastico orta est Papæ Romani usurpatio? Fatetur *Tholosanus lib.* 6. *c.* 7. §. 33. nec duces nec comites, si sint fiduciarii alterius, hoc est, si recognoscant superiorem, puta regem, cui debent fidem, posse legitimare. Ergo Papæ cum olim Imperatores agnoscerent Dominos suos (uti hoc in controversiâ de Papæ potestate temporali abunde probatum est), non legitimârunt. Nec Petrus putatitius Papa, ejusque proximi successores. Quomodo jam per regulam juris, *nemo, plus juris*, &c. in successores eorum

rum hoc derivari potuit? Per quem canalem juris divini, naturalis, gentium civilis? an per donationem, emptionem, permutationem, arma? Dicet forte quis, per Constantini donationem, & inde adeptam imperii occidentalis potestatem. Sed illam fabulam explosimus in 2. *part. selectar. dispp. tit. de Donatione Constantini.* Et datâ non concessâ dictâ donatione, minimè tamen salvari potest *c. per venerabilem*, *tit.* 17. *lib.* 4. *decretal. Qui filii sint legitimi.* Ubi asseritur Papam etiam in *terris alienis* posse legitimare, sed non nisi ex causis multum arduis; aut non nisi in spiritualibus, & sic indirectè & per quandam consequentiam etiam quod ad temporalia. Ubi *rubrica* juxta editionem jussu *Gregorii* XIII. emendata sic loquitur. *Hoc tamen ultimum non est sine scrupulo*, &c. *& est caput difficile, & multum famosum.* Papa in textu sic argumentatur: *Unde cum in spiritualibus dispensetur: consequenter intelligitur in temporalibus dispensatum.* Nihilominus *glossa* eum in „luto relinquit: sed, inquit, contrarium credo, scil. quod dominus Papa „non possit legitimare aliquem quantum ad hoc ut succedat in hæredita„tem tanquam legitimus hæres, qui non sit. Dico de suâ jurisdictione tem„porali: sic enim esset mittere falcem in messem alienam & usurpare alie„nam jurisdictionem; quod esse non debet, &c. unde credo quod non possit „legitimare, nisi quod ad actus spirituales: tamen quidam legitimationem „extendunt ad honores sæculares: ut per hoc intelligatur esse legitimatus, „ut possit esse judex, &c. & in hâc sententiâ fuerunt *Lau. Vincen.* Negantem hanc glossatoris sequuntur ex hodiernis Casuistis, *Reginaldus in praxi fori pœnitentialis lib.* 30. *tr.* 2. *c.* 7. *Basseus* in voce *irregularitas*, aliique *ibid. cit.*

Sixtus V. *bullâ* 1587. omnes illegitimos à receptione in clerum, ordines ecclesiasticos, & religionem seu monachatum absolutè excludit: sed hoc postea mitigatum à *Gregor.* 14. *vide bullarium.* De spuriis sacerdotum non legitimandis videtur apud Canonistas judicatum: ob hanc rationem, quod nati sint ex adulterio; cum sacerdos unius uxoris, (Ecclesiæ scil.) vir cum esset, cum aliâ aliquâ muliere carnaliter conjunctus fuerit. *Tholosanus lib.* 10. *cap.* 4. §. 5. 6. refert placuisse Senatui Parisiensi 6. Kal. April. 1562. nullatenus regiis codicillis sacerdotis filium jure legitimorum donari posse: idemque plane decretum 15. Octobr. 1573. regiâ sententiâ in eodem Senatu prolatâ.

V. *Studiorum universalium* seu Academiarum erectio, aut in erectas privilegiorum collatio. Hanc Papa, tanquam monarcha ecclesiasticus ubivis usurpat. Sic Bonifacius 8. Academiam Avenionensem, anno 1303. Bonifacius 9. Ferrariensem 1391. Idem Erfurdianam 1392. Pius II. Basileensem anno 1459. Alexander VI. Valentinam in Hispaniâ, quam auxit Sixtus 5.

 1585.

1585. Gregorius 13. Vilnensem in Lithuaniâ 1579. Idem Mussi pontanam in Lotharingiâ 1582. Sixtus 5. Græcensem in Styriâ 1585. erexerunt. Sed hoc non magis ecclesiasticis aut dicto eorum monarchę competit, quam Rempublicam, ejusque militiam instituere & ordinare, leges & sanctiones pœnales condere, jurisdictionem & privilegia conferre, &c. Quæ sint privilegia singulorum scholarium & Academiarum, à *Rebuffo & Horatio Lucio* peculiaribus tractatibus explicatum est: & summa capita ex Rebuffo excerpta exhibet *Adamus Contzen lib.4.politic.c.15.* Quomodo *Besoldi* opinio in *synops. politicæ cap.2. §. 64.* defendi possit, quod ubique pro Doctoribus agnoscuntur, qui in Academiâ à Pontifice tanquam universali catholicorum episcopo approbata promoti sunt; viderint, quos hoc propius tangit. De Academiis Romana, Bononiensi, Perusinâ, Maceratensi, Firmiensi, per Papas erectis, aut instauratis, judicium in presenti non feram: quod in propriis terris, seu dicto patrimonio Petri eas erexerit; ubi illi, quorum interest, Papas supremâ potestate frui patiuntur sive volentes, sive nolentes. Nos istiusmodi rerum, quæ supra & extra nos, nudi spectatores, auditores & cognitores sumus; & consequenter admittimus dictum Pii II. *Rex est, qui regnum tenet.* De studiis particularibus, quæ & *collegia theologica* dicuntur, & si sint in monasteriis, *studia regularium*, etiam aliter judicandum: siquidem capitula canonicorum, aut monachi sub principibus Romanæ professionis, in suis quique claustris & ecclesiis collegiatis lectiones & lectores instituant; aut Papæ illis, studia sua instituendi & ordinandi concedant. Cum enim istic sint collegia licita, & Papalis potestatis in omnes clericos tum sæculares tum regulares exercitium licitum, & clericorum subjectio ad Papam in spiritualibus licita: utique potestas principum hactenus nullâ afficitur injuriâ; quod volenti non fiat injuria. Sed studii generalis erectio fieri non potest, sine manifestâ usurpatione, & insigni principum præjudicio. Porro de studiis & scholis plura quærendi occasio se offeret *part. 2. lib. 3.*

VI. *Equitum & militum* sacrorum, seu ecclesiæ, (ita dictorum) totiusque militiæ sacræ institutionem, ordinationem, directionem, destitutionem seu abolitionem, & circa eosdem jurisdictionem, tanquam agendum sacrum vindicat sibi Ecclesia Romana in capite suo. De sacris ejusmodi militibus, & militiâ, infra *part. 2. lib. 4. ad tit. de monachatu* ex professo agimus. Ejusdem commatis sunt cruciatę expeditiones, bella contra infideles aut hæreticos, à Papis aut Conciliis decreta. Quæ antehac attigimus in 3. *part. select. dispp. tit. de staurolatriâ.* Huc refer creationem nobilium, & insignium ac dignitatum collationem; quæ Papæ extra Romaniam suam, seu patrimonium Petri non magis competit, quam suprema majestas in regno Gallię, Hispa-

niæ,

niæ, Britanniæ, &c. & omnia jura Majeſtatis. Jam vero nobilium creationem, ſeu privilegii nobilitatis collationem inter jura majeſtatis numerant ſcriptores de nobilitate, & communes Politici; inter eos *Beſoldus* à proteſtanticâ ad Papalem religionem apoſtata *cap.2.§ 63.* & Jeſuita *Adamus Contzen lib. 8. politicorum cap. 20. pag. 693. Jus*, inquit, *nobilitandi habet omnis majeſtas ſuprema.* & pag. 687. *Imperator enim eſt fons nobilitatis c. de decuri. L. imperatores.*

VII. *Medicinæ & medicorum* ordinatio & præfectura. Hanc ſibi vindicat Eccleſia, & clerus Papalis: uti liquet ex *c.13. cum infirmitas,* de pœnit. & remiſſ. & Septimo *decretal. lib. 3. tit. 6. de Medicis:* ubi exhibentur conſtitutiones *Innocentii 3. Pii 5.* anno *1566.* & *Gregorii 13.* anno 1575. Quas eaſdem lege in bullario, & apud *Quarantam in conſtitut. Pontificium, & in Piaſecii praxi epiſcopali part. 2. cap. 3. artic. 3. §. 27. & 28.* Ubi viſitationi Eccleſiaſticæ ſeu Epiſcopali medici & ægroti ſubjiciuntur. A Synodis Eccleſiæ Gallicanę *Rhotomag.* anno 1581. *Burdigal.* 1582. *Bituricenſ. Aquenſ.* 1585. (apud *Bochellum lib. 2. decretor.* &c. *tit. 7. cap. 53.-58.*)
„ jubentur *medici vocati ad ægrotos antequam illorum curam ſuſcipiant, eos*
„ *plane monere, ut idoneo confeſſario de peccatis confiteantur. Quibus etiam*
„ *denuntient, ſe niſi id quatridui ſpatio ad ſummum præſtiterint, eorum curationi*
„ *non adſuturos,* &c. Jubemus autem medicos, excommunicationis pœnâ
„ iis propoſitâ, quam jure ipſo ſubeant, ſi ſecus fecerint, tranſacto *quatri-*
„ *duo ab eorum curatione omnino abſtinere:* niſi certo cognoverint, eos poſt-
„ quam in eam febrim morbumve inciderunt, confeſſos eſſe, aut epiſcopo,
„ eive cui epiſcopus ejus rei facultatem dederit, aliud ex juſtâ causâ videa-
„ tur. *Cap. 56.* procraſtinantibus (confeſſionem peccatorum) *ſuam operam*
„ *defuturam comminentur.* Et *cap. 53.* Medici poſt unam aut alteram viſi-
„ tationem, ſub excommunicationis pœnâ expreſsâ, ad ægrotorum cura-
„ tionem non accedant, niſi certo cognoverint, ipſos, &c. peccata idoneo
„ ſacerdoti fuiſſe confeſſos. Atqui ſi qui ſint, qui per conſcientiam Dei nec velint nec poſſint ſacerdoti miſſifico peccata confiteri (quales tunc in Galliâ quamplurimi dicti reformati): quid illis fieri velint epiſcopi in memoratis ſynodis congregati? an ut medicorum ope deſtituti pereant, & quaſi occidantur? (ſiquidem non juvare, cum poſſis & debeas, eſt perdere)? Quis epiſcopis illis poteſtatem dedit, tam crudelem ſententiam in innoxios Chriſtianos, quamvis errantes (ut ipſi, non ſine grandi errore, judicant) ſtringendi? Quid ſi eodem halitu omnibus ſub pœnâ æternæ damnationis prohibuiſſent, decumbentibus cibum ac potum præbere, & alia quęcunque neceſſaria miniſteria præſtare? An non merito quęrerent medici: Cur & quo jure nos adigitis ad munus quaſi ſpiculatorum? Medici ſumus, vitæ

conſervatores, non homicidæ, non carnifices; ſalutis causâ domum ægrotantium ingredimur, juxta Hippocratis juramentum ſanctè à nobis præſtitum. Huc advocanda quę Caſuiſtæ de conſcientiâ medicorum determinant. Peccant, inquit *Navarrus*, & cum eo Jeſuita *Adamus Contzen lib. 4. politic. cap. 25. p. 296.* qui *notabiliter negligit ſtudere, aut viſitare infirmos*, &c. Et *ſecundo peccat*, &c. *qui ægrotum derelinquit, antequam debeat; ob quod mors, aut prolongatio morbi evenit, cum obligatione reſtituendi damnum.* Adde, quod poteſt quis hæreticis in neceſſitate de cibo ſubvenire. Sic *gloſ. in c. in eos. 6. de hæreticis.* Eymericus *in director. inquiſit. part. 3. pag. 147.* Excipiendum ergo contra epiſcopalem curam & directionem medicorum; quod ea propriè & directè ſpectat vitam animalem & bonum civilis ſocietatis; conſequenter pertinet ad poteſtatem ſęcularem; non ad eccleſiam aut ejus præfectos. Quod autem intuitu ſpiritualium medicis mandant admonitiones ægrotis tempeſtivè faciendas; & ægrotis prohibent uſum medici Judæi, aut alterius infidelis; & parochis injungunt, ut ſi viderint admiſſum, ſe *opponant*, & *denuntient illi pœnas propterea incurrendas*, videlicet, *quod illi non ſint miniſtranda ſacramenta, & quod debeat carere ſepultura eccleſiaſtica*: in ea nec Papæ nec curiæ Romanæ, multo minus extra patrimonium Petri leges ferentibus medici obedire tenentur, aut ægroti. Si dicatur, in foro poli & conſcientiæ medicos, & ęgrotos ad obedientiam teneri: regero, quamvis recta eſſet & caritativa admonitio; ſub formâ tamen mandati ab illâ parte non deberet proponi, & *diſtrictè præcipi* (uti loquitur *Vivianus in Rationali*); nec ab iſtâ parte accipi: cum nulla autoritas hic agnoſcenda ſit. Coactio ad juramentum à medicis ſuper hoc præſtandum, & ab epiſcopis locorum exigendum; & ſanctio pœnarum *perpetuæ infamiæ, privationis gradus, ejectionis è collegio, & pecuniæ arbitrio ordinarii ſeu epiſcopi*, (ut habet bulla *Pii 5.* modo *cit.*) ſi limites patrimonii Petrini tranſvolent, ſunt bruta fulmina, nec ferire poſſunt, niſi medicos & ægrotos ſub Papæ, aut epiſcoporum poteſtate temporali conſtitutos.

VIII. *Obſtetricum & obſtetricationis cura* ac præfectura. Eam epiſcopis & parochis in Papatu tribui docent nos ſtatuta primę ſynodi Dioceſianæ Buſcoducenſis anno 1571. præſidente in eâ *Laurentio*, *Metſio* 2. Sylvæducenſium epiſcopo; *tit. de baptiſmo cap. 2.* Si de parentibus infantis dubi„ tetur, autoritate noſtrâ ordinariâ ſub pœnâ excommunicationis obſtetri„ cibus & patrinis ſeu ſuſceptoribus mandet (presbyter) ut declarent no„ minatim parentes, &c.

„ *Cap. 10.* prohibemus quoque, ne ullæ mulieres ad obſtetricandum ad„ mittantur, niſi præter illa, quæ in Concil. Mechlinienſi (*tit. de ſacram.*

„ *cap.* 1.) requiruntur, teneant etiam perfectè linguâ vernaculâ formam baptismi; deinde volumus, ut in earum admissione serio illis injungatur, ne aliquem infantem extra casum necessitatis baptizare præsumant, &c.

„ *Cap.* 11. Adhęc mandamus, ut in omnibus locis diœcesis nostrę, in quibus sunt certæ obstetrices constitutæ & admissæ, una illarum, ut minimum, ab omnibus puerperis adhibeatur: inhibentes ne ulla nutrix in posterum prolem alienam enutriendam seu lactandam suscipiat, quam non constet per attestationem pastoris baptizatam esse.

Aliqua ad obstetricum electionem & munus pertinentia videntur à viro docto *Melchiore Sylvestro Eckhardo* protestanticæ professionis, pastoribus & ecclesiasticis tribui, in *pastore conscientioso pag.* 225. 235. 236. Sed forte alibi magis, aut aliter se explicuit: ut Pontificiorum sententiam & praxin minimè sibi probari ostendat.

IX. *Lepræ & leprosorum* curam, præfecturam, jurisdictionem, vindicare sibi & exercere ecclesiasticos Papales, supra *lib.* 2. *tract.* 2. *sect.* 4. *c.* 3. *p.* 768. ostensum est. Nec hic repeto.

X. *Testamenta eorumque executiones*, & munera Notariorum, ad ecclesiasticos Papales pertinere, produnt tituli *Juris Canonici Extravag. de testam. c. nos quidem.* Et decreta *Concil. Trid. sess.* 22. *c.* 10. ad quod remissiones ex decis. SS. congreg. notant extendi etiam prohibitionem notariorum ab Episcopis faciendorum, ad negotia & lites piorum locor. sub laicis administrat., & ad contractus clericorum, qui de patrimonialibus eorum bonis conficiuntur. Et synodus *Diœces. Buscoducensis anno* 1571. *tit. de Testamentis cap.* 1. *Bochellus in decret. eccles. Gallicanæ lib.* 3. *tit.* 22. *Vallensis in paratitlis decretal. lib.* 3. *tit.* 26. *Zypæus lib.* 2. *pag.* 82. ubi de ecclesiastici fori judicio super validitate testamentorum. *Bullarium in bullâ Pauli* 3. anno 1548. quæ statuit, personas ecclesiasticas testandi licentiam à sede Apostolicâ non habentes, decimam tantummodo partem, locis piis relinquere & donare posse. Et bulla *Pii* 4. anno 1560. quâ statuitur nullos prælatos, nullos clericos absque Papæ licentiâ, etiam ad favorem hospitalium locorumque piorum de bonis suis posse disponere. Ex Jureconsultis *Tholosanus lib.* 42. *cap.* 36. § 8. ait, ante annum si non exsequatur hæres voluntatem testatoris, &c. exsecutionem devolvi ad episcopum; idque probat ex jure canonico, & civili, & novellâ *Manuelis Commeni.* Quod miror à Tholosano ita scriptum: cum non ignoraret per regias ordinationes & edicta anno 1544. 1545. 1560. 1561. abrogata esse tanquam regis potestati in regni sui temporalibus præjudicantia, hæc sequentia *Concil. Trident. sess.* 7. *cap.* 15. *sess.* 22. *c.* 8. & 9. *sess.* 25. *c.* 8. per quæ Episcopis tanquam à sede Romanâ delegatis executio testa-

testamentorum, visitatio hospitalium, collegiorum, fabricarum, confraternitatum laicalium, dispositio de fructibus, &c. tribuitur; cum potestate ejiciendi administratores officio suo non fungentes, aliosque substituendi. Vide hęc aliaque Concil. Trid. decreta cum justitiâ regis & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ pugnantia, à *Bochello lib. 5. pag. 916.* enotata. *Paulus Salodius in praxi compendiosâ de visitatione anno 1620. Coloniæ apud Ant. Boetzerum recusâ part. 2. cap. 6.* visitationi episcopali per sacerdotem aut diaconum ad id delegatum instituendæ subjicit examen & interpretationem autoritativam testamentorum, quę pium aliquod legatum continent. Et *part. 3. cap. 17.* investigationem de notariis eorumque munere, juramento, &c. quoad effectus per *Concil. Trid. sess. 22. cap. 10.* Et citat utrobique concilia quędam provincialia Mediolanensia. Adde munus notarii Apostolici; & quod Papa possit creare notarios, etiam episcopus in suâ diœcesi; & exercitium officii notariatus in foro spirituali. De quibus plenius *Piasecius part. 2. prax. episc. cap. 4. artic. 1. §. 35.-46.* Sed in *decretis eccles. Gallic. lib. 7. tit. 22.* à synodis Gallicanis, & à regibus fimbrias notar. Apostol. & episcopalium non parum decurtatas legimus. Cum quibus confer *lib. 5. pag. 916.* ubi notatur potestatem examinandi notarios regios eosque suspendendi aut deponendi à *Concil. Trid. sess. 22. c. 10.* episcopis tributam, repugnare regis, ejusque munerariorum authoritati; ad quos solos privativè pertinet examen, suspensio, depositio.

XI. *Kalendarii correctio*, ejusdemque observationis impositio. De hoc antehac, aliâ occasione, nonnulla nobis dicta in 3. *part. select. dispp. tit.* de sabbatho & festis.

XII. *Jurisdictionem* in variis causis judicandis, ut adulterii, magiæ, &c. & in causis clericorum tum civilibus circa negotia temporalia, tum criminalibus, curiæ episcopales sibi vindicant. Vide *Joh. de Choquier in tract. de libertate ecclesiastica.*: qui *lib. 1. cap. 8.* hæresios insimulat omnes, qui jurisdictionem temporalem ab ecclesiâ tollunt. Sed de hoc alibi. Præterea pœnas & sanctiones pœnarum, contra autores libellorum famosorum, contra clandestina matrimonia celebrantes & testes eorum, contra duellatores, &c. episcopis tribuit, *Concil. Trident. sess. 4. sub finem; sess. 14. c. 10. sess. 24. c. 8. sess. 25. c. 3. & 19.* quę vide obelisco regio notata apud *Bochellum p. 916. 917.*

CAP. II.

De Pseudo agendis seu fictis sacris.

NOtanda aliqua, primum de omnibus in genere; deinde de quibusdam in particulari. §. 1.

In genere notamus tum leges & obligationes ejusmodi agendorum; tum eorum divisiones. Quod ad leges & obligationes, earum compendiosam divisionem exhibet *speculum morale & practicum Martini Funes, Constantiæ* anno 1598. à quodam *M. Vischero* in tres partes & certa capita ac numeros distinctum. Ille ergo *part.* 3. legem Ecclesiasticam facit duplicem. præceptivam & pœnalem. *Præceptiva* rursum duplex est communis vel propria. *Communis* est triplex 1. omnibus Christianis. 2. omnibus beneficiatis & clericis in sacris. 3. solis omnibus beneficium ecclesiasticum habentibus.

I. *Primi generis* sunt quinque 1. sanctificandi festa. 2. jejunandi diebus ab Ecclesiâ præceptis. 3. confitendi semel in anno. 4. communicandi in paschate. 5. solvendi decimas.

II. *Secundi generis* sunt quinque 1. de gestatione habitus clericalis & tonsuræ. 2. ne clericus sæcularibus negotiis se immisceat. 3. castè vivendi. 4. legitimè administrandi & recipiendi sacramenta. 5. horas canonicas recitandi.

III. *Tertii generis* sunt, leges quæ obligant beneficiatum beneficio vel sęculari, vel regulari. Beneficium *sæculare primarium* est Papatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, parochia: *secundarium*, in auxilium primarii, quod peculiariter dicitur *dignitas*; ut Pontificis, cardinalitia & legati; Episcoporum, coëpiscopi sive coadjutores, archidiaconi, archipresbyteri, canonici; parochorum, vicarii & simplices beneficiati. *Regulare* beneficium est abbatia, prioratus, præpositura, monachatus, &c. De quibus omnibus, eorumque legibus, obligationibus, agendis agitur *ibid. cap.* 6. & nos forte alibi compendiosum aliquod indicium eorum faciemus.

Lex pœnalis, ab *Alphonso* à *Castro tract. peculiari*, & à scriptoribus de legibus *Zwarez*, aliisque alibi indicatis explicatur. Hic solum notetur, eandem ipsis esse duplicem: vel continentem censuras, ut excommunicationem majorem, minorem, suspensionem, interdictum: vel non continentem censuras, ut irregularitatem, degradationem, depositionem, cessationem à divinis, &c. Nunc *pseudo-agenda* Ecclesiæ Romanæ, secundum materias dividemus.

Sunt 1. ergo quinque eorum *pseudo-sacramenta* : de quibus *Mart. Funes ibid.* ; & in theologiâ elencticâ à nostris satis superque disputatum est.

2. *Sacramentalia* : quæ magnam partem numeramus in 3. *part. sel. dispp. tit. de benedictionibus & sacramentalibus* ; & *supra lib.* 2. *tract.* 1. *c.* 3. & 4. *de ritibus & ceremoniis.*

3. *Hierarchica* : qualia in *ceremoniali Romano* , Papis ; in libris de Cardinalibus , iisdem ; in libris de praxi episcopali & archiepiscopali , episcopis & archiepiscopis ; in libris de abbatibus , aliisque prælatis regularibus , abbatibus & abbatissis , aut ordinum monachalium provincialibus ac generalibus appropriantur. Huc refer theologiam casuum reservatorum : de quibus exstant peculiares tractatus *Joh. de Chapeaville* pœnitentiarii & *vicarii Leodiensis* anno 1614. & *Francisci Coriolani Capucchini* anno 1623. Et quæ *Joh. Baptista Fragosus part.* 1. *de regimine Reipubl. Christianæ lib.* 2. *disp.* 4. de omnibus casibus & causis mixti fori disquirit. Adde capitulorum, & officiorum ac dignitatum capitularium agenda, designata & probata ab *Augustino Barbosâ* aliisque scriptoribus de canonicis. Prçterea pastorum & sacerdotum agenda Papistica quç in *Rituali Romano* ; in *Manteli ord. Eremit. Augustini pastore* 1643. in *Pauli Metzelii libris quatuor de sancto sacerdotio* 1631. & in *Claudii Solieri tract. de juridicâ potestate sacerdotum* 1618. recensentur. Denique militum sacrorum & confraternitatum : de quibus infra *part.* 2. *lib.* 4. *tit. de monachatu.*

§. 2. Restat nunc particularium quorundam & eminentium pseudo-agendorum, speciale indicium faciamus. Sunt autem

I. *Missarum celebratio* : de quâ *Missale Romanum*, cujus rubricæ explicantur à *Barthol. Gavanto in Thesauro sacrorum rituum* : cujus libri usus imprimis necessarius omnibus mysteriorum Papalium curiosis epoptis & cognitoribus. Huc pertinet *Pauli Fraxinelli tract.* de sacerdotum obligationibus ad missas pro aliis ex justitiâ celebrandas. Et *tract. Joh. de Lapide* Carthusiensis natione Germani , sed Doctoris Parisiensis , de scrupulis circa missarum celebrationem incidentibus tit. *Resolutorium dubiorum* a. 1508. Paris. impressum in 8.

II. *Horæ canonicæ*, seu officium divinum : Cujus mysteria, ut & litaniarum ac rosarii , nostris antehac satis plene (uti putamus) deteximus *lib.* 3. *sel. dispp. tit. de horis canonicis* , &c. indicatis passim autoribus , si cui vacaret eos conferre, & ulterius mysteria illa indagare.

III. *Processiones*. De quibus in 3. *part. select. dispp.* Cum quibus conjungi possunt, preces quadraginta horarum.

IV. *Stata jejunia, & vigiliæ*, cum aliis *pseudo-mortificationibus*. De quibus supra *part.* 1. *lib.* 2. *tract* 4. & *in* 3. *part. select. dispp. tit. de pseudo mortificationibus*, & *in Asceticâ cap.* 18.

V. Festo-

V. *Festorum, Jubileorum, bacchanalium*, encœniorum, celebrationes: de encœniis infra *lib.4. tit. de templis.* De reliquis *in 3. part. select. dispp. tit. de sabbatho & festis, de Jubileo, de quadragesima & bacchanalibus.*

VI. *Officium defunctorum.* De hoc in *Rituali Romano*; *coll. cum* Missali *part.2. p.87.*

VII. *Lotio pedum* per Papas, & episcopos. Vide supra *lib. 2. tract. 1. cap.7. pag.447.*

VIII. *Exorcismi*, seu ars & functio exorcistica. De quâ in 3 *part. sel. dispp. tit. de Exorcismo.*

IX. *Reconciliatio homicidarum.* Erat hoc agendum pastorum & sacerdotum sub Papatu, quamvis leges nullas hactenus viderim, quibus obligarentur. Ut mihi agendum hoc relatum fuit, pœnitentiâ & veniâ in foro ecclesiastico cum veniâ in foro politico, & immunitate à pœnâ, confundebatur; aut prior posteriorem post se trahebat, aut includebat. Ubi ergo parochi operâ atque intercessione veniam à propinquis occisi impetrasset, comparebat homicida ad valvas templi formâ & schemate pœnitentis, nudis scil. pedibus, indusio albo superindutus, manu tenens cereum ardentem, & procidens in genua coram propinquis occisi veniam petebat; qui à parocho manu porrectâ elevabatur, veniâ eidem nomine propinquorum addictâ. Quâ veniâ obtentâ, & pœnitentiâ ecclesiasticâ peractâ, & vindicibus sanguinis à querela & persecutione cessantibus: cessabat judicium sanguinis in foro politico. Consuétudinem talem instár legis obtinuisse inde etiam constare potest, quod pastorum reformatorum Pontificiis in Belgio nostro succedentium operam in reconciliatione & veniâ procurandâ homines postulare solent; tanquam partem spiritualis functionis ipsorum (quod expertus testor); quippe quorum esset homines ad remissionem & reconciliationem hortari. Quæ etiam causa fuit, cur in Hollandiâ & vicinis provinciis usitata & pręscripta visitationis ecclesiarum formula articulum contineret, de inquirendo an concionator se immisceret aut immisceri pateretur reconciliationi homicidiorum & homicidarum.

X. *Confessio auricularis, satisfactionis injunctio, Absolutio sacerdotalis:* quam postremam faciunt sacramenti pœnitentiæ formam. De his Pontificii ad 3. *Thomæ qu.84. 90. & ad supplem. qu. 1.-29. Bellarminus de sacram. pœnitentiæ*, cum Antagonistis & *Chemnitio in Exam. concil. Trid.* & *Ægidio Hunnio ac Math. Sutclivio de indulgentiis.*

XI. *Duella.* Invenio constitutiones Pii II. anno 1484. aliorumque, quę in 7. *decretal. lib. 5. tit. de homicid.* & in *Bullario* legi possunt, iis minimè favere. Porro circa sanctiones, judicia, pœnas homicidiorum, abortuum, potionum, duellorum; Concilia, Pontifices, Canonistę, Casuistę

antiqui & hodierni ita versantur, ut falcem suam à juribus & jurisdictione politiarum non abstineant, sed potestatem civilem cum ecclesiasticâ confundant. Vide *Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 19. Et *tit.* 36. *lib.* 1. *decretal. de treugâ & pace. Bochellum lib.* 8. *tit.* 14. *cap.* 9. ubi duellum ad litem terminandam imponunt, & pœnas corporales sanciunt. Ex recentioribus Canonistis imprimis *Zypæum lib.* 5. *tit. de pugnantibus in duello:* ubi *pag.* 341. explicato cit. Concil. Trid. capite, concludit, *Ex hoc loco elicitur etiam argumentum pro potestate Ecclesiæ in temporalia, ob finem spiritualem.* Hic habemus apertam confessionem ejus, quod nos in ipsis culpamus.

XII. *Puerperarum benedictio*, & *purgatio.* Rituale Romanum *pag.* 223. habet *tit.* de benedictione mulieris post partum: & ritum *ibid.* describit: quod eam ad fores Ecclesiæ accedentem & genu flectentem, candelamque accensam in manu tenentem aquâ benedictâ aspergit, additis verbis *adjutorium nostrum*, &c. cum responsoriis. Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem stolæ, eam introducit in ecclesiam dicens; *Ingredere in templum Dei*, &c. & ipsa ingressa genuflectit coram altari, & orat, &c. ubi verba aliqua cum responsoriis funduntur, quibus precatio subjicitur, deinde aspergit illam aquâ benedictâ in modum crucis, & cum benedictione dimittit, *Pax & benedictio*, &c.

In lege ceremoniali puerperæ immundę purgari debebant *Levit.* 12. Et in historia purificationis B. virginis refertur *Luc.* 2. *v.* 22-25. In cujus memoriam festum anniversarium in Ecclesiâ Romanâ servatur dictum *purificationis, præsentationis, luminarium*, Græcis hypapante; ex occursu Simeonis & Annę. De cujus origine, & ritibus *tom.* 1. in fine, *antiquitatum liturgicarum Duaci anno* 1605. typis Balthas. Belleri descriptarum in 8. Ex quo, & Baronio breviter nonnulla excerpsit *Gavantus tom.* 1. *thesauri sacr. rituum part.* 4. *tit.* 12. § 14. *pag.* 285. Ex nostris *Hospinianus de festis*, ad mensem Februar. *fol.* 39. *& seqq.* Quomodo hoc festum à Papa, Cardinalibus, & clero Romano Romæ celebretur, vide descriptum *lib.* 2. *ceremonial. Rom. cap.* 28. Cum quo confer *fragmentum de veteris ecclesiæ ritibus sub nomine Caroli M. à Lazio editum, Antwerpiæ* anno 1560. *excusum apud Bellerum pag.* 144. Lex divina *Levit.* 12. *v.* 2. immunditiam, à quâ purificabatur puerperpera, ponit in fluxu sanguinis menstrui, ita ut eo loco & numero habenda esset, quo aliæ fæminæ menstruatæ; quæ 7. diebus seclusæ & solæ tenebantur, & quidquid illas tetigerat, immundum erat. Non est hujus loci excutere illa, quæ à *Lapide ad Luc.* 2. de menstrui expurgatione & lochiis, deque apertione uteri puerperæ Θεοτόκε partim asserit partim disquirit. Hoc saltem tenendum, puerperas nunc non teneri, nec etiam debere B. virginem in 40. aut 30. dierum abstinentiâ à sacris cœtibus imitari; ne videantur

Ἰουδαΐζειν. Et certè non video, quomodo antiqui canones plane ab admissâ specie mali excusari possint, cum mulieres in diebus purgationis suæ ad cœnam aut baptismum non admittunt, apud *Photium tit.* 3. *cap.* 18. *& tit.* 3. *cap.* 16. In corpore *juris canonici dist.* 5. c. *Cum enixa*, respondet Grego-
„ rius Augustino Anglorum Episcopo: post quot dies intrare Ecclesiam
„ debeat, testamenti veteris præceptione didicisti, quia pro masculo 33.
„ pro fœminâ vero 66. diebus debet abstinere: quod tamen sciendum, quia in mysterio (al. in *ministerio*: sic corpus Canonicum glossatum edit. Basil. 1512.) accipitur. Notæ editioni Gregor. 13. additæ, fatentur haberi hæc verba in MSS. exemplaribus: exceptis duobus Vaticanis. Quod autem nomen *Palea* præscribitur, hoc autoritati ejus derogare (quidquid tandem eo nomine significetur) non potest: cum dictæ edit. Gregor. autores in præfat. eidem præmissâ, asserant & probent, *falsam esse eorum opinionem, qui (paleas)* contemnendas putant. *Glossa ad cit. c.* „ notat menstruatam &
„ puerperam prohibitas tunc fuisse, intrare ecclesiam; modo non prohiberi. Quid sibi velit verbis subjectis: & *hæc prohibitio est de jure naturæ: ergo restat, quod jus naturale sit variatum:* velim Canonistæ nobis explicent. Nec prætereundum, quod glossa ad c. proximè sequ. *si mulier*, sibi objicit: Sed
„ nonne in Brocardo legitur in pœnitentiali Theodori, quod femina post
„ partum masculi abstinebit 33. diebus ab ingressu ecclesiæ: sed post par-
„ tum fæminæ 66. & si ante intrabit, tot diebus pœnitebit in pane & aqua,
„ quot diebus intravit ecclesiam: & qui illis diebus commiscetur ei, decem
„ diebus pœnitebit in pane & aqua. Item consuetudo contraria illis. Ad hanc objectionem sic ibid. respondet: *Sed illud Theodori intelligas de eâ quæ ex devotione non intrat, vel de illâ, quæ sine necessitate intrat. Sed verius credo, quod potest intrare, sive sit necessitas, sive non. ut Extr de purifi. post partum volens: consuetudo tamen in contrarium se habet.* Unde satis constat consuetudine non tantum, sed & lege in Ecclesiâ Romanâ obtinuisse aliquid Judaicum. Quod enim Burchardus Episcopus Wormaciensis in suis decretis præscribit confessariis inquirendum, & quo nomine pœnitentiam injungit; id intra consuetudinis, sive popularis sive ecclesiasticę terminos non consistit. Sic autem ille *lib.* 19 *decretor. cap.* 5. *tit. de abusione conjugii*
„ c. *Junxisti*: Mulier tua si intraverit ecclesiam ante mundum sanguinem
„ post partum, tot dies pœniteat, quot ecclesiâ carere debuerat. Hic vides distinctionem illam quam glossator dicis causa ostentare videbatur, esse exstinctionem. Quod ipse satis in medio actu sophisticandi sensisse videtur, cum hæc verba subjicit: *sed verius credo, quod potest intrare*, &c. Deinde quidquid antehac & hodie etiamnum excusent, à κακοζηλίᾳ Judaicâ excusari non possunt; quippe qui consuetudinem eam in puerperis suis fo-
 vent,

vent, immo & probant: ut in *Thesauro sermonum de sanctis impresso Argentinæ anno* 1497. *serm.* 54. „qui est in festo purificationis: Si tamen ex „veneratione aliquamdiu abstinere voluerunt, talis devotio non est im„probanda, & consuetudo super hoc inducta est commendanda. Et eâ„dem ratione, nec sacra communio est ei deneganda, nisi ex reverentiâ „voluerit abstinere.

Idem fere à *Lapide in comment. ad Levitic.* 12. *ex Innocentii* 3. *responso c. unic. de purificat. post partum. Si tamen*, inquit Innocentius, *ex devotione aliquamdiu voluerit abstinere ab Ecclesiâ*; *devotionem earum non dicimus improbandam.* Ubi tamen citato *Radulph. lib.*8. *c.* 6. sub finem, notat: multas *ob venerationem imitationemque B. virginis ab ecclesiæ introitu* 40. *diebus post partum abstinere.* Ubi vides & religionem seu devotionem (venerationem scil. virginis): & κακοζηλίαν. Sed cur non oblationem infantis in templo, & oblationem columbarum aut turturum, aliaque à B. virgine secundum legem ceremonialem præstita, pari religione & devotione imitantur? Maria secundum plerosque erat absque menstrui aliarumque sordium immunditie ceremoniali, nec ad observationem illam tenebatur: uti contendunt *Scholastici ad* 3. *Thomæ qu.* 37. *Bernard. de bustis in Mariali part.* 8. *serm.* 1. *de purificat. part.* 3. *& ex recentioribus A Lapide in Luc.* 2. *& Mart. Delrio in Floridis Marianis*, *panegyrico* 8. Si nulla *Irregularitas* (uti *Turrecremata* in *quæst. ad text. Lucæ* 2. de purificatione appellat; & à culpâ distinguit) à fæminis sub N. T. uti sub V. T. nunc contrahitur: cur puerperii aut quæcunque menstrui immundities aut irregularitas vel minima specie hic admitti videtur? Si dicant ex purâ devotione ac religione abstineri ab Ecclesiâ, & non ex conscientiâ alicujus immunditiei & irregularitatis: regero cur ex devotione & religione, violant sepulcrum (ut Augustinus loquitur), & sepultam legem ceremonialem refodiunt? Quamvis Doctores nunc contra protestentur, protestatio est contraria facto & fæminarum, & Doctorum, atque ipsius Ecclesiæ, quæ hanc sive superstitionem sive vanam observantiam non tantum non permittit, sed etiam probat ac commendat. Jam vero notum est ex Casuistis, istis modis fieri quem alieni peccati participem. Quid si quę fæmina primogenitum suum ex lege *Exod.* 13. *v.* 2. ad imitationem Mariæ, & ex purâ devotione ac religione, in templo offerat, atque una par columbarum; *Levit.* 12. *v.* 8. an probarent & commendarent? Idem quæro de fæminis extra puerperium menstrui fluxu laborantibus, an juxta legem *Levit.* 15. *v.* 19. 31. ab Ecclesiâ, immo & à conversatione cum hominibus abstinebunt? Idem de fæminis & viris cadaver attingentibus, juxta legem *Levit.* 11. *v.* 38. 39. Quod si in istis devotionem, religionem, & imitationem Mariæ frustra prętenderent: cur minus in abstinen-

tiâ 33. aut plurium dierum ab Ecclesia? Cum potius religionem & devotionem ostendere deberent, in frequentatione Ecclesiæ, ad Deo in magno cœtu gratias agendas, cultum divinum cum & in Ecclesiâ celebrandum, adeoque desiderium suum implendum, vota solvenda, seipsas Deo de novo primâ quâque occasione, & simulac per valetudinem hoc liceret, illic sistendas atque offerendas. Exemplo Davidis *Psal.* 42. *v.* 3. 5. & 122. *v.* 1. & 84. *v.* 2-6. Et in hoc casu subjiciendum est puerperis τὸ *hodie*, *si vocem ejus*, &c. Heb. 3. v. 7. 13. *Quidquid manus tua invenerit ad faciendum, secundum vires tuas fac*, &c. Eccles. 9. v. 10. *Dum tempus habemus*, &c. Galat. 6. v. . Si quis à leprâ, à dysenteriâ, à sanguinis fluxu (qualis *Math.* 9. *v.* 22. *Luc.* 17. *v*, 18.) à possessione diabolicâ liberatus, opinione religionis & devotionis ab Ecclesiâ Dei, & publico cultu, abstineret non tantum 40. diebus, sed hebdomadibus aut mensibus (ut tanto major esset devotio) quid de imaginariâ ejusmodi religione judicarent? Hic excutiendum illud τὸ *cras dabo tibi* Prov. 3. v. 28. Dei cultum publicum in Ecclesiâ quamprimum, præsertim tantæ liberationis occasione, frequentare debet, eique gratias agere in magna Ecclesia *Psal.* 22. *v.* 22. 23. & 102. *v.* 22.; hoc demum esset analogicè usum legis *Levitic.* 12. & exempli B. virginis *Luc.* 2. sibi facere, ut & aliarum legum ceremonialium de lotionibus, lustrationibus, purgationibus, leprosorum aliorumque ceremonialiter immundorum. Ut autem magis pateat, κακοζηλία purificationis Judaicæ, implicari Ecclesiam Romanam, conferamus ritus Græcorum, syncretismo seu unione cum ecclesiis Ruthenicis (de quâ *Baronius in append. ad 7. tom. annalium pag.* 819. §. 23. cum quo confer *lib.* 4. *histor. ecclesiarum Slavonicarum*) haut obscurè approbatos. In Euchologio seu Rituali Græcorum exstant *pag.* 316. *& seqq.* orationes in mulierem puerperam, &c. ubi 3. *orat* petitur, ut Deus remissionem largiatur puerperæ, ejusque domui, καὶ τοῖς ἀψαμένοις αὐτῆς, id est, *& cunctis eam attrectantibus.* Ad quæ verba. *Jacobus Goar ordd. prædicatorum* operis illius editor hæc annotat. „ Profluvio, inquit, sanguinis men-„ struo, vel partum consequente, mulier apud Græcos subjecta & exinde „ immunda, nec ecclesiam ingreditur, nec sanctum aliquod contingere præ-„ sumit: à quâ proinde tangendâ cum sibi caveant ejus proximi, veniam „ eorum nomine precatur sacerdos, si nimium quasi contractâ immundi-„ tiâ, impuri divino conspectui se indecenter in Ecclesiam intrudant. Et citat ibidem Petrum Cartophylacem *ex lib.* 6. *juris Orientalis seu Græco Rom.* & Matheum Blastarem in Nomocanone, qui dictant, puerperas per censuram (gr. ἐπιτίμησις) à communione arceri debere; & menstruo fluxu jactatas, ut immundas à cæteris separandas; & tales in præsenti à templo penitus eliminari; etiam obstetrices, aliasque astantes fœminas ab inflictâ sibi impuritate

ritate per sacerdotalem benedictionem penitus expiari. Huic rei probandę faciunt verba orationis quartæ in *euchologio pag.* 320. „ Benedic & sanctifica „ præsentes tuas ancillas partui ancillæ tuæ assistentes, & ut inculpatè in san- „ ctam tuam ecclesiam intrent, & sanctis tuis & immaculatis vivificis my- „ steriis participent, &c. dignas redde. *Orat. sequ.* 4. *in mulierem puerperam post viginti vel quindecim dies*: „ Domine Deus noster panis verus vitæ no- „ stræ, qui per tuam in carne dispensationem nos expiasti, & regenerasti, „ & nos indignos, ad nomen tuum sanctum accedentes benedicere & san- „ ctificare jussisti. Ipse Domine Deus noster, ancillam tuam N. à pręteri- „ tis ejus corporis, sordibus, per viginti dierum expiationem (gr. καθάρσιος) „ expurga. Jus Gręcorum *tom.* 1. *pag.* 70. *edit.* Leunclavii & Freheri: *Mulieres, quæ in secessu sunt* (h.e. quę menses suos habent, quales separatim apud Judęos habitabant) *tam à divinis templis, quam sacris mysteriis arcentor*. Ibid. „ canon Nicephoro Patriarchæ tribuitur: Si mulier peperit, & infans in „ periculo est, à tribus aut quinque diebus: puer quidem per baptismum illu- „ minator, sed alia mulier baptizata & munda lactabit eum. Mater autem „ ipsius cubiculum non ingredietur, in quo puer jacet, usque ad quadrage- „ simum diem, dum purgata scil. integrè fuerit, & preces à sacerdote impe- „ traverit, nec omnino puerum attinget. His adde quæ de fæminis menstruo fluxu laborantibus à cœnâ & baptismo arcendis apud *Photium in Nomocanone tit.* 3. *c.* 18. *ex epistolâ Dionysii ad Basiliden c.* 2. 4. & *Timothei can.* 6. 7. & *tit.* 4. *c.* 16. *ex Timothei can.* 6. Decreto Ecclesiæ Gallicanę apud Bochellum *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 96. ex Odone Paris. Episc. in Synod. „ pręcipitur presbyte- „ ris, ut quando mulieres post puerperium veniunt ad *purificationem* (nota), „ dent eis tantummodo panem benedictum, & corpus domini eis nullo „ modo propinent, nisi expresè petant, & prius confessę fuerint. *Et lib.* 6. *tit.* 4. *cap.* 78. *ex synod. Andeg.* 1262. „ Prohibemus ne eâ die quâ benedi- „ ctio nuptialis celebratur, mulieres admittantur ad *purificationem*, cum „ præpostera videatur. *Ibid. c.* 79. *ex synod. Andeg.* 1270. Intelleximus quod „ nonnullę mulieres maritorum suorum exigente contumaciâ, ecclesiasti- „ co interdicto suppositę, nec non plures ex fornicario coitu, seu de adulte- „ rio, aut alias illicitè parientes, & *purificatione post partum indigentes* (no- „ ta) latenter seu clandestinè ecclesias ingrediuntur, postquam sacerdotes „ missarum solennia inceperint, se facientes à dictis improvisis sacerdotibus „ *purificari*. Propter quod statuimus, ne qua mulier ad missam seu *purifica-* „ *tionem* admittatur post partum, nisi, &c. denuntiari fecerit sacerdoti, se „ velle venire ad purificationem. Quis ex omnibus illis non videt, aliquid veteris fermenti Judaici de immunditie menstrui, & sacrâ seu ecclesiasticâ purificatione hæsisse in antiquâ ecclesiâ, & in sequente novitate Papatus,

is ſane volens oculos videtur claudere. Ita ut *A Lapide* in *Levitic.* 12. fruſtra σώφον hoc φάρμακον excuſando facto mulierum & conſenſui Eccleſiæ Romanæ adhibeat, quod ob venerationem imitationemque B. virginis, non ob obligationem legis *Levitic.* 12., ab introitu eccleſiæ 40. diebus abſtineant. Quid ſi idem dicatur de obſervatione feſti tabernaculorum, tubarum, expiationis, de abſtinentiâ à fermentato per ſeptem dies, de abſtinentiâ à ſanguine, ſuffocato, carne ſuillâ, leporum, cuniculorum, &c. Hæc enim omnia ſervaſſe B. virginem credendum eſt. Et quid ſi Abaſſini hâc diſtinctione uſum circumciſionis defenderent? an Pontificii reſponſionem acciperent? Inſuper cum iiſdem in ſuâ miſsâ ſeu liturgiâ (fatente & citante *A Lapide ad Levitic.* 12.) dicunt: *Tu domine docuiſti Moſen conſtitutionem mundam*, &c. *quæſumus ergo pro ancilla, quæ ſervavit conſtitutionem tuam*; An probabunt? An vero cum *A Lapide* huic morbo palliativam hanc curam adhibebunt: *intellige*, inquit, *quoad ipſam ceremoniam purificationis, non autem quoad ipſam rationem & obligationem legis ſive conſtitutionis: noſtræ enim puerperæ huic conſtitutioni ſe conformant* (nota) *non quia illâ obligantur, ſed ſponte & ex devotione ſuâ iam dictâ.* Si hæc diſtinctio valet, jam omnia ceremonialia (quæ *à Lapide pag.* 1346. in 24. claſſes diſtributa enumerat) pariter à Chriſtianis obſervari poterunt: & ſic omnes prohibitiones Apoſtolicæ *Actor.* 15. *Galat.* 2. & 4. *Coloſſ.* 2. & ſynodicæ antiquorum *Concil. Laodic. can.* 37. &c. conſtitutiones eludi. Poterunt *ſponte ex devotione* puerperæ in purificatione ſuâ ſe *conformare conſtitutioni Levitici* 12. *v.* 6. 7. 8. & leproſi in ſuâ mundatione *conſtitutioni Levit.* 14. *v.* 5.-9. & seminiflui conſtitutioni *Levit.* 15. *v.* 4.- 13. 14. 16. Et menſtruatæ, conſtitutioni *Levitic.* 15. *v.* 9. & qui contigit mortuum, aut oſſa, aut ſepulcrum, aut morticinum, *conſtitutioni Numer.* 19. *v.* 9.- 14. & in caſtris polluti, aut alvum exonerantes *conſtitutioni Deuter.* 23. *v.* 10. 12. Idem dici poſſet de diebus azymorum aliorumque feſtorum, de neomeniis, de abſtinentiâ à cibis immundis, de manducatione agni paſchalis, &c. & quidni de circumciſione ex *ſpontaneâ devotione*, & *ob venerationem atque imitationem* Chriſti, qui circumciſus fuit. *Fr. Haræus Ultrajectinus Canonicus Lovanienſis in expoſitionibus ad Biblia* anno 1630. *editis, ad Levit.* 12. *v.* 6. ſic excuſat: „Quæritur, inquit, „cur Eccleſia non judaizet, exercens adhuc ceremoniam purificationis mu-„lierum ex partu. *Reſpondeo:* Non exercet cěremoniam hîc prȩſcriptam, „nec intendit quidquam Judaicum aut Moſaicum obſervare, ſed tantum „pro gratiarum actione facit aliquid legi Chriſtianæ non incongruens. „At rurſum *dices;* Attamen purificatio vocatur. *Reſpondeo:* Sed abuſivè „tantum; eò quòd ſit ceremonia ex parte quadam ſimilis ei quæ in ve-„teri lege vocabatur purificatio, ſed tamen ex multis partibus eidem diſ-

„ similis est, & inprimis quod nullum discrimen est sive pro masculo, sive „ pro femina.

Sed quidquid dissimulent, quidquid protestentur, quidquid distinguant, hærent in luto Judaismi 1. *Quia* devotio, veneratio, & humilitas ejusmodi, est mera ἐθελοθρησκεία *Coloß.2.v.23. Math. 15.v.9.* 2. *Quia*, eâdem sub distinctione exceptione, & protestatione, omnes ceremoniæ Judaicę observari possent. Si enim spontaneæ *devotioni*, & *venerationi* in talibus purificationibus lege ceremoniali præscriptis, sub protestatione (quæ facto contraria) de non obligando, semel locus detur, quis erit finis? Thalmudici in tract. *middot* & *Tamid* fusè explicant modos, quibus homo attingendo pollui possit, ac propterea ab ingressu sanctuarii prohiberi, quos ad hæc capita revocant, profluvium, seu seminifluvium, fluxus menstruus, leprosus, mortuus, morticinum, octo reptilia immunda, coitus, *Maymonides lib.3. More Nevochim cap.47.* in causas prohibitionis ab ingressu sanctuarii & imperatæ purificationis inquirens; „ determinat, per istas actiones conservari *reve-* „ *rentiam, affectionem*, *devotionem* erga sanctuarium; per quam homo inci- „ tatur ad *humilitatem*, quæ præcipuè hic spectatur. Hæc quidem ille de actionibus partim lege Dei (sed minime nunc obligante & observandâ. *Gal.4.* & 5. *Coloß. 2. Actor.15.*), partim traditione majorum, præscriptis; quæ magnam partem etiam hodie à miseris Judæis observantur. Vide *Buxdorfii synagogam*, per totum & specialiter, de purificatione puerperarum *cap.2.* quæ fit per lotionem & immersionem totius corporis in aquam. Et adde ritus Judaicos *Marci 7.v.3.* & 4. quorum largam explicationem ex antiquariis Judaicis dedit Clariss. *Pocockius in appendice ad Portam Mosis Arabicè & Lat. anno 1655. editam cap.9.* 3. *quia*, quidquid recentiores nunc excusent, mores tamen populi & vulgarium sacerdotum divortium hic faciunt, à doctorum instructione & cautelis. Ipsi ergo Doctores dum suos ab ejusmodi popularibus erroribus non abducunt; & contra eos fideliter non instruunt; dum speciem illam observationis Judaicæ in suis fovent; & ἰδίῳ technologemate *purificationem* appellant; & Græcorum ritus Judaici per institutas cum quibusdam Græcanici ritus ecclesiis uniones, participes sunt: à specie & participatione Judaismi immunes non sunt; nec adversus scripturæ *Coloß.2. Galat.4. Actor.15.* & antiquæ ac subsequentis Ecclesiæ canones se tueri possunt. Vide *Concil. Laodic. can.29. 37.* 4. *Quia* quidquid distinguant, cum ritibus lustricis Ethnicorum & Muhammedistarum symbolizant: contra doctrinam Apostoli 1 *Cor.8.* & 10. de idolothytis: & antiquorum canonum, ac patrum, *Concil. Ancyr. c.7.* &c. à nobis 3. *part. sel. dispp. tit. de Idololatriâ, & de superstitione cit.* Quinam in hoc aliisque casibus ritus apud Ægyptios, Gręcos, Romanos adhibiti fuerint,

ex

ex philologis & antiquariis discendum est. De lustricis in genere nonnulla notat *Nat. Comes lib. 1. mythol. cap.* 14. De lustratione infantum *Casaubonus ad Persii satyr.* 2. quarum superstitionum reliquias *Chrysostomus ibi cit.* graviter incessit. De Zabiis refert *Maimonides part.* 3. *More Nevochim cap.* 47. ,, receptum fuisse apud illos, ut Mulier menstruo laborans separatim sit in ,, domo aliqua, ut loca, in quibus ambulavit, comburantur, &, quisquis ,, cum ea loquutus fuerit, pro polluto habeatur; quin-imò, si ventus idem ,, transeat super menstruatam & super mundum aliquem, ut pro polluto ha- ,, beatur. Unde vides, quantum intersit inter istud, & inter id, quod nos ,, docemus. Omnes etenim operas, quas uxor marito suo præstare solet, ,, facere potest & menstruata suo marito, excepto coitu, quamdiù in pollu- ,, tione suâ permanet. Prætereà, ex Zabiorum consuetudinibus erat istud ,, quoque, quòd omnia ea, quæ separantur à corpore, ut pili, ungues, san- ,, guis, pro immundis habebantur. Unde tonsores omnes ipsis immundi ,, erant, quia sanguinem & pilos tangunt. Quicunque novaculam super ,, carnem suam transire sinebat, lavare se cogebatut in aqua fontana, clara, ,, limpida. Et sic alias plures defatigationes & tædiosas consuetudines ha- ,, bebant.

Affines quodammodo videntur mores Turcarum (apud *Loniceum tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8.) quibus à templis suis arcent corporis vitio, vel morbo contagioso laborantes: Virgines, & quinque mensium viduas admittunt. Sed de his plus satis. Tantummodo in transitu hic expendere liceat digressionem *Richardi Mountacutii* nimium patienter rancidos veterum & superstitiosos mediorum ac novorum ritus admirantis an venerantis, juxta gnomam ipsius: πᾶν τὸ ἀρχαῖον αἰδέσιμον. Is in parte priori *Origin. ecclesiastic.* §. 169. *hanc,* inquit, *& superius commemoratam historiam (Luc.* 2. *v.* 22.-36.) *anniversariâ festivitate celebrat Ecclesia Dei. Diem ab illâ solennitate celebrem, vocant præsentationis, vel purificationis: nos Anglicè* **The Purification of our Lady**: *vel communi sermone potius,* **Candlemas-day**, *à distributione & gestatione cereorum ardentium; vel etiam quod per illum diem cereorum usus in vespertinis precibus, & Litaniis, per totam hyemem adhibitis cessare soleat, usque ad sanctorum omnium festum anni sequentis.* De ejusmodi nominibus Ethnicam aut Papisticam superstitionem redolentibus, de festis, de cereis, hic nihil reponam. Poterit lector examen eorum petere ex 2. *part. sel. dispp. tit. de Tempore nativit. Christi;* & ex 3. *part. tit. de idololatriâ, de superstitione, de festis,* &c. Tantum nunc expendemus rationem, quam justissimam pro hujus festi celebratione §. 170. appellat: ,, Majestas Do- ,, mini complevit domum, &c. major gloria hujus domus, ad quam venit ,, dominator Deus, & quam præsentiâ suâ honoravit, &c. similem oblatio-

„nem templum vidit nunquam. *Resp.* An Christus 12. ætatis anno majestate suâ minus complevit domum *Luc.2.v.46.* & cum ementes & vendentes ejiceret & zelus domus Dei eum comederet *Joh.2.v.14.15.17.* cum doceret in templo *Luc.21.v.37.* cum festum celebrans & docens clamaret in templo *Johann.7.v.28.37.* Et cur in Ecclesiâ antiquâ tempore Justiniani & ultra (saltem ex antiquissima post-Apostolicâ nihil de hujus festi celebratione adferri posse, fatentur ipsi Pontificii à nobis *cit.*) nec hoc luminarium (belgicè **Ons Lieve Vrouwe Lichtmisse**, angl. **Candlemas-day**), nec alia in memoriam pręsentiæ Christi in templo, & adventus ad templum suum *Hagg.2.v.10. Malach.3.v.1.* celebrata sunt? §.170. in fine aggreditur defensionem *purificationis fœminarum* (sic habet ipsius lemma marginale §.172. & index parti posteriori præmissus) *in Angliâ.* Ubi primum nota ipsius verba §.170. in fine: *Sed prius tamen necesse est; ut Euangelica à Legalium imputatione hinc arreptâ occasione vindicemus.* Ergo purificatio fœminarum, ipsi est euangelicum quid, non legale. Quinam autem sunt qui legale hic imputant: *calumniis, cavillis & ridiculis quibusdam sannis incessunt nostri, à Genevensibus orti, Puritani: volunt ortam à Judæis hanc ceremoniam.* Eosdem dictos Puritanos *in appar. ad Origines eccles. app.* 11. §.28. *vocat nostros Novatianos*, & *Catharos.* Qui & quales sint Puritani in Angliâ, non est quod hic quæramus. Scripta utriusque partis præcipua aliquot indicamus *lib.2. bibliothecæ cap.5. pag.586. edit. 2. anno* 1651. Quibus addi possunt scripta anonyma *tit.*, *Ladensium* αὐτοκατάκρισις, (cujus autor *Andr. Bailius* theologus Glascuensis); & *Ladensium apostasia* hoc anno 1664. edita; utraque idiomate Anglico. Regimen Ecclesiæ presbyteriale à Romano-Episcopali distinctum, & abstinentiam ab inutilibus quibusdam ceremoniis, ac cum simplicitate Ecclesię Apostolicæ propiorem conformitatem, denique doctrinæ puritatem contra semi-Pontificios syncretistas, & Remonstrantes aliosque sectarios stabilitam, si vocat *Puritanismum*; Ecclesiæ nostræ Belgicæ libenter eum & verbis & factis cum aliis ecclesiis reformatis profitentur, Deoque suo, hoc nomine, gratias agunt. Per *nostros Puritanos*, si intelligat theologos Anglicanos, qui anno 1640. (cum *Montacutius* ista scriberet) suspirabant & desiderabant propiorem cum Apostolicâ simplicitate conformationem; utique fraternitatis cum piis illis mentibus hâc in parte non magis nos pudere debet, quam cum Luthero, & Zwinglio, Genevensibus, Calvino, aliisque omnibus theologis reformatis; quos peculiari ἀρχαιομανίας μετωριζόμενος *Montacutius*, *novatorum* titulo insigniebat, in *appar. ad origines ecclesiast. app.* 11. §.7.12.28.48. Et *in præfat.* §.73. *Et appar.*9. §.2.39. Videat, cui hoc tanti est, ὑβριστικὰς hujus Semi-Pelagianizantis & Semi-Papizantis declamationes, præfationi & apparatui passim, imprimis XI. *appar.* inspar-

sas.

ſas. *A Genevenſibus* Puritanos Anglicanos ortos dicit, quia ſcil. ſententia & votum eorum à Genevenſium ſententiâ & praxi non diſſentit: ſed id ipſis fraudi & pudori eſſe non debet; non magis, quam noſtris, aliiſque omnibus Eccleſiis reformatis, quod zelo ceremoniali, & Remonſtranto-ſemi-Papiſtico, cum Montacutianis & Ladenſibus accenſę non ſunt; nec Petrobruſianos, Waldenſes, Wiclefiſtas, (*appar.* 11. §. 30.), Lutherum, Zwinglium, Genevenſes, alioſque reformatos faſtidiosè & contumeliosè perſtringunt; dum præcipui Papatus Romani ſatellites, non ſine honoris præfatione paſſim nominantur. Quo loco quæſo haberent paparurientes Montacutiani majora illa Eccleſię Anglicanæ lumina, Raynoldum, Wittakerum, Perkinſum, Willetum, &c. Genevenſis eccleſiæ reformationem minimè improbantes? *Alibi appar.* 11. §. 30. agens de feſto natalitio, ſcribit, *Veſanæ impietati* (Puritanor. Anglic.) *diſciplinam Genevenſem, facem prætuliſſe & exemplum.* Ad cogitatum, auditum, lectum nomen Genevenſium efferari videtur. Nos ipſius aſſeclis ex diſciplinâ eccleſiar. Gallicar. Belgic. Scotic. Germanicar. Slavonicar. Hungaricar. hic oſtendere poſſemus, non eſſe in ſolos Genevenſes ferrum convertendum; quippe qui in nullis ſoli, in multis, immo in pleriſque ad regimen & ritus pertinentibus, primi non fuerint: ſed haut operæ pretium. Rancidis antiquitatis ac medię ætatis ceremoniis, hiſtoriis, indiciis, uti cochlea teſtę ſuæ, ita affixi ſunt illi, quibus cum Montacutio πᾶν τὸ ἀρχαῖον αἰδέσιμον, ut ad origines & ſucceſſiones eccleſiarum Pædemontanarum, Waldenſium, Anglo-Wiclefiſticarum, Bohemicarum, Germanicarum, & inde reliquarum in Europâ, lumina ſua attollere nequeant: Paſcantur ergo, αἰδεσιμωτάτοις illis deliciis, ab ordine Romano; & ſub nomine *Iſidori, Hiſpalenſis, Albini Flacci, Amalarii, Rabani Mauri, Walafridi Strabonis*, &c. (quæ in unum volumen collegit *Hittorpius* Colon. 1568.) appoſitis. Quibus adde fercula liturgica edit. Caſſandrianæ, & *Claudii Sainctesii*; & quæ ſub nomine *Caroli M.* in lucem protracta à *Wolph. Lazio*; Et quidni *Ruperti Tuitenſis libros* 2. *de divinis officiis*, *Guidonis* de monte *Rocherii* manipulum curatorum, *Beletbi* & *Gul. Durantis rationalia divin. offic.*, *Johannis de Burgo Pupillam oculi* anno 1385. compilatam, *omnibus presbyteris* (ut habet titulus) *præcipuè Anglicanis ſummè neceſſariam;* denique *Euchologium* & reliqua liturgica atque agendaria Græcorum, Syrorum, Armeniorum, Coptitarum, &c. ſupra *lib.* 2. *tract.* 1. indicata. Ne quis autem excipiat, plurima hæc eſſe ſequiorum ſeculorum; digitum intendo ad *Dionyſii* dicti *Areopagitæ*, *Clementis Romani* ἀρχαῖα αἰδεσιμώτατα; quæ poſteriora *Montacutius* ſingulari ſtudio à ψευδεπιγραφῇ & hypobolimeiſmo (ita loquar) vindicare annixus eſt.

Sed miſſis nunc novatoribus Genevenſibus, ſubſtituo illis Eccleſias ſupe-

riorum Hungariæ partium, quarum constitutiones anno 1595. artic. 50. sic habent: *Introductio, ut vocant, novarum nuptarum & puerperarum omittenda est; quod illud Papisticum, hoc vero Judaicum sit.* An Genevenses constitutiones ecclesiasticæ, tale quid continent? Et tamen istæ ecclesiæ in suis pastoribus *ibid.* tunc congregatis, nec *Puritanicæ* aut *Novatianæ* erant, nec Genevensibus ortum suum adscribere, nec ex disciplinâ Genevensi hæc desumsisse videntur. De *calumniis*, *cavillis*, & *ridiculis sannis* Puritanorum Anglic. (quos ita vocat) quid sit, dicere nequeo: si autores nominasset, potuissent conferri. Nos saltem ut pro nullius calumniis, & cavillis causam dicere constituimus, sic nec categoriis infensissimi ipsorum adversarii *Montacutii* fide carbonariâ credere tenemur; non magis quam Jesuitis *Gretsero*, *Becano*, *Henrico Fitz Simoni* per totam *Britanno-machiam* imprimis *lib. 2. cap. 5. 7.* Cretizanti & calumnias vomenti. Qui ibidem Puritanismi nomine (cujus synonymum *Calvinismus*) complectitur Ecclesias Gallicas, Scoticas, Belgicas, Genevenses; immo & ipsum *Lutherum lib. 1. c. 4. pag. 38. Interim*, inquit, *in Luthero Puritanorum, in Puritanis Lutheri indolem deprehendimus.*

Si notati isti Puritani dixerint *purificationem* à Judæis habere originem, certè minus dixerunt, quam *Canon Hungaricar. ecclesiar.* modo cit. introductionem puerperę appellat *Judaismum.* Et cum à Pontificiis supra cit. & à liturgiâ anno 1561. Lipsiæ per *Alex. Alesium* Scotum editâ, & ab ipso *Montacutio* §. 171. in lemmate marginali, & in ipso textu vocatur *purificatio*; cumque ea interpolata successerit purificationi Papisticæ, ad quam quæso primam originem, quam ad Judaicam *Levitic. 12.* & *Luc. 2.* hanc qualemcunque solennitatem referrent Puritani? Neque enim inter sacras ceremonias, à Christo nobis revelatas & præscriptas (quales *Math. 28. v. 19.* & *26. v. 26.* cum *1 Corinth. 11. v. 23. 24.*) numerari potest. Nec etiam inter antiquas traditiones, quæ in primâ & antiquissimâ post-Apostolicâ antiquitate observabantur, eas quisquam commonstrabit. Quin ipse *Montacutius* §. 169. & 170. adversus *Baronium* & *Nicephorum lib. 17. cap. 28.* probaturiens, ante *Justinianum*, festum purificationis B. virginis actum fuisse, nihil adducere potuit, quam incerti autoris orationem (*fortè*, inquit, *Chrysostomi*) εἰς ὑπαπαντήν; quæ exstat *tom. 5. oper. Chrysost.* hâc additâ conjecturâ criticâ: *certè authoris antiqui satis, & ultra ætatem Justiniani.* Hoc totum, pro venerandâ hujus festi antiquitate. Atqui definitè dicendum fuisset, quamdiu illa oratio ante *Justinianum* præter propter habita fuerit. *Nicephorus* enim loc. cit. dicit, quod idem imperator festum ὑπαπαντῆς *toto orbe celebrari primum* (πρώτως) ordinavit. *Baronius* in notis ad martyrologium 2. Februarii affirmat *solennitatem hanc sub Justiniano Constantinopoli celebrari cœptam tam Græcos quam Latinos testari autores*: & ibidem asseve-

rare

rare *non dubitat*, *nullam vel Latinorum vel Græcorum Patrum*, *qui ante Justinianum autorem vixerunt*, *sermonem in festo die occursus domini scriptum reliquisse*. Referatur ergo festi hujus origo ad annum Christi 520. aut 525. cujus celebrationis in Oriente prodroma fuit (ut vult *Baronius*) abrogatio lupercalium Romæ facta à *Gelasio* annis 30. ante *Justinianum*. Et sic antiquitate, successione, catholicismo pariter excidit *Montacutius*, cum Pontificiis; qui tamen apud *Baronium* loc. cit. & in *Annal. ad ann.* 58. §. 28. *coll cum* 496. §. 4. novitatem hanc fatentur. Legat eum, cui vacat, & videbit μορμολυκείῳ antiquitatis & traditionis (catholicæ scil. uti prætendi solet) *Montacutium* exutum. Si autem antiquitas celebrati & Lupercalibus Romanis substituti festi purificationis seu luminarium, supra *Gelasium* & *Justinianum*, non assurgit: quomodo puerperarum purificationi antiquitas & catholicismus vindicabitur? cur *novatores* erunt Genevenses, & reliquæ ecclesiæ reformatæ, quæ ejusmodi purgationes tutius omittendas censent? Eat nunc & verbis aliâ in questione ab se usurpatis §. 165. glorietur, ita *recoli ab Ecclesiâ Anglicanâ*, *cum Catholicâ*, *contra omnes omnium Enthusiastarum*, *Puritanorum*, *Separatistarum*, *Genevensium*, *aliorum innovationes*.

Audiamus porro quid ex ingenii sui ἀρχαιολογμείῳ §. 172. *pag.* 159. depromat: „ Quod si, inquit, verum esset, (ceremoniam hanc à Judæis ortam), „ non magis reprehendi debuit, quam quod Dei cultus, in locis sacris, hoc „ est ecclesiis, videatur à Judæis derivatus; cum in templo illi, & non in „ lucis, montibus, agris, convallibus, Deum patrum suorum venerarentur. „ Non omnia Judaica reprehendenda, sed more & fine Judaicis observata, „ &c. Ita non est piaculum, ad exemplum Judeorum rem quamlibet divi-„ nam agere. *Et huc trahit dictum Nazianzeni in Orat. in S. Pentecosten*: „ ἑορτάζει Ἰουδαῖος, &c. hoc est, *festos dies etiam Judæus agit*, *sed secundum* „ *literam*, &c. *festos dies agit quoque Græcus* (vel Gentilis), *sed secundum* „ *corpus*, &c. *feriamur & nos*, *verum ut placet spiritui*. *Resp.* 1. Instantia de templo Judaico admodum imperitè ex geminâ falsâ hypothesi adfertur: quasi ædificia Christianorum conventibus ecclesiasticis destinata sint loca sacra: & quasi Christiani in cultu publico peragendo imitarentur exemplum Judæorum, proprium cultum templarem in loco quem dominus elegerat, & cui cultum illum affixerat, peragentium. In nostris oratoriis ad cultum publicum & ἐπισυναγωγὰς (*Hebr.* 10. *v.* 25. cum 1 *Cor.* 11. *v.* 18. 33. & 14. *v.* 26) adhibitis, imitamur Judeos synagogas oppidatim & vicatim sibi curantes. Et si ipsorum aut aliorum exemplum nullum esset, necessitas, & consequenter recta ratio ac lex naturalis hoc nos doceret. Sed sic se res non habet in immunditie & purificatione puerperæ, quæ purâ putâ lege positivâ ceremoniali, sub N. T. abrogatâ, nitebatur. *Resp.* 2. Si

licitum

licitum est sub N. T. rem quamlibet divinam ad exemplum Judęorum lege ceremoniali obligatorum agere, modo *more & fine Judaicis* non agatur: sequeretur Abassinorum circumcisionem, & omnia sacrificia, suffitus, lustrationes, festa tabernaculorum, tubarum, neomeniarum, & manducationem paschæ, & dies azymorum, annos sabbaticos, jubilea, lege ceremoniali præscripta à Christianis si non necessariò, saltem melioris ædificationis & majoris devotionis ergo, observari posse ac debere: modo id fiat in spiritu & secundum spiritum; non vero secundum literam, aut more & fine Judaicis. Sequeretur etiam complures Gentilium ritus, sed Christianizatos, & aliter formatos, atque aliâ intentione peractos, exemplo antiquorum, & Papistarum (quorum artem metamorphosios hâc in parte defendit ac laudat *Baronius ad ann.* 58. §. 28.) observari posse. Denique sequeretur à reformatis ecclesiis, & ab Anglicanâ malè sublatas tam multas ceremonias & observationes; quæ partim in antiquâ & intermediâ ecclesiâ observatæ, ac post ab ἀκμῇ seu novitate Papatus adoptatæ sunt; partim in & ab ipso Papatu progenitę. Cur titulos alios in *Isidoro*, *Officio Romano*, *Amalario*, *Rabbano Mauro*, &c. *Beletho*, *Durante*, *Guidone de monte Rocherii*, *Pupillâ oculi*, *Pontificali Romano*, *Mißali*, *Rituali*, *Breviario* fulgentes, exstinxerunt primi reformatores Anglicani, magis quam titulum de purificatione puerperarum: cum illi, si non omnes, saltem multi ex illis pari modo & sub tali distinctione atque interpolatione potuissent relinqui, & sic venerandæ antiquitatis caput contra Genevenses, omnesque alios novatores reformatos levari? Sed alibi in loco de legibus docetur usum legis ceremonialis quamvis nunc abolitæ esse & manere sub N. T. tum didacticum tum practicum. *Didacticus* est duplex: *Prior* in nudâ, & quasi materiali, seu simplici historicâ divinæ hujus legis & partis sacræ scripturæ cognitione. *Alter* in formali cognitione typificationis, adumbrationis, prænuntiationis, & significationis euangelicę: seu in collatione typi cum antitypo, umbræ cum corpore, prænuntiationis cum impletione, hoc est, relativâ mysticæ significationis cognitione. *Practicus* est, in observatione analogicâ & quod ad genus legum ceremonialium de lotionibus, purgationibus, oblationibus & sacrificiis, festis & jubileis, &c. Tales usus practicos docet scriptura *Hebr.* 10. *v.* 22. cum *Jacob.* 4. *v.* 8. 1 *Petr.* 2. *v.* 5. 9. *Rom.* 12. *v.* 1. 2. 1 *Cor.* 5. *v.* 8. Sed omnis usus practicus in observatione ceremonialis ritus in specie e. g. circumcisionis, purificationis, oblationis, thurificationis, neomeniæ, anni sabbathici, σκηνοπηγίας, manducationis azymorum, &c. (quamvis alio fine, alio intellectu, observarentur) à Christianis fugiendus, tanquam ἐθελοθρησκεία, aut superstitio, aut vana observatio: non obstante, quod usque ad tempus correctionis omnia ista sacra fuerint, & partes cultus

cultus divini instituti, in conscientiâ per legis divinæ obligationem exercendi. Huic thesi probandæ faciunt, quæ ex *Actor.* 15. *Galat.* 4. & 5. *Coloss.* 2. & ex antiquis contra observationes rituum (quamvis alio modo & fine) Judaicorum, & Gentilium à nostris adferri solent: & à me in 3. *part. sel. dispp. tit. de Idololatriâ*, *de superstitione, de Jubileo*, *de Festis, de Bacchanalibus, de canonizatione sanctorum, de patronatibus, tutelis*, &c. *sanctorum*, antehac allata sunt. Pergit *Montacutius*:

„ Secundo, inquit, calumniantur, morem istum merè Judaicum esse: „ quasi mulier à partu levata, usque ad expletum mensem suum incubatio- „ nis, tanquam polluta vel profana à sacris & ecclesiâ prohibeatur. Impiè „ & malitiosè. In lege pręcipiebatur, apud Canonistas legitur, ut mulier, si „ masculum pareret, quadraginta, si fæminam octoginta diebus, à templi „ cessaret ingressu: nunc autem statim post partum ecclesiam ingredi non „ prohibetur. *Resp.* Nescio, an quis dixerit *merè* Judaicum esse, & an per τὸ *merè* intelligi voluerit per omnes partes, & secundum omnes causas esse Judaicum sive antiquum secundum legem *Levitic.* 12. sive novum secundum traditiones Judæorum. Saltem à *Montacutio*, hoc additum, paratam sive defensionis sive schiomachiæ, & querelæ de impiâ ac malitiosâ Genevensium Puritanorum calumniâ materiam suppeditabat. *Montacutius* eâdem pag. 159. immediatè verbis à me excerptis subdit: *Apparet autem è constitutione Leonis Imperatoris, nonnullos ad Judaismum illum olim inclinasse: & mulierem à partu pollutam & commaculatam veluti ab omni sacrorum participatione, etiam cupientem, etiam in extremis constitutum, arcuisse.* Quid si quis moris illius apud antiquos ἀιδεσίμῳ ἀρχαιομανίας œstro abreptus *Montacutio* ingerat: *malitiosam & impiè calumniaris morem istum merè Judaicum esse:* non dubito quin nostrâ aut simili aliquâ distinctione replicaret, Aliud est dicere τὸ *inclinare nonnullos ad Judaismum*; & aliud, τὸ *morem illum esse merè Judaicum.* Sicuti, aliud est papizare, Pelagianizare, Papaturire aliquid vel aliquem; & aliud est aliquem morem aut hominem merè Papisticum esse. Sicuti etiam distingui debet ipsum merè malum e. gr. mera directa, & formalis idololatria, à specie mali 1 *Thess.* 5. *v.* 22. ab idololatriâ indirectâ aut ejus specie; e. gr. manducatione idolothyti 1 *Cor.* 8. & 10. Si quis nostros Papisticas ceremonias, cum Judaicis & Ethnicis passim in scriptis elencticis, & nonnullis tract. peculiaribus conferentes, τῷ interjecto *merè*, calumnię & quidem impiæ ac malitiosæ insimularet: an eos pariter denigrarent *Montacutiani*, an vero eos defenderent? Quid si à Papistis eruditiss. *Turco-Papismi* scriptor (quem puto esse *Math. Sutlivium* postea factum Episcopum Anglicanum) nec Genevensis nec Puritanus adhibito τῷ *merè* Montacutiano, impiæ & malitiosę calumniæ accusaretur; quæro an

& quomodo defendi posset. *Resp.* 2. Ipse *Montacutius* ibidem, quod tam animosè, non sine contumeliâ negaverat, tacitè videtur concedere, moralizato scil. τῷ ceremoniali *Levitic.* 12. & christianizato τῷ Judaico. Ita ut ratio legis *Levitic.* 12. & observatio ejusdem sub V. T. & sub N. T. quod ad summam rei satis conveniant, hoc solummodo discrimine admisso: quod illic esset *necessitas*, hic *convenientiæ*; illic legis scriptæ, hic traditionis. Verba ejus integrè hic exhibeo *pag.* 160.

„ Addit (*Leo scil. Imperator in constitutione suâ pag.* 442. *libri à Stephano* „ *excusi*) deinceps & ista, ex animi sui sententia, de legali illa veteri consti- „ tutione. Quod profectò, non tam propter mulierum immunditiem, „ quam ob alias causas, in intima Legis ratione reconditas, & veteri prohi- „ bitum esse lege, & Gratiæ tempus Traditionis loco suscepisse puto. Existi- „ mo, siquidem, antiquam legem ita præscripsisse, qui protervam eorum, „ qui intemperanter viverent, concupiscentiam castigaret. Longè ergo ab- „ horret à Judaismo, & non tam *necessitatis*, quam *convenientiæ* rationem in „ hoc instituto, Ecclesia observat: quo reclusa domi ad tempus, & negotiis „ libera, magis Deo vacet: & vicinarum visitationibus refocillata cum iis- „ dem, ut solet, sæpius interveniente occasione, de Divina bonitate, pro- „ videntia, protectione, sermones serat: & Ecclesiam, post mensis reces- „ sum, ingressa, quasi de novo admissa, ardentius amplectatur. Ita enim „ fieri humanitus solet, ut illa quibus caremus ambiamus.

Vides nunc rem eandem à puerperis Judaicis & Christianis sub unâ moralitatis ratione observatam observandam: ab illis de necessiate, ab istis de congruo; ab illis ex præscripto legis veteris, ab istis ex traditione temporis gratiæ, & ex ecclesiæ instituto. Quod ad ipsas Dedaleas *Montacutii* conjecturas, loco rationum lectori obtrusas, aliqua de iis quæri possent. 1. *Ex quâ* scripturâ, ex quâ venerandâ antiquitate, ex quâ ratione, quâ Ecclesiâ Romanâ aut Gallicana, aut Anglicana habeat, legis prohibentis puerperæ ingressum in sanctuarium *Levit.* 12. *v.* 4. non tam muliebrem immunditiem, quam alias fuisse causas in intimâ legis ratione reconditas? An non ipsa lex immunditiem ceremonialem, & requisitam separationem cum purificatione, fundat in menstruo, non tantum puerperarum, sed & quarumcunque mulierum menstruatarum; uti & pollutionem à semine, sanguine, cadavere, morticino? Legant modo *Levitic.* 12. cum *Levitic.* 15. *v.* 25.-31. ubi de hæmorrhousæ, extra puerperium, immunditie, purificatione seu expiatione, & ad sanctuarium reditione.

2. *Unde* fidem faciet, in Ecclesiâ antiquâ cum ceremoniis quibusdam Judaicis imprudenter subinde symbolizante (uti ipse modo notavit) aut in Ecclesiâ Romanâ, aut in Ecclesiâ Anglicanâ, ante aut post reformationem sub

sub *Eduardo* VI. inchoatam, talem *convenientiæ* rationem habitam fuisse? Qui pro statutis, traditionibus, ceremoniis Ecclesiæ Catholicæ aut Romanæ, aut Anglicanæ prœliator in arenam descendere vellet, armis propriæ imaginationis pugnare non deberet. Non debet affingere illis quod non dixerunt, aut de quo non cogitârunt. *Deinde*, quam futile illud commentum, convenire puerperis ut aliquamdiu ab Ecclesiâ emaneant, & domi Deo gratias agant, ac visitatæ ab aliis quibusdam mulierculis de bonitate divinâ cum illis colloquantur? Ergone domesticas & privatas meditationes, ac cum aliis de beneficio recenter accepto colloquia tanti facienda dices, ut Ecclesiam Dei & in cultu divino communionem cum eâ, ac solennem gratiarum actionem, pertinaciter tanto tempore differendam, & ab Ecclesiâ abstinendum suadeas, tanquam maximè *conveniens*? Nec antiqua Ecclesia, nec Romana, nec Anglicana istius hariolationis vel minimum fecere indicium. Immunditiem quam, qualis *Levitic.* 12. spectârunt in antiquâ Ecclesiâ illi, quos insaniæ notat ex constitutione *Leonis*, & quibus hoc nomine inclinationem ad Judaismum impegit *Montacutius*. Eandem spectabant canones illi apud *Photium in Nomocanone* supra cit. quibus menstruatæ, etiam extra puerperium, à baptismo & cœnâ excludebantur. Eandem & Orientalium purificatio supra ex *Euchologio* & Græcorum doctoribus ritualibus indicata. Eandem Ecclesia Romana presupposuit & spectavit, in suâ purificatione puerperarum, occasione purificationis Marię, & ob ejusdem venerationem atque imitationem introductâ. Immunditiem à sanguine menstruo, aut semine vi legis ceremonialis *Levit.* 15. olim contractę conscientiam, & propterea à sacris & sanctuario abstinentiam à Canonistis, Casuistis, Ritualibus passim inculcari videas. Supra citatis autoribus addimus nunc unicum, *Johannem de Burgo* sacræ paginæ professorem & Universitatis Cantabrigiensis Cancellarium in *Pupillâ oculi*, quam ex libro dicto *Oculis sacerdotum* magnâ ex parte excerptam a. 1385. edidit, quamque tantopere laudatus *Augustino Aggeo Haio* in prefat. *Gulielmus Bretton* mercator primus suis expensis Londini anno 1510. excudendum dedit in parvo folio, & cujus frontispicium picturâ Trinitatis sub triplicatæ faciei humanæ figurâ, ad perpetuam rei memoriam, hoc modo insignitum conspicitur: cujus apographum hic exhibemus, ut vel hinc discas necessitatem reformationis, nominatim horrendæ iconolatriæ.



Huic iconi subscriptum erat:

Venundatur London apud bibliopolas in cimiterio sancti Pauli: sub intersignio sanctissimæ atque individuæ Trinitatis.

Is *cap.* 8. *fol.* 23. b. sic scribit.

„ Item omnis homo ante sacram communionem à propriâ uxore 3. aut
„ 4. aut 5. aut 7. diebus debet abstinere, de corpore domini 2. c. omnis ho-
„ mo. Tamen hoc non est præceptum sed consilium, secundum glosam. Dicit
„ Thomas quod coitus conjugalis quandoque fit sine peccato utputa quan-
„ do fit causa prolis procreandæ, vel causa reddendi debitum non impedit
„ sumptionem sacramenti: nisi propter mentis distractionem *& immundi-*
„ *ciam* (N.B.) *corporalem*, & in tali casu: suo sunt judicio relinquendi
„ sed qui voluptate dominante conjugi miscetur: prohiberi debet ne acce-
„ dat. Infirmitate vero ductus debitum exigens licet moneri debet ne ac-
„ cedat. Si tamen omnino ex devotione se ingerat, non est prohibendus.
„ Item patiens fluxum sanguinis vel seminis, aut mulier menstruam pa-
„ tiens non sunt arcendi à communione dum tamen in mente sint bene
„ dispositi: *quamvis laudabiliter possint abstinere ob reverentiam sacramen-*
„ *ti* illi, qui de facili expurgari & curari possunt de humoris fluxu. Qui
„ autem habent humoris passiones perpetuas vel diuturnas abstinere non
„ tenentur à communione, secundum Thomam. idem est dicendum de le-
„ prosis.

Quæſt. 3. An puerperæ domi deſidentes & à cultu publico in ac cum Eccleſiâ abſtinentes, melius beneficium ſibi præſtitum animo ſuo ſubjicient, & confabulationibus cum mulierculis ſe viſitantibus melius informabuntur ad gratiarum actionem, & voti exſolutionem? Nos neg. *Montacutii* ratiocinium affirmantem pręſupponere videtur. Sed quæ experientia propria? quæ aliena? quę conſuetudo piorum? quæ theologia, & qui loci theologici, de eccleſiâ, de miniſterio, de verbi prædicatione? Qui elenchi enthuſiaſmi, Libertiniſmi, vitæ anachoreticę, hoc ipſum docuere? Quæ denique ſcriptura? Quæ commentationes & conciones ad *Hebr.* 10. *v.* 24. 25. *Pſal.* 122. *v.* 1. & 42. *v.* 2.-6. & 22. & 116. *v.* 13. 14. *Jud.* *v.* 19. 1 *Cor.* 11. *v.* 22.

Quæſt. 4. An ſi mulieres tamdiu eccleſiam frequentare prohibeantur, tantò avidius poſtea eam deſiderabunt & frequentabunt? *Reſp.* Experientia & praxis eccleſiaſtica hoc minime docet: ſed potius, homines ſi ſemel emaneant ſequenti vice & poſtea facilius & frequentius emanere; immo nonnunquam tantam alienationis eclipſim pati, ut quamvis opportune importune moniti vix reduci queant. In malis, aut in adiaphoris ad animalem vitam pertinentibus, locum habet illud: *Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata*? ſed non æque in rebus ſpiritualibus. Et dato hoc ita ſe habere, nobis tamen non ſunt facienda aut ſuadenda mala, ut eveniant bona. *Deinde*, quidquid hic aliquando eveniret, hoc totum eſſet per accidens: propter quod τὸ per ſe neceſſarium aut utile, ex Dei conſilio, à nobis omitti non debet: nedum ut quenquam eccleſiaſtico aut theologico præcepto aut conſilio, directè aut indirectè, ad relinquendam ἐπισυναγωγὴν impelleremus. Vide ne hanc conſequentiam ad hypotheſin ſuam traducant ἀεκοντες concionatores, parci & infrequentes concionum auditores, & conciomaſtiges.

Reſp. 4. Et concludo, quidquid ajant, negent, fingant, refingant Pontificii, & πάντων ἀρχαίων λύχνων καὶ ἐσθλῶν admiratores, veneratores; non tamen praxis publicè ibidem recepta, probata, commendata à ſymbolizatione Judaica, nec *Rituale* quamvis ex decreto Tridentino reformatum, à vacuâ obſervatione, & à ſpecie mali eos expurgabit: quamdiu titulus ille *benedictionis puerperarum*, & luſtrici ritus candelæ à puerperâ geſtatæ, & aſperſæ aquæ benedictæ (per ignem enim & aquam antiquorum luſtratio fieri ſolet) & introductionis puerperæ in eccleſiam, ad exemplum B. virginis ſecundum legem *Levit.* 12. purificantis, una cum feſti purificationis celebratione manebunt. Ne jam dicam, ritum ſepulturę mulierum in puerperio defunctarum altè clamare puerperæ immunditiem, & ab eccleſiâ, conſequenter à ſacrâ & eccleſiaſtica ſepulturâ excluſionem, neceſſariamque purificatio-

 nem.

nem. Eum talem in vico **Vlijmen** extremo Hollandię, & agro Sylvæducensi contermino, olim reperi, cum anno 1611. & seqq. primum, post dimissum parochum Papalem, ecclesiæ illic colligendę pastorem agerem. Defunctę puerperę cadaver, ad cœmiterium aut templum deferebatur, sequente capulum marito, aliisque cognatis & vicinis viris ac mulieribus, more solito. Sed absque impulsu campanarum, absque circuitione sepulcri, absque oblatione nummuli (quam vernaculè **Offeren** appellabant) pro animâ, absque silicernio, absque exstructione tumuli, absque aliis ecclesiasticę, ut vocant, sepulturę ceremoniis: imposito solum terræ complanatę, ubi defossa erat, candido linteo. Et hanc defossionem vocabant, **het Lijck sincken.** Tempore puerperii exacto, quo scil. ipsa si vixisset purificata & in ecclesiam solenniter reducta fuisset, cum impulsu campanarum funus ducebatur, ordine præeuntibus marito, cognatis, vicinis, sequebantur mulieres, quas ducebat mulier quædam ad hoc rogata, quę dicebatur puerpera (repręsentans scil.) & instar veræ puerperæ solenniter ad ecclesiam redeuntis (**doende haren Kerck-ganck**) offerebat nummulum, ut & reliqui omnes funus deducentes; exstructum tumulum, sublato linteo (quod à tempore immissi cadaveris in fossam, superficiei terræ impositum, illic relictum fuerat) ter circuibant, inde omnes funus deducentes ad domum emortualem reversi silicernio excipiebantur; ubi primum in mensâ locum occupabat mulier puerperam in theatricâ illâ purificatione & imaginariâ sepulturâ, & quasi funeris deductione, repræsentans. Atque ita solennem & ecclesiasticam (ipsis sic dictam) sepulturam absolvebant. De ritibus à sacerdote, ad introductionem, lustrationem, benedictionem puerperæ defunctæ in muliere ipsam repræsentante, & de ritibus in officio defunctorum peragi solitis, nihil tunc istic loci percipere poteram: quod nulli sacrificulo publicè tale quid in templo & cœmeterio peragere permissum fuisset. An & quomodo clam defectum illum suppleverint, certo affirmare nequeo. In *Rituali Romano reformato* quamvis dissimulentur aliqua ad ritum purificationis pertinentia: Titulis tamen benedictionis, qui purificationi substituitur, & introductionis mulieris in ecclesiam per porrectam stolam, & lustrica ardens candela (qualem solenniter pœnitentes gestare solent), & aquę benedictæ aspersio, immundiciem, purgationem, lustrationem, reconciliationem, & Judaicæ purificationis imitationem arguunt. A *Rituali Romano* magnam partem recedit *Liturgia Anglicana*: quippe quæ nec candelam ardentem, nec aspersionem aquæ lustralis, nec genuflexionem mulieris ad fores ecclesiæ, nec introductionem mulieris in templum per stolam à sacerdote illi porrectam, nec petitionem benedictionis à sacerdote, nec genuflexionem mulieris coram altari ut ibi oret & gratias agat, præscribit. Nec omittendum, quod

quod in *liturgiâ edit.* 1607. 1616. & seqq. titulus primæ editionis sub *Eduardo* VI. de *purificatione puerperarum* (quem *Montacutius* servare maluit) mutatus sit in tit. *gratiarum actio mulierum post partum, communiter dicta* **Churching of Women**. Vocem **Churching**, quamvis satis intelligam, hic transferre nolo; ne forte à technologemate latino (si quod literati in Angliâ habeant) variare videar. Scio Græcis ἐκκλησιάζειν & passivam ἐκκλησιάζεσθαι puerperæ in *Euchologio* pag 324. exponi ἀρχὴν λαβεῖν εἰσάγεσθαι εἰς ἐκκλησίαν, id est, *ut in ecclesiam induci principium sumat.* Eundem titulum, *Gratiarum actionis à puerperio* usurpat anonymus in delineatione politię Anglicanæ, quam *autor altaris Damasceni* examinandam sibi sumsit, *pag.* 610. Eundem *Mucketus in polit. ecclesiast. ibid. pag.* 611. Eundem *Zoucheus in descriptione juris & judicii ecclesiastici* (quam Oxoniæ cum elementis Jurisprudentiæ anno 1636. edidit) *part.* 1. *sect.* 9. ubi inter officia rectorum ecclesiæ & vicariorum recenset, *ut secundum præscriptam formam liturgiæ Anglicanæ,* &c. *matrimonia celebrent, pro puerperis gratias agant, ægrotos visitent,* &c. Et hactenus processit reformatio. Sunt tamen, qui residuo, quantumcunque illud sit, applicarent Apoc. 3. v. 2. *Non tamen inveni opera tua perfecta in conspectu Dei.* 1. *Quod* ad ipsum agendum ecclesiasticum quęrerent cur illud magis in liturgiâ inter alia agenda, ut visitationem ęgrotorum, sepulturam mortuorum, &c. locum habeat, quam gratiarum actio sive virorum sive fæminarum à gravi morbo, periculoso vulnere, incendio, inundatione, carcere, aliisque malis & periculis terrâ, mari, domi foris eos aggressis, à gravissimis & diuturnis tentationibus, à diaboli vexationibus per obsessiones, spectra, maleficia, liberatorum? 2. *Cur*, puerpera genua flectere tenetur (juxta *rubricam* liturgiæ) *juxta eum locum, in quo mensa domini collocata est*? An ut proximè analogum sit altari, coram quo in Papatu genuflectere & orare debent. Confer quæ de genuflexione ad mensam, in altare aut in βωμοειδὲς, mutatam, disputamus 3. *part. sel. dispp. tit. de superstitione, in appendice.* Antiqua liturgia sub *Eduardo* VI. habet: mulier genuflet ante ingressum chori.

Hęc eadem liturgia ab *Alesio Scoto* theologo Lipsiensi in latinum ex Anglico idiomate translata, inserta est *Mart. Buceri* scriptis Anglicanis pag. 370.-456. 3. *Cur, gratiarum actio* vocetur, ad quam sacerdos mulierem hortatur, cum omnes formulę nil nisi vota, preces, petitiones contineant? 4. *Cur*, precatio inter duos pronuntiantes dividatur, sacerdotem & respondentem? Sed de responsoriis & antiphonis alibi quid monuimus, *in* 3. *part. sel. dispp. tit. de horis canonicis.* 5 *Bucerus in censurâ liturgia cap.* 24. *pag.* 490. putat *scripturis non congruere, de offerendâ candidâ veste & aliis rebus, ante in hunc usum domino à fidelibus hominibus consecratis,* &c. Sed in liturgiis anno 1607. & seqq.

seqq. hoc ita mutatum est: *Mulier quæ venit actum gratias, offerre debet res solitas.* Quæri hic posset, an terminis istis generalibus res illæ intelligantur, quę in primâ liturgię editione nominatæ sunt? Et an *oblatio* exsertè imposita, respiciat imitationem aliquam B. virginis purificantis *Luc. 2. v. 22.* cum *Levit. 12. Autor altaris Damasceni pag.* 885. cum citatis ibid. censoribus, ex moribus & factis refert, mulieres quasdam quæ hunc hunc ritum omiserant ab Episcopo fuisse castigatas; etiam domi quasdam exacto mense, fuisse purificatas, quæ ob infirmitatem ad templum se conferre ibique ἐκκλησιάζεσθαι non poterant. Quin ipse *Montacutius* verbis supra exhibitis tempus menstruum, ex Christianâ traditione tanquam conveniens pręfigit. Sed unde illa convenientia, unde traditio accersitur. Ex exemplo Mariæ *Lucæ 2.* aut ex lege *Levit. 12*? Sed manum de tabulâ: neque enim tam morem Anglicanum, quam infelicem, fastuosam, & periculosam ejusdem, similiumque rituum defensionem *Montacutianam* examinare intendimus. In Ecclesiis Germanicis seu Belgicis in Angliâ (apud *Joh. à Lasco in formâ & ratione ecclesiastici ministerii pag.* 633.) immediatè sequitur: publica habebatur pro ægroti revalescentia gratiarum actio: adjuncta precatiunculâ, &c. Ubi *ad eundem fere modum & puerperæ, post completos dies purgationis ipsarum*, (hoc est restitutæ valetudinis, & curâ puerperii absolutâ) *jubentur adesse in cœtu ecclesiæ: sine ullâ interim, aut Judaicæ aut Papisticæ purificationis superstitione: ibique agit minister publicè gratias Deo cum totâ ecclesiâ, pro puerperæ illius partu ac valetudinis restitutione. Et precatur ut puerpera beneficio illo Dei utatur*, &c. Ad cumulum accedat *Pseudo-Clemens Romanus lib. 6. constitut. cap.* 27. 28. 30. omnem omnino Judaicam à sanguine, à semine à cadavere, à partu, ab abortu, à corporis maculâ, à concubitu legitimo, à cibo immunditiem, cum purgationibus procul facessere jubet *tanquam stultorum hominum inania commenta, ac mente carentia.* Ubi & varias adfert rationes. Hunc merito *Montacutio* oppono; quod post *Turrianum* ejus patrocinium tanquam γνησίε contra quosvis suscepisse & ausus & gloriatus fuerit *appar. 11. sect.* 53. Non obstantibus non tantum nostrorum, sed & columnarum Papatus *Bellarmini, Baronii, Herveti, Lindani, Margarini la Bigne, Perroni, Albaspinei, Petavii* judiciis. Tetigimus hanc zeli ἀιδεσίμων ἀρχαίων ἀμετρίαν, in 2. *part. sel dispp. tit. de Tempore nativitatis Christi.* Sed post illud tempus a. 1653. clariss. *Joh. Dalleus in tract. de pseudepigraphis Apostolicis* διαταγὰ istum ita falsi convicit, ut centeni *Bovii, Turriani, Stapletoni, Montacutii*, eum vel minimo colore excusaturi non sint.

XI. Notabile pseudo-agendum est *cultus & officium angeli custodis*: quod hoc sæculo ad ἀκμὴν suam perductum videtur. De quo confer 1. *part. sel. dispp. tit. de hierarchiâ cœlesti & angelis tutelaribus.*

PARTIS

PARTIS PRIMÆ.

LIBER QUARTUS,

De externis agendorum Ecclesiasticorum adjunctis.



NOtat & delineat politica Ecclesiastica non tantum agenda ecclesiastica, sed & Agendorum ecclesiasticorum varia adjuncta, quæ sint vel media, adminicula, & requisita eorum tum antecedentia tum concomitantia, vel consequentia & appendices. Ea omnia melioris cognitionis causa distinguimus in magis intrinseca, & magis extrinseca. Adjuncta magis intrinseca sunt ritus, formalitates, ceremoniæ ecclesiasticæ & liturgiæ ac canones super iis conditi, pertinentes ad decorum ac commodum ordinem & modum agendorum. De quibus supra *lib.1.tract.2.* & *lib.2.tract.1.* Adjuncta magis extrinseca, sunt vel remotiora, vel propinquiora.

Illa sunt libertas, immunitas, dignitas, peculium, seu bona ecclesiastica, & stipendia ministrorum.

Ista sunt tempora, loca, templa, eorumque utensilia, ut libri, vasa, vestes, &c.

Priora distinctionis causâ appellabimus *temporalia Ecclesiæ*, subintellige dona & bona: ut à spiritualibus distinguantur: quæ sic describimus, quod sint *externa agendorum ecclesiasticorum adjuncta sive ad esse sive ad bene esse externi status ecclesiæ pertinentia.*

Posteriora appellabimus requisita, adminicula, media, instrumenta, & circumstantialia agendorum.

Librum præsentem partimur in quatuor tractatus: quorum

- I. De *Ecclesiæ libertate*, *immunitate*, *dignitate.*
- II. De *bonis Ecclesiasticis.*
- III. De *stipendiis ministrorum.*
- IV. De *temporibus, locis, & utensilibus sacrorum.*

TRACTATUS I.

De Ecclesiæ libertate, immunitate, dignitate.

CAP. I.

De Ecclesiasticâ libertate securitatis.

§. 1. Libertas est vel civilis seu sæcularis, vel sacra. De *illâ* politicis & Jureconsultis agendum relinquimus. *Ista* ad theologicam tractationem pertinet. Eaque distinguitur in spiritualem internam, & in ecclesiasticam externam. *Libertas sacra interna*, est privilegium verè fidelium seorsim cum Christo, & conjunctim in corpore ecclesiæ catholicę coadunatorum; quod ad statum suum mysticum atque invisibilem: de quâ ejusque annexis vulgò locorum communium scriptores. Videatur *synopsis Leidensis disp.* 35. Et *Amesius in Medulla lib.* 1. *c.* 30. Huc referri possunt, quę practici Theologi sub titulis securitatis, tranquillitatis, pacis, gaudii, consolationis spiritualis, commentantur: quales alibi indicantur: ad 1. *decal. præcept.* & ad *tit. locor. commun. de adoptione*, *de glorificatione*, &c. Unum hic solummodo indico tract. *Josephi Halli tit. Cœlum in terrâ;* cui interpres Gallus tit. præfixit, *Seneque Chrestien*, &c. quia uti *Seneca* Stoicè, sic hic Christianè de animi tranquillitate disserit. *Ista* est privilegium ecclesiæ institutæ qua talis in statu suo externo & visibili spectatæ. Quæ rursum est vel *interna*, quę est in potestate ipsius ecclesię, quæque libertas indulgentiæ, conniventię, moderationis, tolerantię dici potest: vel externa politiæ, in quâ est ecclesia, circa cœtuum, conventuum, agendorum, & exercitiorum ecclesiasticorum atque omnis ordinis ac regiminis securitatem. *Prior* nihil aliud est quam libertas prophetandi, vulgo ita dicta; de quâ infra *part.* 3. *lib.* 2. *Posterior* est duplex vel securitatis, vel immunitatis seu exemtionis: quarum illa est generalis juris, ista specialis privilegii: illa justæ necessitatis, ista abundantiæ & liberalitatis; illa conservativa, ista cumulativa.

2. *Libertas securitatis*, quæ ecclesiis (veris scil. & orthodoxis) concedenda & præstanda à politiâ, comprehendit libertatem conscientiæ, & libertatem exercitii. De conscientiæ libertate propriè & strictè ita dictâ paulo post *cap. sequ.* peculiariter disserendum erit. Libertatis hujus ecclesiasticæ concessio & defensio habet suam latitudinem, & gradibus variat: pro vario Reipublicæ statu, seu variis in eâ prævalentium ingeniis. *Infimus* gradus est,

est, cum tantum conceditur libertas conscientiæ, nulla exercitii sive privati sive publici, sive intra muros aut in territorio, sive extra muros aut extra territorium; qualis ex. gr. erat in hac urbe Ultrajectinâ, dominante factione Remonstrantica anno 1616. 1617. usque ad 1618. cum decreto Senatus urbici publicatio Ecclesię reformatę membris omnia exercitia clandestina, etiam extra muros, territorium, & provinciam frequentanda prohibebantur: cum mulctis pecuniariis, genuini reformati (hoc est, non-Remonstrantici) ob frequentatas conciones extra provinciam premebantur; & si ita pergerent, ejectio ex hâc urbe exspectanda. *Secundus* gradus est, cum exercitii libertas, sed extra muros & territorium conceditur, &c. e. gr. Coloniæ, Aquisgrani, &c. *Tertius* gradus est, cum libertas exercitii privato-publici, in privatis ædibus intra muros, aut in suburblis, conceditur, uti e. gr. ante obitum Johannis Ducis Cliviensis, &c. Cliviæ, Embricæ, Calcariæ, &c. *Quartus* gradus est, cum libertas exercitii publici in publicis aliquot templis ecclesiæ reformatæ conceditur, alia tamen religione ibidem publica & prædominante, ut e. gr. Salmurii in Gallia, Dantisci, & olim Francofurti. *Quintus* gradus est, cum politia publicè approbat & suam facit causam religionis & ecclesiæ nostræ, quod ad dogmatum veritatem, & clavis doctrinalis exercitium: interim clavem regiminis & jurisdictionis aut ferè tollit ab ecclesia, aut admodum tenuiter & parcè illi concedit. Et talis ferè imminuta & impedita libertas ecclesiarum (quod ad regimen, electiones ministrorum, disciplinam) fuit in plerisque locis Germaniæ, jam inde à prima reformatione. *Sextus* gradus est, cum politia in thesi & in genere justam ac plenam libertatem dogmaticè approbat: & causam religionis & ecclesiæ suam facit; quamvis politici aliqui non infrequenter modo hi modo illi hoc aut illo prætextu in hypothesi, aut facto, aut executione, aut applicatione particulari, libertatem illam nonnunquam petant, limitent, imminuant. Sic e. gr. in Belgio fœderato politia sæpe publicis declarationibus professa est religionem reformatam esse fundamentum status, pro illa bellum imprimis ab anno 1581. & deinceps gestum; quin immo demum anno 1619. & postremò anno 1651. in panegyri Hagæ-comitanâ, confessionem & catechesin Belgicam (quæ utramque clavem, & regimen ecclesiæ inculcat) una cum canonibus synodi Dordracenę suâ approbatione & autoritate munivit; in nonnullis provinciis laudabili exemplo constitutiones regiminis ecclesiastici, in aliis quod ad generalia quædam capita (ut in Hollandiâ anno 1586.) politica & suprema sua autoritate confirmavit; Insuper locis in suam potestatem redactis reformationem imposuit; exercitia Papistica (alicubi etiam omnia illa sectaria) publicis decretis sustulit; ubique Pontificios, & plerisque in locis etiam omnes alios sectarios,

rios, à publico regimine & muneribus excludit : Nihilominus opera ipsius non sunt inventa perfecta (*Apoc.* 3. *v.* 2.); quia in provinciis nonnullis, politica communium constitutionum ecclesiasticarum approbatio & confirmatio hactenus, in tam alta luce reformationis nondum obtineri potuit. Et quod ad exercitium regiminis, electionum seu vocationum, censurarum in ministros & populum, magna sæpe impedimenta passim injiciuntur; etiam alicubi præscriptione, sed juris divini tabulis minime præscriptâ, variæ usurpationes, mixtiones heterogeneæ, transactiones legis vicem obtinuisse videntur. Quod tamen nec doctrinæ communi, aut professioni reformatæ, nec politiæ aut legibus publicis, nec potestati publicæ, nec ordini politicorum generali aut particulari, sed hominum quorundam in illo ordine infirmitati aut imprudentiæ, aut abalienationi ab ecclesia & doctrina nostra imputari debet: qui quamvis paucissimi numero essent, sępe tamen boni & ordinis ecclesiastici perfectiorem gradum impedire possent. Ita in rebus humanis nihil perfectum, nihil ab omni parte beatum. Magna fide, constantia, patientia, eruditione, prudentia ecclesiarum, seu mavis, antecessorum hic opus est. *Septimus* gradus est, cum religioni & ecclesiæ reformatæ publice & quidem soli integra integræ potestatis, politiæ, & jurisdictionis ecclesiasticæ exercendæ libertas exercenda, à suprema potestate politica conceditur & externis legibus ac statutis confirmatur. Eximium hunc & supremum felicitatis gradum videntur nunc attigisse Ecclesiæ nostræ in regno Scotiæ (sic scribebam anno 1650.) Ibi enim plena libertas electionibus ecclesiasticis, abrogato omni jure patronatus, asserta; & regimen ac disciplina ab omni heterogenea mixtione seu confusione liberata, dum causæ ecclesiasticæ synodis Nationalibus quotannis celebrandis peremtoriè & ultimò terminandæ relinquuntur: referente Clarissim. *D. Andrea Bayly Theologo Glascuensi in scripto vernaculo contra Doctorem Bramble pro politia ecclesiæ Scoticæ edito anno* 1649. Hunc gradum attigisse etiam videtur Ecclesia Genevensis, postquam Calvino è Germania revocato, qui antea indignè ejectus erat, omnia ibi pręsertim quę disciplinam spectant accuratè in ecclesia constituta & à Senatu confirmata sunt. In quo, ut exemplar ecclesię verè & accuratè in doctrinâ, ritibus, regimine, moribus, disciplinâ reformatæ, omnibus prębuit: sic apertis hostibus non tantum, sed & falsis aut laxis fratribus semi-libertinismo in doctrinâ, aut semi-superstitione in ritibus, aut immoderatâ moderatione in moribus, & disciplinâ afflatis, eo nomine antehac odiosa, suspecta, & infamata fuit; tum alibi, tum imprimis in Angliâ ab anno 1630. & deinceps apud *Montacutianos* & *Ladenses*; & in Hollandiæ urbibus quibusdam, e. gr. Leidensi, Goudanâ, &c. & hac Ultrajectinâ. Videantur historici Belgarum Immanuel

nuel van Meteren, & Petrus Bor, & præſtantiſſimę *Apologiæ Eccleſiarum Belgicarum in cauſa Caſpari Coolhaes* Miniſtri Leidenſis, & *Hermanni Herbers* miniſtri Goudani editæ. Odia illa ſepulta quomodo ſuſcitârint Remonſtrantes, & in immenſum de ſuo auxerint, diſces ex hiſtoriis iſtorum temporum *à Baudartio, Triglandio, Frederico de Vry*, &c. conſcriptis: quibus addi poſſunt particulares apologiæ *Cornelii Hillenii, Geſelii, Corn. Dungani;* quorum ille Alckmariæ, iſte Roterodami, hic Ultrajecti indigna tunc paſſi erant. *Sibrandus Lubbertus* in erudito reſponſo ad *Hugonis Grotii* tunc Advocati Fiſcalis Hollandiæ librum tit. *Pietatis Ordd. Hollandiæ*, &c. (cui celeberrimus theologus *Pareus* hoc teſtimonium in epiſtolâ quâdam, cujus exemplum tunc legi, merito perhibebat, quod *Lubbertus* in illo ſcripto ſeipſum ſuperaſſet,) ferè ſub finem, deſcribit & laudat eccleſiam Embdanam tanquam exemplar eccleſiarum: ita ut illa ad ſeptimum hunc gradum non immeritò provecta fuiſſe dicenda ſit: in quo eam jam indè à vindicatâ libertate anno 1594. uſquè in hunc diem etiamnum perſtare nullus dubito. Eidem aſſociare liceat eccleſiam Veſalienſem, alteram Belgicarum Eccleſiarum tempore perſecutionis Hiſpanicæ matrem, nutricem, refugium. Nec deſunt in noſtro Belgio de quibus ferè ſimile quid affirmari poſſet: à quibus nominandis hic abſtineo; quia comparatio plerumque odioſa. Eccleſiarum Gallicarum libertas, quamdiu halcyoniis præſentibus & indultis edicti Nannetenſis frui licet, hunc gradum quam proximè attigiſſe videtur. Quamvis enim in eo noſtris Belgicis aliiſque Eccleſiis ſint inferiores, quod Reges, & regnum cauſam religionis & Eccleſiæ reformatæ ſuam non faciant; in hoc tamen longe ſuperant, (ſic ſcribebam anno 1650. cum diſp. illam *de temporalibus eccleſiæ* primum ederem) quod liberè totum regimen ſuum & diſciplinam exercere, conventus indicere & celebrare, miniſtros inſtituere & dimittere poſſunt, abſque ullo impedimento, abſque ullo alterius & alienę poteſtatis interventu.

Problemata de hâc libertate Eccleſiarum, iſta nobis ſumto.

1. *Probl.* An jure divino poſitivo dicta libertas, ſiquidem politia adverſetur, ab Eccleſiâ quà tali, aut ejus anteceſſoribus, armis acquirenda, aut conſervanda, aut recuperanda? *Reſp. Neg.* quia Eccleſia, aut ejus anteceſſores quà tales non habent jus gladii, nec vi directivæ poteſtatis eccleſiaſticæ ipſis per legitimam vocationem demandatæ ipſorum eſt politica poteſtas, ſeu juriſdictio cum imperio, ſive κτήσει ſive χρήσει. *Luc.* 22. 2. *Corinth.* 1. *v. ult.* & 10. *v.* 3. 1 *Petr.* 5. &c. Vide ſcriptores noſtros de poteſtate temporali Papæ, inter alios *Joh. Epiſcopum Roffenſem pro Barclayo c. Bellarminum: Molineum de poteſtate temporali Papæ; Lancelotum Andrews in Torturâ Torti; Thomam Mortonum in* §.2.

causâ regiâ c. Bellarminum; *Burhillum pro Torturâ Torti c. Becanum*; *eundem pro eâdem contra parallelum Eudæmono Joannis*; imprimis & *Jacobum regem magnæ Britanniæ in apologiâ pro juramento fidelitatis & in declaratione contra Orationem Perroni*; *Barclaium in Pietate, seu publicis pro regibus, Principibus & pro Gul. Barclaio parente vindiciis adversus Bellarminum*; *Rogerum Widringtonum* Theologum Pontificium contra *Bellarminum de jure principum*; *Gul. Barretum J.C. de Jure Regis, sive de absoluto & independente Principum imperio; M. J. Bedæum de la Gormandiere Advocatum Parisiensem, de Jure Regum contra Bellarminum aliosque Jesuitas*; cum decretis, censuris, actis, scriptis Sorbonnę & Sorbonnistarum, nec non supremæ curiæ Parisiensis, & variorum Advocatorum ac Jureconsultorum de eâdem materiâ, in præsenti non enumerandis. Quibus addenda Theologorum & Jureconsultorum scripta pro causâ Reipublicæ Venetæ contra Paulum V. Anno 7. & 8. edita: quorum Catalogum hic non texam. Istius commatis tractatuum tum veterum tum recentiorum partem aliquam edidit *Goldastus*, *in voluminibus Imperialibus*. Confer *part. 2. sel. dispp. tit de potestate temporali Papæ & an sedes Romana compatibilis sit cum politiis reformatis.*

11. *Probl.* An Episcopis quà talibus potestas coactiva competat quâ defendant bonos, & puniant malos? *Resp. Aff. Jus Canonicum*, & ostendit hoc ipsorum quotidiana praxis: quam compendio indicatam vide in *Pauli Piasecii praxi episcopali*, & *in Lælii Zecchi libris de Republica Ecclesiastica*, & *Diaz praxi criminali canonica cum commentar. Lopez de Salzedo, & Zypæi juris Pontificii analyticâ enarratione.* Defendunt hanc potestatem Sorbonnici *per Nicol. le Maistre c. spongiam Loemelii* præscriptione tituli, *Instauratio antiqui Episcoporum principatus*, & *lib. 2. cap. 1. & 2.* ubi defendit ideam Pontificiæ majestatis fuisse in apostolis, & episcopos esse ecclesiarum dominos, atque apostolorum successores. Sed potestas ipsorum magis patebit, ex specialibus quibusdam actibus. Potest causas civiles & criminales terminare quæ mixti sunt fori, (prout quasdam causas criminales suo solius judicio vindicat, ex. gr. Magiæ, incestus, adulterii perjurii &c.), & consequenter punire tam Laicos quam Clericos mulctis pecuniariis, incarceratione, verberibus, exilio. *Piasecius part. 2. c. 4. art. 14. Zechus sect. de statu prælatorum c. 1. Diaz & Lopez* per totum. Omnes illos superavit *Henricus Ludovicus Castaneus, Pictaviensium Episcopus*, qui peculiari tractatu Gallico jus armorum episcopis vindicare studet. Confer nostram *Desper. causam Papat. lib. 2. sect. 2. c. 11. Joh. à Choquier Vicarius Episcopi Leodiensis* peculiari tract. tit. *Vindiciæ libertatis ecclesiasticæ* anno 1630. defendit, in Christo resedisse utramque potestatem & ecclesiasticam & sæcularem, eamque à Christo in Petrum ejusque successores derivatam,

vatam, & ad Papam in omnibus causis laicorum tum civilibus tum criminalibus provocari posse; adeo ut ecclesiastici possent etiam infligere pœnam sanguinis, sed per alios sęculi ministros: Officialem Leodiensem tanquam delegatum Episcopi Leodiensis jus dicere in omnibus causis profanis inter personas profanas; & à sententiâ ipsius aliorumque judicum ecclesiasticorum non posse provocari ad cameram Spirensem, &c. *Johannes Filesacus* Theologus Sorbonicus parcius & verecundius (stylo & genio loci) potestatem episcoporum explicat in libro *de sacrâ Episcoporum autoritate.* Ab omni tamen temporali & coactivâ non abstinet, cum Episcopos facit censores (cum executione scil.) omnis idololatriæ & superstitionis Gentilium fol.21. & proprium judicem incestarum nuptiarum omniumque causarum matrimonialium fol.26.28. Et quod de crimine capitali Clericorum Episcopus prius cognoscit, quam judex sæcularis fol.29. &c. Sed nos contra statuimus nullam potestatem coactivam ecclesiæ quà tali, aut Episcopis, aut quibuscunque præfectis ecclesiasticis jure naturali, aut divino positivo, aut jure humano competere 1. *rat.* Quia exsertè repugnat juri divino *Luc.* 22.*v.*14. *coll. cum* 2 *Cor.*8.*v.*9. & *Math.*8.*v.*20. 1 *Cor.*4.*v.*1. *coll. cum* 2 *Cor.*1.*v. ult.* 1 *Petr.*5.*v.*1. 2. 3. Vide & confer martyria, & persecutiones antiquorum Christianorum, qui quamvis potentia non deesset, ob defectum tamen potestatis ab armis omnique resistentiâ positivâ abstinuerunt. Nota est determinatio *Tertulliani in apologetico.* Et celebre illud dictum *Ambrosii : Coactus non resistam : arma nostra sunt preces & lacrymæ.* 2. *Rat.* Quia jure naturali & divino competit hæc potestas Magistratui *Rom.*13. Jam vero duæ illæ potestates sunt distinctæ, uti supra *lib.*1. ex professo probatum fuit: nec diffitentur Pontificii. Quod excipitur posse utramque in unâ personâ residere, id non probat ex vi potestatis ecclesiasticæ in unâ eâdemque personâ esse potestatem politicam, aut viceversa ex vi politicæ esse in eâdem personâ ecclesiasticam: quia una potestas ad alteram habet se per accidens, sicuti musica ad artem fabrilem aut medicam; quamvis utraque possit esse in eâdem personâ. An autem conducat, ut utraque potestas in unâ personâ resideat, sequenti problemate quæritur.

III. *Probl.* An conveniat utramque potestatem uni personæ committi, imprimis ecclesiasticis potestatem & munera politica ac militaria imponi, ad certiorem Ecclesiæ & Reipublicæ defensionem. *Resp.* 1. *Concl.* Jure divino positivo ecclesiasticis non competere illam potestatem, jam dictum est. 2. *Concl.* interveniente humano jure & applicatione communitatis politicæ aut Magistratuum, nullo in casu potestatem & munera politica aut militaria ab ecclesiasticâ personâ posse suscipi, determinare nolim.

Si enim per successionem e. gr. potestas toparchæ, aut alia quęcunque bona regalia, in eam devolvantur, cur abjiceret magis quam alia quæcunque bona privata? Aut si in casu necessitatis ad evitandam periculosam Reipublicę concussionem, aut etiam præsens ejusdem metuendum exitium, per electionem communitatis (penes quam jus eligendi) aut per mandatum supremi Magistratus potestas politica, aut munus aliquot sive politicum (ut legati, consiliarii, consulis &c.), sive militare, ut præfecti, centurionis &c. ipsi imponatur; quomodo cum Reipublicæ (ad cujus conservationem tanquam bonus civis tenetur) jacturâ se subducere posset? Exempla antiqua & nova nolim peremtoriè condemnare, non magis quam moderamen inculpatæ tutelæ contra aggressorem, aut defensionem patriæ contra subitam invasionem; quam jura divina & humana non tantum concedunt, sed etiam imperant, tam ecclesiasticis, quam aliis quibuscunque personis.

3. *Concl.* Ut tamen extra tales aut similes casus citra necessitatem hoc fiat, probare non possumus. 1. *Quia* nemo militans implicatur hujus vitæ negotiis 1 *Cor.* 9. Et onera ecclesiastici ministerii plusquam totum hominem requirunt. *Quis adhæc idoneus?* 2 Corinth. 2. 16. 2. *Quia* constans praxis Christi, apostolorum, primitivæ ecclesiæ, & tot decreta Conciliorum, tot dicta patrum analogicè huc applicanda, longè aliter suadent. *Joh.* 6. 15. *Luc.* 12. 14. *Matth.* 26. 52. Nec invenies florente jam re Christiana post *Constantinum M.* Chrysostomos, Basilios, Nyssenos, Cyrillos, Nazianzenos, Ambrosios, Augustinos, Hilarios, Prosperos, Fulgentios, similesque Episcopos præfecturis maris, classium, legionum, provinciarum, urbium, dicasterii, ærarii, cancellariæ, consilii, aliisque aulicis, politicis, juridicis, militaribus muneribus onustos fuisse: ut hodie in Papatu fieri videmus. 3. *Quia*, compertum est τὸ ἔργον sacrum, per episagma illud sæculare plerumque fieri πάρεργον; & inde oriri non residentias, vicariatus & substitutiones &c. contra ecclesiastici ministerii naturam & institutionem. 4. *Quia* hâc viâ typhus sæculi in ecclesiam, & cœtum prophetarum facillimè introducitur, & paulatim transformatur regnum Christi in regnum de hoc mundo, pereunte religione ac pietate, juxta illud: *religio peperit divitias, & filia devoravit matrem.* 5. *Quia* admodum incommodè & difficulter unus idemque homo modo potestate suâ & majestate tremendus, modò paternâ ac fraternâ humilitate & συγκαταβάσει venerabilis circa eosdem homines versari, & ab iisdem analogicè ac convenienter utrique potestati recipi potest; sic ut una alterius luminibus in animis hominum non pręstruat. *Non bene conveniunt nec in unâ sede morantur Majestas & amor.* 6. *Quia* admodum hoc præjudicat, viris sæcularibus ad talem potestatem, & ad talia munera natis, factis, educatis, destinatis, idoneis,

idoneis, siquidem videant ecclesiasticis ea otiosè imponi, aut ecclesiasticos sibi præferri, aut eos ambitu prævalere. 7. *Quia* hâc ratione irritantur viri sæculares, præsertim filii magnatum & nobilium, ut cogitent aut de vindictâ de ecclesiis & ecclesiasticis quocunque modo sumendâ; aut per repræsalia quasi vicissim de inhiando muneribus ecclesiasticis, iisque ad regalia & pinguia h. e. familiâ & statu suo condigna sacerdotia evehendis, in quibus prædominans elementum sit mundus; & sic per fas per nefas occupandis, rapiendis, & theologorum ordini præripiendis; & consequenter de ecclesiis & politiis conturbandis, si non subvertendis. Docuit hoc tristis experientia in Papatu, & refert historia. *Consectar.* 1. Hinc considerandum damus, an satis prudenter à *Carolo Magno*, aliisque Principibus, jus & potestas territorii, & consequenter armorum ordinaria ac in perpetuum successura Episcopis, Abbatibus, &c. olim concessa fuerit: ut scil. tanto melius ecclesias, quas inter Gentiles colligebant, tueri & à contemtu, vexatione, & persecutione vindicare possent. *Consectar.* 2. Hinc etiam sequitur, armatam ecclesiæ militiam, seu milites aut equites sacros & ecclesiæ, qui ab ecclesiâ quà tali aut Papâ constituantur & dependeant, plane abludere à potestate & politiâ ecclesiasticâ. De his equitum ordinibus agimus *part.* 2. *lib.* 4. *Consectar.* 3. Inconsultum esse consilium Jesuitæ *Marianæ lib.* 1. *de Rege & Regis institutione c.* 10. de politico regimine, præfecturis, muneribus in togâ in sago, deque oppidis, & arcibus Episcoporum ordini committendis, aut relinquendis: *Vellem*, inquit inter alia, *potius non tantum quæ à majoribus data sunt, Episcopis non auferri, sed etiam firmissimas arces eorum in fidem tradi: ut quasi injectis compedibus pravitas & impietas, atque quæ se locis omnibus ostendit, novandi libido ne se commoveat, constricta teneatur*, &c. Confer quę supra *lib.* 3. *tract.* 4. de hâc quęst. attigimus.

IV. *Probl.* Quid igitur ecclesiis libertatis ergo faciendum; siquidem politica potestas aut jus armorum nec directè, nec indirectè ipsis competat. *Resp.* 1. *Concl.* Apud Deum precibus & apud supremos Magistratus politicos petitionibus instandum, donec libertas & protectio contra plebis furorem, aut inferiorum Magistratuum persecutionem ipsis obtingat. Vide exemplum Pauli *Actor.* 25. ad Cæsarem provocantis, & antiquorum Christianorum ad eosdem confugientium in *Apologiis Justini*, *Athenagoræ*, &c. Quod imitati in Germaniâ Protestantes, nostri majores in Belgio, Reformati in Galliâ. 2. *Concl.* Quod si ab his nihil impetrare possunt, haut gravatè accipienda & admittenda est inferiorum aut subalternorum Magistratuum, legibus fundamentalibus Principatus armatorum, primum intercessio, deinde & inculpata ac necessaria tutela, contra per-

 secu-

ſecutionem Principis, aut Magiſtratus ſupremi: ſiquidem ea divinitus ſe offerat & obtingere poſſit: uti factum à noſtris in Galliâ ſub regibus *Henrico 2. Franciſco 2. Carolo 9. Henrico 3.* & à Proteſtantibus in Germaniâ tempore belli Smalcaldici; etiam ab Eccleſiis Belgicis uſque ad annum 1581., quo ſupremo Belgarum principi *Philippo 11.* omnis poteſtas abrogata eſt. Poſſe autem ab ejuſmodi Magiſtratibus in tali neceſſitatis caſu interceſſionem non tantum, ſed & defenſionem, exſpectari, & admitti, ſi offeratur; inſuper poſitis ponendis ſuppliciter peti, & rectè hoc factum ab afflictis eccleſiis noſtris, ex eo conſtat, Quod illi Magiſtratus ex vi poteſtatis ſuæ, & muneris ſibi commiſſi, ſecundum leges poſitivas fundamentales principatus (ubi ſcil. tales ſunt: Si quæ politiæ talibus carent, an & quid ibi faciendum, diſquirant, quorum intereſt.) talem defenſionem ac protectionem ſuſcipere ac præſtare debent. Vide hoc probatum accommodatè ad ſtatum & factum Germaniæ, Galliæ, Belgii in *tract. Magdeburgenſium de jure Magiſtratus in ſubditos* olim ſine nomine autorum edito; & à *Frederico Hortledero in diſcurſibus pro defenſione patriæ libertatis & pacis publicæ, cum primis religioſæ contra oppreſſiones & machinationes, etiam ſuperiorum;* quos *Goldaſtus politicis Imperialibus* inſeruit; etiam in *Politica Althuſii cap.* 18. & 38. Denique compluribus aliis ſcriptoribus Politicis & Jureconſultis, qui hoc noſtro & ſuperiori ſeculo in Europæ ſcholis Reformatis, Proteſtantibus, Pontificiis docuerunt: quorum, ut & Theologorum reformatorum numerum aliquem apud *Hortlederum* & *Althuſium* videbis. Non eſt hujus loci rationum & autoritatum indicium facere. Suffecerit junioribus curſum ſtudii theologici ingreſſis inter Theologos indicaſſe *ſynopſ. Leidenſem diſp.* 50. §. 19. *Pareum ad Rom.* 13. quem poſtea filius ipſius *Joh. Philippus Pareus* peculiari tractatu defendit; & inter ſcripta politica, *decretum Ordinum fœderatorum Belgii*, quo *Philippo* Imperium abrogant; *Apologiam Principis Arauſionienſis Wilhelmi* I.; *Franciſcum Franck in vindiciis pro libertate Ordinum Belgii c. Franciſcum Verhaer.* 3. *Concl.* ſi nullibi defenſionis occaſio ſe offerat, nihil reſtat quam ut fideles & oves & miniſtri poſitis ponendis tempeſtivè inde fugiant, & ubicunque terrarum poterunt auream libertatem quærant.

V. *Probl.* An nummis, ſeu muneribus à manu, aut à linguâ, aut ab obſequio libertatem è manu Magiſtratuum ſive ſuperiorum, ſive inferiorum, ſive utrorumque (ſiquidem aliter obtineri non poſſit) redimere liceat? *Reſp. Aff.* Si enim fideli incidenti in latrones aut pyratas, vexam & vitam ab iis, & ſi ab hoſtibus capto libertatem numerato lutro redimere licet, quidni eccleſiæ alicui ſuam libertatem eccleſiaſticam? Nec obſtat quod apud *Cyprianum epiſt.* 31. & *epiſt.* 52. *p.*98. edit. Pamelii (cujus notas vide) culpetur

tur & libellaticis aliquo modo affines seu libello maculati dicantur, qui præfectis confitebantur per se aut per alios se esse Christianos, sibique non licere sacrificare, sed dare præmium, ne quod non licet facerent. Illi enim præfecto seu judici permittebant in sui excusationem apud Imperatorem & palam negare, quod essent Christiani. Quia ergo patiebantur nomen suum libello seu albo apostatarum inseri, nec palam recitationi illi reclamabant (uti constantes Christiani in simili casu apud *Eusebium lib. 8. cap. 2. & Cyprianum epist. 19.*) prævaricante silentio culpæ affines fiebant: quippe *libello maculati*, & *conscientiam polluti*, quamvis *manus* eorum *pura esset*, ut *Epist. 52.* loquitur *Cyprianus*. De iisdem infra *part. 2. lib. 1. tract. 1. tit. de martyribus* rursum aliâ occasione quærendum erit.

VI. *Probl.* An libertates, Ecclesiæ Gallicanæ, sint verè & propriè dictę libertates ecclesiasticæ. *Resp.* Summa libertatum istarum peti posset ex *Capitularibus Caroli M.*, *Ludovici*, *Caroli Calvi*, imprimis decretis quibusdam *Concilii Basiliensis* (quæ idcirco *decreta Basiliensia*, *& Bituricensia dicuntur*) in formam *sanctionis pragmaticæ* (ita dictæ) contractis, & sub nomine Regis Galliarum Caroli Septimi publicatis anno 1438. quam etiamnum contra Papam, & Curiam Romanam tuetur suprema curia Parisiensis, & in quam jurare coguntur omnes Theologi Sorbonici. In dictam sanctionem prolixè commentatus est *Cosmas Guymier JC.* cui justum repertorium subjecit *Petrus Cambafort JC.* Opus hoc denuo editum est. Parisiis 1503. ex typographeio *Philippi Pigouchee* in 8. Prætendit illas *Lud. Servinus in Vindiciis suis.* Nuper quis in Galliâ duo volumina libertatibus Ecclesiæ Gallicanę implevit: sed quorum distractio ad querelas Nuntii Papalis prohibita fuit: Hinc occasionem arripuit quis suppresso nomine in libertates Ecclesiæ Gallicanæ detonandi. Hunc excepit *Petrus de Marcâ* ordin. sacri consistorii consiliarius & in supremo Senatu Navarræ præses, Tractatu, cui tit. *Concordia sacerdotii & imperii, seu de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*: ubi tamen nonnulla incrustat, accommodatè ad tempora, & res, ac statum hujus sæculi. Quod ad dictas libertates *Sanctione pragmaticâ* contentas, maximam partem circa ordinationem & executionem hierarchiæ & agendorum Papisticorum ut & libertatum ac causarum sæcularium, occupantur e. gr. de ærario regis, juribus coronæ, & juribus patronorum immunitis; de absolutâ subjectione ad concilia (quę ita vocant) generalia; de Electionibus Episcoporum per cathedralia monasteria collegiata; de collationibus beneficiorum; de numero & qualitate Cardinalium; de moderato salario scriptorum curiæ Romanæ; de officiis divinis in choro, & de horis canonicis dicendis extra chorum, deque missarum celebratione, &c. Quamvis diffiteri nolimus, intercurrere nonnulla non improbanda, ad reformatio-

nem morum in populo & clero, & ad inhibitionem potestatis Papalis in ecclesiasticis & sæcularibus spectantia: qualia e. gr. de non residentiis; reservationibus; exspectationibus; pluralitatibus beneficiorum; indignorum ad ea promotionibus; litium super iis multiplicationibus; Officiorum ecclesiasticorum diuturnis vacationibus; de causis ecclesiasticis (nonnullis exceptis) in Galliâ terminandis, non Romæ; de simoniâ; de annatis; de clericis concubinariis, &c. Hæc ex *Sanctione pragmaticâ* speciminis causâ excerpsi. Plura addi possent ex *Petro de Marcâ*, & *Bochelli decretis Ecclesiæ Gallicanæ*: sed quia nihil aut parum ad genuinam libertatem Ecclesiæ faciunt, consultò prætereo.

VII. *Probl.* An nostræ Ecclesiæ libertatem & reformationem religionis & Ecclesiæ armis acquisiverint, promoverint, tutatæ sint, contra Reges, Principes, Magistratus; & consequenter quæcunque rerum Politicarum, & regnorum, Principum, politiarum in formâ regiminis, &c. mutatio hâc occasione inciderit, nostræ religioni & Ecclesiæ Reformatæ, quà tali, quippe ex professo & peculiari quodam genio suo talia agenti, imputari possit, aut debeat? *Resp. Neg.* contra calumnias quas nostris hic struit *Grotius* in scriptis contra *Rivetum*; & ante eum ex Pontificiis non pauci, inter alios autor anonymus libelli tit. *Secreta secretorum Calvino Turcica*, & alter anonymus libelli tit. *Veridicus Belgicus* in 8. Hujus autorem annis aliquot post detexit *Phil. Alegambe in Bibliothecâ* scriptorum societatis Jesu anno 1643. *pag.* 447. 450. *Carolum Scribani*; qui idem eundem libellum paulo ante ediderat belgicè in 4. tit. *Apocalypsis Hollandica.* Cui refutatio opposita est à *Quesnoy JC. Secretis Calvino-Turcicis* opposita sunt *Secreta Turco-Papistica*, autore *Justino Justino-politano*: quod scriptum in illo genere eruditissimè & prudentissimè concinnatum, omnibus Germaniæ salutem amantibus, lectu utilissimum est. *Cardinalis Perronus* in oratione quâdam purgaturus non purgaturus Papisticam doctrinam à seditionibus, & paricidiis, nostræ doctrinæ & ecclesiæ tale quid affricare tentabat: sed admodum infeliciter. Dictam orationem sereniss. & potentiss. Rex magnæ Britanniæ *Jacobus* peculiari scripto evulgato refutavit. Non dicam jam de multis aliis libellis, quibus tristes in Anglia motus, conflictus, & mutationes imprimis ab anno 1648. & deinceps presbyterialibus, h. e. γνησίως & in doctrinâ & in disciplinâ reformatis ecclesiis crudeli calumniâ imponuntur. Retunditur autem istis rationibus 1. *Quia*, non est communis doctrina Ecclesiastica Reformatorum; ne quidem communis, aut probatæ alicujus aut celebris scholæ, particularis; nec synodi alicujus ecclesiasticæ, quæ statuerit potestatem & jus gladii, atque adeo mutandi leges, regimen, statum Reipublicæ, & in eum finem belli suscipiendi sive offensivi, sive defensivi, sive contra

tra superiores, sive contra inferiores, sive contra collaterales, Ecclesiis nostris aut Ecclesiasticis, jure divino, aut naturali, aut gentium competere. Provocamus omnes adversarios, ut probent hanc doctrinam esse doctrinam reformatam, aut Protestanticam, aut Genevensem, Puritanicam, Presbyterialem (quibus nominibus eam subinde indigitant): sicuti nos probare parati sumus hanc esse doctrinam Papisticam, Vide indicia, quæ fecimus 3. *part. sel. dispp. tit. de Sede Romanâ incompatibili cum politiis reformatis.* 2. *Quia*, ne quidem praxi aut exemplo suo ostenderunt Ecclesiæ Reformatæ, hunc esse sensum suum: Immeritò ergo hoc ipsis imputatur. Sed dices, objici posset. 1. *Object.* Doceri passim à reformatis Theologis, licitam esse resistentiam positivam & armatam, quâ Regi aut Principi resistitur: ergo, &c. *Resp.* 1. Doceri hoc passim à scriptoribus Politicis quà talibus & reipsâ praxi atque exemplo suo hoc præstitisse omnes nationes in Europâ: ne quid de aliis dicam. Non esse ergo hoc peculiariter proprio quasi genio Ecclesiæ, doctrinæ, & Theologorum reformatorum tribuendum. 2. Non doceri hoc ab omnibus Theologis reformatis, quamvis fateamur à quamplurimis hoc doceri. 3. Non docent Theologi reformati, resistentiam talem ecclesiæ aut ecclesiasticis esse licitam; sed Magistratibus, quibus hoc positis ponendis jure competit; sive secundum fundamentales leges principatus, sive secundum legem naturalem & rationes necessitatis in eâ fundatas, sive secundum utrasque. 11. *Object.* Docent tamen aliqui, etiam populo competere potestatem resistendi in casu necessitatis. *Resp.* 1. Dato hoc ita esse; quo jure opinio paucorum, toti Ecclesiæ & professioni Reformatorum imputabitur? quasi scil. politiæ universali, aut Nationali, aut Provinciali imputari deberet opinio unius atque alterius ex civibus. 2. Nondum vidimus adducta verba Theologorum sic opinantium. Nam, qui subinde à malevolis indicantur *Buchananus de jure regni*, & anonymus autor Antimachiavellicus *tit. Vindiciarum contra tyrannos* autore *Stephano Junio Bruto* (quem ex *Tronchini* orat. funebri in obitum *Simonis Goulartii* nunc discimus esse *Hub. Languetum*) *Hotoman. in Franco-Galliâ*, non fuerunt professione Theologi; sed Politici aut Jureconsulti. Ante paucos annos nescio quis Amstelodami nomen *Bezæ* Vindiciis *Steph. Junii Bruti* præscripserat: sed nos peculiari diatribâ commentum illud diluimus. 3. Nec tamen illi autores dicunt plebi, nedum cuivis aut quibusvis è plebe promiscuè hoc competere, sed corpori totius populi secundum materiam & formam suam aut in se considerato, aut in justo repræsentamine suo, idque juxta jura, aut privilegia, aut leges regiminis fundamentales. 4. Quidquid dixerint autores aliqui de populo; nemo tamen vel per somnium cogitavit de tali potestate populo aliter ac politicè considerato vindicandâ. Quod

 enim

enim homines populum illum constituentes pariter sunt Christiani, & tanquam membra Ecclesiæ ecclesiasticum corpus constituunt, hoc totum est per accidens, & facit prędicationes per accidens, quales illæ, hic est faber & est Musicus, ergo Musicus ædificat domum. Ergone quà Musicus aut per Musicam ædificat? Minimè. 5. Nec soli illi autores tale quid dicunt; sed hæc est sententia Pontificiis apud *Bellarmin.* & *Zuarez in 3. part. sel. dispp. tit. de sede Romanâ*, &c. *cit.* frequentata: Quod scil. populus in casu necessitatis possit resumere potestatem, quam in principem transtulerat.
III. *Object.* Reformati tamen ipso facto satis ostenderunt, hunc esse doctrinæ suę genium: e.gr. in Galliâ, ubi contra Reges *Henricum 2. Carolum 9. Henricum 3.* arma sumserunt; & in Belgio, ubi Principi Belgarum *Philippo* II. non tantum restiterunt, sed & principatum abstulerunt anno 1581. *Resp.* 1. Nondum probatum est fuisse omnes illos reformatos. Saltem in Belgio contrarium constare, quod ad prima belli initia alibi ostensum est. Nec etiam eos fuisse ecclesiam reformatam Belgii aut in se, aut in suo repræsentamine, synodis scil. classibus, &c. consideratam. 3. Multò minus, eos arma sumsisse, specialiter in Belgio, liberam Rempublicam constituisse, quà ecclesiam, aut quà membra Reformatæ Ecclesiæ, ac non potius quà politiam, & quà Præfectos, Proceres, Ordines, Magistratus, penes quos in illâ politiâ erat publica potestas. 4. Nedum ut ex proprio genio, & peculiaribus axiomatis reformatæ religionis, doctrinæ, Ecclesiæ, tale quid fecissent: ac non potius, ex genio populi Belgici libertatis semper studiosi, & secundum axiomata fundamentalia, jura, privilegia sua propria; ad quæ accedebant jura communia naturæ & Gentium. Uti vel inde etiam constare potest, quod toties inferiores titulo & potestate Principum, Statuum, Parlamentorum, Ordinum, civitatum, Episcoporum, Baronum & Nobilium, &c. in Imperio, Bohemiâ, Anglia, Scotia, Gallia, Italia, Dania, Suecia, Helvetia, Belgio, &c. ante tempora Reformationis, superioribus suis Regibus & Principibus restiterint. Catalogum bellorum civilium quæ dominante Papatu in occidente jam inde post annum 1000 gesta sunt, hic non texam? Inspiciat modo, cui non vacat historicos nationum consulere, *Calvisii*, aut *Bucholceri*, aut *Carionis*, aut alterius alicujus chronicon. Quid dicam de Helvetiis in libertatem se vindicantibus, aliisque nationibus dominos ac Principes suos mutantibus? Post inchoatam pertendentem (ita appellare liceat distinctionis causâ) in Occidente reformationem anno 1517. in Imperio gestum est bellum Smalcaldicum, & illi succedens *Mauritii Saxonis*, adhæc *Alberti Brandeburgici*; restitit urbs Brunswicensis duci suo; Dania ejecit *Christiernum*, & Suecia *Sigismundum*; post motus ortos in Bohemia anno 1618. Principes aliqui & urbes in Imperio in fœdus

dus defensivum coïerunt; anno 1632. præeunte Electore Saxonię denuo contra Imperatorem *Ferdinandum* II. arma sumunt: quin & cum rege Sueciæ manus jungunt; Sueci jam inde subditis Imperii in Imperatorem pugnantibus auxiliati sunt, quod ante eos tentaverat Rex Daniæ *Christianus* IV. Sed quis sanus & sobrius hæc bella adscribat genio & ἰδιοσυγκρασίᾳ religionis reformatæ, aut præcisitatis Puritanicę, aut regiminis presbyterialis? In Gallia Ligistæ pugnârunt in *Henricum* III. & IV. Hiberni in Reginam *Elizabetham* auxiliantibus Papâ & Hispano; Lusitania & Catalaunia defecerunt à *Philippo* IV. Nuper urbs Leodiensis armis contra Electum Episcopum se tueri conabatur. Initia belli conspecta sunt in regno Neapolitano. Quid dicam de Principibus quibusdam & Parlamentis in Galliâ a. 1650? de molitionibus quorundam & conspirationibus adversus Reges Hispaniæ & Lusitaniæ? Num omnes illi fuerunt Reformati, an potius Pontificii? Cujus religionis sunt Cosacki in Poloniâ, qui etiam hodie duce Chimelinski Regi suo resistunt, & quidem pro libertate religionis Græcæ, uti profitentur? 5. Pontificiis talia exprobrantibus reponimus, ex naturâ, proprietatibus, perpetuâ doctrinâ & praxi Romanę sedis seu Papatus, omnem perfidiam, proditionem, seditiones, rebelliones, conspirationes, injusta bella tum erga superiores, tum erga collaterales, per se scaturire. Retorsionis hujus probationem indicamus in 3. *part. sel. dispp. tit. de Sede Romanâ incompatibili*, &c. Lutheranis quibusdam Theologis hanc retorsionem minimè aptamus; sed tantum occinimus versiculum illum, *Parcius ista viris tamen objicienda memento.* Intueantur exempla suorum modo allegata; & judicent, quâ æquitate Theologi nonnulli inter ipsos, reformatis in Galliâ & Belgio laborantibus antehac insultârint. IV. *Object.* Ad exortum Reformatæ religionis, ilico bella, seditiones, politiarum mutationes, rerum omnium perturbationes, erga Reges & Principes insurrectiones, &c. invaluerunt: ergo hoc tanquam religionis reformationi & innovationi proprium, imputandum. *Resp.* 1. Ad antecedens idem respondeo quod *Augustinus lib.* 1. *de civitate Dei* Gentilibus simile quid religioni Christianæ imputantibus: orbem Europæum his malis immo & majoribus & pluribus, dominante Papatu, infestum fuisse. 2. Quidquid istorum evenerit, hoc totum esse per accidens, ratione Reformatæ religionis & Ecclesiæ: per se autem promanare ex doctrinâ & praxi irreformabilis Papæ & cleri Papalis; illis igitur imputandum, non reformatis. Vide commentatores Pontificios ad Matth. 10. v. 34. *Ne arbitremini, quod veni mittere pacem*, &c. & dicta eorum analogicè applica ad præsens hoc negotium.

VIII. *Probl.* An rectè allegentur contra armatam religionis & Ecclesię defensionem, exempla Christi, Apostolorum, primitivæ Ecclesiæ tempore

per-

perſecutionis in Imperio Romano; quæ tantum paſſæ ſunt, & ſanguinem ſuum fundendo fidem propagârunt, nec voluerunt reſiſtere, quamvis ſubinde vires non defuiſſent. *Reſp.* 1. contra privatos quoſque cives fidem Chriſtianam profitentes, & contra cœtus eccleſiaſticos autoritate publicâ deſtitutos, *Aff.* Sed contra fideles illos in communione Eccleſiæ Reformatæ conſtitutos, qui poteſtate civili & publicâ inſtructi ſunt, *Neg.* His enim quà talibus ſuo modo etiam conveniunt illa Rom. 13. v. 4. *gladium non gerit fruſtra*, &c.

IX. *Problem.* Quid cenſendum de patientiâ legionis Thebeæ, quæ cum potuiſſet reſiſtere pro virili & non inulta mori, mactari tamen ſe paſſa eſt propter fidei Chriſtianæ profeſſionem: uti referunt Beda, Uſuardus, Ado in martyrologiis. *Reſp.* Non video cur in virtute poni non debeat ipſorum patientia: eo quod publicę poteſtati militantes ac vi & lege vocationis ſuæ inſervientes, & conſequenter merè privati exiſtentes nullâ poteſtate publicâ ſive ſupremâ ſive ſubalternâ, nullo juſto titulo reſiſtere potuiſſent; ideoque ſecundum Chriſti doctrinam & exemplum, debuerint continere gladium & agnoſcere poteſtatem cœlitus datam, quamvis abutentem, *Matth.* 26. *v.* 52. cum *Johann.* 18. *v.* 36. & *cap.* 19. *v.* 11. *coll.* 1 *Petr.* 2. *v.* 18. Et hæc fuit Theologia practica & praxis noſtrorum in Belgio, Galliâ, Angliâ, Scotiâ, &c. & ubivis terrarum; quamdiu non exurgunt vindices civili & publicâ poteſtate armati, quorum ſub umbrâ & titulo ad legitimam defenſionem contra perſecutores & tyrannos ſe comparare queant.

X. *Probl.* An privati fideles aut cœtus fidelium, Principibus, aut Proceribus, aut Magiſtratibus, aut civilibus communitatibus ac ſocietatibus, poteſtate aliquâ munitis ex jure naturæ, gentium, civili, & inſuper ex pacto aut conventione illius Reipublicæ ſpeciali, defenſionem oppreſſorum & vindicias libertatis ſuſcipientibus; talem defenſionem admittere, eâque frui, aut etiam militiæ illi defenſivæ nomen dare poſſint? *Reſp.* Nullam video rationem, cur hoc negandum ſit.

XI. *Probl.* An ſi Rex; Princeps, Magiſtratus, &c. conventionem inierit, de defendendâ religione Reformatâ, aut libertate religionis: Eccleſia illa, cui fidem & pacta non ſervat, armis jus ſuum petere ac tueri poſſit? *Reſp.* De membris Eccleſiæ iſtius, pariter proceribus aut pręfectis in politiâ, & aliquo juſto titulo, ſecundum leges, poteſtate publicâ inſtructis, quà talibus non auſim omni in caſu hoc negare: Sed de merè privatis civibus, aut cœtibus eccleſiaſticis, ſynodis, &c. omni poteſtate publicâ & juridiciali cum imperio ſeu coactivâ deſtitutis, non auſim ullo in caſu affirmare: Eccleſię ergo quà tali nihil tali in caſu agendum reſtat, quam ut jure experiatur ſi poteſt, apud judices ex more & lege patriæ, & de pacti ac con-

conventionis violatione quærelam instituat: sin minus, aut patienter ferat, aut maturè fugiat.

XII. *Problem.* An licitum sit fidelibus aut cœtibus ecclesiasticis, apud exteros Principes & Respublicas religionis ejusdem consortes, aut illi faventes, saltem minus infestas, intercessionem & defensionem quærere; immo & manus cum illis jungere, ac confœderationem bellicam inire? *Resp.* 1. *Concl.* De intercessione petendâ nullum dubium: & docuit hoc praxis nostrorum in Galliâ & Belgio: Quorum illi Principum quorundam Protestantium in Germaniâ; isti Imperatoris *Maximiliani* 2. & Electorum ac Principum Imperii intercessionem petierunt. Exstat *Oratio Philippi Marnixii Toparchæ Sanct-Aldegondii*, quam a. 1578. in comitiis imperii habuit: sed missus ab Archiduce Mathiâ & Ordd. Belgii. Debet tamen cautè fieri ne furorem hostium exasperemus. 2. *Concl.* Quod ad armatam defensionem, privati fideles, & ecclesiastici cœtus, quâ tales non poterunt esse nisi spectatores, nec se huic bello immiscere, aut arma in Principem aut Magistratum suum capere & cum armis defensorum conjungere. Aliter tamen statuendum est, de Principibus, proceribus, Magistratibus, illius patientis Ecclesiæ membris, & omnibus aliis, qui quà subditi & cives sub umbrâ hujus publicę potestatis & legitimę defensionis arma capiunt. Et hoc docent exempla nostrorum in Germaniâ, cum rege Sueciæ Gustavo se jungentium. 3. *Concl.* De confœderatione cum extraneis defensoribus, contra Principem aut Magistratum proprium, sub eâdem distinctione determinandum.

XIII. *Problem.* An non ab Ecclesiâ Gallicanâ, aut bonâ ejus parte defensio suscepta fuit cum Rohanio duce & Rupellensibus, aliisque proceribus illorum partes sectantibus anno 1626. *Resp.* Quidquid hic ultrò citroque disputaretur, an prudenter & tempestivè satis illo tempore & rerum statu tanti momenti negotium tunc susceptum fuerit; non potest saltem hic odiosè inferri, Ecclesias reformatas quà tales restitisse Regi suo & jus armorum ac potestatem politicam sibi usurpasse; non magis quam ecclesiis reformatis in Belgio prima belli initia attribuenda sunt, quæ à publicâ potestate procerum & nobilium confœderatorum; aut à præfectis & gubernatoribus Provinciarum (inter quos potestate & potentiâ excellebat *Wilhelmus I. Princeps Arausonienſis*); aut à Magistratibus in quibusdam civitatibus Valencenâ, Flissingâ, Enckhusâ, &c. suscepta & gesta sunt. Adeo ut sepositâ disceptatione de causâ defensionis Rupellensis, deque ejus justo temperamento, ordine, modo, adhæc de confœderatione cum extraneis, aut de adscitis & admissis extraneorum auxiliis, &c., ultima potestatis analysis, in publicam seu politicam autoritatem Senatus Rupellensis & ducis Rohanii cum reliquis confœderatis facienda sit. An autem

tem illi poteſtatem hanc indebitè contra jura regni & contra juramentum fidelitatis uſurpârint, aut præſenti cauſæ malè adhibuerint, cum politicis illis in hypotheſi diſceptandum eſt, non cum eccleſiis reformatis Galliæ. Adeò ut à nonnullis ſatis imperitè nonnunquam, ne dicam iniquè, in Eccleſias Gallicas ſi non omnes, ſaltem aliquas tunc patientes hoc nomine incurri videatur. Sed objiciat quis 1. *Object.* In cœtu quodam reformatorum ex deputatis politicis & eccleſiaſticis conflato, defenſio decreta: uti conſtat ex declaratione nomine cœtus illius tunc editâ. *Reſp.* 1. Sepoſitâ quæſtione, an juſtum aut prudens fuerit hoc decretum, & an libertate ac poteſtate ſuâ abuſus ſit; dicimus cœtum illum non fuiſſe propriè eccleſiaſticum, ſive in ſe, ſive per repreſentationem: quippe qui à conventibus ſynodornm Nationalium & provincialium (in quibus totalia & partialia repræſentamina eccleſiæ Gallicanæ quærenda) planè diſtinctus eſſet. 2. Nec fuiſſe talis cœtus convocationem & conſtitutionem eccleſiaſticam. 3. Nec tamen novæ & inſolentis alicujus uſurpationis; ſed ex indulto Regum, & moris recepti. 2. *Object.* Miniſtri bellis inteſtinis in Galliâ non tantum, ſed & in Germaniâ, Belgio, &c. pro defenſione religionis reformatæ ſuſceptis, ſe immiſcuerunt; aut conſilia Theologica in caſu conſcientiæ ſuppeditando, aut in caſtris & alibi inter bellatores in verbo & precibus laborando, aut alioquin partes defenſorum ſequendo: ergo videntur ejuſmodi bella contra ſuperiores ipſis imputanda, & conſequenter religioni atque eccleſiæ reformatæ, cujus antiſtites ſunt. *Reſp.* 1. *Ex* caſibus conſcientiæ determinatis, præcipuè cum à Magiſtratibus ſuis, aut Rebuſpublicis rogantur, nullo modo ſequitur jus armorum aut poteſtatem politicam à miniſtris uſurpatam: cum enim ſpiritualibus armis utuntur, & conſcientias ex verbo Dei informant, non ſunt ἀλλοτριοεπίσκοποι, ſed in proprio verſantur munere, *Malach.* 2. 7. 1. *Corinth.* 4. *verſ.* 1. 2. 2. *Nec ſequitur*, ex miniſterii exercitio in caſtris aut præſidiis, aut inter armatos cives. Dato enim illegitimè bellum aut defenſionem illam ſuſcipi: an ideo miniſter à curâ ovium ſuarum, à verbi prædicatione, à precum officio, à ſacramentorum adminiſtratione ilico abſolutus eſt? Quibus ſcripturis, quibus rationibus, quâ praxi antiquæ eccleſiæ, quibus decretis Conciliorum, immo & Papalibus hoc evincitur? Alienum hic eſt, quod alibi tangimus (*in diſp. de Clavibus*, &c.) de ceſſatione ſacrorum tempore interdicti. 3. *Neque* etiam ſequitur, ex eo quod miniſtri partibus iſtorum defenſorum & animo, & ore & opere adhæſerint: hoc enim fecerunt, non ut uſurpatores poteſtatis publicæ, ſed ut religioſi obſervatores ejuſdem, quippe privati ſubditi & miniſtri Principum aut Magiſtratuum ſuorum, quorum ductui & autoritati parebant, quin etiam juſſi pro parte ſuâ tanquam boni cives ſubſerviebant, quouſque ſcil.

cum Deo & bonâ conſcientiâ hanc parendi gloriam non pugnare credebant. 4. *Adde*, quod dato alicubi miniſtrum quem, aut miniſtros quos, malè Principibus aut Magiſtratibus ſuis conſuluiſſe, aut malè atque infeliciter conſiliis Politicorum conſenſiſſe & ſe miſcuiſſe, aut etiam in tantâ rerum confuſione ea turbaſſe, ut ab ἀλλοτριοεπισκοπῆς, perfidiæ, rebellionis, ſeditionis, &c. criminibus plane excuſari nequeant: inde tamen non ſequitur, toti ordini miniſtrorum reformatorum, nedum communi cauſæ & univerſæ eccleſiæ reformatæ, talia juſtè imponenda eſſe. Quod ſi enim tam iniquæ conſequentiæ locus detur, (uti improbi quidam miniſtrorum & religionis oſores velle videntur), quis ordo hominum utut honoratiſſimus poſthâc ab infamiâ immunis erit? Status ſeu ordines quarundam provinciarum in Belgio, nec non præfecti aliquot provinciarum, diſtrictuum, civitatum, etiam primarii nobiles & toparchę complures ab unione aut fœdere perfidè defecerunt: præterea non pauci ex illis, uti etiam ex ſenatoribus, Syndicis, Jureconſultis, militum præfectis, publici proditores, & transfugę facti ſunt. Quid ergo? an univerſo ordini hęc omnia tanquam quarto modo propria in perpetuum adſcribenda & exprobranda? Non puto ipſam calumniam eò impudentię proceſſuram. 5. *Denique*, excutiantur omnia archiva politica, omnia pragmaticorum ſcrinia, omnia hiſtoriarum monumenta, omnes ſatyricorum & libelliſtarum quiſquiliæ, omnes Pontificiorum & Anti-reformatorum cloacæ; nunquam efficies, ut bella Regum, Principum, Rerumpublicarum, populorum, pro libertate politicâ, aut pro libertate religionis, aut pro utrâque, ſuperiori & hoc pręſenti ſęculo ſive debitè ſive indebitè ſuſcepta aut geſta, ἰδιοσυγκρασίᾳ & proprio genio (utor phraſi adverſariorum) reformatæ religionis & eccleſiæ aliquâ cum ſpecie attribui debeant; ac non potius ſuis propriis quæque autoribus; quibus apologia facti ſui incumbit, ſiquidem illud maculâ ſeditionis, aut rebellionis, aut tyrannidis uſurpantis, aut tyrannidis abutentis conſpergi contingat. 3. *Object.* Quæcunque bella occaſione religionis reformatæ, ſaltem quę pro defenſione ejus ſuſcepta ſunt, ea omnia cum conſequentibus, Eccleſiæ reformatæ imputanda videntur. *Reſp.* 1. De occaſione abſolutè negatur. Hinc enim ſequeretur, adventui Chriſti in carnem, & prædicationi religionis Chriſtianæ & plantationi eccleſiarum per Apoſtolos, horribiles illas turbas & commotiones per totum mundum imputandas eſſe. Vide *Apologias Tertulliani*, *Minutii Felicis*, *Auguſtini libros de Civitate Dei*; & ex recentioribus, *Juellum in Apologiâ Eccleſiæ Anglicanæ*. 2. *Bellorum*, ſi quæ directè & exſertè pro ſolâ defenſione religionis reformatę geſta (qualia puto pauca demonſtrari poſſe), cauſa principalis & propria fuerunt Reges, Principes, Politiæ, Status, Magiſtratus, quorum autoritate & ductu

ſuſcepta, & geſta ſunt, non verò eccleſia aut cœtus aliqui, qui eccleſias repræſentant. Potuit religionis & eccleſiæ injuſta perſecutio, aut ſola aut cum aliis conjuncta, belli iſtius ſuſceptoribus & ducibus fuiſſe cauſa minus principalis, quam externè impellentem & moventem vocant. Sed hoc nihil ad rhombum facit.

XIV. *Probl.* An in caſu defenſionis, quam oppreſſis alicubi eccleſiis, imprimis amore & intuitu religionis, quamvis & cauſæ aliquæ politicę admixtæ ſint, aliqui præſtant aut præſtiterunt (uti e. gr. *Regina Elizabetha, & Guſtavus Rex Suecorum*) privati fideles aut inferiores Magiſtratus contra ejuſmodi defenſores ſub ductu Principis ſui aut ſponte aut coacti arma capere poſſint, ſive ſponte ſive mandato ſuperiorum. *Reſp.* 1. Ut ſponte in gratiam propriorum Principum Eccleſiam Chriſti & ſe in ac cum eâdem perſequentium, in oppreſſam ſuam eccleſiam atque unà in liberatores & benefactores inſurgant eoſque pro viribus perditum eant, non putò à quoquam ſano & ſobrio concedi poſſe. 2. Ut juſſi & coacti hoc agant, à pietate alienum arbitror: neque enim ſolo mandato ſuperiorum, conſcientiam ſuam ab ingratitudine & injuſtitiâ liberare poſſunt, ſi bonam cauſam in fratribus ſatis afflictis & in extraneis liberatoribus oppugnatum eant. 3. Quod ſi liberatores extranei intentione quidem & zelo bono, ſed non ſatis juſto titulo, aut ordine legitimo, aut modo debito, principis tui perſecutionem ſiſtere & captivos Sionis ſublevare conentur: nefas tamen ducerem ipſorum oppreſſionem, & conſequenter eccleſiæ propriæ afflictionem, vel minimam promovere.

XV. *Probl.* Quid ergo, faciendum, ſi Magiſtratus ad capeſſenda arma te compellat & ad tale juramentum ſive novum, ſive renovandum, quo directè aut indirectè eccleſiæ & religioni propriæ, perniciem parari vides. *Reſp.* Quodſi nulli excuſationi, aut dilationi, aut provocationi ad ſuperiores locus ſit; ſolum tempeſtivè vertendum, antequam ſimili fere laqueo nos induamus, quali David conſtrictus tenebatur. 1 *Sam.* 28. 1. 2. Confer *reſponſum DD. Profeſſorum Leidenſium ad quæſtiones ſuper juramento civico à deputatis ſynodi propoſitas anno* 1629. *& ab utriuſque Synodi Hollandicæ deputatis, nec non Theologis Franequer. & Groning. approbatum; cum apologiâ ejuſdem reſponſi nomine Facultat. Theologicæ conſcripta à Cl. Theologo Ant. Walæo*: quę operibus ipſius inſerta eſt.

XVI. *Probl.* An Eccleſiæ, aut membris eccleſię abſque poteſtate & ductu Magiſtratus politici aut communitatis politicę, jura & libertates, quæ ex liberali & legitimâ donatione Principis aut Reipublicæ, aut ex quâvis legitimâ conventione, bonâ fide & pacificè hactenus poſſidet, reſiſtentiâ poſitivâ & armatâ retinere aut repetere liceat, contra injuſtam vim Magi-

ſtratus tunc rerum potientis. *Reſp.* Si à nullâ poteſtate politicâ legitimum patrocinium hic exſpectari aut peti poſſit, utique eccleſiæ quà tali, & eccleſiaſticis ferendum eſt. Quamvis enim injuria ipſi fiat, tamen non habet poteſtatem, judicio aliquo publico ejuſque executione eam vindicandi. Vide de hoc præclarè diſſerentem *Calvinum lib.* 4. *Inſtitut. cap.* 20. §. 23.--31. *coll. cum cap.* 11. *ſect.* 9. 16. ubi inter alia *ſect.* 15. allegat prudens dictum *Ambroſii* ex homiliâ de Baſilicis non tradendis: *Volens*, inquit, *locum mihi commiſſum non deſeram: coactus repugnare non novi; arma enim noſtra preces ſunt & lachrymæ.* Idem applicandum ad ærarium eccleſiaſticum, & reditus diaconorum, ſiquidem Reges aut Principes eos vi auferant. Quod tamen non præjudicat facto *Laurentii Diaconi Romani* tantopere à Pontificiis & noſtris Theologis laudati: quippe cujus reſiſtentia erat purè negativa. De quo alibi pluribus agendum.

XVII. *Probl.* An liceat veræ eccleſiæ conventus agere & exercitia ſacra inſtituere ac frequentare: ubi Princeps aut Magiſtratus, ea ſeverè prohibet, nec ullam libertatem concedit. *Reſp. Aff.*

1. *Quia* vi ſecundi & quarti præcepti (vide catech. noſtram *quæſt.* 103.) *coll. cum Hebr.* 10. *v.* 24. *&* 1. *Cor.* 11. *v.* 20. *&* 14. *v.* 23-27. *Math.* 28. *v.* 19. 20. *Pſ.* 42. *v.* 5. *&* 122. *v.* 1. 2. & ex benedictione conventibus promiſsâ, *Math.* 18. *v.* 20. conventus eccleſiaſtici, & ſocia pietatis exercitia, nobis à Deo imponuntur.

2. *Quia* ex neceſſario requiſito & medio cultus inſtituti & quidem ſocialis, communis, eccleſiaſtici; ejuſdem cultus ſocialis & eccleſiaſtici neceſſitas (neceſſitate ſcil. præcepti divini) validè colligitur. Jam verò neceſſarium medium, inſtrumentum, requiſitum eſt, miniſterium eccleſiaſticum ejuſque functiones, verbi ſcil. prædicatio, precatio, & benedictio, ſacramentorum adminiſtratio, anteceſſorum electio, eccleſiæ ordinatio, diſciplina: De miniſterii neceſſitate infra *part.* 2. *lib.* 2. *tract.* 1. De verbi prædicatione, & ſacramentorum adminiſtratione, precatione & benedictione ſupra *lib.* 2. *tract.* 2. de Electionibus Eccleſiaſticis infra *part.* 2. *lib.* 3. de Ordinatione & Regimine Eccleſiæ, deque cenſuris & diſciplina *part.* 3. *tract. ult.*

3. *Quia* Chriſtus rex ſpiritualis regnum ſuum ſemper habet in hoc mundo *Luc.* 1. *v.* 33. Et mundus eſt in malo poſitus 1 *Joh.* 5. *v.* 19. & mundus odit ac perſequitur fideles *Joh.* 15. *v.* 18. 19. & Chriſtus ſuos mittit ac habet tanquam oves inter lupos *Math.* 10. *v.* 16. Nihilominus ipſe dominari debet in medio inimicorum *Pſal.* 110. *v.* 2. Ergo Eccleſia Chriſti inſtituta eſſe & conſervari debet in malo mundo, in medio perſecutionum. Hoc autem fieri nequit, ſine miniſterio, ſine con-

conventibus sive apertis sive clandestinis. Non sunt itaque ob pericula persecutionum omnes conventus omittendi.

4. *Quia* confessio fidei, & martyrium, quibus Christus eximiè honoratur, euangelium propagatur, ecclesia crescit; vix locum haberent, nisi fideles in cœtus convenirent, & *alii alios observarent ad excitationem fidei & bonorum operum* Hebr. 10. v. 24. De persecutionum quibus ecclesia Christi obnoxia, deque constantis confessionis & martyrii necessitate, vide infra *Part. 2. lib. 1. tit. de Martyribus.*

5. *Quia* laudata exempla, fidelium V. & N. T. hocsuadent. V. T. exempla proponit Apostolus *Hebr. 11. v.* 37.-40. Confer 1. *Reg.* 18. *v.* 13. cum 1 *Reg.* 19. *v.* 19. Exempla Apostolorum & Ecclesiæ Apostolicæ *Joh.* 20. *v.* 19. 26. *Actor.* 1. *v.* 13. *&* 2. *v.* 1. præsertim 4. *v.* 23. 24. *cum* 5. *v.* 12. 42. ubi dicuntur prædicasse & conventus tum apertos tum clandestinos celebrasse, cum protestatione de non desistendo *v.* 29. non obstante expressâ & renovatâ prohibitione *Ibid. v.* 28. 40. *cum cap.* 4. *v.* 17. 18. Adde *Actor.* 6. *v.* 2.- 8. *&* 8. *v.* 1. - 5. *&* 10. *v.* 24. 33. 45. 48. 12. *v.* 12. *&* 20. *v.* 7. &c. *Denique* ecclesias habitas in domo Priscillæ & Aquilæ *Rom.* 16. *v.* 4. 5. 1. *Cor.* 16. *v.* 19. Exempla post Apostolicæ antiquissimæ sub decem persecutionibus in Imperio Romano disces ex Historiâ Ecclesiasticâ, & Martyrologiis; Ex *Apologiâ Justini & Tertulliano lib. 2. ad uxorem cap. 4. & de Fugâ in persecutione & de Coronâ Militis ut & apologet. imprimis ex Plinii Secundi Epist. 97. lib.* 10. ubi de clandestinis tum antelucanis tum nocturnis conventibus Christianorum. Et hinc tranquilliori statu Ecclesiæ pervigilia paschæ continuata, originem suam ducebant. Eorum meminit *Lactantius lib. 7. cap. 19. Isidorus lib. 6. Origin. cap.* 16. Hinc etiam luminarium usus non cessabat: cum tamen cessante causâ cessare debuisset effectus. Hinc denique exprobratio Gentilium, facta Christianis, quod essent *latebrosa & lucifugax natio*, apud *Minutium in Octavio.* Et vel cryptę quas ad conventus suos habebant, & supra omnes Roma Subterranea quasi urbs sub urbe exstructa à Christianis, hoc quod asserimus, abunde testatur. Eos imitati sunt Waldenses, Albigenses, fratres Bohemi, & jam inde ab a. 1517. reformati in plerisque partibus Europæ, præsertim majores nostri in Belgio. Quid etiamnum hodie, haut paucis in locis fiat, non convenit hic referre. Hiatus tamen *Corn. Jansenii* tunc Theologi Lovaniensis, non diu post Episcopi Iprensis, obstruendus est; quo *in Spongiâ suâ a.* 1631. *cap.* 62. his verbis chartam non pudebat conscribillare. „ Si enim, inquit, superiora tempora ad memoriam revo-
„ caris, plures martyres una Gallia Calendario vestro dedit, quam totum
„ Belgium & Germania: sin præsentia, majore vitæ bonorumque securitate

„ in aliquibus urbibus Belgii noſtri vivitis, quam multis annis vixiſtis in „ Galliâ. Quaſi vero nos neſciamus, qui & quot nonnullis in locis opinio- „ nes veſtras foveant, vel difficile eſſet, eos ſuppliciis vel fugare vel tollere, „ niſi eos principum noſtrorum & antiſtitum ſcientium & prudentium man- „ ſuetndo toleraret. Halcyonia noſtris in Galliâ conceſſa deprimere, & ſe- curitatem, quâ gaudent in urbibus aliquot Belgii, ſupra extollere voluit. Sed contra factorum lucem: *Religionem noſtram à Cardinale Richelieu ad extremos agoniæ ſingultus adductam*, dixerat pag. 313. *ut ſimulatque viſum fuerit, partâ foris tranquillitate ſuffocaret.* Quæro, An in ullâ civitate Galliæ reformati ad exercitia religionis Papiſtica ſub mulctâ pecuniariâ, aut ſub pœnâ exilii tunc temporis coacti fuerint? An ulli reformatorum publici ad ſacra conventus ſecundum edictum Nannetenſe conceſſi, tunc iſtic prohibiti aut impediti fuerunt etiam illis in locis, quæ regiis armis ſubacta, victoris arbitrio omnia cedebant? An omnia hominum ſive Gallorum ſive peregrinorum illâc tranſeuntium pro religione reformatâ colloquia ſive privata ſive publica, illic prohibita ſunt? An ſcriptorum & librorum pro eâdem religione contra Papiſticam editiones? An clericorum tum ſæcularium tum regularium ad noſtros tranſeuntium publicæ Papiſmi ejurationes? Atqui talia facta ſunt, & fiunt in Belgio Hiſpanico: non facta ſunt in Galliâ. Quâ igitur ſcientiâ & conſcientiâ libertatem ac tolerantiam, quâ noſtros frui dicit in Belgio, ſupra eam quâ fruuntur in Galliâ elatam voluit? Atqui dicet *majori vitæ & bonorum ſecuritate in quibuſdam Belgii urbibus vivunt reformati, quam multis annis vixerunt in Galliâ.* Indicare debuiſſet, ubi & qui reformati a. 1624. & *ſeqq.* ob religionis ſuæ ſenſum, aut profeſſionem, aut exercitia publica, aut conſiſtoriales, & ſynodales conventus, vitæ & bonorum ſecuritate in Galliâ exciderunt. Fortè dicet calamitate illâ bellicâ, laboraſſe ſecuritatem omnium, ad quos illa pertingeret. Sed quid hoc ad religionem? ab utrâque armatorum parte infeſtabantur ſine ullo religionis diſcrimine, cædebantur & cædebant, ſpoliabantur & ſpoliabant, in quos tempeſtas bellica incumbebat. Interim in mediis armis eccleſiæ reformatæ quod ad ſua exercitia, libertatis defenſione regiâ fruebantur eamque rex publicatâ tunc ſanctione obtulerat ac ſtabiliverat. Cum Breda a. 1625. 1626. armis Regis Hiſpaniarum & Sylva-ducis a. 1629. armis Fœderatorum obſeſſæ tenerentur; certum eſt cives tum reformatos tum Papiſtas Antwerpianos, & cives tum Papiſtas tum reformatos Delfenſes aut Middelburgenſes aliquâ tunc majori vitę & bonorum ſecuritate vixiſſe, quam cives tum Reformatos tum Papiſtas Bredanos, & cives tum Papiſtas tum Reformatos Sylvæ-ducenſes. Et ratio manifeſta eſt, quia Antwerpiani, Delfenſes, Middelburgenſes armis hoſtilibus obſeſſi non erant. Sed quid hoc ad refu-

tandam

tandam religionis Reformatæ libertatem & halcyonia quibus nostros in Galliâ tunc frui prædicabam? Hinc cognoscet lector, quo jure *Jansenius pag.* 323. contra me concludat: *Ita non minus impudens & inepta est tua erga Gallos adulatio, quam invidiosa adversus Belgas calumniatio, ut utrimque aliquid speciosè popularium auribus blaterando plebem possis fallere.* Non erat mendacium aut impudens & inepta erga Gallos adulatio, cum a. 1630 in meo *Philonio Romano correcto num.* 64. *pag. B.* 3. scriberem in regno Galliȩ *non tantum libertatem conscientiæ, sed & exercendæ religionis, à rege Christianissimo, ab Ill. Cardinale Richeliu, &c. procurari, & gratissima halcyonia fratribus nostris concedi.* Nec erat *invidiosa adversus Belgas* (regi Hispaniarum subjectos) *calumniatio*, cum ibidem *Jansenii Theologiam appellarem sanguinariam*; quæ asserit homines ob religionem reformatam laqueo, gladio, vivicomburio, &c. sublatos, *debitum pro eâ supplicium pertulisse*; & supplicia quæ ab Imperatoribus aliisque Principibus, hæresi cuicumque, statuta sunt (inter quæ ultimum supplicium Manichæis *L. Ariani C. de hæret. & Manich.* statutum), reformatis aptari vult. Conferantur *Jordanus Brunius, Jac. Pamelius, Claudius de Sainctes. Alphonsus à Castro in tract. peculiaribus, Joh. Lensæus de libertate Christianâ lib.* 12. *cap.* 14. *Azorius*, &c. *aliique in* 3. *part. sel. dispp. tit. de Hæresi part.* 8. §. 4. *citati.* An non hâc in parte sanguinaria est illa theologia? & cum de *Jansenii* ac consentientium theologiâ (cui cohȩrens & subordinata est theologia de Inquisitione & inquisitoribus fidei) tale quid pronuntio, an Belgas calumnior? *Jansenium* aliosque complures theologos Papistas, sic θεολογεῖν, ipse non tantum non negat, sed hoc eodem *cit. capite* defendit. Omnes vero Belgas qui in communione Romanâ manserunt, aut adhuc manent, eandem theologiam, cum *Jansenio* tenere, minimè probabit. Si qui talem Theologiam contra reformatos populares & concives suos teneant, eorum theologiam hâc in parte meritò ajo esse sanguinariam: absque ullâ calumniâ. Si qui eandem non teneant (uti ego de plerisque judicarem, & non pauci hoc apertè profitentur), quâ specie *invidiosam adversus Belgas calumniam*, mihi impingebat? De *Mansuetudine* Papistarum Jannezizantium, deque halcyoniis nostrorum in Belgio, non est quod multum glorietur, aut boni reformati quidquam melius de Belgico-Hispanizatorum theologorum sanguinariâ theologiâ sentiant. Cum Sauli nuntiaretur Philistȩorum irruptio, revertebatur à persequendo Davide 1 *Sam.* 23. *v.* 27. 28. Si fides habenda *Jansenio* non obstantibus nostrorum in Galliâ halcyoniis ad *extremos agoniæ singultus ibidem religionem nostram* Cardinalis Richeliu *adduxit: ut simul atque visum fuerit, partâ foris tranquillitate, suffocet.* An hanc arcani politici interpretationem tanquam autenticam habitura sit Gallia, haut facilè dixero: hoc saltem liceat dicere *Jansenii* & Belgico-Hispanorum

norum Theologorum sensibus ac consiliis tales intentiones magis, quam Gallis tribuendas. Sic noti sunt sanguinariæ istius theologiæ & promachi & practici *Ruardus Tapperus*, *Franciscus Sonnius*, *Granvellanus episcopus Atrebas*, *Latomus*, *Jodocus Tiletanus*, *Hadrianus Trajectinus*, *postea Pontifex*, &c. quorum in historiis belgicis & martyrologiis perpetua erit memoria. Illorum suasu atq; operâ inquisitionem in Belgium introductam, ex propriis historicis reformatæ religioni, & causæ politicæ Belgarum fœderatorum infensissimis cognoscant: nominatim ex *Nicolao Burgundo* molimina introducendæ inquisitionis Hispanicæ, præ aliis detegente *pag.* 34. 37. 44. 95. 97. *edit. in* 8. Sed sanguinariæ theologiæ specimen lector contempletur in Belgico-Hispanizati Papistæ *Cornelii Callidii Chrysopolitani* (hoc est, *Cornelii Loose* Goudani) *apologiâ* in orationem *Philippi de Marnix D. de S. Aldegunda* habitam in Wormatiano conventu 1578. pag. B. edit. in 4. Luxemburgi 1579. ubi ducem Albanum (cujus crudelitatem fasti Belgici loquuntur) nimiæ remissionis arguit, & probat dictum consiliarii *Vergas* in discessu suo cum duce ex Belgio conquerentis: *Nimia clementia perdidit nos. Nihil*, inquit, *sane verius dici potuit. Nam si in hæreticorum ac seditiosorum capita, tantâ diligentiâ animadvertissent, quantâ postmodum, ut quod verum est non dissimulemus, cupiditate illecti in scrinia, sane Reg. Majest. ditiones, quæ nunc turbulentissimis hæreticorum ac seditiosorum tumultibus exagitantur, longè tranquillissimas reliquissent.* Quis & qualis fuerit ille *Callidius* & quæ scripserit, disce ex *Valerii Dessellii biblioth. Belgicâ.* Saltem sanguinariæ theologiæ Doctorem fuisse satis superquè constare arbitror ex tract. ipsius modo cit. & altero, cui tit. *De spiritû vertiginis utriusque Germaniæ*, &c. „Ex quo paucula ista hic exhibemus: Debet rex „ingentem militum copiam, qualem vix Belgium capiat, colligere, &c. & „tantâ animadversione, tantâ austeritate, ne dicam immani & plusquam „Barbarâ & ferâ crudelitate ibidem Rex aget, in omnes usque ad mini„mum, in sontes pariter atque insontes (dictu durum) ut nemini parcat, „nullius ætatem, conditionem vel sexum respiciat, aut impubis & tenellæ „ætatis misereatur; ut omnium aures hæc audientes tinniant, corpora „horrore concutiantur, artus contremiscant, in verticem crines erigantur, „vultus concidant, & facies pallore immutentur: quo cæteris Belgii oppi„dis timor incutiatur. Mitto nunc sanguinarias & horribiles conciones *Cornelii Adriani* Dordraceni Minoritæ Brugensis theologiæ inter suos professoris: quæ vernaculo nostro idiomate descriptæ habentur, una cum commentariolo historico de disciplinâ ejusdem γυνοπυγικῇ, toto Belgio celeberrimâ. Cujus etiam inter historicos Belgarum meminit *Imman. Meteranus*; ejusdem *Marnixius* Sainct-Aldegondius in alveario Ecclesiæ Romanæ; & verbulo Clariss. B. *Vulcanius Brugensis* (quo adolescens Lugduni Batav. in Græcanicâ

 litera-

literaturâ præceptore usus sum) in epist. dedicatoriâ Nili archiepiscopi Thessalonicensis tractatui gr. lat. de *primatu Papæ & purgatorio*, præfixâ. Ubi refert *Georgium Cassandrum* voluntarium sibi ipsi exilium indixisse, ut col-
„ legæ cujusdam sui qui sacras ibidem (Brugis scil.) literas docebat (illius
„ inquam furiosi theologi, à quo postea cum se in Seraphicam familiam
„ dedisset famosa illa *gynopygica* disciplina *Cornelianæ* nomen invenit) ca-
„ lumniis cederet. Non puduit tamen Minoritas Brugenses furioso & obscœno huic pœnitentiario insigne illud monumentum in conventu suo ponere, quod exhibet Fr. *Sweertius in selectis Christianis orbis delitiis* pag. 505. De Gallorum duritie in reformatos, & lenitate Hispano-Belgarum cum clero Papistico erga eosdem, quo animo & quâ conscientiâ *Jansenius* rhetoricatus fuerit, deprehendet lector ex inspectione libri ab eodem anno 1635. editi in fol. sub fictitio nomine Alexandri Patricii Armachani tit. *Mars Gallicus, seu de justitia armorum & fœderum regis Galliæ libri duo*: ubi *lib.2. cap.12. 13. 14. & seqq.* longè aliter canit, dissertans à rege Christianissimo, & quidem suasû primi ministri status (qui tunc erat Cardinalis *Richelieu*) aliorumque clericorum, non tantum reformatæ religionis promotionem & propagationem, sed & catholicæ (Romanæ) exstirpationem non tantum indirectè, sed etiam directè peragi. Nolo in hâc digressiunculâ verba ejus excerpere: integra capita à me notata describenda essent. Tantum hæc habe ex *cap.12.* in fine *pag.184.*

„ Quapropter si tam juratos Ecclesiæ perduelles, in ipsis conatibus, qui-
„ bus Ecclesiæ Catholicæ disciplinam, dignitatem ejus, bonorumque red-
„ ditionem se profligare, omniumque hæresum libertatem, sub Libertatis
„ Germanicæ fuco, tueri velle profitentur, pecuniis, armis, militibus, adju-
„ vare licet, nulla profectò ratio quacumque Theologiæ politicæ subtilitate
„ dari potest, cur non etiam Turcis, ac Saracenis, Christianam Religionem
„ aperto Marte vastantibus, liceat opitulari. Attoniti stant admirationis
„ magnitudine, quotquot pietatem blandâ linguâ inferiùs, & fulgentibus
„ ostro vestibus interius habent, qui fieri possit, ut sacci cœnobitici, infulę,
„ purpura, quidquid, inquam, sacratius Ecclesia Christi colit, nefariis istis
„ infidelium conatibus suffragetur: quibus id unum ex professo agitur,
„ ut omnis purpura, infulę, Monachatus; & augustissima quęque Eccle-
„ siasticæ hierarchiæ decora ex ipso mundo auferantur. *Nimirum huc tan-*
„ *dem in sæculorum finibus veniendum erat, ut Christianissimus, justusque*
„ *Princeps hujusmodi Curionum consiliis circumventus, non sine insigni Christia-*
„ *ni nominis probro, unà cum impiis, quorum ut fœderibus innectitur, ita & fa-*
„ *cinoribus jungitur, Matrem ipsam suam oppugnasse diceretur, cujus se filium*
„ *primogenitum esse gloriatur.*

CAP. II.

De libertate conscientiæ & permissione religionum in Republicâ.

Anno 1643. mense Septembri datâ occasione, & ad postulatum quorundam assertiones Politico-Theologicas de Libertate Conscientiæ & Permissione Religionum in Republicâ conscripsimus: quas hic opportunè inserendas duximus. Sic ergo dictas assertiones inchoabamus.

PRælectionibus nostris ad quintum decalogi præceptum tit. de *Magistratu*, explicuimus potestatem & officium ejus circa sacra & ecclesiastica: quò reduximus controversiam de permissione variarum religionum in Republicâ. Sceleton conceptuum & determinationum istarum de permissione, à prolixioribus probationibus, refutationibus, & autorum allegationibus, præter morem nostrum, avulsum nunc exhibemus; ut perceptis hâc occasione studiosorum nostrorum dubiis, & amicorum indiciis ac judiciis, plenius & accuratius πολυθρύλλητον hanc controversiam aliquando pertractemus. Præmissâ itaque, 1. Terminorum explicatione, & distinctione. 2. Quæstionum, variarumque sententiarum expositione ac propositione. 3. Conclusionibus aliquot breviter totam controversiam determinabimus.

Sectio 1.

§. 1. TErmini in hac controversiâ usurpari & agitari soliti sunt isti, *libertas religionis*, *libertas conscientiæ*, *permissio religionis*, *tolerantia religionis*, *conniventia seu indulgentia*, ἀντινομία, *pax religionis*; qui postremus terminus in Imperio Germanico usitatissimus. Ex opposito sunt isti termini, *Inquisitio conscientiæ*, *coactio conscientiæ*, *persecutio conscientiæ*, *tyrannis in conscientiam*, *persecutio propter religionem*, *pœnæ hæreticorum*, *coërcitio sectarum*, *prohibitio variarum religionum*, *promiscua sectarum & religionum quarumvis permissio*, *licentia aut confusa sectarum farrago*. Duum generum distinctiones circa hos terminos observandæ. Priores sunt generales, seu communes; posteriores sunt particulares. Priores sunt 1. Libertas & permissio, aut tolerantia religionis est vel ecclesiastica, vel politica. Illa conceditur ab ecclesiâ & in ecclesiâ, ejusque communione, quæ vulgo terminis *libertatis prophetandi*, *moderationis*, mutuæ *& fraternæ tolerantiæ*, *syncretismi*, *unionis aut conciliationis dissidentium ecclesiarum* significatur: De quâ hic non agitur; sed in *Politiâ ecclesiasticâ part. 3. lib. 3.* II. Politica libertas & permissio religionis dupliciter considerari potest, vel in ordine ad subditos, qui eâ fruuntur, aut eam sibi sumunt, petunt, vindicant,

 sive

ſive jure ſive injuriâ : vel in ordine ad Magiſtratum, qui eam concedunt aut procurant. De priori reſpectû, quantum ad veram religionem hic non agimus; pertinet enim ad locos communes *de privilegiis fidelium*, & *de Eccleſiâ* : nec etiam quantum ad falſam religionem ; eſt enim carnalis licentia & falſa carnaliſque libertas tum erroris tum peccati; de quâ in locis de *peccato* & *de hæreſi*. De poſteriori ergo reſpectû nobis hic agendum, quatenus ſcil. permiſſio pertinet ad publicam poteſtatem & officium Magiſtratus.

§. 2. Particulares explicationes & diſtinctiones ſunt potiſſimum. 1. Libertatis. 2. Permiſſionis. 3. Coërcitionis diſſentientium. *Libertas religioſa* eſt vel conſcientiæ, vel exercitii. *Libertas conſcientiæ* eſt cum Magiſtratus cuique ſubditorum aut incolarum in religione à ſe aut à publicâ & receptâ religione, aut ab utriſque diſſentienti liberum relinquit ſentire & diſſentire, prout ipſi viſum eſt. 1. Quę rurſum latitudinem ſuam recipit: eſt enim vel magis extenſa, vel magis coarctata & limitata. *Illa* eſt, cum ſenſum ſuum non tantum abſque inquiſitione in conſcientiam, retinere poteſt, ſed etiam domeſticis ſuis tradere, & ſecundum eundem ſenſum exercitia religionis quiſque in familiâ ſuâ inſtituere, atque adeo foris datâ occaſione eandem apud alios depromere ac tueri, quin & conventus & exercitia publica ſuæ religionis extra territorium frequentare poteſt. Quæ libertas conſcientiæ nihil aliud excludit quam conventus & cœtus eccleſiaſticos religionis causâ ex omnibus aut pluribus familiis illius civitatis, aut diſtrictus, aut regionis conflatos. Et talis eſt libertas conſcientiæ, in fœderato Belgio, omnibus ſubditis & incolis conceſſa, & perpetuâ praxi jam recepta, ac denuo anno 1619. publico decreto Ill. &c. præpot. D. D. Ordd. Generalium adverſus conventicula Remonſtrantium tunc edito, ſtabilita. Talem libertatem conſcientiæ concedebat Pacificatio Gandenſis, in illis Provinciis, ubi reformata religio nondum publicâ autoritate admiſſa erat. Ejuſdem meminerunt Acta Pacificationis Colonienſis. Talis obtinet in illis civitatibus Galliæ, ubi ante edictum Nannetenſe nullos cœtus eccleſiaſticos habuerunt Reformati. Talem ferè obtinere arbitror Coloniæ, Aquiſgrani, Moguntię, aliiſque in civitatibus Imperialibus Papatui addictis. *Iſta* eſt, cum ſenſu ſuo privatim quidem frui licet abſque inquiſitione & vexatione, ſed eundem in converſatione civili aliis nec inculcare, aut de eo ac pro eo diſſerere & diſputare non licet. Hæc limitata libertas diſſentientibus, in aliquibus Belgii Hiſpanici civitatibus & pagis conceſſa : immo & exteris atque ipſius Belgii fœderati ſubditis in ipsâ Hiſpaniâ, aliiſque regnis Hiſpano ſubjectis, tempore Induciarum. Affinis quodammodo eſt huic libertati, illa quę ſola jam inde ab anno 1622. relicta eſt ordini Prædicatorum circa immaculatam conceptio-

ceptio-

ceptionem Mariæ, ut videre est in *Bullâ Gregorii* XV. apud *Cherubinum in comp. bull. pag.* 18. 19. *append.* II. Utraque libertas conscientiæ rursum distingui potest ex objecto, in eam quæ est circa veram religionem, & eam quæ est circa falsam aut erroneam. III. Adhæc in absolutam & in hypotheticam. *Absoluta* est cum promiscuè admittuntur & recipiuntur omnes, inquilini, advenæ dissentientes à publicâ sive Magistratus, sive legibus stabilitâ religione. Qualis passim obtinet in civitatibus fœderati Belgii. *Hypothetica* est, cum dissensiones & dissentientes de novo non admittuntur, ubi non sunt; sed retinentur aut ad tempus tolerantur solummodo, ubi jam sunt. Et hæc rursum latitudinem admittit, nam aut ad tempus tolerantur tantummodo singulares personæ, donec res suas domesticas composuerint, & inde migraverint: aut usque ad finem vitæ, donec per mortem excesserint. *Priorem* secutus est Imperator *Ferdinandus* II. in plerisque regionibus nupero bello Germanico in potestatem redactis. Eandem etiam ante hac concessit Papa Romanus in territorio Avenionensi, & vicinis agris, quos ex parte incolebant reliquiæ quædam Waldensium. *Posteriorem* servat nunc urbs Coloniensis, quæ liberam commorationem concedit reformatis à publicâ religione apertè dissentientibus: sed illis mortuis, nullos in eâdem religione successores numero civium suorum adscribi patitur. *Libertas* Exercitii est, cum religionis à publicâ & receptâ dissentientis sensus & professio privata non tantum conceditur, sed & publica ac socia ejusdem per cœtus ecclesiasticos, per conventus correspondentiales & synodicos, per publica scripta. Hæc autem admittit latitudinem, & gradus suos, ita ut alia aliâ minor aut major, magis absoluta aut limitata sit. Nam I. libertas illa aut promiscuè omnibus subditis, inquilinis, & advenis conceditur, sive illorum dissensio nunc sit, & nota sit, sive in posterum futura sit: aut tantum subditis & civibus illis, quorum dissensio nunc publicè innotuit & consuetudine quasi stabilita est. Illius exemplum videtur præbere imperium Turcicum: Istius Respublica Dantiscana, & Principatus Transsylvaniæ. II. Rursum libertas hęc aut est æqualis, aut inæqualis. *Illa est*, cum nulla dissidentium religionum partem necessariam aut fundamentum facit Reipublicæ, nec sola est politiæ istius religio publica, legibus Reipubl. fundamentalibus stabilita. *Ista*, contra: ubi nunc dissentientes à publicâ & politicè stabilitâ religione, plerumque habent exercitia non publica, nec in templis publicis seu civitatis, nec stipendiis publicis; sed exercitia privato-publica in domibus aut oratoriis propriis, & sumtibus privatorum. *Illius* exemplum ante paucos annos præbere visa est Respubl. Dantiscana: quamvis nunc per Lutheranos in Senatû suffragiis superiores ad inæqualitatem inclinet tum in Ecclesiâ tum in Scholâ. Suo modo huc referri posset liber-

tas religionis reformatæ & Pontificiæ, quæ obtinet nunc Trajecti ad Mosam & in agro Marchionatus Bergopzomii & Baroniæ Bredanæ, & in Dominio Sevenbergensi: quamvis in singulis peculiaris quædam differentia reperiatur. *Istius*, multæ civitates fœderati Belgii; ubi exercitia conceduntur segregibus cœtibus Lutheranorum, & Anabaptistarum. III. Insuper libertas hæc est vel exercitii permissi in ipso territorio & dominio; vel extra illud in alieno territorio. *Illius* exempla in Belgii civitatibus passim obvia. *Ista* non uno modo variat. *Aut* enim libertas datur frequentandi alienos cœtus extra territorium; quomodo incolis Pontificiis limitanearum civitatum aut vicorum in fœderato Belgio plerumque permittitur frequentare vicina templa Pontificia: quæ coincidit cum libertate conscientiæ in latitudine & gradu supremo. *Aut* datur libertas, cœtus ecclesiasticos ex & à subditis constitutos celebrare & habere in alieno ac vicino territorio: cujus exemplum exstat Argentorati & Hamburgi, ubi Reformatæ Ecclesiæ Hamburgensis & Argentoratensis extra urbem in alienâ ditione pacificè & liberè conveniunt. *Aut* in eâdem ditione conveniunt, sed extra mœnia urbis: uti in pluribus locis Gallię Reformatis Ecclesiis contingit. Quæ libertas exercitii post libertatem frequentandi cœtus alienos extra territorium, minima est, & maximè coarctata. IV. Præterea libertas hæc conceditur vel ubiquè & promiscuè omnibus in locis, quousquè regni aut imperii alicujus limites se extendunt: vel sparsim in quibusvis locis, ubi Principes aut nobiles & toparchæ supremo Principi subordinati religionem aliquam amplecti, aut in dominiis suis ejusdem exercitium priori & possidenti religioni substituere, aut juxta eam stabulare voluerint. *Prioris* exemplum præbet Imperium Turcicum, ubi pręter exercitia publicæ religionis, Mahumedicæ scil., ubivis locorum publicè obtinent aut obtinere possunt exercitia religionis Judaicæ, & Christianæ, & quidem diversarum professionum Grecæ scil., Nestorianę, Reformatæ, &c. *Posterioris* exemplum conspicitur imprimis in imperio Germanico, & regno Polonico, quod ad Principes; & in Archiducatu Austriæ, aliisque hęreditariis Dominiis Austriacorum, ubi libertate illâ ex concessione ipsorum usi sunt nobiles: quamvis concessionem & possessionem illam turbaverit *Ferdinandus* II. Atque hæc libertas suo modo etiam satis limitata est. V. Denique libertas exercitii distingui posset in eam quæ est populi vel subditorum, sive promiscuè sive limitatè: & in eam, quę est alienorum & advenarum. Ad posteriorem refer. 1. privilegiatam & peculiarem Mercatorum quorundam; aut aulicorum, qui conjugibus, quas alterius religionis ducunt Reges & Principes, inserviunt. 2. Communem jure Gentium quasi receptam, quæ est legatorum. Quæ rursum, *laxior* est, ut etiam indigenis & civibus ejusdem religionis ad

exer-

exercitia illa pateat accessus; aut arctè limitata, ut nullis aliis publicus pateat accessus. Posterior hæc plerumque obtinet. Atque hæ distinctiones libertatis: quas nos ad controversiam feliciter enodandam necessarias esse censemus. Sunt qui distinguunt libertatem in præcepti & permissionis. Illa est libertas veræ religionis & ecclesiæ; quæ ut jure divino illi competit, sic mandato Dei omnibus Magistratibus injungitur. Ista est aliarum sectarum, quæ à veritate religionis & unitate ecclesiæ orthodoxæ discedunt. Sed hanc distinctionem nos supra innuimus: nec est hic tractandum de membro ejus priori, sed tantum de posteriori, de cujus explicatione & distinctione tantum hic laboratur.

Permissio religionis sive veræ sive falsæ, propriè intelligitur non de privato ejus sensu, sed de ejus apertâ professione; imprimis de exercitio ejusdem sociali in statis conventibus secundum confœderationem & associationem ecclesiasticam. Possunt ergo distinctiones libertatis exercitii huc traduci & applicari. Quibus adde distinctiones ex efficiente desumtas: hinc alia dicitur strictè I. *permissio*, quando Magistratus non tantum non prohibet aut coërcet exercitia religionum, sed nec vult prohibere, sive ullam in genere, sive certam aut certas quasdam: jure an injuriâ hoc faciat, hic non quæritur. Quod ad falsas religiones: exercitia earum susque deque habere potest, *vel* quia putat potestatem suam ad religionem, aut saltem ad prohibitionem se non extendere; *vel* quia nullam religionem intelligit aut cordi habet; *Vel* quia rebus privatis, aut ambitioni & avaritiæ, aut necessitati politicæ ita optimè consultum putat. II. *Tolerantia* est, quando Magistratus religionis exercitia prohibere quidem velit (religiones enim illas ex animo improbat), sed tutò prohibere non potest, nec Reipublicæ consultum putat: itaque non tam permittit, quam tolerat; idque *aut* facto & consuetudine tantum; quomodo Anabaptistæ in Belgii plerisque locis ab initio mutationis Reipubl. tolerati sunt: aut conventione, aut lege & edicto; quomodo Imperator *Carolus* V. tolerantiam sancivit in Imperio Germanico in conventione Passaviensi (de quo *Sleidanus lib.* 24.) & *Henricus* IV. in Galliâ edicto Nannetensi, de quo historia *Petri Mathei.* Potest hæc tolerantia distingui in magis spontaneam, & in magis coactam. III. *Conniventia* seu indulgentia est, quando temperamentum & moderatio quædam adhibetur in prohibitione aut coërcitione religionum & conventuum; qui nec consuetudine sensim introductâ aut antiquitus receptâ, nec lege, nec conventione publicâ tolerantiam aut permissionem adepti sunt. Quomodo alicubi in Belgio fœderato ad exercitium religionis Pontificiæ ex.gr. Septimontii **Sevenbergen** (oppidum est Hollandiæ in confinio Brabantiæ); & non uno loco ad exercitium religionis Remonstranticæ connivetur:

quam-

quamvis utraque religio perpetuis edictis Fœderati Belgii ab omni libertate exercitii exclusa sit. Est ergo conniventia ista nihil aliud, quam non-executio edictorum, seu suspensio executionis ad tempus, quousque Magistratui hoc videbitur. In quo differunt ab Anabaptistis & Lutheranis, contra quos nulla exstant edicta Fœderati Belgii, seu Ill. & præpot. DD. Ordd. Generalium, immo ne quidem Illustr. DD. Ordd. alicujus Provinciæ.

§. 3. *Prohibitio* religionum, seu coërcitio dissentientium, quæ fit à publicâ potestate & mandato Magistratus, potest esse vel directa vel indirecta. I. *Directa* est vel per impedimenta objecta, vel per pœnas. *Illa* fit e.gr. cum oratoria, ubi conveniunt, publicâ autoritate clauduntur; aut cum portæ civitatis clauduntur, aut viæ obsidentur, ne foras ad vicinos cœtus in alieno territorio se conferant. *Ista* fieri solet *vel* per mulctas pecuniarias, aut capitis diminutiones, *vel* per exilia, deportationes, custodias, etiam plagas, & pœnas capitales sive seducentium, sive seductorum, sive utrorumque. II. *Indirecta* fit multis modis. 1. substractione seu non exhibitione specialis & propioris favoris Magistratus; quod in variis casibus fieri potest. 2. subreptitiâ substractione locorum, ubi conventus suos celebrant, per procuratam elocationem ad alios usus, aut demolitionem eorundem publicæ utilitatis causâ, sæpe quæsita. 3. Substractione redituum, quibus conventus & ministeria ecclesiastica sustentantur: quod durante hoc bello Germanico non infrequens Cæsarianis in devicto Palatinatu, comitatu Nassovico, & alibi. 4. Disturbatione scholarum, aut saltem exclusione dissentientium, à participatione communis beneficii scholarum: quæ pragmatica fuit Juliani apostatæ. 5. Exclusione aut extrusione à ministerio eorum, qui inter primipilos pro causâ suâ pugnare solent: quod occasione necessitatis politicæ, aut saltem schemate politico, aut quocumque alio quæsito prætextu peragi solet. Huc refer, quæ ante paucos annos in Galliâ evenere quibusdam ministris reformatis. Hæc anno 1643. scribebam. Adde nunc quę nuper *N. Molineo* celeberrimi *Petri Molinei* filio & *D. Galiardo* Ministro Montalbanensi & philosophiæ professori, nunc Ministro in Ecclesiâ Gallo-Belgicâ Sylvæducensi, in Galliâ; & quæ D. *Legero* Ministro in vallibus Pedemontanis, nunc in Ecclesiâ Gallo-Belgicâ Leidensi, nuper evenere. III. Rursum coërcitio extendit se ad exercitia publica seu privato publica, & conventus ecclesiasticos tantum; vel etiam ad sensum de religione in conscientiâ: quorum illa dici potest coactio exercitii, ista coactio conscientiæ. 1. *Prior* variat: differentiæ & gradus ex oppositâ libertate & permissione (supra explicatis) facilè educi possunt. Summus in hoc genere coërcitionis gradus est, cum incolis ne quidem extra territorium alienos cœtus frequentare permittitur.

Quod

Quod tempore induciarum factum Antwerpiæ. Sed insolitum imprimis in Belgio nostro, & longè majoris coërcitionis exemplum datum est in hac urbe Ultrajectinâ; cum prevaleret & dominaretur hic factio Remonstrantium. Videatur decretum anno 1617. in historiâ *Baudartii*. 2. *Coactio conscientiæ* est, cum in interiorem alicujus sensum de religione inquiritur; eumque deponere & oppositum ejus seu diversum ab eo amplecti quis cogitur, quamvis illi assentiri, eumque amplecti se posse neget. Cum hâc individuo nexu conjuncta est persecutio conscientiæ, seu religionis & conscientiæ causâ; per exilia, incarcerationes, bonorum confiscationes, perque exquisita tormenta, & ignominiosa mortis supplicia. Quæ persecutio κατ' ἐξοχὴν nomine *hæreticidii* designari solet. Et hæc propriè est coactio conscientiæ, inquisitio in conscientiam Hispanica, seu Papalis, tantoperè jactata & exosa in Belgio nostro. Quando exercetur adversus hæreticos, aut errantes, dicitur in genere persecutio aut coactio conscientiæ. Quando vero adversus orthodoxos, dicitur persecutio ecclesiæ, aut euangelii, aut persecutio veritatis & euangelii causâ. 3. Media inter coactionem exercitii, & conscientiæ, à nonnullis statuitur *Coactio ad audiendas lectiones, conciones, disputationes, convictiones* publicæ & receptæ religionis. Quam tamen moderatè & debitè adhibitam negant Reformati pariter & Pontificii, quin ipse *Arminius* (in disp. *de Secessione à Papatu* quæ est 22. §. 14.) repugnare verbo Dei aut caritati Christianæ. Fortè melius referretur ad coërcitionem seu coactionem exercitii; ut supremum & quasi supernumerarium ejus gradum faciat. Exempla talis coërcitionis sunt Romę & Venetiis; ubi Judæi coguntur ad audiendas conciones nonnullas, relicto tamen ipsis libero interiori sensu. Cujus etiam meminimus in 2. *part. sel. dispp. tit. de Judaismo*. Huc pertinet adactio, ad conciones & mulctatio Recusantium (uti vocant) in Angliâ sub regina *Elizabetha*. Simile quid ante hac obtinuit in Palatinatu, ubi multis pecuniariis ad catechizationes, & explicationes catecheticas agricolę compelli solent. Idem ferè factum memini à piis nonnullis centurionibus in Belgio nostro; qui omnes milites suos exemplo proprio ad conciones non tantum ducebant, sed etiam negligentiores exiguâ mulctâ pecuniariâ adigebant. Utrumque hoc exemplum in eo differt ab Anglicano; quod non tam per dissensionem in religione, quam per negligentiam, aut simplicem ignorantiam, aut profanitatem & ἀσέβειαν à concionibus abstinentes, ad eas cogerentur.

* *Sectio* II.

HIs præcognitis status controversiæ constituendus est. Duæ sententiæ extremæ, & refutandę hîc occurrunt. Una est Pontificiorum & quidem trimembris: quæ statuit. 1. nullius religionis libertatem, præter unius §. 4.

in Republicâ permittendam; quæ una ipsis est recepta seu Pontificia. 2. *Insuper* nulli à religione & ecclesiâ illâ dissentienti libertatem conscientiæ esse permittendam, qui quidem in se aut in parentibus suis & per susceptum baptismum, eidem aliquando nomen dederit. Mahumedistas enim, aut Judęos, aut Gentiles, aut Græcos aliosque Orientales jam ſeculis aliquot infideles aut scismaticos, & extra communionem ecclesiæ Romanæ viventes inquisitioni non subjiciunt. 3. Adhæc pœnâ capitis & bonorum confiscatione esse puniendos, quotquot à Romanâ ecclesiâ discesserint, aut dissenserint in aliquo fidei Papisticæ articulo. Pro primo membro disputat *Bellarmin. lib. 3. de laicis cap.* 13. Et *Pamelius, Alphonsus à Castro, Claudius de Sainctes* peculiaribus tractatibus. Ut nihil dicam de Canonistis, Politicis, & Jurisconsultis qui communiter in Papatu hanc sententiam tuentur; quos aliquando citabimus. *Sic scribebam* anno 1643. Nunc indico *part. 3. sel. dispp. tit. de hæresi part.* 8. Paululum ab his dissentire videtur *Martinus Becanus lib. 5. Manualis cap.* 19. ubi ait Magistratum nonnunquam posse bonâ conscientiâ hæreticis libertatem exercitii concedere. Pro secundo & tertio membro disputant passim Pontificii Theologi, politici, Canonistæ, Jurisconsulti inter quos *Eymerici Directorium Inquisitorum*, *Royas de hæreticis*, *Jordanus Brunus* J.C. de iisdem. Altera sententia extrema promiscuè religionis, conscientiarum, & exercitiorum libertatem defendit, omnemque Magistratus coactivam potestatem & coercitionem absque distinctione incessere videtur. Hoc enim & nihil aliud inferunt argumenta & exceptiones eorum; quamvis subinde quidam restringere videantur ad sectas seu professiones in Christianismo, seu nomine tenus Christianas. Agunt hanc causam passim 1. *Novi Arriani, Photiniani*: Qualis anonymus, qui a. 1570. edictum *DD. trium fœderum Rhætiæ* c. hæretico Neo-Arrianos, &c. oppugnabat: cui *Scipio Lentulus* Neapolitanus pastor Clavennensis anno 1573. respondit. tit. *Responsio orthodoxa pro edicto DD. trium fœderum Rhætiæ*, &c. quibus accense *Castellionis* tractatum sub nomine *Vaticani*, & alterius Anonymi, qui ante paucos annos Goudæ recusus est in 8. & farraginem *Martini Belli*, quam *Beza* refutavit. 2. *Enthusiastæ* & Libertini; inter quos emicat anonymus, qui sub nomine nobilis Germani Gallicè scripsit in præfationem *Phil. Marnixii Sanct. Aldegondii* ad librum Belgicum de Enthusiastis: cui *Marnixius* refutationem eodem idiomate opposuit. 3. *Anabaptistæ*; inter quos *Twiskus*, qui integro volumine in 4. exhibuit farraginem testimoniorum ex omnis generis Scriptoribus, imprimis Reformatis. 4. *Cornhertus*, qui latino dialogo contra *Lipsii* Politicam hanc causam agit, eundemque dialogum postea contra *Lipsii* responsum (cui tit. Adversus Dialogistam) defendit. Idem Belgico scripto *processum de hæreticidio* edidit, contra Bezam. 5. *Remonstrantes* in

Confess.

Confess. & *Apologiâ cap.* 24. & in *Responso ad Excerpta Profess. Leidensium*, & in *Vindiciis seu Vedelio Rhapsodo*, pluribusque libellis vernaculis; inter quos ex postremis & communi (uti videtur) nomine editus est ille, cui tit. *Genuinus Remonstranticus Theologus.* Nos antehac anno 1634. opinionem illorum perstrinximus in tract. nostro, cui tit. *Thersites Heautontimorumenos sect.* 1. *cap.* 1. Confer supra *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 2. 3. 4. 5. *Politici* aliqui scriptores; qui huc aliquando trahuntur, uti *Discursus la Noue*, *Justificatio Senatus Leidensis*, Nonnulla ex epistolis Illustrium Belgarum, nec non ex actis decretis, declarationibus, apologiis publicis Regum, Principum, Magistratuum. Sed quam rectè, & quo judicio ac delectu hęc extrahantur aut applicentur; postea suo tempore dicemus. *Media* sententia est nostra, quæ statuit, Non omnem libertatem aut permissionem, aut coërcitionem religionum, & in religione dissidentium simpliciter & absolutè esse licitam, aut illicitam: uti mox præmissis aliquot hypothesibus & postulatis per certas conclusiones determinabimus. Præsupponimus ergo hæc sequentia. I. Magistratui jure divino tanquam Dei ministro & custodi utriusque tabulæ competere potestatem circa religionem, & ecclesiam, ac negotia religionis seu ecclesiastica, nec non personas ecclesiasticas sive seorsim sive collegiatim consideratas. II. Potestatem illam non esse formaliter ecclesiasticam, sed politicam, sæcularem, coactivam, supremam: quę ecclesiastica, & spiritualis dici non potest, nisi impropriè, & per externam denominationem. Utramque hanc hypothesin satis superque supra *lib.* 1. *tract.* 2. explicuimus. III. Hâc vice nobis dari postulamus contra paradoxologias Remonstranticas: Magistratui competere jus & potestatem non tantum circa causas, negotia, personas Ecclesiæ publicæ in publica templa, & publicis Reipublicæ sumtibus receptæ; sed & aliarum sectarum ac cœtuum, qui extra publica templa, in oratoriis privatis, & propriis sumtibus convenire solent sive nomine extraneorum, Gentilium scil., Mahumedistarum, Judæorum, sive Christianorum gaudeant. Personæ enim, & collegia seu conventus, & loca, ædificia ac fundi, & externa sacrorum utensilia cum aliis necessario prerequisitis à Magistratus potestate eximi non possunt.

* *Sectio* III.

Determinemus nunc principalem controversiam: istis conclusionibus. §. 5.
1. *concl.* Quilibet Magistratus tenetur in conscientiâ ex mandato Dei, veram religionem & ecclesiam ejusque membra tum seorsim tum collectim in unione ecclesiasticâ considerata, cum exercitiis privatis ac publicis, non tantum permittere, hoc est, non impedire, sed etiam promovere, fovere, tueri, ac pro viribus ornare. II. *concl.* Nemini licet in foro conscientiæ falsam religionem (h. e. idololatricam, aut hæreticam, aut apostaticam)

ejusque liberam professionem & exercitium suscipere, aut eam à Magistratu postulare, aut inscio invitoque Magistratu sibi sumere & usurpare. III. *concl.* Quod si sint, qui hoc faciant; non licet tamen Magistratui Dei ministro libertatem exercitii sive publicam, sive privato publicam, sive quocunque alio modo aut gradu, permittere: siquidem potestas & potentia illi adsit impediendi. Adesse dicitur *potestas*, 1. cum legibus Reipublicæ fundamentalibus; 2. aut conditionibus & stipulationibus in susceptione Principatus aut Magistratus intervenientibus. 3. aut conventione aliquâ & pacto legitimo, 4. aut aliquo jure tertii non impeditur; h. e. cum Magistratus supremus sine subalterno, aut vice versâ hic sine illo non potest. *Duorum priorum* exempla præbent Imperium Germanicum, Regna Polonicum & Hungaricum, Principatus Transsylvaniæ. *Tertii* Trajectum ad Mosam, Belgio fœderato adjectum anno 1632. Videantur conditiones deditionis, seu articuli capitulationis, uti vocant. Huc etiam quodammodo reduci posset *Edictum Nannetense* in Galliâ. *Quarti* exemplum dedit Belgium nostrum, cum ab Illustr. Ordd. & subordinatis Magistratibus per publica edicta absolutè abrogata non fuerunt exercitia Pontificiæ religionis, quamdiu Principatum Regis Hispanici agnoscebant: tunc enim salvo jure Principis sui, qui religionem illam profitebatur & tuebatur, hoc non poterant. Ejusdem exemplum habemus in Magistratibus orthodoxis tolerantibus Ethnicismum sub *Juliano*. *Potentia* adesse intelligitur, cum non incidunt casus coactionis & extremæ necessitatis, in quibus Magistratus non potest, consequenter nec debet negare aut impedire; sed debet permittere pro tempore, aut etiam perpetuam permissionem seu tolerantiam promittere. Et tunc malum tolerando non peccat; nec etiam decretum & mandatum suum de tolerantiâ hoc est, publicam autoritatem consiliis & armis defendendo. Casus autem necessariæ tolerantiæ sunt potissimum isti. *Primus* cum tanta est heterodoxorum factio & potentia, ut Magistratus libertatem ipsis negare nequeat, absque præsentaneo periculo & metu subversionis Reipublicæ, aut saltem gravissimâ ejus concussione; aut absque intestinis bellis, cum belli appendicibus; aut absque multis seditionibus, cædibus, rapinis. Hic velificandum est magistratui, cum videt homines nec flecti posse nec frangi debere cum detrimento religionis, & piorum, patriæ vastatione, exitio Reipublicæ. Cessante autem & mutato casu illo necessitatis, Magistratus etiam consilia sua mutabit: nisi per conventiones & pacta impediatur. Exemplum dedit *Constantinus* in permissione religionis Ethnicæ, & postea in permissionis istius abrogatione. *Sozom. lib.* 2. *c.*4. *Euseb. in vitâ Constantini.* Simile exemplum habet *Socrates lib.* 3. *cap.*2. ubi à sacrarii Mythreæ repurgatione inchoatâ cessârunt Christiani propter violentiam Gentilium, qui
ad

ad arma provolantes, promiſcuas Chriſtianorum cædes dabant. *Secundus*, quando Eccleſiæ Chriſtianæ ſub imperio Principis heterodoxi aut idololatræ libertatem ſuam retinere non poſſunt, ſed certam perſecutionem & exſtirpationem exſpectant; niſi Princeps aut Magiſtratus orthodoxus ſuis ſubditis heterodoxis libertatem concedat. Exemplum talis coactæ permiſſionis dedit Imperator *Juſtinianus* anno 724. quam ei *Theodoricus* Gothorum rex Arrianus extorſit: teſte *Anaſtaſio Bibliothecario in vitis Pontificum apud Baronium ad annum* 524. §. 1. 2. *Tertius*, quando orthodoxis jam diſſipatis aliter libertas reſtitui non poteſt. Exemplum lege apud *Sozom. lib. 3. cap.* 19. *& Theodoret. lib. 2. c. 12. Socrat. l. 2. c. 18.* IV. Non eſt abſolutè & ſimpliciter illicitum ſubditis purè ſciſmaticis, aut etiam errantibus permittere libertatem exercitii minorem aut majorem, laxiorem aut arctiorem, etiam cum adeſt poteſtas & potentia impediendi: errantibus, inquam, circa politiam eccleſiaſticam, aut ritus & ceremonias, aut etiam circa caput aut capita aliquot doctrinę, ſed non fundamentaliter. Exemplum præſtent hic dicti antehac in Anglia *Browniſtæ* ſeu *Separatiſtæ*; & dicti hodie *Independentes*, ſeu *Congregationales*. De eccleſiaſtico ſyncretiſmo cum iſtis aut ſimilibus ineundo, alibi diſquiritur infra ſcil. *part. 3. lib. 3. tit. de ſyncretiſmo.* Hic ſolummodo quęritur de permiſſione politicâ. Eò tamen non dicimus, Magiſtratum teneri quibuſvis non-fundamentaliter errantibus ſemper & ubique libertatem concedere. Quis autem ſit error fundamentalis & non fundamentalis, explicuimus peculiari diſputatione, inſertâ 2. *part. ſelect. diſpp.* V. Libertas conſcientię, abſque libertate exercitii quin concedi poſſit non fundamentaliter errantibus, & puris ſciſmaticis, (etiam extra caſus neceſſitatis, quibus poteſtas aut potentia Magiſtratus circumſcribitur) minimè dubitandum eſt. VI. Libertas conſcientiæ fundamentaliter errantibus permitti poteſt in caſibus neceſſitatis ſupra poſitis: extra illos caſus libertas, quę ad profeſſionem, communicationem, defenſionem errorum, & ad oppoſitæ veritatis etiam per publica ſcripta impugnationem & traductionem, ſe extendit; non ita permitti poteſt: imprimis non illorum ſeductorum, qui aliis Atheiſmos, Epicureiſmos, Lucianiſmos, Enthuſiaſmos & Libertiniſmos ſuos ſubdolè inſtillant aut affricant. Præſtat enim talium expurgatione, & è Republicâ dimiſſione, contagium illud à ſubditis, & iram Dei averti. VII. Nec tamen conſcientiis vis inferenda eſt, aut inquiſitio in eas inſtituenda: ut homines externâ vi cogantur credere aut de religione ſentire, quod ſentire aut de quo convinci nolunt, immo quod ſentire ſe poſſe negant. VIII. Coërcitione debitâ in ordinem cogi poſſunt tum ſeducentes, tum ſeducti; ne ſcil. liberè profiteantur & ſpargant hæreſes: non tamen propter ſenſum hæreticum capitalibus ſuppliciis ſubjiciendi ſunt.

Sed quid si sensui hæretico, imprimis contra theologiam naturalem, addant externas & horrendas blasphemias, hominum seductiones, Reipublicæ & ordinis perturbationem, autoritatis publicæ, & remediorum ante adhibitorum contemtum? an non tandem ad capitale supplicium deveniendum? *Resp.* Quamvis sententiam, & praxin contrariam nolim condemnare: malim tamen despici, siquidem exiliis & deportationibus nihil proficiatur, an non consultius esset minoribus & mitioribus pœnis fanaticos illos puniri, & perpetuis custodiis addici. Deliberatio hic instituenda esset ex statu Reipubl. & peculiaribus rerum circumstantiis. Unum ergo consilium singulis casibus aptari nequit. Propono omnibus sectis in Belgio casum de *Manichæis*, *Marcionitis*, *Valentinianis*, *Ebionitis*, *Priscillianistis*, *Henric-Nicolaitis*, *David-Joristis*, & siqui alii sub nomine & generali professione Christianismi furores suos sparserunt. Hæc ita scribebam anno 1643. Postea fusius egi de hæreticorum coercitione & pœnis, in 3. *part. select. dispp. tit. de errore & heresi.*

Consectaria ex præcedentibus deducta sunt. I. Posse à Magistratu subditos & cives è Republicâ dimitti, qui hæresibus infecti sunt; nec tamen cogi conscientias eorum, aut tyrannidem in illas exerceri. II. Posse etiam compelli sive homines singulares, sive conventus ecclesiasticos, ad edendam fidei suæ confessionem coram Magistratu, & adsumtis Theologis, (si quos Magistratui visum sit assumere): absque inquisitione & conscientiarum tyrannide. III. Peccare Magistratus, qui sine ullâ necessitate, qualvis exitiales hæreses & sectas tolerant, iisque libertatem non tantum exercitiorum, sed & licentiam concedunt: idque vel negligentiâ religionis ex profanitate, quod religio ipsis indifferens sit; vel quod opibus & terreno lucro (quod hinc speratur) nimium intenti, terram cœlo, mammonam Deo præferunt; vel quod putent sectas Christianorum tantum non differre, sed omnes ducere ad salutem, quia in uno nomine conveniunt, ideoque esse tolerandas; vel quod errore illo afflati sint, cuivis petenti liberam non tantum conscientiam, sed & exercitium suæ religionis esse permittendum. IV. Posse sectarum, quibus libertas exercitii indulgetur, licentiam & exsuperantiam in effundendis in orthodoxam religionem & ecclesiam convitiis & atrocibus calumniis sive realibus sive personalibus, coërceri: sic ut non violetur publica tolerantia & libertas, si quæ statuto, aut more & consuetudine antea ipsis concessa sit. V. Posse Magistratum aut Principem fidelem, principatum aut munus publicum suscipere (cum aliter non potest) etiam sub pactis & conditionibus defendendi libertatem sectæ alicujus, aut sectarum, sive illæ æqualiter, ut publicæ religiones eâ fruantur, sive inæqualiter. Conscientiæ autem suæ rectè non consulet; nisi se impollutum ab omni participatione aut ap-

pro-

probatione idololatriæ & hæreseos conservet, soliusque permissionis & tolerantię (quod ad se, & pro suâ parte) defensionem suscipiat; idque ad gloriam Dei, & in bonum veræ religionis ac ecclesiæ. VI. Posse eundem, quando rationes Reipublicę aliter non ferunt, cum rebellibus aut hostibus ad deditionem se offerentibus, eâdem conditione transigere.

Subjicimus nunc aliquot problemata: quæ vel magis thetica sunt, vel magis hypothetica seu historico-theologica. Priorís generis sunt. §.6.

I. *An* libertas conscientiæ, & libertas commorationis seu habitationis convertantur: atque adeo an jus civitatis aut libertas habitationis hęreticis & fanaticis quibusdam negata, sit coactio conscientiæ & inquisitio in conscientiam, quam Hispanicam vulgò vocant; & an Theologus qui Magistratibus hoc suadeat, aut etiam non dissuadeat, dicendus sit docere hæreticidium? *Resp. Neg.*

II. *An* Magistratui liceat libertatem antehac verę religioni concessam sive in susceptione principatus, sive per conventionem aliquam, indirectè violare aut restringere, obtrudendo novitates quasdam sive in doctrina, sive in ceremoniis, sive in regimine? *Resp. Neg.*

III. *An* Ecclesia teneatur receptionem istorum negare; quin & Magistratus subalterni intercedere, pro autoritate per leges sibi concessâ? *Resp. Aff.*

IV. *An* Magistratus, cui potestas & potentia non deest, negare & impedire possit ac debeat exercitia publica aut privato-publica, non tantum Gentilium, Samaritarum, Judæorum, Mahumedistarum; sed & hæreticorum sub nomine Christiano delitescentium & conscientias suas prætendentium, quales sunt Marcionitæ, Valentiniani, Manichæi, Arriani, Samosateniani, Henric-Nicolaitæ, David-Joristæ, & similes Libertini atque Enthusiastæ. *Resp. Aff.*

V. *An exercitia Pontificiorum? Resp. Aff.* tum propter rationes theologicas, ab hæresibus & multiplici idololatriâ desumtas: tum propter politicas à Papę potestate temporali, ejusdemque potestate dispensandi in juramentis fidelitatis, item ab æquivocationibus, & similibus, quæ cum Republicâ verè Christianâ consistere nequeunt.

VI. *An Anabaptistarum? Resp. Aff.* de illis qui fundamentalem articulum de Deo uno & trino, deque Christo Θεανθρώπῳ & de gratiâ Dei ita corrumpunt: ut de Christianâ religione nihilo plus retinere videantur, quam Sociniani: quales sunt hodie non pauci, si non plerique, qui supra vulgares sibi sapere videntur. Si qui sint, qui cœtibus illorum sub denominatione Anabaptistarum seu Mennonitarum adhærescentes, ultra controversias de pœdobaptismo, potestate Magistratus, juramento vix quidquam movent; theologicè de illis aliter

aliter judicandum censerem: quamvis fortè politicæ rationes alicubi libertatem illis minus permittendam censerent, quam ullis aliis sectis: quod armatis civibus & incolis istic indigeant; non vero arma detrectantibus, & dissuadentibus.

VII. *An Remonstrantium*? *Resp.* Quod si à Socinismi suspicione se non liberant; non arbitror theologicè determinari posse eorum conventicula magis toleranda esse, quam Socinianorum. Sin vero redirent ad primam generalem delineationem quinque articulorum aut intra terminos cum Lutheranis, aut cum dictis ante hac in Germaniâ Synergistis, se præcisè & sincerè continerent? utique generales rationes theologicæ non magis contra illorum, quam contra Lutheranorum tolerantiam militarent. Sed in Belgio nostro obstiterunt rationes politicæ, & theologicæ: cur libertas illorum cum Lutheranorum paria non faceret. 1. *quia* prętendebant publica templa, & curias, sua esse, suisque contra jus & fas erepta; & suam religionem esse publicam atque authorizatam, seu religionem status: ita ut ex eorum conventiculis, nihil nisi turbæ, rerumque mutationes Magistratibus exspectandæ aut metuendæ essent. 2. *quia* in communione & sub nomine reformatę ecclesiæ publicè recepti, ac defensi erant. A quo cum quod ad veritates quinquarticulanas factâ secessione, segreges cœtus formare tentabant, ut peculiarem sectam constituerent: non visum fuit Magistratui plures sectas in Republicâ suâ admittere: cum sectis satis multis antehac permissis, vires Reipublicæ & concordia subditorum infirmarentur. 3. *Quia*, si qui sint segreges cœtus jam inde ab introductâ reformatione in Belgio tolerati: ii simul cum reformatis persecutionem passi erant, & simul cum reformatis caput efferebant, ubi aliorum spes libertatis affulgeret. Atqui hoc societati Remonstranticæ minimè convenit. 4. *Quia*, nullus respectus confœderationis, aut pacis, aut neutralitatis cum politiis Christianis in hoc casu movere poterat Magistratus Belgicos, ad novę huic sectę libertatem concedendam, & hâc ratione sectas sine necessitate in civitatibus & agris suis multiplicandas. Nullibi enim religio Remonstrantica est publica aut religio status: Lutherana vero est non tantum in Imperio Germanico, sed etiam in Regnis Daniæ ac Sueciæ.

Rationes theologicæ sunt tum directæ tum ad hominem. *Prima* est, quia Remonstrantes, in explicatione suorum quinque articulorum sive primâ in collatione Hagiensi, sive secundâ in synodo Dordracenâ, sive tertiâ in *Apologiâ*, *Responsio ad excerpta DD. Professorum Leidensium*, *Vindiciis seu Videlio Rhapsodo*: intra terminos synergistarum, aut hodiernorum Lutheranorum se minimè continuerunt. A nostris antehac toties id probatum est, ut tædeat eadem hic prolixè repetere. Tantum nunc indico lectori *Johannis Tarnovii*

novii theologii Rostochiensis Exercitat. biblic. lib. 4. pag. 904. & seqq., ubi protestatur & ex Hagiensi collatione ac *Bertio* probat, Remonstrantibus cum Lutheranis in doctrinâ quinquarticulanâ nihil esse commune: *licet*, inquit, *idem nobiscum oppugnent, tamen non idem propugnant*, &c. & *pag. 955. Nunc vero coronidis loco ostendam, quomodo Remonstrantes in Belgio, imprimis vero P. Bertius in Hymenæo non tam nobiscum, quam cum Pelagianis, Pontificiis & Photinianis in plerisque consentiant.* Quid nunc diceret *Tarnovius*, si apologiam, & scripta Remonstrantium eandem secuta legisset: aut libellum *Leonhardi Riissenii* Doctoris theologi a. 1661. editi tit. *synopsis impuræ theologiæ Remonstr.* modo inspexisset. Adeo ut non possim satis mirari inscitiam aut fraudulentiam *anonymi Remonstrantis* qui anno 1663. judicia theologorum de unione inter nos & Lutheranos instituendâ coacervata, unioni hodiernorum Remonstrantium cum ecclesiis reformatis applicata velit, hoc argumento (pag. 15.), quod reformati cum Remonstrantibus fraternitatem magis quam cum Lutheranis colere debeant: cum ab illis in uno solummodo puncto aut articulo, ab istis vero in tribus punctis dissentiant. O frontem hominis? *Secunda ratio* est, quia si Remonstrantes in uno illo articulo in quo à nobis dissentiunt, cum Lutheranis conveniunt, (dicente anonymo modo cit.), cur asseclas suos ad Lutheranorum cœtus libertate passim in Belgio gaudentes non amandant; eosque à molestiis & sumtibus, simulque Rempublicam ab accremento & alluvie novarum sectarum non liberant? Dissensum in dogmate de cœnâ domini obtendere nequeunt: quia illud non esse fundamentale, nec fraternitatem posse aut debere impedire *anonymus* toto citationum choragio contendit. Iterum dicent, quamvis ipsi cœtibus illis se adjungere vellent, Lutheranos tamen introitum negaturos. Si serio hoc dicerent, debuissent immo adhuc deberent à Lutheranis fraternitatem petere, & ad eam se offerre: quo facto, & Lutheranis annuentibus aut abnuentibus, tum demum consilium in arenâ capiendum. *Tertia ratio* est, quia Romonstrantes ante habitam synodum Dordracenam anno 1619. & in ipsâ synodo contendebant, pro unione cum ecclesiis reformatis per libertatem utriusque sententiæ quinquarticulanæ. Poterant ergo ipsorum auditores bonâ conscientiâ, immo & debebant secundum proprias hypotheses sacra nostra frequentare, nec secessionem & in segreges cœtus novam coadunationem facere, absque manifesto schismate. Quod si excipiant, nostros priores scisma fecisse: reponimus, dato nostros peccasse in caritatem, illi tamen hoc non debuissent imitari, & malum malo rependere. Addimus omnes illos tum antecessores tum membra ecclesiæ, quos a. 1619. injuriâ affectos prætendunt, jam obiisse: & ob transeuntem quam ἀταξίαν nostrorum (ipsorum opinione) non deberi perpetuum scisma foveri ac firmari.

VIII. *An Magistratus peccet, qui nullarum sectarum conventicula admittit? Resp. Neg.*

IX. *An hæreticis negare possit libertatem commorationis, sejunctam ab omni libertate exercitii? Resp. Aff.*

X. *An eandem Pontificiis negare debeat? Resp.* Distinguendi sunt moderatiores, aut meliores, à rigidis, præfractis, Curialibus in sedem Romanam & Papam juratis; & loca, ac tempora, aliæque circumstantiæ considerandæ: & sic determinandum, qui sint boni cives, qui inutiles. Denique distinguendum inter admissionem eorum, qui nunquam jure civitatis gavisi sunt; & inter dimissionem eorum, qui eo jam gaudent. Confer quæ de hac quæstione dicimus in 3. *part. sel. dispp. tit. De Sede Romanâ incompatibili*, &c.

§.7. *Problemata magis hypothetica*, & quasi historico-theologica sunt.

I. *An* in Republicâ Israëlis sub judicibus & regibus libertas conscientiæ, & commorationis Gentilibus quibusdam concessa sit? *Resp. Aff.*

II. *An* Pontificiis in Belgio fœderato contra pacta & edicta publica perfidè libertas erepta sit: uti sæpe hoc objiciunt? *Resp. Neg.* Aut enim ipsi, qui erant altera pars contrahentium, & quorum intererat, jus suum remiserunt; paulatim scil. adducti ad cognitionem veritatis: uti accidit in patriâ meâ, quæ alioquin sponte accedens ad confœderationem contra tyrannidem Hispanicam, ab Illustr. Principe Auriaco & Ordd. Hollandiæ publicum religionis Pontificiæ exercitium stipulata erat. Aut conspirationibus, perfidiis, perduellionibus ipsi sibi accersiverunt justam privationem concessæ libertatis. Cum ergo pactum hic esset διπλοῦρον, evenit illis justè, quod dici solet: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Simile quid evenit Macedonianis sub *Theodosio secundo*, apud *Socratem lib. 7. cap. 31.*

III. *An Eduardus VI. Mariæ* sorori suæ piè negârit libertatem missæ Papalis. *Resp. Aff.* Infra in genere licitam esse Papalis idolomanię prohibitionem, probabitur.

IV. *An* Magistratus Belgici debeant quibusvis Anabaptistis continuationem libertatis, quâ nunc fruuntur; ut quidem ipsi subindè hoc innuunt? *Resp.* Nunquam hactenus, quod sciam, protulerunt decreta, pacta, edicta publica, sive totius Belgii, sive unius Provinciæ. Quin contrarium haut obscurè ex eo evincitur, quod civitas Groningana ad unionem confœderatorum reducta a. 1594. omnium sectarum & Anabaptisticæ exercitia publico edicto excluserit.

V. *An* ergo verè dicatur Illustr. Ordd. bellum gerere pro libertate & incolumitate sectarum; adhæc bellum gerere, non pro reformatâ religione, sed

ſed pro libertate politicâ, & pro libertate conſcientię quorumcunque; quam extendunt ad promiſcuam & æqualem quarumvis ſectarum libertatem exercitii. *Reſp. Neg.* Et contra oſtenſum eſt in Remonſtrantiâ quâdam anno 1630. à deputatis utriuſque Synodi, inter quos tum numerabar, Illuſtr. ac Præp. Ordd. Hollandiæ traditâ, ac typis editâ. Hallucinantur in eo imprudentiores quidam, quod priorem ſtatum belli ante exauctorationem *Philippi* II. (quæ incidit in annum 1581.) non diſtinguant à ſtatû poſteriori. Religio & perſecutio primitùs quidem erat occaſio belli, non cauſa; ſed libertas & privilegia politica contra tyrannidem Hiſpanorum. Poſtea Republicâ in libertatem vindicatâ, & civitatibus ac provinciis religionem amplexis, pugnatum eſt pro liberâ & novâ Republicâ, cujus pars non tantum ſed & fundamentum facta eſt religio reformata, cum abſolutâ & totali Pontificiæ excluſione. Hæc tempora ita diſtinguenda eſſe, & veritatem hiſtoriæ conciliandam, oſtendimus *in 3. part. ſelect. diſpp. tit. de ſede Romanâ incompatibili*, &c. Extra reformatam religionem quod quædam alia exercitia admittantur, partim facti particularis eſt, non juris univerſalis; partim conniventiæ magis, quam ſtabilitæ tolerantiæ. Cum ergo Reipublicæ partem ne integralem quidem faciant, nedum principalem aut ejus fundamentum, non poteſt dici bellum pro iis geri, magis quam pro ebrietate, aliiſque variis conniventiæ peccatis, quæ in Republicâ noſtrâ tolerantur ſeu permittuntur, hoc eſt, legibus nullis aut pœnis coërcentur.

VI. *An* decreta Illuſtr. DD. Ordd. Generalium & Provincialium contra Pontificios & Remonſtrantes hactenus promulgata, theologicè & politicè defendi poſſint? Idem quęro de decreto urbis Groninganę anno 1594. contra omnes ſectas; quod *anonymus* quidam *Libertinus vernaculo quodam ſcripto* publicè oppugnavit? *Reſp. Aff.* De quo capite ſequenti diſputabitur.

VII. *An* ex mutato rerum ſtatu, & ex conniventiâ quorundam Magiſtratuum ad conventicula Remonſtrantium, rectè concludi poſſit; publica edicta revocata eſſe, aut Magiſtratus pœnitentiâ eorum duci, quaſi ſcil. iis perſecutionem conſcientiarum, aut eccleſiæ Dei, injuſtè exercuiſſent. *Reſp. Neg.* & ſalem ſcientię ac conſcientię in blateronibus quibuſdam deſideramus.

VIII. *An* cum indulgentiâ & conniventiâ Magiſtratuum abutuntur ſectarii, fimbrias ſuas extendendo, & auſa auſis prioribus addendo, nova ampliora templa ædificando; abſque tyrannide in conſcientias, impediri poſſint. *Reſp. Aff.*

IX. *An* Ill. DD. Ordd. anno 1632. offerre potuerint provinciis Belgicis

 Hiſpa-

Hiſpanico imperio ſubjectis, communem defenſionem privilegiorum & religionis Pontificiæ publicè illic ſtabilitæ? *Reſp. Aff.*

x. *Quid* cenſendum, de conceſsâ anno 1632. Trajectenſibus ad Moſam libertate publici exercitii religionis Papiſticę? *Reſp.* Tolerantia falſæ religionis, quam requirit neceſſitas Reipublicæ Fœderatorum, adhæc bonum eccleſiæ, quæ eſt in illâ Republ., non eſt peccatum nec participatio alieni peccati: Sed tolerantia illa ſolemni conventione ſancita, & hactenus autoritate publicâ defenſa, talis eſt; Ergo. Major certiſſima eſt. Minoris examen conſcientiæ & ſcientiæ Procerum committitur ut Deo καρδιογνώστῃ de eâ rationem reddant. Pertinet enim ad arcana Reipublicæ. Concluſionem ergo admittas oportet; ſaltem de ea ἐπέχῃς. Moneo hic in gratiam rudiorum; non defendere proceres noſtros Papiſticam idololatriam, etiam cum armatâ manu defendunt proceſſiones: ſed defendere directè & immediatè ſuam autoritatem publicam, & fidem datam in conventione; quâ ſancita eſt tolerantia idololatriæ. *Hæc ego anno 1643. ad 9. & 10. problemata ſic reſpondebam; uti de verbo ad verbum (ne unico quidem jota mutato) nunc idem reſponſum exhibeo. Ad eundem modum omnibus coram ſuper hac re mecum per occaſionem colloquentibus ſententiam meam tam ante quam poſt editas theſes explicui, rationibus probavi, & (ſi bene memini) neminem diſſentientem dimiſi; nec unquam, quod ſciam, vel minimo verbulo, in publicis lectionibus, in privatis collegiis, in familiaribus colloquiis, ab hac conſtanti ſententiâ meâ declinavi uſque in hunc diem Adeo ut non videam, quâ ſcientiâ aut quo animo ſcriptor theologi paradoxi, centenis partim apertè falſis partim calumnioſè fabricatis de me commentis ſuis, hoc tam craſſum, tam atechnicum admiſcuerit; quo me meaque in odium ſupremarum poteſtatum conjiceret.* Diſputa-
„tor (inquit pag. 161. pr. edit. in 8. anno 1649.) contra ſuam conſcien-
„tiam loquitur, ſi velit meminiſſe quanto cum impetu & ipſe & fer-
„ventiores nonnulli eccleſiaſtæ dixerint olim de legibus deditionis Ven-
„lonæ, Ruræmundæ, & Moſæ-Trajecti, ceu Reipubl. noxiis, Dei
„verbo repugnantibus, & Magiſtratus reformati conſcientiæ & officio
„contrariis. Si enim peccatum fuit contra Deum in illâ libertate exercitii
„relinquendâ Pontificiis Moſæ Trajectenſibus, & ſi tunc liberum fuit di-
„ſputatori invehi in illas capitulationes ceu vitioſas, &c. *Atque hæc datâ occaſione hic indicare volui, ut lector, ſi forte in librum illum tit. Theologus paradoxus,* inciderit, *moneatur quid de fabulis, cavillationibus & calumniis ſcriptoris illius in me & de me per tot libros ſparſis ſtatuendum ſit. Quod aſſuit de ferventioribus nonnullis eccleſiaſtis, quia ſigno individui vagi profertur, tranſeat. Si illos, uti me, digito monſtraſſet, aut adhuc monſtraret; poſſent illi, aut ipſorum liberi, cognati, amici, neceſſarii reſpondere. Nunc quia τὸ* non-

nulli

nulli ferventiores, pluralitatem aliquam notat, & de singulis tunc viventibus concionatoribus divisim tale quid posteri ista legentes suspicari aut conjicere, & hostes ecclesiarum nostrarum reformatis, more suo, objicere possent: cogitent prudentiores quâ caritate & prudentiâ talia in orbis theatro proclamârit. Prudentius certè egerunt illi ministri, qui cum quis scriptori huic forte non ignotus inter ipsos moveret de comparitione aliquot ministrorum in conventu Ordinum alicujus Provinciæ Belgicæ, in quo, moribus antiquis, aliqui ex clero Papali comparebant: non tantum illi motioni resistebant; sed & eam tegebant: Adeo ut nunquam auditum sit ad Belgii fœderati potestates supremas hoc delatum fuisse, ut suum illum hac in parte imprudentiorem an ferventiorem, earum indignationi & judicio objicerent: Nedum ut coram toto orbe hoc traducerent; quamvis sine omni mendacio & fictione illud referre potuißent. Quidquid autem ipse rerum & factorum in Belgio tunc temporis haut ita gnarus, de uno forte atque altero ministrorum ex famâ audivißet, cogitare debuisset, unam hirundinem non facere ver; & ex piè doctis, prudentibus, rerum suarum satagentibus ministris, de theologorum Belgicorum super hoc casu theologematis, judicium faciendum esse. De licitâ permissione religionis Papisticæ, ejusdemque permissionis promissione, rebus Reipublicæ ita postulantibus, ex prædeceßoribus suis jam pridem didicerant ministri Belgici, nec tamdiu in sacrâ ignorantiâ suâ hæserant, donec de ipsis illud poëtæ diceretur: Gallia causidicos docuit facunda Britannos. Videant, quibus tanti est historica hæc quæstio, inter epistolas illustrium & clarorum Belgarum epist. 70. centur. 2. ad Illustr. comitem Naßavium Johannem seniorem Geldriæ præfectum, imprimis pag. 859. 861. 864. & 869. ubi citant libellum supplicem ecclesiar. reformatarum & synodi Dordracenæ (Nationalis anno 1578.) ad Archiducem Mathiam & Senatum Ordd. Atque hinc constat, quæ fuerit primorum & illis proximorum ministrorum Belgicorum de istis & similibus casibus sententia. Ne autem occinat nobis, Ætas parentum pejor avis tulit, &c. in memoriam illi revocamus, filios prophetarum, jam inde à primis Academiarum Leidens. Franequer. Groninganæ incunabulis, & rursum ab anno 1614. usque 1632. per Doctores suos, de his aliisque positionibus ita informatos fuisse, ut verisimile non sit eos anno 1632. & seqq. adhuc tantâ ignorantiâ laboraße. Si forte unus atque alter, hypothesios, & rerum, quæ tunc agitabantur, plane ignarus, (quid scil. intendi & offerri videretur à parte Belgii Hispanici; & quid à parte Belgii fœderati intenderetur, ac postularetur, ad finem periculoso huic bello imponendum: quæ referuntur ab Aitzema in historia de pace Belgicâ a. 1649.) in genere & in thesi de Papismo post constitutam a. 1581. liberam fœderatorum Rempublicam perpetuis edictis excluso, non ferendo: tunc disseruisset, is nullo numero hic eße debebat. Cui quæso ecclesię & religionis nostræ bono, inter ministros unius forte atque alterius audita vox, quæ

periit, nunc demum anno 1649. θριαμβίζεται, *& victuris chartis æternitati consecratur? An hæc prudentia justorum?* Sed è diverticulo in viam.

XI. *An* ſupplicia de *Garneto*, aliiſque Papatus emiſſariis & patriæ ſuæ proditoribus in Angliâ ſub Reginâ *Elizabethâ* & Rege *Jacobo* ſumta, fuerint perſecutio religionis, & tyrannis conſcientiarum? *Reſp. Neg.* Vide de hoc caſu eruditiſſima theologorum Anglorum ſcripta, *Lanceloti Andrews, Roberti Burhilli, Johannis Prideaux, Roberti Aboti, Joh. Donne Decani Londinenſis;* imprimis *Examen Lambethanum*, *& actio in Garnetum lat. gall. angl.*

XII. *An* Remonſtrantes abſque atroce & crudeli calumniâ eccleſiis Reformatis in Belgio impingant hęreticidium, tyrannidem & coactionem conſcientiarum, inquiſitionem, perſecutionem eccleſiæ; ut ita deſperatam & labaſcentem cauſam ſuam ſuſtentent, & auditores qui adhuc ipſis ſuperſunt, ab eccleſiis noſtris alienos reddant. *Reſp. Neg.* De quo cap. ſequ.

XIII. *An* his calumniis inſtruendis ſufficiant, exempla *Serveti, Valentini Gentilis*, & unius atque alterius funatici erronis in Angliâ & Helvetiâ ſupplicio affecti, quæ reformati paſſim judicio Remonſtrantico rigidè non condemnant? *Reſp. Neg.* Hypotheticam hanc quęſtionem vide ventilatam *in* 3. *part. ſel. diſpp. tit. de hæreſi.*

XIV. *An* illa quæ in ſuppreſſione molitionum Remonſtranticarum evenere anno 1619. in nonnullis civitatibus Hollandiæ; pręſertim Hornæ, Schoonhoviæ, Roterodami, Goudæ. *Reſp. Neg.* Lege hiſtorias *Baudartii*, &c.

XV. *An* Reformati (quos Calviniſtas vocant) in Imperio Germanico excluſi ſint à pace ſeu libertate religionis, ſociis Auguſtanę confeſſionis à *Carolo* V. primum conceſſa, & deinceps ab Imperatoribus confirmata? *Reſp.* Nec jure nec facto. De hâc hypotheticâ quæſtione vide ex profeſſo diſputantem *Johannem Cronum tract. peculiari anno* 1647. *editum tit. de ſocietate Auguſtanæ confeſſionis.*

XVI. *An* ſi Proceres, quos vocant, eccleſiaſtici, Epiſcopi ſcil. & Abbates à Papatu deficiant, per pacem & libertatem religionis in terras ſibi ſubjectas religionem reformatam introducere poſſint, & Papiſticam inde expellere? *Reſp.* Affirmabant Principes Proteſtantes in cauſa *Hermanni à Wedâ & Truchеſii* Archiepiſcop. Colonienſium; ſed contra Negabat Imperator cum Pontificiis. Et videtur adhuc ſub judice lis eſſe. De quo conſulendus *Juſtus Sprenger J.C. tract. de pace religionis*, & ſcripta ſuper causâ *Herm. à Weda & Truchеſii* ultro citroque edita.

XVII. *An* in regno Polonico collectivè aut diſtributivè quarumvis religionum libertas & permiſſio, aut uſu recepta, aut legibus publiciſque decretis ſtabilita ſit. *Reſp. Neg.* contra Remonſtrantes ex hâc falsâ hypotheſi beati-

beatitudinem ejus regni ſupra omnia alia depredicantes, & Ill. Ordd. Belgicos ad imitatonem chimærici facti adhortantes, in lib. vernaculo cui tit. genuinus Remonſtr. Theologus, ſub finem.

XVIII. *An* jure illinc exigi potuerint Sociniani, uti ante pauculos annos illinc exacti ſunt? *Reſp. Aff.*

XIX. *An* hinc inferri poſſit, pari jure Reformatos iſtic aut alibi libertate ſuâ privandos? *Reſp. Neg.*

XX. *An* ſi Principes aut Magiſtratus Pontificii alicubi reformatis libertatem concedant (ex. gr. in Gallia); pari jure Magiſtratus reformati Pontificiis (ex. gr. in Angliâ, aut Belgio) libertatem deberent concedere? *Reſp. Neg.* Eſt enim ratio longe diſpar ſive Theologicè, ſive politicè conſideres. Nam ab unâ parte eſt religio vera; ab alterâ falſa, & idololatrica. Sicuti ergo non ſequitur, Magiſtratus juſtè perſequuntur malos, ergo pariter & bonos; illis libertatem non concedunt, ergo nec iſtis concedenda eſt: ſic nulla hic conſequentia. Rurſum ab una parte eſt religio & eccleſia à nullo extraneo ſuperiori in temporalibus dependens; ab alterâ eccleſiâ neceſſariò dependens in temporalibus ſive directè ſive indirectè ab alio & extraneo non tantum collaterali, ſed & ſuperiori domino in terris, Papâ ſcil. Romano; idque in præjudicium Magiſtratus Reformati: qui ideo nunquam ſecurus eſſe poteſt. Adde Papiſticæ Theologiæ axiomata ſeditioſa, perfida, paricidalia, quæ cum Rebuſpubl. & Magiſtratibus reformatis conſiſtere nequeunt; & ſi animis hominum inſideant, non permittunt Papiſtas eſſe bonos cives. Ab alterâ autem parte omnia contraria ſunt. Confer infra *part. 2. lib. 4. tit. de Monachatu ſubtit. de equitibus ſacris; & 3. part. ſel. diſpp. tit. de ſede Romanâ incompatibili*, &c.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I. AN *religio, quæ docet aut facit Deum autorem peccati, in Republicâ toleranda ſit?* Neg.

II. *An repugnaret libertati politicæ, aut libertati conſcientiæ, aut etiam exercitii, ſi crimina falſi & exſuperans illa quorundam ex ſectariis malitia ac calumniandi libido, per quæ impingunt reformatæ religioni & eccleſiæ, quod Deum ſtatuant autorem peccati, & per quæ conſequenter Magiſtratus in innoxia capita concitare ſtudent, debitè coërcerentur?* Neg.

III. *An ſuribus graſſatoribus, pyratis, ſi pragmaticæ ſuæ prætexerent, communionem bonorum à ſe in conſcientiâ credi; libertas in Republ. aut ſic agendi, aut ſaltem ſic ſentiendi, ac publicè privatimque docendi, relinquenda eſſet?* Neg.

IV. *Idem quæro de polygamiâ, inceſtu, adulterio, aliiſque impuritatibus; ſi quis prætenderet* Henric. Nicolaiticam *fœminarum communionem?* Neg.

V. *An*

V. *An sensus & privata professio, Libertinismi, Lucianismi, Epicureismi, Scepticismi (hoc est Atheismi) majus crimen in Rempublicam, & in Republicâ nostrâ vulgò censeri soleat, ac propterea gravius puniri, ac minus tolerari; quam seditio, proditio, raptus, latrocinium, rapina? Neg.*

Hæc hactenus anno 1643. ita typis descripta, & publico examini in Academiâ, proposita fuere. Quibus amplius illustrandis, subjicimus justam quæstionum tractationem, de conscientiæ ad religionis sensum & professionem coactione, & de exercitiorum quorumvis libertate.

CAP. III.

Disquisitio de conscientiarum libertate aut coactione.

PRæsupponimus distinctissimas esse has capitales quæstiones de coactione conscientiæ ad religionem; & de prohibitione exercitiorum ac conventuum; easdemque à nobis tanquam distinctissimas considerari: quippe qui omnem coactionem conscientiarum in foro poli illicitam, & aliquam exercitiorum ac conventuum prohibitionem, licitam esse statuimus. Agemus hic primum de priori quæstione capitali; deinde problemata aliquot subjiciemus.

§.1. Sit ergo prior quæstio capitalis, *An homines sub capitali, aut aliâ quâcunque gravi pœnâ cogi possint ad sensum, professionem, & exercitium religionis, quam interiori animo probare non possint? Resp.* 1. *concl.* de religione falsâ sive eam antea tenuerint ac professi sint, sive de novo ea introducatur atque obtrudatur, absolutè negatur. Ratio est, quia nec suasione nec coactione alterius peccatum procurare licet, aut quocunque modo eidem cooperari. Jam vero falsæ religionis sive receptio, sive continuata professio, est peccatum, & quidem gravissimum. Ergo non potest Magistratus sine gravissimo peccato quenquam sub pœna capitis, ad tale peccatum cogere. Probatur 1. *primò* ex 1 *Timoth.* 1. *v.* 13. 15. cum *Actor.* 9. *v.* 2. 4. 5. & 22. *v.* 4. & 26. *v.* 10. 11. 1 *Cor.* 15. *v.* 9. unde colligitur, coactionem ad Judaismum, ut tunc Christianismo opponebatur, gravissimum fuisse peccatum. Idem applicari debet coactioni ad Gentilismum, de quâ in historiâ ecclesiastica: ubi edicta imperii Romani contra Christianos, & decem generales persecutiones referuntur. Legendæ etiam de edictis imperii *epistolæ Traiani ad Plinium* quæ est 98. *lib.* 10. & *Hadriani ad Minucium Fundanum*, apud *Euseb. lib.* 4. *histor. eccles. cap.* 8. & apud *Justinum ad finem apologiæ ad Antoninum Pium*; & *Hadriani ad Servianum consulem*, apud *Fl. Vopiscum in vitâ Saturnini.* 2. *Quæ* Gentilium etiam colligitur ex peccato Judæorum, qui Gentiles

les ad hanc persecutionem & conscientiarum coactionem instigabant : de quo peccato 1 Thessal. 2. v. 15. qui *nos exegerunt*, *neque Deo placent*, &c. *prohibentes nos gentibus loqui ut serventur*; *ut semper compleant peccata sua : occupavit enim eos ira ad extremum usque.*

3. *Ex* generali hâc ratione: *quia nihil possumus contra veritatem*, *sed pro veritate* 2 Cor. 13. v. 8. Atqui Christiana religio est veritas, & vera ecclesia eam possidens & prętendens est *columna & firmamentum veritatis* 1 Tim. 3. v. 16. Quicunque ergo eam impedit, aut ejus oppositum promovet, is facit contra veritatem. Atqui superiores potestates sive civiles sive ecclesiasticæ (utor phrasi Pontificiâ), cogentes quem ad falsę religionis susceptionem & professionem, contra interioris conscientiæ sensum, sub capitali aut aliâ quâ gravi pœnâ; impediunt veritatem, & falsitatem eidem oppositam promovent. De libertate hâc conscientiæ in amplectendâ, confitendâ, exercendâ verâ religione ac pietate, omnibus affectandâ, & ab omnibus Magistratibus cuilibet concedendâ, accuratè & ex professo agit *Vedelius in Opusculis theologicis* a. 1641. Franekeræ editis.

2. *Concl.* Ad veræ & orthodoxæ religionis receptionem in conscientiâ, ejusdemque professionem nemo à superioribus potestatibus sive sęcularibus sive ecclesiasticis, sub capitali aut aliâ quâ gravi pœnâ cogi debet. Hæc est communis reformatorum & Protestantium sententia. Vide *synopsin Leidensem disp.* 50. §. 59. *Amesium in Casibus lib* 4. *cap.* 3. Huic coactioni conscientiæ (quæ tyrannidis in conscientias eique subservientis inquisitionis Romano-Hispanicæ quod ad formam & modum agendi, non vero quod ad objectum, æmula dici potest) opponitur *libertas* conscientiæ, seu cordis ac cogitationum: in quas nulla potestas humana, sed sola divina imperium habet. Quamvis ergo homines malè de Deo, Deique cultu sentiant; nullis tamen hominibus licet ad meliorem sensum vi intentatâ aut sub capitalis pœnæ comminatione eosdem adigere: sed tantum suasione adhibitâ invitare, flectere, ducere, cætera Deo committere 2 *Tim.* 2. *v.* 25. 26. Pontificii sententiam huic oppositam tuentur: uti constat non tantum ex *jure Canonico*, & hodiernis Theologis; sed & imprimis ex perpetuâ ipsorum praxi; quâ hęreticos sive verè tales sive falsò iisdem sic dictos è medio tollunt. Praxin disces ex martyrologiis, & *Sleidani*, *Thuani*, aliorumque historiis; ex historiis ac relationibus, de ecclesiis & persecutionibus Bohemicis, jam inde ab Husso & deinceps; de Rhæticis in valle Telinâ anno 1620. de Hibernicis anno 1645. de Pedemontanis anno 1554. 1655. 1662. de Waldensibus & Albigensibus; Postremam lanienam in reliquias Waldensium Merindolii, &c. anno 1545. exercitam describunt *Thuanus*, *Sleidanus*, *Martyrologium Gallicum*. Quibus omnibus adde annuos Mercurios, qui nuntiant,

exempla quę ſucceſſivè ab Inquiſitoribus in Hiſpaniâ ſtatuuntur. Perpetuam & communem Papatus doctrinam, de coactione conſcientiarum, & negandâ iiſdem ſenſus ſui libertate, diſces ex determinatione ipſorum de puniendis hæreticis: cujus indicium fecimus *in 3. part. ſel. diſpp. tit de hæreſi part.8. §. 4.* Quamvis autem in ſummâ rei conveniant (exceptis *Caſſandri, Eraſmi*, & ſimilium, inter laicos pluribus, inter clericos pauculis ſectatoribus) in nonnullis tamen Theologi diſſentiunt, e. gr. in quæſtione, An religionem catholicam (Romano-Papalem intelligunt) antehac profeſſi tantum; an vero etiam omnes nati & baptizati in Eccleſiâ Romanâ, quamvis ab infantiâ inter hæreticos (ſive veros ſive putatitios) educati; an inſuper infideles ſub pœnâ capitali, ad religionis receptionem ac profeſſionem, cogendi ſint. De *primis* communiter, affirmant. De *ſecundis, Concil. Trident. ſeſſ. 7. can.* 14. decernit, eos ubi ad annos diſcretionis pervenerint, ab eccleſiâ *cogi poſſe* ad obſervantiam fidei & legis Chriſtianæ. *Ledeſma in theologiâ morali tract. de baptiſmo cap.* 8. *concl.* 9. dicit hoc certum eſſe ſecundum fidem; quod in *Concil. Trid.* contra ſentientes feriantur anathemate. Idem ſtatuit *Malderus ad 22. p.* 148. Coactio autem iſta per pœnas eccleſiaſticas & politicas, qualis ſit, docent inſtructiones inquiſitorum *Eimerici, Bariolæ*, &c alibi citandę, & tractatus de hæreticis & pœnis hæreticorum ſupra citati. De *tertiis*, negare coguntur Pontificii, quotquot hypotheſin illam tenent (uti communiter tenetur) cum *Thomâ in* 3. *qu.* 66. *artic.* 1. quod Eccleſia jus non habet parvulos infidelium invitis parentibus aut tutoribus baptizandi. *Ledeſma cap. cit. concluſ.* 13. addit. *Peccare mortaliter, qui hoc facere attentarent.* Praxis Papatus in tolerandis antehac in Hiſpaniâ Muhammediſtis, & paſſim, etiam Romæ, toleratis Judæis, confirmat communionem hanc opinionem de infidelibus ad fidem non cogendis. Non deſunt tamen, qui ſentiunt infideles Magiſtratui Chriſtiano ſubditos, & mancipia Chriſtianis patribus familias propria, ad fidem compelli poſſe. Et ſi praxin ſpectemus, videtur etiam hęc coactio extendi ad infideles non-ſubditos, ſed hunc in finem per fas per nafas ſæculariter ſubjiciendos, ut ad fidem recipiendam compellantur. Tale quid ſapit donatio Pontificis Alexandri VI. Hiſpani anno 1493. & geſta Hiſpanorum in novo orbe, ab Epiſcopo Hiſpano Barthol. las Caſas teſte oculato deſcripta. Cui tamen meliora monenti ſtrenuè ſe oppoſuit *Geneſius Sepulveda*, ſuſcepto crudelitatum Hiſpanicarum patrocinio. De Gentibus, aut Regionibus, aut Provinciis, aut civitatibus Europeis ante compluria ſæcula ad fidem, non ſine vi armorum, compulſis, hic aliqua diſquiri poſſent: niſi prolixitatem vitaremus. Tantum hic exhibeo verba Alexandri VI. in bullâ, uti ea contraxit Flavius Cherubinus in compendio Bullarii: „ Studuerunt, inquit, Ferdinandus Rex Caſtiliæ & Elizabeth Regina, ad

„fidem Christianam eas gentes inducere. §. 4. ad quod hic Pontifex eos „enixè hortatur §. 5. & illas insulas & terras firmas à polo arctico ad an- „tarcticum, scil. meridiem inventas & inveniendas, versus occidentem & „meridiem eis donat, ut ad catholicam fidem adducant, &c. *& paulo post:* „accessum absque Regis licentiâ ad eas pro mercibus habendis, cæteris pro- „hibet omnibus §. 8. &c. sanctionem pœnalem adjicit §. 11. *Cherubinus in scholiis ibid.* notat, ejusmodi concessiones etiam datas fuisse à Martino V. Nicolao V. Calixto III. Sixto IV. His tamen non obstantibus præstantissimi Theologi & Canonistæ Hispani *Covarruvias*, *Vasquez*, *Victoria* aliique, secuti *Cajetanum* illam Gentium coactionem ad fidem & donationem atque occupationem terrarum, apertè condemnârunt. Verba *Cajetani ad 22. qu.66. artic.8.* significantia & efficacia sunt. „ Quidam, inquit, infideles „nec de jure nec de facto subsunt secundum temporalem jurisdictionem „Principibus Christianis; ut inveniuntur Pagani, qui nunquam Imperio „Romano subditi fuerunt, terras habitantes, in quibus Christianum nun- „quam fuit nomen. Horum namque domini, quamvis infideles legitimi „domini sunt, sive regali, sive politico regimine gubernentur: nec sunt pro- „pter infidelitatem à dominio suorum privati, quum dominium sit ex jure „positivo, & infidelitas ex divino jure, quod non tollit jus positivum, ut „superius in quæstione decima habitum est. Et de his nullam scio legem, „quo ad temporalia. Contra hos nullus Rex, nullus Imperator, nec eccle- „sia Romana potest movere bellum ad occupandas terras eorum, aut subji- „ciendum eos temporaliter: quia nulla subest causa justi belli, quum Je- „sus Christus Rex regum, cui data est omnis potestas in cœlo, & in ter- „râ, miserit ad capiendam possessionem mundi, non milites armatæ mili- „tiæ, sed sanctos prædicatores, sicut oves inter lupos. Unde nec in testa- „mento veteri, ubi armata manu possessio erat capienda, terrę infidelium „indictum lego bellum alicui propter hoc, quòd non erant fideles: sed vel „quia nolebant dare transitum, vel quia eos offenderant, ut Midianitæ: „vel ut recuperarent sua divina largitione concessa. Unde gravissime pec- „caremus si fidem Christi Jesu per hanc viam ampliare contenderemus: „nec essemus legitimi domini illorum: sed magna latrocinia committere- „mus & teneremur ad restitutionem, utpote injusti debellatores, aut occu- „patores. Mittendi essent ad hos prædicatores boni viri, qui verbo & ex- „emplo converterent eos ad Deum: & non qui eos opprimant, spolient, „scandalizent, subjiciant, & duplo gehennæ filios faciant more Phari- „sæorum.

Nos absque ullâ distinctione infidelium & hæreticorum, sive in infantiâ baptizatorum, sive adultorum Christianam fidem antehac professo-

rum, ad fidem & in conscientiâ neminem cogendum, sic probamus. 1. *Quia* solus Deus est dominus conscientiæ, est major corde nostro, solus hominibus suadentibus potest persuadere, legem potest indere in mentem nostram, & insculpere cordibus nostris; & consequenter soli Deo καρδιογνώστῃ interioris sensus & cogitationum nostrarum ratio reddenda est. Et huc refer illud vulgatum, *de occultis non judicat Ecclesia*: multo minus Politia, cujus unicum objectum est homo exterior, ejusque dicta & facta exteriora. Conferenda huc quę communiter à Theologis traduntur de naturâ & munere conscientiæ. 2. *Quia*, per coactionem illam in conscientiâ, & secundum illam ad professionem & exercitium veræ religionis, homines ad rectam fidem adduci non possunt; sed bene ad simulationem & hypocrisin, ut agant contra conscientiam. 3. *Quia* huc ex parabolâ *Math.* 13. *v.*30. contra dictam coactionem antehac communiter allegari solitum, rectè applicandum putamus: *sinite crescere*, &c. & alterum 1 Cor. 16. v. 22. *anathema maran atha*. Omnibus ergo suasionibus adhibitis, si non velint aut non possint persuaderi, Domino ejusque gratiæ aut judicio relinquendi sunt. 4. *Quia* sententia hæc communi sensu & consensu omnium eorum, qui ex scriptoribus theologis & politicis certatim producuntur, plenissimè confirmatur. Vide dicta & exempla antiquorum ac recentiorum orthodoxorum jam inde à tempore Christi usque ad annum 1609. peculiari volumine linguâ nostrate in 4. exhibita à *Petro Johannis Twisk* anabaptisticæ professionis a. 1609. Quorum aliqua præter conscientiæ, etiam exercitii religionis veræ, aliqua insuper religionis erroneæ complectuntur; aut si non complectantur, à collectore eò trahuntur, & sic illa libertas cum istâ confunditur. Nos de hâc distinctè & seorsim cap. sequ. disquiremus. Manet saltem omnes ab illo, aliosque in hac controversiâ unquam citatos autores pro libertate conscientię propriè & strictè ita dictæ, contra oppositam coactionem Papisticam, eique subservientem inquisitionem, atque hæreticidium, stare.

§. 2. Objectiones quæ contra hanc nostram determinationem à Pontificiis passim adferri solent, pleræque laborant ignoratione elenchi: quia aut libertatem exercitii, aut libertatem blasphemandi oppugnant, & licitam idololatriæ aut hæresios, aut blasphemiæ coërcitionem probant. Sed hic de tali libertate aut coërcitione non controvertitur: de quâ cap. sequenti. Alii similiter has Libertates maximè distinguendas dum confundunt, aut posteriorem priori substituunt, insigniter extra oleas vagantur. Respondebimus ergo ad aliquas objectiones, quibus hæreticidium probare conantur apud *Bellarminum de Membris Ecclesiæ militantis lib.* 3. *qui est de Laicis cap.* 21.

I. Ob-

I. *Object.* ex *Deuter.* 13. ubi Deus jubet falsos prophetas, qui suadent colere Deos alienos, sine ullâ misericordiâ occidi. Adde Deuter. 18. v. 20. & cap. 17. v. 17. *Et vir qui fecerit per superbiam, ut non obediat sacerdoti*, &c. *vel judici, morietur vir ipse, & auferes malum ex Israel. Resp. Deuter.* 17. Agitur de causis forensibus (vide v. 8 - 12.) earumque judicio forensi peremtorio ac supremo; cui nullus Israelitarum per superbiam resistere (v. 12.) sed se submittere debebat. Pertinet ergo hæc sanctio pœnalis ad peculiarem legem & Politiam Israeliticam: non vero ad quasvis Politias & Magistratus quosvis. Et dato ad omnes pertinere, agit de rebellicidio, non de hæreticidio. De isto, non de illo hic quæritur. Ad *Deuter.* 13. *v* 5. 9. 10. 15. 17. & *cap.* 18. *v.* 20. Respondeo sanctiones esse forenses in Republicâ Israelis observandas: unde argumentum contra libertatem conscientiæ, pro coactione & hæreticidio, duci non potest: est enim lex forensis Mosaica abrogata: uti alibi hoc ostensum est. Et si hæc sanctio pœnalis politias Christianas in specie obligaret, tum idem de omnibus aliis sanctionibus concedendum esset, ut e. gr. de pœnâ emittentis vocem blasphemiæ in æstu contentionis *Levitic.* 24. colligentis ligna in sabbatho *Numer.* 15. *v.* 35. committentis homicidium casuale, & inventi extra urbes refugii *Numer.* 35. *v.* 26. 27. Sed hoc Pontificii non admittent.

II. *Object.* Ex exemplis Heliæ, Josiæ, Jehu & aliorum, qui falsos prophetas occiderunt 1. *Reg.* 18. & 2. *Reg.* 10. & 23. *Resp.* Peculiare & singulare hic intercessit mandatum divinum, quod ordinariam & communem legem non facit: uti colligimus ex *Luc.* 9. *v.* 55. Sicuti mandatum singulare Abrahamo datum *Genes.* 22. & Pinehaso *Numer.* 25. & Simsoni *Judic.* 16. & Eliæ 2. *Reg.* 1. & Elizæo 2 *Reg.* 2. & Petro *Actor.* 5. non facit legem.

„ III. *Object.* ex *Math.* 18. probatur posse ecclesiam eos qui obedire „ nolunt, à se rejicere & habere ut Ethnicos, &c. ac proinde permittere eos „ potestati sæculari, tanquam non amplius ecclesię filios. Habemus dein„ de *Rom.* 13. sæcularem potestatem posse scelestos homines gladio occi„ dere, &c. ex quibus duobus locis apertè colligitur licitum esse hæreti„ cos, qui omnium judicio sunt rebelles ecclesię, & publicę pacis pertur„ batores, ab ecclesiâ abscindi, & à sęculari judice morte mulctari. *Resp.* Ex loco *Math.* 18. tam rectè colligitur hæreticidium per judicem sęcularem, ac ex *Tit.* 3. *v.* 10. aut 1. *Corinth.* 5. *v.* 7. 13. Agitur enim de ecclesiasticâ remotione & evitatione hæretici; non de pœnâ politicâ. Refert *Erasmus in notis ad Tit.* 3. *v.* 10. ex testimonio *Joh. Coleti*, senem quendam theologum in concilio hęreticidium probaturum ex scripturâ, verbo vulgatæ versionis geminato clamasse *de vita de vita*; quod ille accipiebat,

quasi scriptum fuisset, *hæreticum hominem*, &c. *de vitâ*. Locus ad *Roman.* 13. gladium tribuit Magistratui: sed eo feriendum hæreticum istic non dicitur. Aliunde si hoc probari possit, audiemus, Sed dicit, hęreticos esse scelestos, & publicæ pacis perturbatores: quia in ecclesiam rebelles. Quinam autem sint isti hæretici, & an κατ' ἐξοχὴν reformati, probandum non sumendum esset.

IV. *Object.* „ Christus & Apostolus ejus hęreticos iis rebus compara- „verunt, quę sine controversiâ ferro & igni repelluntur. Math. 7. domi- „nus ait, &c. *sunt lupi rapaces*. Actor. 20. *intrabunt post discessum meum* „ *lupi rapaces*. &c. at lupi rapaces optimo jure occiduntur &c. Item Joh. „ 10. *qui non intrat*, &c. *ille est fur & latro*, &c. Fures autem & latro- „nes quomodo occidantur notum est. *Resp.* Addere potuisset lupis pelles detrahi, quę hominum usibus, præsertim hyeme, contra frigus inserviant: adhæc luporum catulos modo natos, in lustris inventos occidi: idem ergo circa hęreticos præstandum, quia lupis comparantur. Benjamin, hoc est, tribus ejus lupo, Juda Leoni, Dan colubro comparatur *Genes.* 49. ergone contra illas tribus inclamandum τὸ *ure*, *seca*? ergone similia illa in uno, in omnibus attributis talia erunt & theologia symbolica semper & ubique erit argumentativa? Addit ibidem *Bellarminus* eodem artificio dialectico; hæresin comparari cancro, 2 *Timoth.* 2. qui ferro exscindi debet, &c. *Resp.* verba & chrestologias hęreticorum comparari melli, lacti, butyro: atqui mel, butyrum, lac, recipiuntur, eduntur, hauriuntur. Ergo hæresi pasci & potari debemus.

V. *Object.* Petrus Ananiam & Saphyram morte, Paulus Elymam cœcitate percussit *Actor.* 5. & 13. & Christus ementes ac vendentes flagello exegit *Joh.* 2. Ergo. *Resp.* Christus & Paulus non occiderunt. Inde ergo hæreticidium minime probatur. Præterquam quod Elymas esset magus: jam vero hæresin & magiam distinguunt Pontificii. Vendentes in templo, & Ananiam cum Saphyrâ hæreticos fuisse, video sumi, non vero probari: hoc saltem certum est eos in moribus peccasse. Denique qualescunque illi fuerint, pœna illa per extraordinariam potestatem inflicta non facit regulam perpetuam, quâ omnes Magistratus teneantur.

VI. *Object.* „ Probatur, ait; secundo sententiis & legibus Imperatorum, „ quas ecclesia semper probavit. *Et paulo post*: Theodosius, Valentinia- „nus, Martianus & alii religiosissimi Imperatores, leges tulerunt in hæreticos. Corn. à Lapide in comment. ad Titum cap. 3. v. 10. stomachose contra Erasmum: *non theologorum inscitia, sed Imperatorum & Regum decreta hæreticos ad rogum condemnant*. *Resp.* 1. Exspectabamus decretum legis divinæ; & ecce humana allegatur; quam in omnibus & semper ipsi
non

non recipiunt; ſed eam, cum ita viſum eſt, mutant tollunt, condemnant: uti compendio hoc diſci poteſt ex collatione Juris Civilis & Canonici. *Reſp.* 2. Leges ex *Codice*, *tit. de hæreticis L. Manichæos L. Arriani* L. quicunque, hæreticos quoſvis catalogis Epiphanii, Auguſtini, Philaſtrii; Theodoreti, Gennadii, Damaſceni, notatos ad rogum non condemnant; nedum ut inſtar Papiſtarum, cum ſeductoribus omnes ſeductos laicos tum viros tum mulieres: quin contra lex *Quicunque* (citante ibid. *Bellarmino*) diſtinguit inter docentes, & auditores eorum; & hos non vivi comburio, ſed *aliquot libris auri* mulctandos ſtatuit. Nec magis allegata lex Juſtiniani, & factum Conſtantini Magni in exilium mittentium, vivicomburium aut hæreticidium probare poterunt.

VII. *Object.* ,, Probatur, inquit, legibus eccleſiæ cap. *ad abolendam*, & ,, cap. *excommunicamus* Extrav. *de hæreticis*, & in Sexto *de hæreticis*. Addit *ibid.* ,, exempla Concil. Conſtantienſis, quod Huſſum & Hieronymum Pragen- ,, ſem condemnavit & tradidit poteſtati ſæculari; & Leonis X. qui condem- ,, navit articulos Lutheri. *Reſp.* ſi ſtudio abſurdè & ſtolidè quis argumentari vellet, non video quomodo artificioſius hoc pręſtaret. Nam *primò*, Ex jure & facto Papali, reformatos velle convincere, tantundem eſt, ac ſi Judæus ex Thalmude, Muhammediſta ex Alcorano ſuo, Chriſtianum convincere vellet. Quantum apud nos valeat Jus Pontificium, & quod ſaltem nobis non ſit principium Chriſtianorum dogmatum, ſupra *lib.* 1. *tract.* 2. oſtenſum eſt. *Deinde* non quæritur hic de facto, ſed de lege; nec de conciliari aut eccleſiaſticâ condemnatione, ſed de vivicomburio, aut quâcunque alia pœnâ capitali per ſæculares Magiſtratus infligendâ. De hâc in terminis probandum erat.

VIII. *Object.* ,, Probatur, inquit, teſtimoniis patrum. Cyprianus de exhortatione martyrii cap. 5. &c. Hieronymus in illud Galat. 5. *modicum* ,, *fermentum*, &c. Auguſtinus lib. 2. retract. c. 5. & epiſt. 48. 50. lib. 1. ,, c. epiſt. Parmen. c. 7. & tract. 11. in Johann. Optatus Milevit. lib. 3. ,, Gregor. lib. 1. epiſt. 72. Bernardus in cantic. ſerm. 66. *Reſp.* 1. Cyprianum tantum inferre, ſi tantæ abominationi ſub V.T. fuerit idololatria, quanto magis ſub N.T. ab eâ abhorrere debeamus. *Reſp.* 2. imperitè Bernardum numerari inter antiquæ eccleſiæ patres; qui floruit a. 1130. *Reſp.* 3. In Hieronymi verbis à Bellarm. exhibitis nihil dicitur de vivicomburio, aut alio capitalis ſupplicii genere: ſed de remotione hæreticorum ab eccleſiâ; & hæreſios coërcitione atque oppreſſione. *Reſp.* 4. Ipſe Bellarminus ibidem fatetur, Auguſtinum ſemper excipere ſupplicium mortis, quamvis illos hoc mereri non neget. Fruſtra ergo ad hanc quæſtionem adducitur: quæritur enim, an hæreſiarchę & ſeductores non tantum, ſed & hęretici

ex-

extremo supplicio affici debeant. *Resp.* 5. *Leo verbis ex epist.* 91. citatis, & *Optatus Milevitanus*, non suadent hæreticorum quorumvis capitale supplicium : nedum ut sententiam illam determinent tanquam de fide (uti *Concil. Trid. sess.* 7. *can.* 14. & *Ledesma in theologia morali tract. de baptismo c.* 8. *Malderus in Thomæ* 22. *pag.* 148.) : sed potius statuta & facta quorundam tolerant, excusant, & eventum probant. Sed eo non suadetur, nedum ut conscientiis Magistratuum ex præscripto Juris divini imponatur necessitas ita agendi. Analogicè huc applicari posset regula illa JCCrum. *Aliquid illicitè aut indebitè fit : quod tamen cum factum est, tenet.* Quin ipse Leo ibidem verbis à Bellarmino cit. ait, *ecclesiasticam lenitatem sacerdotali contentam judicio & cruentas refugientem ultiones, severis Principum Christianorum constitutionibus adjuvatur : dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Gregorius M.*, quem ait *lib.* 1. *epist.* 72. *ad Gennadium* exarchum Africæ laudare, quod magno zelo hęreticos armis persequeretur; non suadet nec conscientiis necessitatem imponit quosvis hæreticos occidendi. Si seditiosi & tumultuantes, aut belli tubæ, aut conjurati, aut vim intentantes, & minantes, aut vim inferentes sint hæretici, nemo dissuadebit, quin armis coërcendi sint: uti factum in Germania contra Monetarium, Johannem Buchols Leidensem, cum commilitonibus ; in Angliâ sub Reginâ Elizabethâ contra armatos & seditiosos quosdam Papistas ; in Hiberniâ sub Elizabethâ & Carolo I. c. eosdem ; in Valle Telinâ, anno 1620. & seqq. contra eosdem ; in Galliâ sub Henrico IV. contra eosdem; in Belgio, contra armatos Anabaptistas a. 1536. Amstelodami curiam occupantes. Stante bello Belgico Papistę aliqui ob specimina proditionum Mechlinię, Groningę, Sylvæ-ducis, &c. à suis edita, aut exarmati, aut exstructis castellis coërciti, aut extra urbes limitaneas periculosis temporibus tantisper dimissi, aut validis militum præsidiis custoditi fuerunt. Unde tamen inferri nequit eos ob sensum religionis suæ persecutionem, inquisitionem, coactionem in conscientiâ suâ passos. Ut verbo dicam, velim ex consensu patrum & conciliorum probent duos istos articulos fidei : 1. *ob* purum sensum religionis talis, qualis est reformata, omniumq; dogmatum inter nos & Pontificios controversorum; aut unius saltem atque alterius, ex illis dogmatibus, quosvis laicos, viros mulieres, juvenes senes vivicomburio, aut vivorum in terram defossione, aut alio quovis diro atque infami supplicio tollendos. 2. *ob* simplicem & purum sensum hæresios, contra quemcunque fidei articulum scripturis determinatum, quosvis laicos vivicomburio, aut in terram defossione, aut alio quo capitali supplicio tollendos. Nos utrumque Negamus : affirment illi in terminis, & primum ex scripturâ, deinde ex consensu antiquorum patrum & con-

conciliorum probationem capessant. Sed non tentabunt, sat scio. Quamvis enim Jus Canonicum cum Casuistis in voce *hæreticus*, & Scholasticis; & hodiernis scriptoribus elencticis c. reformatos, supra citatis utrumque assertum affirment: subdolè tamen primâ facie declinare conatur *Becanus lib. 5. Manualis cap. 15.* ubi fingit Calvinistas hoc affirmare, suos vero distinguere. Quasi vero ipse post caliginem distinctionis & legodædaliæ offusam, haut obscurè eodem & ad suos non redeat.

Ultima object. Bellarmini est ex ratione naturali. „*Primo*, inquit, hę„retici excommunicari jure possunt; &c. ergo & occidi, &c *Secundo*, „experientia docet non esse aliud remedium. Nam ecclesia paulatim pro„gressa est, & omnia remedia experta. Primo solum excommunicabat: „deinde & addidit mulctam pecuniariam, tum exilium: ultimo coacta „est ad mortem venire: &c. *Tertio* falsarii omnium judicio merentur „mortem: at hæretici falsarii sunt verbi Dei. *Quarto* ex ratione *Augusti*„*ni epist.* 50. gravius est non servare fidem hominem Deo, quam fæmi„nam viro: sed hoc morte punitur: cur non illud? *Quinto* tres causæ „sunt propter quas ratio docet homines occidendos, &c. Prima est, ne „mali bonis noceant, &c. Secunda ut paucorum supplicio multi corrigan„tur, &c. Tertia est, quia ipsis hominibus, sæpe utile est occidi, &c. *Resp.* Consequentia non valet à censura ecclesiastica ad pœnam politicam, & vice versâ. Multa sunt peccata in foro poli & externo ecclesiastico, quę censuris ab ecclesiâ notantur; nullis tamen pœnis in politiâ vindicantur: uti notissimum est. Supra *lib.* 2. *tract.* 2. *sect.* 4. *pag.* 775. produximus verba Thomę 22. qu. 77. art. 1. „Lex humana non potuit prohibere „quidquid est contra virtutem, sed ei sufficit, ut prohibeat ea, quæ de„struunt hominem convictum, alia vero habeat *quasi licita: non quia ea* „*approbet; sed quia non puniat.* Ab alterâ parte multa delicta morte aut alio quo gravi & infami supplicio puniuntur in politiâ, ob quæ ecclesia non excommunicaret. Percurre modo leges militares. Ne dicam in Papatu per bullam de cœnâ Domini (quam *Zwarez de legibus*, *Toletus in instructione sacerdotum explicant*) & per Casuistarum ac Canonistarum determinationes tam multos excommunicationi subjici; quos in politiâ morte puniri nollent. Gabr. Biel in expos. can. missæ lect. 26. fol. 51. *Nostris autem temporibus gladius ille* (excommunicationis scil.) *dilatatus est usque ad profanas laicorum causas ac seculari foro agendas: in tantum ut nonnunquam pro debito quinque solidorum quis excommunicatione feriatur.*

Ad majorem hujus controversiæ illustrationem subjicimus hæc pro- §. 3.
blemata.

I. *Probl. An Magistratus conscientiæ coactionem committat, qui subditos*

vel

vel infideles, vel errantes, vel hæreticos legibus & mulctis pecuniariis cogit ad lectionis scripturæ, aut concionis, aut collationis seu disputationis de religionis controversiis, auditum. *Resp.* *Neg.* neque enim cogit eos ad religionis, à quâ conscientia ipsorum abhorret, receptionem, professionem exercitium: sed liberum de auditis judicium cuique relinquit. Et hâc ratione cum explicant & defendant Pontificii factum suum, quò Judæi Romæ & alibi in Papatu ad conciones Judaismi elencticas audiendi compelluntur: cogitent Recusantium (uti appellabant) sub regno Elizabethæ compulsionem & mulctas pariter, immo multò magis à tyrannicâ conscientiarum coactione liberari posse: prout ea exserte explicatur in celebri illo edicto anni 1591. Nam quod personatus *Andreas Philopatri* in libro quem edicto illi opposuit, exempla quædam objicit suorum capite in Angliâ plexorum, planè ἀπροσδιόνυσον est. Clericos quosdam transfugas, proditores, hostium emissarios, Papæ & Hispani alumnos, iisdemque auctoratos cum ex regno illo arcerent & quidem ex necessitate (ut tunc erat status regni illius, cujus legitimum Principem Pius V. 1569. excommunicârat, & quod Hispaniarum Rex non sine consilio & auxilio Papæ a. 1588. invadere tentârat); eosdemque contra edictum ex hostico irrepentes & regnum illud perreptantes, cum pœnâ legibus sancitâ coërcerent: utique nemo sanus dicet fideles regni illius subditos, aut advenas negotiorum causâ illic commorantes, in conscientiâ ad religionis reformatæ publicè tunc ibidem obtinentis receptionem, sensum, professionem, exercitium, & unà ad suæ Papisticæ ejurationem sub vivicomburii, aut alterius capitalis supplicii, atque una confiscationis bonorum pœnâ coactos fuisse. Cedo unicum ex tot millibus Papistarum exemplum. In Germaniæ & Belgii partibus, ubi reformata religio prævalet, fatemur talem coactionem ad conciones audiendas hodie locum non habere: nec etiam velimus dicere, istic & alibi eam necessario adhibendam (cum ubique non idem sit Reipublicæ & subditorum status nec eadem necessitas ubique urgeat): sed hoc saltem volumus, non esse talem coactionem ad veritatem in templis reformatis audiendam, intrinsecè malam, & in foro poli absolutè illicitam. Et sic communiter ad objectum regni Anglicani, à Theologis nostris respondetur. A quibus non discessit Remonstrantium præceptor *Jac. Arminius*; qui loco supra cit. ait, defendi posse, talem coactionem posse cum caritate consistere. *Georgius Abotus* theologus Oxoniensis, postea archiepiscopus Cantuariensis *in sex prælect.* anno 1597. *habitis*, *lect.* 4. §. 5.-10. hanc coactionem contra 9. rationes cujusdam *Howletti* defendit.

II. *An libertatem conscientiæ tollant, & coactionem, tyrannidem, atque inquisitionem Romano-Hispanicæ similem introducant, aut exerceant Magistratus*

ſtratus illi, qui cuivis falſæ religioni, aut hæreſi; aut idololatriæ, aut dæmonolatriæ Gentilium, publicè exercitii libertatem tantam non concedunt, quantam quique in conſcientiâ ſuâ ſibi ad Deum colendum, neceſſariam & conſequenter concedendam credunt? Reſp. Neg. Uti patebit cap. ſequ.

III. *Probl. An ſit Papalis conſcientiarum coactio, ſi Magiſtratus quis in numerum civium ſuorum non recipiat hæreticos foris advenientes: aut hactenus Jure civico gaudentes, eo privet, atque ex civitate ſuâ dimittat? Reſp. Neg.* In confeſſo eſt Magiſtratui competere poteſtatem admittendi aut non admittendi ad jus civitatis: etiam poteſtatem, ob juſtas rationes & bono publico, inde dimittendi. Quando ergo hæreticos, aut hæretico idololatras de novo non admittit; aut ex civitate ſuâ cives aliquot ob juſtas & prægnantes rationes dimittit: nullius conſcientiæ vim infert, nec ob falſæ religionis ſuę ſenſum in conſcientiâ errante, aut à verâ religione publicè illic obtinente diſſenſum, vivicomburio, aut alio quo infami ſupplicio tollit: uti ex dictamine & mandato hierarchiæ aut inquiſitionis Papalis hoc facit Magiſtratus, qui omnem conſcientiam ſuam Papatui mancipat. Ita conſcientiæ coactionem removemus à civitatibus quibuſdam Belgii fœderati, qui natos illic cives non ejiciunt; ſed peregrinos reformatę religioni adverſantes non admittunt. Etiam à Republica Tigurinâ, quæ ob rationes illic urgentes, non tantum non admittunt peregrinos, ſed etiam dimittunt veræ religioni iſtic publicè receptæ adverſantes.

IV. *Probl. An ſit coactio conſcientiæ, ſi quis Magiſtratus conventicula & exercitia Remonſtrantium, edicto Illuſtr. DD. Ordd. fœderati Belgii, anno 1619. prohibita, non permittat. Reſp. Neg.* Alia enim eſt libertas conſcientiæ & libertas exercitii: uti ſequenti capite oſtenditur. Fruſtra ergo *Remonſtranticus quis anonymus libello* nuperrimè edito inclytum Senatum Leidenſem violatæ libertatis conſcientiæ accuſare voluit; eo quod exercitia & conventicula factionis Remonſtranticæ illic anno 1664. non admiſerit; quæ jam ab anno 1619. per tolerantiam aut ſaltem conniventiam admiſſa non fuerant. Et cur non eodem jure inclytæ urbi Dordracenæ, immo & plurimis per reliquas Belgii Provincias civitatibus, tyrannica inquiſitio Romano-Hiſpanica, & conſcientiarum coactio, imputetur? Scimus quidem prætextu promiſcuæ libertatis non tantum peti, promoveri, celebrari multis in locis privato-publica conventicula, ſed & apud ſupremas hujus Provincię Poteſtates, contendi, ut in eum ſtatum revocetur eccleſia, in quo erat anno 1612. hoc eſt, ut Remonſtrantiſmus, qualis tunc hic publicè obtinebat, reſtituatur; excluſâ ſolâ religionis reformatæ primigeniâ formulâ, & genuinâ profeſſione: quomodo illa ab anno 1612. uſque ad 1618. ab hâc urbe Ultrajectinâ excludebatur. Quis non dico pius, ſed & civiliter modo honeſtus

nestus atque ἀνὴρ ἔνορκος (uti Gentiles loqui amabant) talibus postulatis applaudat? qui nôrit anno 1619. solenni fœderati Belgii decreto, & anno 1627. epistolâ decretali (ita loquar) Illustr. DD. Ordd. Hollandiæ, & rursum anno 1657. decreto fœderati Belgii super preliminaribus ad *tractatum pacis Monasteriensis*, denique anno 1651. in *solenni unionis Belgicæ renovatione Hagæ comitis*, religionem reformatam, uti ea repetita, resumta, & explicata fuit in *Synodo Dordracenâ* anno 1619. esse stabilitam, omnibus politiæ viribus defendendam. Adeo ut nulla civitas, nullus particularis in Belgio fœderato Magistratus, sine fœderis & constitutæ fœderatorum Reipubl. violatione, assertam & stabilitam religionem mutare possit.

V. *Probl. An sit coactio conscientiæ, si Magistratus quis, falsæ, hæreticæ, idololatricæ religioni addictos, ad munera & dignitates publicas non admittat? Resp. Neg.* Dignitates & munera sunt vel hæreditaria & in familiis successiva; vel sunt liberæ electionis. De prioribus variè pro ratione circumstantiarum distingui posset. De posterioribus absolutè suaderem, ut ea non conferantur, nisi veræ religionis sectatoribus: siquidem potestas & potentia adsit; & ulli inter eos reperiantur ad ea idonei. *Omnibus benefaciendum* docet Apostolus, *sed maximè domesticis fidei*. Gal.6. v.10. Quâ occasione castiganda ἀντιστρησία *antagonistæ* nostri Corn. Jansenii tunc Professoris Lovaniensis, paulo post Episcopi Iprensis *in suâ Spongiâ loco supra cit.* ubi nostros ajebat majori securitate frui in Belgio Hispanico, quam in Galliâ: cum tamen istic de consilio Cardinalis *Richelieu*, non tantum post devictam Rupellam, libertate exercitii cum appendicibus fruerentur; sed ex iis aliqui ad munera Mareschallorum, & præfectorum militarium eveherentur, ut Vicecomes Turennius, la Force, Gassionius, &c. An tale quid auditum in Belgio? Non erat ergo coactio conscientiæ, quod Constantinus proposito atque exhibito suo favore, ab infidelitate homines ad fidem, alliceret. Quia omnibus quidem *benefacere tenebatur*, *sed maximè domesticis fidei*, Galat.6. Constantinus in muneribus conferendis, nominatim præfecturis Provinciarum ob rationes peculiares, cum præferret Christianos, exserte tamen edicto suo (apud *Eusebium lib.* 2. *de vitâ Constantini cap.* 47.) contestabatur, neminem vi ad fidem Christianam adigendum, sed sponte accedentes suscipiendos. Indico hâc occasione à tali coactione etiam alienissimum fuisse Valentinianum, quippe qui insuper exercitii libertatem concessit: uti constat ex L.9. Cod. Th. de *malef. & mathem. Testes*, inquit, *sunt leges à me in exordio imperii mei datæ; quibus unicuique quod ante imbibisset; colendi libera facultas tributa est.* Eundem hoc nomine laudat Ammianus Marcell. lib. 30. „ Hoc moderamine principatus inclaruit, quod inter religionum diver- „ sitates medius stetit, nec quenquam inquietavit, neque ut hoc coleretur impe-

„ imperavit, aut illud: nec interdictis minacibus subjectorum cervicem, „ ad id quod ipse coluit inclinabat, sed intemeratas reliquit partes ut reperit. Ejusdem mentis fuit Imperator Jovianus, quem Socrates lib. 3. hist. eccles. c. 21. laudat, *quod cuique pro arbitrio religionem profiteri* (vel exercere gr. θρησκεύειν) permiserit.

VI. *Probl. An quodlibet impedimentum propugnationi & sparsioni Ethnicismi, Muhammedismi, Judaismi, hæresium, idololatriæ, blasphemiarum, calumniarum à Magistratu positum, arguat conscientiæ coactionem: si scil. coerciti aut impediti protestentur, & in conscientiâ sentire se dicant, se isto modo, & non aliter Deum suum necessariò colere debere & religionem suam exercere? Resp.* Remonstrantes, postquam causa ipsorum judicata fuit in Synodo Dordrac. variis in libellis vernaculis, & in *Vindiciis* seu *Vedelio Rhapsodo lib. 2. c. 9.* Et in *genuino Remonstrantico theologo* per totum, hoc si non directè saltem per consequentiam asserere videntur: dum imprimis pugnant pro Socinianorum libertate; qualem in Poloniâ iisdem concedi putabant. Sed quęrimus, *An* omnibus promiscuè libertas talis & tanta secundum cujusque sensum & conscientiam postulata, concedi debeat, e.gr. Marcionitis Gnosticis, Valentinianis, Manicheis, Priscillianistis, Saducæis, Arabicis, Circumcellionibus, David-Joristis, Weigelianis, hodiernis fanaticis & enthusiastis (dictis tremulis, Anglicè **Quakers**), Francisco-Davidicis, Servetianis, sectatoribus Ukkonis Walles, Henric-Nicolaitis seu Neo-Platonicis communionem uxorum & quarumvis fœminarum mussitantibus; Benjanis, aliisque Indis, ut & Sinensibus, diabolum consulentibus, religione sacrificiorum & precum eundem colentibus; denique Furum & raptorum manipulis doctrinam de communione bonorum suæ pragmaticę prætendententibus? Silentione an ἀπαγωγῇ, *An* potius sparsione cavillationum ac calumniarum, tanquam sæpię atramento, ictum declinabunt? *An* vero excepturi (exemplo cujusdam ex sociis, quem simili quæstione urgebam) se monstrosissimos & maxime abominandos hęreticos illos ignorare, qui & quales sint. Regeram ego, pone tales esse, quales ab *Irenæo*, *Epiphanio*, *Augustino*, aliisque sive antiquis sive recentioribus describuntur, & ne longè abeam, disce modo ex lectione unius libelli Londini a. 1660. à *Thomâ Underhill* editi, phanathismos & furores tremulorum; an illis libertatem, qualem sibi deberi contendunt, & vel cum periculo capitis ac fortunarum subinde usurpant, deberi dices, ne scil. vis ipsorum conscientiæ inferatur. Non arbitror. Dices forte, de istorum phanaticorum libertate non ita laborari, ac de Socinianorum, qui tanquam optimi Christiani *in Genuino theologo Remonstrantico pag.* 85. laudantur. Sed opponerent dicti *Tremuli*, aut *Henric-Nicolaitæ*, aut *David-Joristæ*, &c. à Remonstrantibus in con-

scientiâ suâ errante, de suâ doctrina ita judicari: sibi autem in conscientiâ suâ θεοπνεύστῳ & deificatâ aliter videri. Suggererent vobis verba vestra ex *Vedelio Rhapsodo cap. 4. pag.* 33. parodicè applicata: „ Quibus Socinus est „ hęreticus, *(Quibus reformatus contra-remonstrans est scismaticus,)* An „ Socinianis ? *(an reformatis tunc dictis contra-remonstrantibus?)* Non; sed tibi tuisque, & orthodoxis omnibus qui Deum unum in tribus personis adorant. „ *(Non, sed tibi tuisque, & heterodoxis omnibus, qui Deum unum „ & trinum non adorant, nec omnimodam Dei gratiam consitentur)*. Esto. At „ Calvinus vicissim non Socino tantum ejusque asseclis, sed Pontificiis, „ Lutheranis, qui Deum etiam unum in tribus personis adorant aliisque „ hæreticus est & hęresiarcha κατ' ἐξοχὴν. *(Socinus & Remonstrantes vi- „ cissim, non Calvino tantum ejusque asseclis, &c. sed Pontificiis, Lutheranis „ aliisve hæretici & scismatici)*. At eos non curat *Vedelius*. Sed nec Vede- „ lium illi. Ita datatim luditur, & convitiando in orbem itur. Sed quid pluribus hoc persequor. Remonstrantes cum res ipsorum alicubi in hâc & vicinâ Provinciâ starent, non veriti sunt Magistratus defendere qui exercitii libertatem non blasphemis & phanaticis hæreticis, sed ipsis reformatis ereptum ibant; quos tamen ipsi salutabant fratres; & quorum doctrina erat publica, publicè ac prior possidebat. Memores sumus *edicti Schielandici & Ultrajectini* & ejectionis trium Corneliorum, fidelium Christi & ecclesiæ Ministrorum *Hillenii* scil. *Geselii*, *Dungani*; ignominiosæ apud Schoonhovianos captivitatis *Paludani* ministri in **Paependrecht**; & horrei ibidem extra portam alieno in territorio, ni fallor, combusti, in quo reformati cives præteritis tantisper concionatoribus antehac, suis, sed tunc viam domini blasphemantibus (*Actor.* 19. *v.* 9. cum *Rom.* 16. *v.* 17. 18.) ad sacra convenerant. Sed longa hæc injuria, longæ ambages: quas si ingrederer facilius initium quam finem inventurus essem. *Cur* tunc coactionem conscientiæ, tyrannidem, inquisitionem Romano-Hispanicam, libertati è diametro oppositam, non intonabant? *Cur* etiam post factionis suæ dejectionem, cum maxime peterent libertatem conscientiæ (a. 1628.) non cessârunt coactionem Ultrajectinam & Hollandicam in reformatos receptæ ac stabilitæ doctrinæ & reformationi inhærentes exercitam, defendere? Vide *Remonstrantium refutationem Remonstrantiæ deputatorum utriusque Synodi Hollandicæ, Illustr. Ordd. a.* 1628. exhibitæ; Eorundem *tract. de libertate conscientiæ anno* 1630. *cap.* 11. & *Vedelii Rhapsodi a.* 1633. *lib.* 2. *cap.* 9. *pag.* 166. Quod si putent nostros illos reformatos, tanquam scismaticos jure merito fuisse coërcitos absque ullâ tyrannide in conscientias: contra quærerem an scisma minus malum sit, quam hæresis Antitrinitaria cum appendentibus blasphemiis conjuncta, aut quam phanatismi

&

& furores Henric - Nicolaitarum seu familiæ caritatis, aut David - Jorismi, aut Quakerismi? Et *an* reformatis coram Deo protestantibus, se per conscientiam non posse ab ejusmodi exercitiis & conventibus abstinere, siquidem Deum ex præscripto verbi, & suæ confessionis (vide *Confess. Belgicam art.* 28. 30.) colere velint; minus fidei adhibendum, & minus libertatis concedendum, quam blasphemis Antitrinitariis? Vide quomodo Remonstrantes in Vedelio Rhapsodo *lib.* 1. *cap.* 5. *p.* 33. distinguant hæresin à sectâ? *Quid inquiunt, hæresis ad sectam facit? Secta etiam sine hæresi esse potest, uti tempore apostolorum, cum inter Corinthios schismata, id est, sectæ erant, & alius se Pauli, alius Apollo, &c. & Donatistarum tempore, qui hæretici non erant, & tamen scismatici audiebant.* Non est prætereundum *Adolphi Venatoris concionatoris Alckmariani Remonstrantium* socii librum vernaculum tit. *Theologiæ veræ & meræ*, &c. seu *libri Fundamenti a.* 1617. à collegio DD. deputatorum Ill. & pot. Ordinum Hollandiæ (quorum Alpha erat Joh. ab Olden - Barnevelt Advocatus, cuique tunc intererat nomine urbis Roterodamensis Hugo Grotius ejusdem Syndicus) Remonstranticæ causæ si non omnium, saltem longè potiorem partem addictorum; condemnatum esse, & autorem in Gravesandam deportatum. Quid illi libertatem tum conscientiæ tum prophetandi prætendenti, tunc respondere potuerunt Remonstrantes & quid etiamnum hodie respondere possent, convenienter suis hypothesibus, in *prolegomenis apologiæ & cap.* 24., in *Vedelio Rhapsodo*, aliisque tract. supra cit. Ab eodem collegio Deputatorum Ill. Ordd. Hollandiæ quidam **Nachtegael** civis Alckmarianus, antehac ecclesiæ Remonstranto - Venatoriæ ibidem diaconus, ob eructatam Hagæ - Comitis blasphemiam de tribus impostoribus, ex totâ Hollandiâ exulare jussus, in pago **Oosterhout** territorii Bredani sedem suam posuit. *An* postea ab exilio revocatus, *an* vero ibi obierit, pro certo affirmare nequeo; quod concionator ejusdem pagi ex intimis meis amicis Anton. Plancius, qui subinde istic cum homine colloquebatur, annis aliquot post Amstelodamum inde vocatus fuerit. Quid si blasphemus iste Libertinus libertatem conscientiæ & oppositam inquisitionem conscientiarum, tyrannidem, hæreticidium more & modo Remonstrantico judicibus suis occinuisset, an ei quid reponere potuissent Remonstrantes?

VII. *Probl. An ex supplicio Serveti apud Genevenses, aut Valentini Gentilis apud Bernenses, aut ex libro Calvini c. Servetum anno* 1554. *edito, aut ex libro Bezæ de pœnis hæreticorum, aut ex Aretio in historiâ de supplicio Valentini Gentilis, concludi possit Reformatorum & Papistarum sententiam de hæreticidio esse eandem. Resp.* Ita queruli, hæretici & Libertini, quibus *Beza* librum suum opponebat. In Belgio nostro abjectæ Pontificis tyrannidi, Papisticæ

sticæ conscientiarum coactioni, Inquisitioni Hispanicæ, aut Genevensi symbolizanti cum Hispanicâ (si non eadem pejori), reformatos favere & studere, tum concionatores, pro orthodoxiâ certantes tum Magistratus auscultantes iisdem, passim clamari audias ab Epicureis, Libertinis, Phanaticis, Enthusiastis, blasphemis fidei de Deo uno & trino, de Christo θεανθρώπῳ Servatore, adversariis. Sic *Theodorus Cornhertus*, linguâ vernaculâ in libello tit. *processus de hæreticidio* contra Calvinum & Bezam. Idem in *Apologiâ lat. contra Lipsium*, quâ dialogum suum antea editum defendit. *Anonymus Libertinus in libello vernaculo* contra Senatus Groningani decretum 7. Septembr. a. 1601. Anonymum secutus fuit & Anonymi Libertini libellum fulcivit a. 1602. *Gasparus Coolhaes libello cui tit. Appendix* seu Annexum ad libellum super severo edicto Groningano 7. Septembr. 1601. Quos secuti sunt Remonstrantes, qui in variis libris & libellis vernaculis post decisionem *Synodi Dordracenæ* 1619. præsertim post prohibita ipsorum conventicula editis, & secutis scriptis latinis ab a. 1629. & deinceps, magis minusvè apertè aut tectè perstantes in susceptâ reformatione nec ad Remonstrantismos aliave heterodoxa declinantes, in eandem hæreticidii & conscientiarum tyrannidis caulam cum Papa & Papistis compingunt. Sunt autem libri illi. *Nullitates synodi*, *Remonstrantium libera religio*, *Achabi jejunium*, *Remonstrantium frequentatio templi*, *Synodus cœlestis*, *Liberum examen edictorum*, *Spongia Erasmi*, *Horologium excitatorium ad Batavos*, &c. Hic notandum *Achabi jejunium* adscribi *Eduardo Poppio* in libello quodam Remonstrantico *in 4. tit. Specimen centum crassorum mendaciorum* a. 1627. *pag. 52. num.* 29. Et in Achabi jejunio pag. 47. Remonstrantibus attribui & probari *Nullitates Synodi Dordracenæ*, & *liberum examen edictorum*, & *alios tractatus*; & pag. 76. *Rationes cur cum Contraremonstrantibus spiritualis communio colenda non sit: Frequentationem templi: Nullitates Synodi Dordracenæ*, *Antidotum* (contra edicta Ordd. General. & Provincialium): *Meditationes super oratione dominicâ: Strenæ: admonitio contra juramentum Gallicum: Acta & scripta Remonstrantium Anti-synodalia*; quæ latinè scripta. Hæc scripta Remonstrantica ibidem laudantur tanquam *salutaria & sana*. Responsio ad remonstrantiam à Deputatis utriusque Synodi Hollandicæ Ill. Ordin. a. 1618. exhibitam. *Joh. Wttenbogardi tract. de libertate conscientiæ; Anonymi tract. cui tit. defensio libertatis conscientiæ contra Henricum Arnoldum van der Linden concionatorem Delfensem a.* 1630. *Genuinus Remonstranticus Theologus a.* 1638. *pag.* 14. 15. Libri latini sunt. *Apologia* in præfat. 3. & cap. 24. *Responsum* ad Excerpta Professor. Leidens. a. 1631. pag. 7. 8. 25. *Vedelius Rhapsodus* a. 1633. lib. 2. cap. 4. & 9. præsertim pag. 165. Hunc autem calumniatorium colossum suum de eccle-

siarum reformatarum (h. e. *Calvinisticarum*, quas ita appellare se dicunt, in *Responso ad excerpta profess. Leidens. pag. 25.*), *de hæreticidio innoxiè errantium (Ibid. p. 25.)*, de *novo Papatu, de tyrannide, & inquisitione Romano-Hispanicâ, de crudeli mactatione innocentium & proborum hominum, de conscientiarum coactione*, &c. inædificant isti uni hypothesi: Quod Magistratus in conscientiâ jure divino & naturali obligetur hæreticis quibusvis (etiamne Serveto, Francisco Davidis, Henrico-Nicolai, Davidi Georgio, Enthusiastis dictis Tremulis seu *Quakeris*, Manicheis, Gnosticis, &c.?) libertatem exercitii & conventuum concedere seu tantam omnino libertatem *quantam ipsi cupiunt sibi concedi*: uti tum alibi, tum in communi scripto tit. *Genuinus Remonstranticus Theologus* pag. 15. in terminis loquuntur. Veniam dabunt, si huic λίαν μεγάλῃ hypothesi & ἀντιθέσει assentiri non possumus: nec ideo pro suâ intensâ caritate, misericordiâ, lenitate, tolerantiâ, moderatione quarto modo ipsis propriâ (si vera de se testentur), nos invitos & constanter in contrarium protestantes tam odiosis consequentiis de conspiratione, cum tyrannide & inquisitione Romano-Hispanicâ gravare pergant. Si dicant, quidquid protestentur, sequi tamen ista ex nostrâ doctrinâ, quæ statuit tantam libertatem quibusvis hæreticis pro arbitrio cujusque non concedendam: rogamus, ut cogitent, nos minimè talem consequentiam videre; ideoque nobis liberum hâc in parte judicium & liberam conscientiam relinquant; nec propter errorem (dato nos errare) durius quidquam de nostrâ pietate, conscientiâ, genuinæ libertatis Belgicæ amore, misericordiâ erga errantes aut peccantes, denique de temporali atque ęternâ salute nostrâ statuant. Recordentur pronuntiati sui apologetici pro hęreticis in *Vedelio Rhapsodo*: si reformati judicent & dicant hæreticos errare, &c. illi vicissim reformatis hoc tribuent. Si Remonstrantes inclament, nostram doctrinam de prætensâ libertate quibusvis hæreticis, prout ipsis in conscientiâ visum fuerit eam postulare, non concedendâ, esse falsam: Reformati vicissim dicent Remonstrantes in eo errare, & hanc sententiam suam teneri ab omnibus Regibus, Principibus, Magistratibus, Politiis nomen Christianum profitentibus: & quidem prælucentibus quarumcunq; partium Theologis. *Bellarminus lib. 3. de laicis cap. 21.* dicit quosdam ut Calvinum, Bezam, Aretium, eandem secum habere sententiam. Nos contrarium ostendimus: pręterquam enim quod factum Genevensium aut Bernensium non sit lex, nec defensio facti particularis per Calvinum, Bezam, Aretium sit lex aut communis confessio reformatorum (uti *in 3. part. select. disp. tit. de heresi part. 8. respondimus*), & quod antagonistæ Remonstrantium ubique sententiam de coactione conscientiæ hęreticorum sub pœnâ capitali à se removeant, ut Theologi Leidenses in *Censurâ confess. Remonstrant. cap. 34.* iidemque *in Synopsi*, &

Amesius in Casibus supra citati, *Casparus Grevinckhovius in tractatu vernaculo de Sectis.* Sed differentias inter trium istorum ex nostris & Papistarum sententiam ostendamus.

I. *Prima* est, quod tres scriptores à *Bellarmino* citati, (quorum duo priores (Calvinus scil. & Beza) à Remonstrantibus pręcipuè nobis objiciuntur, non doceant, infideles aut in ecclesiâ sive Romanâ sive Reformatâ baptizatos, ad fidei & religionis Romanæ Reformatæ receptionem, professionem, exercitium sub pœnâ capitis & confiscationis bonorum, &c. in conscientiâ cogendos esse: Pontificii vero doceant, coactionem ad fidem & religionem Romanam, sub pœnâ, &c. Vide textus Juris Canonici, & Canonistas, Scholasticos, Casuistas supra cit.

II. *Secunda* est, quod non doceant cogendos homines ad ejurationem fidei & religionis reformatæ, aut Romanæ aut cujusvis hęreticæ; sub pœnâ, &c. Pontificii doceant omnes ad ejurationem veræ religionis, hoc est rereformatę in conscientiâ cogendos, sub pœnâ, &c. Vide articulos abjurationis in Episcopatu Burdegalensi refutatos ab *Antonio Zadeele* & una cum operibus ipsius in 4. & in fol. editos.

III. *Tertia* est, quod non doceant nec introducant inquisitionem Romano-Hispanicam; nedum ut ipsi aut alii ecclesiastici officio inquisitionis fungantur, & ipsi personaliter illud exerceant, per carceres, tormenta, torturas, pœnas perpetui carceris, damnationes ad remos, imposita juramenta inquisitoria, &c: Pontificii doceant inquisitionem & praxi suâ exequantur. Descriptionem inquisitionis & processus inquisitorii exhibet *Reynoldus Gonsalvus Montanus peculiari tractatu latino* qui ante annos complures in nostrum idioma translatus, sed sine nomine loci ac typographi, editus fuit in 8. & anno 1621. Hagæ-comitis recusus in 4. Ex quo puto *Joach. Ursinum*, aliosque ex nostris pleraque sua deprompsisse. Ne autem quis excipiat hunc *Gonsalvum Montanum* fuisse reformatum, aut reformationi favisse, indico proprios eorum scriptores; ut *Nicol. Eymerici directorium Inquisitorum*, *cum commentariis Francisci Pegnæ*; *Flores ex illis commentariis Pegnæ autore Aloysio Bariola anno* 1610. *in* 8. *Lucernam inquisitorum autore Bernardo Comensi, cum notis Francisci Pegnæ anno* 1594. *in* 4. An autem disciplina Genevensis, quæ etiam est Ecclesiarum Gallicarum, & Belgicarum, confessione, catechesi, liturgia, & canonibus regiminis anno 1586. & 1619. proposita sit eadem cum inquisitione Hispanicâ; & an sola admonitio aut correptio fraterna, aut minimus censuræ ecclesiasticæ gradus sit tyrannica conscientiarum coactio (uti stupidas ejusmodi calumnias subinde ructari audimus): ipsa experientia stultorum magistra forte aliquando saturos illos docere posset: siquidem Deus justo judicio suo in inqui-

quisitionis Romano-Hispanicæ tyrannidem eos traderet. Inquisitionis modum, quem in Belgium introducebant Carolus V. & Philippus II. descriptum à *Nicol. Burgundo lib.* 2. *Historiæ Belgicæ pag.* 95-105. conferat quæso lector, cum disciplinâ ecclesiasticâ à *Synodo Dordracenâ anno* 1619. statutâ, & ab Illustr. hujus nostræ Provinciæ Ordd. confirmatâ: & videbit hanc cum tyrannicâ inquisitione tam bene convenire ac aquæ cum igni. Quin ipsi Remonstrantes cum hanc Provinciam occupassent anno 1612. nomine Illustr. hujus Provinciæ Ordinum edito ordine suo ecclesiastico non minus disciplinam & censuras usque ad excommunicationem inclusè, sanciebant; ac ordo ecclesiasticus *Synod. Dordrac.* 1619. An dicent, & suos & Ill. hujus Provinciæ Ordines novum Pontificatum, novam hierarchiam Romanam, novam inquisitionem Romano-Hispanicam tyrannicè in conscientias dominantem introduxisse?

IV. *Quarta* est, quod non doceant potestatem & jurisdictionem coactivam episcopalem cum appendicibus fori episcopalis, carcerum, mulctarum, &c. in reformatos, aut in Papistas, aliosque sectarios. Pontificii eam doceant, & reipsâ exerceant. Quale autem sit forum episcopale, quisve in eo procedendi modus, ex Canonistis cognoscendum; quales *Zypæus, in explicatione juris canonici, Joh. Bernardus Diaz episcopus Calaguritanus de praxi criminali canonica, cum commentar. Lopez de Salzedo, Piasecius in praxi episcopali.*

V. *Quinta* est, quod autores nobis objecti, non doceant hæreticos quamvis resipiscentes, ad remos, aut ad carceres sive perpetuos sive ad tempus, aut ad infamem vestem publicè gestandam, aut ad vilia ministeria, aut ad crudeles flagellationes, aut etiam ad capitis supplicia, sed minus infamia, damnandos esse: Pontificii vero hęc doceant, & pro re natâ, ipsâ praxi, exequantur. Ne per *Gonsalvum Montanum, Alphonsum à Castro, Royas, Eymerici directorium, Bernardi Comensis lucernam inquisitorum*, aliosque scriptores de hæreticis & de inquisitione, saturos & stupidos Libertino-calumniatores nostrates circumducam: ostendo ipsis leges inquisitionis Belgio nostro impositæ, uti eas Carolus V. anno 1550. *in unum omnes corpus contraxit, & hanc tabulam (teste Burgundo in histor. Belgic. lib.* 2. *pag.* 101.) *populo proposuit.* Ubi primi articuli in reformatorum aliorumque Apapistarum capita scripti sic se habent: „Extra Theologos ab universitate admis-„sos, de scripturarum sensu sermonem, controversiamque nemo misceto. „Proferendi, differendi, concionandi illicita jus non esto. Qui secus faxit „perduellis esto, ex die criminis intestabilis esto, alienandi facultatem ne „habeto.

„ Pœnarum gradus sunto. *pœnitentiâ ducti*, si viri, gladio plectuntor. fæ-

„ minæ in terram vivæ defodiuntor. *contumaces* igne cremantor. bona uni-
„ verſorum in fiſcum rediguntor.

„ Domum ſciens ne aperito ſectariis. victum, & amictum ne adminiſtra-
„ tio. ad Inquiſitores vel magiſtratus deferto. quod ſi quis earum rerum præ-
„ ſcriptum exceſſerit, noxia par cæteris eſto.

„ Qui imprudens hæreſim contraxerit, & innocenter habitam legi-
„ timè maledixerit, ſi de religione ſermonem ſparſerit, relapſus ha-
„ betur.

„ Qui ſuſpicionibus diffamatus hæreſi maledixerit, aut ex ea cauſa pœnas
„ dederit; amplexus illicita, etſi in edicta non peccaverit, relapſus habetor.
„ Relapſi ultimo ſupplicio, cum publicatione bonorum puniuntor. Suſpe-
„ cti vel ad pœnitentiam admiſſi, ad magiſtratus, dignitates, officia ne aſſu-
„ muntor.

VI. *Sexta* eſt: Quod iidem autores non ſtatuant hæreſim eſſe quamvis articuli aut theſios aut hypotheſios ab eccleſiâ Romano-Papali, hoc eſt, à Papâ aut Concilio cui Papa præſideat, ita explicatæ, non receptionem. Et conſequenter ſic ſentientem, ſi non reſipiſcat, & abjuret, tanquam hæreticum pœnis omnibus hæreticorum, & ſupplicio vel vivicomburii, vel defoſſionis in terram, vel ſuſpendii, vel decollationis (pro more ſcil. cujuſque gentis aut Regni) ſubjiciendum: ſin reſipiſcat ab illâ hæreſi, eamque revocet & abjuret; ad carcerem (ſive perpetuum ſive ad tempus) aut ad remos, aut ad ignominioſæ veſtis (Hiſpanicè *Sanbenito*) geſtationem, aut ad vilia miniſteria (platearum ſcil. aut cloacarum purgationem), aut ad bonorum confiſcationem, aut ad ingentes mulctas pecuniarias, eſſe condemnandum. Nihil tale autores citati ſtatuunt de diſſentientibus in quovis articulo aut theſi ab eccleſiâ Genevenſi aut Bernenſi, aut ab eccleſiis Helveticis, aut Gallicis, aut ab omnibus reformatorum confeſſionibus ac catecheſibus, determinatâ; quales ſunt, de officio Magiſtratus ſub N. T., de juramento, de pædobaptiſmo, de præſentiâ & manducatione corporali Chriſti in cœnâ, &c. Contra Pontificii ſtatuunt in quacunque theſi aut hypotheſi, per Conciliorum decreta, aut per Paparum decretales, bullas, motus proprios, brevia, conſtitutiones, determinatâ diſſentientes, tanquam hæreticos condemnandos, & mulctis, ac pœnis modo indicatis quoſque (non reſipiſcentes, reſipiſcentes, relapſos) ſibi competentibus ſubjiciendos. Ut compendium facias, numera modo theſes & hypotheſes, quibus *Concil. Trid.* nigrum *anathema* adjicit, & ſingulis voculis *anathema*, decantatam illam ſuffragandi formulam, Heſſelii in *Belgico conſilio turbarum* ita dicto, (quod Belgæ à tyrannide Romano-Hiſpanicâ abhorrentes, *conſilium ſanguinis* appellabant) Senatoris, adſcribe, ad *patibulum*, ad *patibulum*; aut ſi malis, patibuli, aut pali, aut gladii,
aut

aut flammę figuram, loco asterisci, aut obeli appinge. Hæresios, & hæretici definitionem Romanam, hoc est, secundum ipsos, candidatum crucis, patibuli escam, ignis pabulum, vide in *Alphonso à Castro*, *Royas episcopo* Sergentensi, *Jordano Bruno*, *Eymerico*, *Pegna*, *Bernardo Comensi*, aliisque de hæresi, aut de inquisitione hæresios commentantibus: ubi authentica Jura Canonica, & constitutiones Papales citatas invenies.

VII. *Septima* est, quod objecti autores non determinent, dubium in fide, (Romanâ,) ne quidem in reformatâ, ejusve aliquo dogmate, aut thesi, aut hypothesi, à confessione aut à confessionibus reformatis determinatâ esse hæreticum; & consequenter tanquam hæreticum tractandum. Contra Pontificii de dubitatione circa fidem Romanam, aut articulum ejus, hoc determinent. Vide autores modo cit. & vulgares quosque Canonistas ac Casuistas.

VIII. *Octava* est, quod hæresin simplicem, seu per se, hoc est hæresin quà talem, non qualificatam, 1. per conjunctas blasphemias vivâ voce aut scriptis sine modo sine fine pertinaciter effusas, 2. per sparsionem blasphemiarum hęreticarum, 3. per seductionem subditorum, & consequentem perturbationem ordinis, concordiæ, & pacis tam politicæ, quam ecclesiasticæ, 4. per inobedientiam & rebellionem erga Magistratuum coërcitionem, & minores correctiones e. gr. si aliquò hæresiarchas & blasphemos deportaverint, unde injussi discedant; aut si exulare jussi, injussu Magistratus in civitatem, aut regionem, aut regnum redeant, & priorem suam blasphemandi, seducendi, turbandi pragmatiam strenuè exerceant.

Pontificii contra, simplicem hæresim cujuscumque idiotæ, etiam inalphabetici, etiam simplicissimæ mulierculæ supliciis hęreticorum subjiciunt. Ne dicam de sęvitiâ in lactentes, puerulos, fœtus ex utero materno nondum egressos, exercendâ: de quibus celebris ille nudarum mulierum & puellarum contemplator & flagellator Brugensis Cornel. Adrianus, pro concione usurpare solet Adagium Belgicum:

Eyeren in de pan;
Soo en kompter geen quaet kuyckten van.

Ne quis autem putet me temere hanc differentiam allegasse, audi Bezam tract. cit. in responso ad 4. argum. ubi tyrannidem Papisticam erga pios & orthodoxos seu catholicos reformatos in Galliâ, describit; & comparationem inter eam, ac judicia in unum atque alterum à Magistratibus reformatis exercita, instituit. *Ecquis*, inquit, *ob simplicem errorem comprehensus?* &c. *Quis non dico innocentum, sed nocentissimorum etiam hominum vitæ vel bonis est insidiatus? Ostendant denique vel in ipsâ monstrosissimi & perditissimi illius Serveti causâ quid sit à ministris prætermissum, ut hominem ab errore revoca-*

 rent;

rent: quid à clariss. Senatu Genevensi prateritum, ne quid temere aut parum religiosè fieret. Paulo ante in thesi determinaverat: *Magistratus vero officium est de blasphemo* (N.B.) *ipso & haretico cognoscere, & pro criminis gravitate, violationem divina Majestatis ab improbitate, vel affectatâ ignorantiâ profectam, & disciplina ecclesiastica contemtum vindicare.*

Ibid. quæst. 3. *responso ad* 2 *argum. ex parabola zizaniorum pag.* 235. *edit. in fol.* „ Quum enim, ut jam sæpe testati sumus, & iterum testamur, non „ infideles, *non simpliciter errantes, non quosvis errores, sed manifestam tan-* „ *tum* & ex verbo Dei ritè convictam *impietatem* moderatè in *factiosis ho-* „ *minibus* (N. B.) capitali tamen pœnâ, *quum hoc postularit blasphemia, aut* „ *periculi magnitudo*, puniendam; idque non ab ecclesiasticæ disciplinæ „ Præfectis, sed à civili Magistratu censeamus, nemo non videt nos ab eâ „ tyrannide, cujus nos isti insimulant, quam longissimè abesse. *Ibid. in libri conclusione pag.* 167. „ A quibus tamen hactenus dissentio, ut nonnisi „ extremis malis extrema remedia putem adhibenda, & in his etiam extre- „ mis remediis tantam moderationem servandam, ut charitas & clementia „ Christiano homine digna nunquam violetur. Est enim in istis magna „ habenda ratio, primò quidem personarum: deinde verò errorum: po- „ stremò ipsarum quoque pœnarum: *Ibid. pag.* 168. Hoc unum tamen ad- „ jiciam, Principum officium in religione adversus præfractos & factiosos „ Ecclesiæ perturbatores vindicanda, ad tria capita non ineptè posse revo- „ cari. Primùm enim id observare debent, ut intra potestatis suę fines & „ cancellos sese contineant, ne videlicet audeant de hæresi judicare, quum „ hæ sint non Principum sed Ecclesiæ partes. Deinde ut hæreseωn judicia „ sanctè & incorruptè curent exercenda, non ex ulla hominum authoritate „ quicunque tandem illi sint, aut ullius temporis ac consuetudinis nudo „ prejudicio, sed ex pura & sincera verba Dei administratione: ne videlicet „ sese, per errorem, non veritatis Dei vindices, sed alienæ crudelitatis admi- „ nistros præbeant. Postremò, ut postquam placida ac legitima hæresis co- „ gnitio pręierit, tum demum diligenti omnium circumstantiarum habita, „ sicut diximus, ratione, eam pœnam decernant per quam Majestati Dei „ suus honor afferatur, & Ecclesiæ paci ac tranquillitati commodè ca- „ veatur.

IX. *Nona* est, quod assertionem illam ita limitatam non faciant articulum fidei, nec alicui dissentienti cum *Concil. Trid.* dicant anathema: ne quidem alicui hanc obtrudere, ejusque oppositam sententiam jugulare & cumulatis absurdis consequentibus gravare contendant: sed quod ex necessitate justam Genevensium severitatem in horrendis & pertinacibus Serveti blasphemiis, cum rebellione adversus Magistratum, & cum autorita-

tis publicæ minoris coërcitionis contemtu conjunctis, à summâ impietate, immani tyrannide, & abominandâ pietatis ac piorum persecutione, vindicare intendant: atque unà probos, moderatos, pacificos Theologos Helvetios, & Germanos nonnullos (inter quos *Melanthon*, ejusque discipulus *Hemmingius in syntagm. cap.*1. *in fine*) factum hoc Genevensium probantes, defendere. Contra Pontificii rigidam & crudelem suam opinionem, de hæreticis non tantum verè talibus, sed & Christianis Catholicis seu reformatis infami morte tollendis. *Malderus in* 22. *quæst.* 11. *quæ est de hæresi artic* 3. *membro* 1. „ *Banesius infra art.* 4. putat esse fidei ex Concil. Tole- „ tano 4. id est, quod statuit, baptizatos etiam per vim Judæos cogendos, „ ut fidem servent. Rectius dixerimus, esse *certum secundum fidem*, propter „ *consensum ecclesiæ & omnium Doctorum*, qui illud tanquam dogma fidei „ tradunt: ut non immerito Roffensis tanquam hęreticum existimet à „ Leone X. damnatum articulum 33. Lutheri: *hæreticos comburi est contra* „ *voluntatem spiritus.* Quomodo autem Priscilliani supplicium convenienter huic communi ecclesiæ & Doctorum dogmati, à *Martino Turonensi* improbatum fuerit, & *Martinus* ab hodiernis Doctoribus in ea laudetur aut saltem defendatur; fateor me non videre. Tetigi hoc ulcus *in* 3. *part. select. dispp. tit. de Præfecturis, & Patronatibus sanctorum part.* 3. Cui nunc nihil addo, nisi quod Malderus loco cit. à suis discedens probat supplicium Priscilliani, & judicio *Hieronymi ad Ctesiphontem cap.* 2. producto, ait: *Quod notandum est, ne Maximus tyrannicè putetur occidisse Priscillianum: tyrannus enim fuit, sed non in hoc justo supplicio.* Similia fere habet *Baronius a.* 385. §.6. Quid ergo culpant in *Ithacio*? Et quâ ratione in *Martino Turonensi*, ejusdemque encomiaste *Sulpitio*, condemnationem Ithacii laudant: sic ut una non condemnent fidem & praxin Romanam? Nullus (ait Baronius cum Epitomatore Spondano loco cit.) „ unquam SS. Patrum, laudavit, pœnam ca- „ pitis adversus eosdem hæreticos posse vel debere procurari à personis ec- „ clesiasticis. Unde & in Ecclesiâ Catholicâ usu receptum est, ut cum quis „ expetit à Magistratibus sæcularibus opem adversus impios, ne Ithacianæ „ partis sectator esse videatur, contestationem illam consultè præmittit, sic „ se correctionem expetere incorrigibilium delinquentium, ut tamen citra „ pœnam sanguinis puniantur. Crocodili lachrymæ. Protestatio est, contraria facto. Ecclesia Romana punit hæreticos pœnâ sanguinis: uti *Bellarminus* exsertè hoc pronuntiat verbis *ex lib.* 3. *de laicis cap.* 21. supra exhibitis. Quod ego accipiendum censeo juxta regulam juris: *Quod quis per alium facit, per se facere putandus est.* Quomodo 2 *Sam.* 12. David dicitur occidisse Uriam gladio filiorum Ammon. Deinde Jus Canonicum & Casuistica Papalis determinant hæreticos (qui ab Inquisitoribus aut Curiâ episco-

pali tales judicantur Magiſtratui ſæculari tradendos, & ab eodem, ex præſcripto juris & legis divinæ, capitali ſupplicio tollendos.

X. *Probl. An ſi Magiſtratus exploret doctrinam, regimen, ritus, mores, alicujus religionis aut ſectæ in Republicâ permittendæ: eo ipſo inquiſitionem Romano Hiſpanicam & tyrannidem in conſcientias, aut ſimile quid exerceat? Reſp. Neg.* Non magis quam judices in judiciis civilibus aut criminalibus libertatem conſcientiarum violant & tyrannidem in eas exercent cum ad propoſitam cauſam facientia cognoſcunt; aut cum Magiſtratus explorat, quales ſint conventus, qualia collegia civium, ſive de novo inſtituenda, ſive continuanda per Magiſtratus ſive approbationem ſive permiſſionem, ſive conniventiam: quæ eorundem ſtatuta, qui mores, quæ obſervationes, quæ actiones. Ratio ergo *prima* eſt, Quia antequam decernat Magiſtratus de conventuum & exercitiorum permiſſione ſeu tolerantiâ, conſulto opus eſt; & conſilium ritè iniri nequit, niſi præcognoſcatur τί τι ἐστι, hoc eſt, quę ſit illa religio, & quæ ac qualia exercitia, quorum vel approbatio, vel permiſſio petitur. Hoc autem fieri non poteſt, ſine debitâ informatione. *Johann. 7. v. 51.* An lex noſtra judicat quenquam, &c. Si facinoroſi, ſi fures, ſi receptatores furum, ſi meretrices, ſi lenones è Republicâ non ejiciantur, niſi prius conſtet tales eſſe: quanto magis cætera honeſti & fideles cives (ne dicam de piis Chriſtianis, & piis ac præſtantibus eccleſiarum paſtoribus) prius audiendi ſunt, eorumque exercitia & conventus pernoſcendi: antequam de eorum admiſſione aut prohibitione ſtatuatur. *Secunda ratio* eſt, Quia tam doloſi, tam λόξιοι, tam verſipelles aliquando ſunt hæretici, ut τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης eorum deprehendi & in lucem protrahi nequeant, niſi magna inquiſitionis ἀκριβείᾳ & diligentiâ adhibitâ. Artes & fallacias mentalium reſtrictionum, homonymiæ, amphibolię, aliarumque fraudum, audacium mendaciorum, promptitudinis quævis modo affirmandi, modo negandi, Tyrioſque bilingues imitandi, plurimi ex illis tam ſtrenuè exercuerunt, ut vel doctiſſimi, in ſcripturis & Elencticâ Theologiâ verſatiſſimi non ſufficiant illis invitis detegendis, niſi ex alloquiis & colloquiis eorum, & ex poſtremis eorundem libris aut ſcriptis, & ex indicio aliorum, qui iis familiariter uſi ſunt, aut etiam in eorum ſenſu & cœtu antehac fuerunt, omnes terminos ac phraſes eorum, & quodnam virus ſuum illis occultent, perdidicerint. De talibus technis exſtant Notitiæ atque hiſtoriæ Arrianiſmi, Priſcillianiſmi, Neo-Arrianiſmi & Sociniſmi, David-Georgiſmi, Primi Remonſtrantiſmi uſque ad annum 1619., denique Vorſtianiſmi; ſuper quo tot libri ultro citroque conſcripti ſunt. Adeo, ut non immerito *Lubbertus Theologus Franequeranus antehac ſcripſerit in præfat. dedicatoriâ* ad *Georg. Abotum* Archiepiſcopum Cantuarienſem, rectè facturos fuiſſe Ill. Hollandiæ

landiæ Ordines, si in examine causæ *Conradi Vorstii* viros in ejusmodi controversiis exercitatos, & ad ejus tergiversationes, ambiguas locutiones, & contradictiones judicandas, idoneos adhibuissent. Quod cum cavillis & rhetoricationibus suis exagitasset *Grotius in suâ Pietate Ordinum*, &c. Idem *Lubbertus in suo responso*, & post eum *Sopingius* sufficienter explicuerunt ac defenderunt. Probè meminimus, cum de *Vorstii* causâ & *Lubberti* rescriptione contra *Grotium* ageretur coram Deputatis Ill. Ordd. Hollandiæ, in illo conventu unicum tunc sedisse virum literatum, preter Advocatum *Oldenbarneveldium* virum πολιτικώτατον, sed rerum theologicarum imperitissimum: ut & ipse proavi sui symbolo à se adoptato, hoc confitetur: *Nil scire tutissima fides.* Confer de *exploratione latentis & serpentis hæresios Anti-trinitariæ peculiarem disp. 3. parti select. dispp. insertam.*

Adversus hanc explorationem excipi posset.

I. *Except.* Quod Magistratui solummodo explorare liceat sacra, & conventus sacros, quę in publicis templis, & publicis expensis celebrantur: non vero, privata aut privato publica: in quæ ipsi nihil juris. Ita ut si istud tentaret, vim conscientiis inferret, tyrannidem inquisitionis Romano-Hispanicæ exerceret, &c. sin illud, minimè. *Resp.* Hoc ita dicitur, sed hactenus nec ex jure divino, nec ex jure naturali, nec ex ullo jure humano, ecclesiastico aut civili, Romano sive Orientali sive Occidentali, aut Anglicano, aut Polonico, aut Hungarico, probatum vidi. *Est* ergo insulsa petitio ejus, quod est in quæstione. *Quæro* ex nostris Remonstrantibus, *An* Magistratui Christiano, absque tyrannide in conscientias, in foro poli, explorare & cognoscere possit ea, quæ dicuntur, & geruntur in Synagogis Iudaicis, jurisdictioni suæ subjectis. Idem quæro de conventiculis, exercitiis & doctrinis Gnosticorum, Valentinianorum, Carpocratianorum, Priscillianistarum, Manichæorum, Adamitarum, David-Joristarum, Henric-Nicolaitarum seu familæ caritatis, sectatorum Nicol-Storck, Thomæ Monetarii, Johannis Leidensis & Knipperdollingii, Johannis Mathiæ Harlemensis, Martini Seidelii, Swencfeldii, Weigelii, Sebastiani Francki, Torrentii pictoris Harlemensis, Arii, Serveti, Photini & Socini; adhæc Lilburni, Quakerorum, Quæsitorum, Æquatorum, aliorumque phanaticorum nuper in Angliâ germinantium.

II. *Except.* Inquiri deberet in reformatas Ecclesias earumque doctrinam & antecessores in Belgio. Sic enim alloquuntur Reges, Principes, Magistratus lib. 2. Vedelii Rhapsodi cap. 9. pag. 159. *Istos ipsos anquirite*, (forte legendum, *inquirite*) *an non hæretici sint, & noxias non tantum vestrorum subditorum animabus, sed & capitibus ac coronis vestris hæreses tueantur ac defendant?* Quæro, An in solos reformatos, sive omnes, sive Belgi-

cos (quos πένταθλοι noſtri vocant Contra-Remonſtrantes aut Calviniſtas) inquiſitio & venatio hæreticalis ſit licita? in hæreticos quoſvis alios ſit plane illicita? Reſpondebunt forte, in nullos, qui hæreſes animabus & capitibus ac coronis Principum ac Magiſtratuum noxias non tuentur ac defendunt. Rurſum quæro, an nulli ex hæreticis nominatis noxias ejuſmodi hæreſes defendant? An vero ſoli Reformati ſive Calviniani hoc agant? Si ajant poſterius, vide quomodo hunc improbitatis & mendacii hiatum obſtruxerimus *in* 3. *part. ſel. diſpp. tit. de Sede Romanâ incompatibili*, &c.

Inſtant. Viri aliqui, qui inter prudentiores cenſeri velint, ſubinde monent non tam Papatum metuendum; quam novam hierarchiam, novam inquiſitionem, & novum Papatum, quem reformatum aut conſiſtorialem, aut Genevenſem, aut Puritanicum, aut Scoticum, aut Calviniſticum appellant. *Reſp.* Non mirum viros de hoc ſæculo, quos deſcribit pſaltes *Pſal.* 17. *v.* 14. & Apoſtolus *Philipp.* 3. *v.* 18. 19., gloriæ animalia, avaritiæ mancipia, antipathiâ quadam æſtuare adverſus ἀκρίβειαν veritatis & pietatis, ejuſque ſepimentum, diſciplinam eccleſiaſticam. Quos metuendum eſt, in communionem religionis & eccleſiæ noſtræ ſubinde irrepere, aut ſaltem inter fautores ejus numerari velle, ut illo ſchemate ambitu prevalere, & occaſionem promotionis ſibi ſuiſque captare, conſequenter & in pinguibus muneribus conſtituti, tantò tutius meſſi & vindemiæ ſuæ incumbere, denique religionem ac pietatem unâ cum ſepimento legis diſciplinâ, & cuſtodibus legis ac gregis, premere, flectere, frangere (ſi non exigere aut proculcare), & μορφὴν ac σχῆμα hujus ſæculi in religionem & eccleſiam introducere aut iiſdem admiſcere poſſint. Nec deſunt, qui cum genuinam religionem ac pietatem ſuſque deque, aut quæſtui, aut odio habeant, fautores ſuos erga Papiſticam idolomaniam, hereſes Arrianas aut Socinianas, Neutralitates, Libertiniſmos & Semi-Libertiniſmos, & quoſcunque aut errore aut moribus eccleſie reformate, & fidis ejus antiſtitibus adverſantes, extendunt. Quod ad inſanos illos ſuſurros de novo Pontificatu, de hierarchiâ, de inquiſitione, de tyrannide conſcientiarum, reſponſum non merentur; nec ipſi ψιθυρισταὶ cum ſuis famoſorum libellorum ſatoribus larvâ depoſitâ os illud impudens infami kappa ſtigmatizandum, in judicio oſtentare, ibique eccleſiis aut miniſtris, immo vel uni inter miniſtros hanc dicam ſcribere auderent. Sed quia jam pridem vera rerum vocabula apud tales homines amiſimus, dico nomine *Pontificatus*, *tyrannidis conſcientiarum*, *inquiſitionis Hiſpanicæ*, *Hierarchiæ eccleſiaſticæ*, nihil aliud ipſis intelligi quam orthodoxiam, pietatem, diſciplinam eccleſiaſticam, in eccleſiis reformatis præſertim Gallicis, Scoticis, Hungaricis, Polonicis, &c. receptam & in *Synodo Nationali Dordrac. a.* 1619.

repe-

repetitam ac reſumtam ; etiam à Provinciis quibuſdam Belgicis (inter quas hęc noſtra) politicâ autoritate exſertè comprobatam ac munitam; & ab omnibus Provinciis, quod ad rem ipſam ejuſque praxin & executionem anno 1651 in *Panegyri Hagienſi* una cum *Catecheſi quæſt.* 82.-86. & *Liturgiâ Catecheſi* ſubjectâ, & *Confeſſione Belgicâ Artic.* 30. ſolemniter ſtabilitam, tanquam in poſterum omnibus Reipublicę Belgicæ viribus defendendam. Frænum mordeant hypocritæ, unà cum aliis tectis heterodoxis, cum omnibus ſcortatoribus, ebrioſis, aleatoribus, ſacrilegis, peculatoribus, ſaltatoribus, perjuris, fœneratoribus, & ſimilibus; clament in miniſtros, & preſbyteria, comparent ea cum conſiſtorio Pontificis, cum camerâ inquiſitionis, cum coactione & tyrannide conſcientiarum, prætextus quoſvis aſſumant: prudentiores tamen facile videbunt, aut latentem hęreſin, aut ἀταξίαν, improbitatem, & dilecta ipſis peccata, atque indè metum, ne ipſi futuri ſint prima & proxima, aut perpetua eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſi evigilet, ſubjecta; eſſe veram averſionis à miniſtris & pręſbyteriis cauſam: juxta illud hiſtorici: *Semper iis ſuſpecti ſunt boni, & formidoloſa eſt illis aliena virtus.* Tales, etiam diſciplinâ dormiente (uti non raro in eccleſiis dormit), omnia tuta timent.

III. *Except.* Magiſtratuum autoritati præjudicatur, & videntur eccleſiaſtici in ipſorum res involare, & conſcientiis ac poteſtati ipſorum dominari, eoſque in omnibus ſibi ſubjicere velle; cum ad hæreſiωn & ſectarum coërcitionem opportunè importunè illos compellunt; eoſdemque, ſi ex voto promtos & paratos ſe non exhibeant, corripiunt, atque ita in contemtum & odium populi conjicere ſatagunt. *Reſp.* Orthodoxi & pii concionatores veritatis ac pietatis propagationem & hæreſiωn, blaſphemiarum, omniumque corruptelarum in doctrinâ, diſciplinâ, moribus amolitionem, conſequenter eccleſiæ ſuæ ædificationem ac ſecuritatem mediis tum ſpiritualibus à ſe adhibendis, tum politicis à Magiſtratu petendis & conferendis promovere tenentur. Poſteriora media ipſi non capeſſunt, nec Magiſtratibus imperant, ut capeſſant; ſed ſolummodo hæc tria præſtant 1. iis indicant præſentia mala & pericula 2. eoſque in conſcientiâ ex verbo Dei inſtruunt, quid Deus Rex Regum & Dominus Dominantium in hoc caſu ab ipſis fieri velit. 3. ſubmiſſè & debitâ cum reverentiâ petunt, poſtulant, ſupplicant, per Deum obteſtantur, ut hoc agant: additis rationibus & motivis, ex re præſenti, & verbo Dei, deſumtis. Hoc totum eſt. Si Magiſtratus præſtent, quod juſtè & legitimè in domino ab illis petitur, Deo & illis gratias agunt: ſin minus, aut ἐυκαίρως iterant petitiones, aut ad tempus quieſcunt: & ſi omnino decretis & factis contrariis, hæreſes, idololatrias, blaſphemias, abominationes, ἀταξίας potius defendere ac promovere vellent ac pergerent,

 quam

quam coërcere; quin insuper orthodoxiam, disciplinam, pietatem quocunque modo impedire: utique Deo hoc totum committerent & tolerarent, quæ tolli non possent; animas suas in patientiâ possiderent: contenti se eas hactenus liberasse *Ezech.* 3. *v.* 11. 19. Interim dum voti compotes non fierent, minimè desinerent ecclesiasticis mediis mali istius propagationem sistere; quin & meliori aliquâ affulgente occasione Magistratus denuò monere; si forte daret Deus, ut aliquando evigilarent. Et hoc cum agunt viri Dei, non magis conscientiarum libertati præjudicant, dominationes contemnunt, autoritatem Magistratuum proculcant, ad absolutam & ad cœcam obedientiam atque executionem quorumcunque decretorum ecclesiasticorum eos cogunt, quam quivis subditi libellis supplicibus à Magistratu opem, tutelam, levamen postulantes: aut quam Pontificii in Angliâ quoties libertatem suę religionis à potentiss. Rege Jacobo, à parlamento circa a. 1643. petierunt. Exemplum petitionis posterioris supra alias memorabilis, *exomologesi suæ* 1647. *pag.* 72. inseruit *Hug-Paulin de Cressii Decanus Laghlinensis* in Hyberniâ, tunc ad Papismum προσήλυτος. Non dicent Remonstrantes in Belgio cum ab Ordd. Generalibus, ab Ordd. Hollandiæ, à civitatum Magistratibus, à Celsiss. Principibus Arausoniensibus Mauritio & Henrico Friderico, sectæ suæ patrocinium aut libertatem peterent; se Magistratum aliter sentientem, & prætensæ libertati decreta & edicta sua objicientem voluisse cogere pro imperio, aut potestati eorundem quidquam detrahere, eandemque Remonstranto-Ecclesiasticæ hierarchiæ decretis socialibus seu synodalibus, aut supremi triumviralis directorii placitis subjicere, novumque Pontificatum, & hierarchiam Pontificalem moliri? Quod si sibi ex ecclesiæ ministerio ab ecclesiis Belgicis, & ex Belgio à supremâ Illustr. & prępot. DD. Ordinum potestate dimissis licitum fuisse putabant, absque imputatione hierarchicæ & Pontificalis tyrannidis, Magistratuum conscientias informare de tantâ exercitii libertate, quantam ipsi judicarent jure divino, naturali, humano, & Belgico deberi: *An* ecclesiis nostris possidentibus, judicio & pręjudicio non tantum *Synodi Nationalis*, & quasi generalis reformatæ Dordraci a. 1619. habitæ, sed & supremarum fœderati Belgii potestatum munitis ac prævalentibus, nefas esset absque horrendis illis calumniosè impactis consequentiis, conscientias Magistratuum melius ex verbo Dei informare, & ab iisdem per amorem Christi θεανθρώπου unici nostri Servatoris, & per omnimodam Dei gratiam, per communem reformatarum ecclesiarum fidem atque unionem humiliter & obnixè petere atque obtestari ne Pontificiis, Socinianis, Neo-Arrianis, Remonstranto-Arrianis aut Remonstranto-Socinianis, aut aliis quibuscunque hæreticis, tantam libertatem, quantam quique in conscientiâ sibi concedendam judicarent;

rent, indulgeant. Sic in conſcientiâ ex verbo Dei informatâ ſi ſentimus, ſi apud Magiſtratus noſtros ejuſdem fidei conſortes ſic loquimur, ſi ad ſcripturam, ad exempla piorum Principum, ad propria Magiſtratuum noſtrorum edicta & reſcripta, ad ſolenniter renovatæ confœderationis a. 1651. articulos de noſtræ religionis defenſione & ſectarum coërcitione, provocamus: quid novi, quid paradoxi, quid Papalis aut tyrannici ſive uſurpantis ſive abutentis committimus? Si Remonſtrantes putant ſibi licitum eſſe contra rem Judicatam, pro ſuæ ſectæ libertate, & contra decreta atque edicta politica apud Magiſtratum petitiones inſtituere: cur nobis illicitum eſſet, pro verâ religione cum omnibus eccleſiis reformatis, cum & pro ſupremarum poteſtatum decretis, contra doctrinæ partim hæreticæ partim lubricę & ambiguæ propagationem, petitiones inſtituere?

Sed inſtabunt forte.

Inſtantia 1. Debebant eccleſiaſtici non tantum non petere à Magiſtratibus coërcitonem licentiæ idololatrarum, ſectariorum, Remonſtranto aut Anabaptiſto-Antitrinitariorum: ſed inſuper Magiſtratus monere & corripere, ob talia decreta & talem libertatis negationem aut impeditionem: quod ſi hoc non faciant, dubitari poſſe, pietas, religio, & aliqua ſpes ſalutis iis ſuperſit. *Reſp.* 1. Dicitur quidem in vernaculis libellis debuiſſe Magiſtratus noſtros à nobis tunc ſufflaminari & abduci à licentiæ Remonſtranticæ coërcitione: ſed nullo argumento probatur. Nam quod ſubinde in iiſdem libellis clamant, Magiſtratus iſtâ coërcitione & conventiculorum prohibitione perſecutos eſſe Dei eccleſiam, pietatem, innocentiam: illud multo minus probatur. Dicebant quidem Remonſtrantes ita ſe in conſcientia ſentire: At Magiſtratus conditores & executores edicti contra conventicula Remonſtrantium, itidem dicebant ſe in conſcientiâ ſentire talem prohibitionem vi muneris ſui, & ad ſalutem ac pacem Reipublicæ, ob rationes ſibi cognitas, omnino fuiſſe neceſſariam. Et qua certâ ſcientiâ, quâ fiduciâ concionatores, ſynedria, claſſes, Synodi Magiſtratuum ſuorum edictis & decretis ſe oppoſuiſſent? conſcientias eorum, jure & terrore divino propoſito, pulſaſſent ac vellicaſſent, donec edicta ſua & ejectos concionatores Remonſtranticos revocaſſent? Suggerant nobis argumenta ex jure divino & naturali. Coccyſmus ille de coactione conſcientię, tyrannidis, inquiſitionis Romano-Hiſpanicæ, &c. nihil eſt niſi repetita petitio ejus quod eſt in quæſtione. Nos coram Deo & hominibus profitemur, conſcientiam noſtram nobis dictare, edictum illud Ill. DD. Ordd. General. a. 1619. & Ill. DD. Ordinum Hollandiæ epiſtolam a. 1627. & decretum Ill. D. prçfecti Erneſti Naſſovii, & Ill. DD. Ordinum Friſiæ, contra conventicula Remonſtrantium nihil continere quod juri divino, naturali, civili, Romano, no-

stro Belgico repugnet, aut quod conscientiarum coactionem & inquisitionem Romano-Hispanicam aliquo modo sapiat. Quod si tunc in conscientiâ convinci potuissemus, aut etiamnum possemus, à memorati edicti defensione, aut saltem excusatione ilico desistemus. Sed rebus sic stantibus, contra propriæ conscientię dictamen nec quidquam moliri, nec eam errantem (qualem judicarent Remonstrantes) deponere, quamdiu in animo nostro certi sumus, nos hâc in parte non errare; sed Remonstrantes: ex abundanti parati ecclesiarum & scholarum Belgicarum, immo & omnium aliarum reformatarum judicio hanc quæstionem sistere. Hæc ἐν παρόδῳ dicta sint pro defensione non tantum edictorum & decretorum Ill. DD. Ordd. sed & synodorum ac deputatorum synodalium Hollandiæ: quorum partem annis 1623. 1624. 1628. 1629. me fuisse memini; & una cum aliis synodaliter decrevisse, ac nomine synodorum apud Ill. Hollandię Ordines & Celsiss. Principes Arausonienses Mauritium & Fredericum Henricum, coram quà libellis supplicibus seu Remonstrantiis, licentiæ Remonstrantic ę inhibitionem commendasse. Quo ipso tamen nolim cuiquam suspicionem injici, ac si ego, sive seorsim, sive unà in ac cum *Synodo Nationali Dordrac.* 1619. aut in ac cum *Synodo Provinciali Leidensi eodem anno* 1619. suasissem Supremis Potestatibus aut alicui illorum, ut edictum illud 1619. conderent ac promulgarent, & concionatores Remonstrantes, ex ditionibus suis dimitterent. Nihil de eo actum in Synodis modo indicatis; quæ τὰ ἴδια, hoc est ecclesiastica sua tantum agebant; uti constat ex actis. Cum autem, ob rationes sibi cognitas, Ill. DD. Ord. tale quid egissent, de quali ego nunquam cogitâram; fateor me exinde omnibus rite perpensis, potuisse judicare, non repugnare edictum juri divino aut naturali, aut humano. *Resp.* 2. Decretis summarum potestatum non parere, iis contradicere, eorum iniquitatem prętendere, eorundemque abrogationem opportunè importunè urgere; nefas judicabant Remonstrantes, cum ipsorum *Wttenbogardus* ederet defensionem *Decreti Ill. Ordd. Hollandiæ* pro pace *ecclesiarum a.* 1614. publicati; *Grotius Pietatem Ordinum Hollandiæ*; *Johannes Arnoldi, Corvinus & Barlæus, Grotii defensionem, contra annotationes Bogermanni*; & *Episcopius Theses suas de Jure Magistratus circa sacra:* ut libellorum Belgicorum innumerum numerum nunc prætéream. Ab a. 1629. ac deinceps postquam alicubi in Magistratum succedentes magis ipsorum causę favere viderentur, quam eorundem prædecessores, denuo veterem cantilenam de obedientiâ, sed malè applicatam, canere cœperunt. Argumentum antiquæ cantilenæ erat, non debere cœtus ad exercitia religionis, non volente Magistratu, institui. Confer, quæ de Remonstrantium variatione supra *lib.* 1. *tr.* 2. *cap.* 2. indicamus. Quid & quantum nuper Anonymus Remonstranticus cujusque Magistratus op-

oppidani (& quidni pagani ſeu vicani!) decretis ſive æquis ſive iniquis à quovis, & præſertim à paſtoribus, & conſiſtoriis eccleſiaſticis tribui voluerit, notatum in libro meo de *Exercitiis pietatis cap.24. tit. de correptione fraternâ. pag.760.*

Inſtantia 2. Atqui Remonſtrantes & ſcriptis & praxi obnitentes decretis DD. Ordinum Generalium, & DD. Ordd. Hollandiæ, inobedientiæ in Magiſtratus ſuos argui non poterant: quia ipſis non erant Magiſtratus. Ajunt enim in libello vernaculo tit. **Der Remonſtranten vrpen Godtſdienſt**, anno 1627. edito pag. 32. 33. *Ordines Generales nunquam ſuiſſe ſupremum Belgii Magiſtratum*; & Ordines Hollandiæ ſuccedentes anno 1618. non fuiſſe *legitimè conſtitutos*; ſed *contra patriæ privilegia, extra ordinem & ex puris conſiderationibus politicis, ſeu ſtatus. Reſp.* 1. Confer hoc cum dictato Papiſticarum: *Clericus non poteſt committere crimen læſæ Majeſtatis: quia Magiſtratui non ſubeſt. Reſp.* 2. Hæc controverſia de mutatione quorundam Magiſtratuum in civitatibus Hollandiæ anno 1618. hujus fori non eſt. Privatus quiſque civis ſubeſſe debet Regi, Principi, Magiſtratui poſſidenti, juxta illud Pii II. *Rex eſt, qui regnum tenet:* dato eum per viam regiam non ingreſſum. Multa enim in iſtiuſmodi caſibus ἀτάκτως fieri ſolent, quæ tamen cum facta ſunt tenent: accedente prẹſertim ſubſequenti approbatione eorum, penes quos illa poteſtas. Et certè, ſi cui civi aut incolẹ in caſu neceſſitatis ad defenſionem Magiſtratus Turcici aut cujuſcunque alterius, qui gladio aut aſtu viam ad Principatum ſibi aperuiſſet, confugiendum eſſet, neceſſario eum agnoſcere deberet: quod ſi nollet, jam forte defenſio ipſi negaretur. Qualis prudentia in ejuſmodi mutationum caſibus, à privatis quibuſque civibus, præſertim eccleſiarum paſtoribus adhibenda ſit, ſupra docuimus *lib.2. tract.2. cap.1. pag.506.-513. coll. cum tract.2. cap.3.* Doctrina & exempla Servatoris & Apoſtolorum omnibus hic prẹlucent, Math.22. *date Cæſari, quæ Cæſaris*, &c. Joh.19. v.11. *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi hoc tibi eſſet datum ſupernè.* Adde doctrinæ Pauli *Rom.* 13. & 1 *Petr.2.v.13.-18.* provocationem ad Cæſarem *Actor.25.v.18.* comparitionem coram Felice *Actor.* 24. & Feſto *Actor.25.&26.* & agnitionem atque uſum prẹfecturæ & defenſionis Felicis, Tribuni Lyſiẹ, Centurionum, abſque ullà exceptione. An omnes Imperatores, Reges, Principes, Præfecti & Magiſtratus provinciales, & oppidani legitimè & ordinatè juxta jura & privilegia eſſent conſtituti; ignorare poterant Apoſtoli, aut non curare, aut volentes præterire; ſaltem contra eorum poteſtatem, ejuſque exercitium non excipere: quidquid de uſu aut abuſu ejuſdem poteſtatis fuiſſet. Puto Remonſtrantes cum ſuo *Venatore* de novo Magiſtratu Alckmariano Remonſtrantibus favente anno 1609. per cives

tu-

tumultuantes constituto, aliter judicasse. Vide hujus tragœdiæ descriptionem in *Triglandii histor. eccles. Resp.* 3. quod ad Ordines Generales fœderatarum Provinciarum, quos negabant unquam fuisse suum Magistratum, & quorum autoritatem etiamnum hodie nonnulli anonymis libellis pungunt; nostrum non est de eorum autoritate disquirere, aut de re judicatâ litigare. In utram partem Remonstrantes tunc ex animo concesserint, aut etiamnum hodie concedant, haut facilè dixerim. Suffecerit lectori indicasse, professionem fidei & obedientiæ eorum hac in parte esse temporum, & pro re natâ. Si Magistratus operam suam accommodent Remonstrantibus, aut ipsi bonam aliquam de Magistratuum benevolentiâ erga se, aut saltem moderatione spem concipiant, aut eorundem favorem captent, autoritatem eorundem inculcant, tanquam sacro-sanctam; & vel unius civitatis Consulum aut Senatus judicium, decretum, mandatum tanti faciunt; ut quamvis Ill. DD. Ordines Generales, & DD. Ordd. Hollandiæ longè aliter sentiant, tanquam umbræ in oculis eorum volitare videantur. Percurrantur gesta, acta, scripta annorum 1627. 1628. 1629. Inter alia liber apologeticus pro consultis DD. Professorum & synodalium deputatorum, qui *Walæi operibus* insitus est. Quanti hac in parte cothurni sint, disce ex editis ipsorum scriptis & *Actis Anti-synodalibus*, ubi *part.* 1. *pag.* 150. 152. profitentur se *obsequentissimos* DD. Ordd. Generalium *subditos*. Et *part. ult. pag.* 358. Ill. DD. Ordd. Generales appellant *summos suos Magistratus*. Et huic libello supplici subscripserant *Episcopius*, *Poppius*, *Corvinus*, *Pynacker*, *Theoph. Ryckewaert*, *Sapma*, *Duinglo*; qui omnes Hollandi, nuperis alioqui Politicis Advocati Barneveldii axiomatis incocti.

CAP. IV.

An permissio plurium religionum in Republicâ, non solùm sit licita: sed & tanta libertas exercitii quibusvis à Magistratu concedenda sit, quantam ipsi ex conscientiæ suæ ductamine postulaverint: An vero exercitia falsarum religionum prohiberi ac coërceri possint.

§. 1. Uod ad utrumque quæstionis membrum: Duæ sunt sententiæ extremæ: quarum una unicam tantum religionem; altera quasvis permittendas statuit. Prioris sententiæ autores *nonnulli* in genere seu in thesi, de unâ religione possidente. *Alii* in hypothesi, de religione Romano-Papisticâ, cum expresâ exclusione religionis Catholico-Reformatæ determinant. *Alii* contra de unâ verâ (Catholico-Reformata); cum expresâ exclusione Papisticæ, prius istic locorum possidentis.

Prima eſt *Lipſii* lib.4.politic. cap.2. ubi unam tenendam dicit, *ex patrio ritu: & majorum inſtituto retinendam; & ubique gentium neſariam haberi patriorum rituum migrationem aut violationem.* Hoc totum: quod æque de Ethnica intelligendum videtur, ac de Chriſtianâ; ita ut jure meritoque edicta imperii contra Chriſtianos condita eſſent,quę polyiſtor *Joh.Gerardus Voſſius* a. 1654. collecta cum notis ſuis exhibuit. Vicit ergo Symmachus, Julianus apoſtata, omneſque alii, qui Ethnicam aut retinendam aut reſtituendam contenderunt. Vide in operibus Ambroſii, aut in editione epiſtolarum Symmachi Pareanâ epiſtolas Symmachi & Ambroſii. Lipſius petitus libello Belgico à *Diederico Volckero Coornhert*, *poſtea libro, de Unâ religione dicto Died. Coornhert* repoſito addidit, ſe *veram & probam* intelligere: ſed non explicat, & explicaturum ſe negat, quænam ſit vera & proba religio. Hinc dictus Cornhertus in refutatione libelli Lipſiani a. 1591. tit. *Defenſio proceſſus de non occidendis hæreticis*, &c. ita conſtrinxit *Lipſium*, ut à Papiſticâ, aut Ethnico-Machiavellicâ (quarum alterutram pectore premebat, quamvis tunc Leidæ conciones publicas frequentaret) ſe liberare non potuerit. Et hanc unam putant ex cauſis præcipuis fuiſſe, cur ſtatione Leidenſi turpiter deſertâ hypocriſios larvam deponeret, ad partes hoſtiles transfugeret, atque ibi Papiſmi profeſſionem ſuſciperet. De religione non-religione Lipſii videndus eruditiſſ. ſcriptor *diſſertationis de idolo Hallenſi*, &c. Poſt quem ſpicilegium fecit literatiſſ. *Georgius Thomſonus in Examine Lipſianæ virginis Aſpricollenſis.*

Secunda eſt eorum qui per unam & unicam in Republicâ defendendam religionem, intelligunt Romano-Papiſticam. Et tales ſunt *Pamelius in tract. de religionibus diverſis non admittendis*, &c. anno 1589. *Petrus Coretus in defenſione veritatis contra Dominum de la Noue* anno 1591. *Franciſcus Burchartus in tract. de Αυτονομία.* *Anonymus* (qui ſe Lucium Verum Pacatum Coſmopolitanum appellat) in tract. cui tit. *Pacatus impacatus*, &c. Cracoviæ anno 1616. in 4.

Tertia eſt eorum, qui ſolam veram religionem, Catholico-Reformatam, cum excluſione Papiſticæ, aliarumque ſectarum, in Republicâ admittendam ſtatuunt. Et tales ſunt Theologi Angli, Scoti, Genevenſes, Tigurini, Bernenſes, &c. jam inde ab introductâ reformatione. Imprimis hoc Angli egerunt poſt promulgatum celebre illud edictum contra Papiſtas a. 1591. cui Anglo-Papiſta quis ſub nomine *Andreæ Philopatris* virulentum ſuum examen oppoſuit. Quod Theologi iſti in hypotheſi & ad ſtatum ſuæ quique Reipublicæ diſputant, communiter ab aliis ſub limitatione (mox infra §. 3. indicandâ) probatur; non obſtante, quod praxin contrariam in ſuâ Republicâ experiantur.

Quarta est mixta eorum, qui in hypothesi & cum respectu ad statum Germaniæ, Galliæ, Poloniæ, Hungariæ, Transylvaniæ, Reipublicæ Helveticæ, Rhæticæ, Dantiscanæ disputant, non solum unicam (Papisticam scil.) sed & præter eam reformatam aut Lutheranam, aut utramque, & quidem bono publico posse aut debere admitti. Tales sunt *Dominus de la Noüe in discursibus politicis*, *Thuanus in epistolâ dedicatoriâ ad historias suas*, aliique complures Cassandrianis axiomatis imbuti. Scriptores Germani protestantes pacem religionis anno 1555. in comitiis Augustanis stabilitam contra quosvis classicum canentes, strenuè tuentur. Inter eos *Justus Springer* JC. Saxonicus *de Pace religionis* a. 1613. ubi Burchartum JC. Coloniensem refutat. Et huc referri debet disceptatio de reformatis in Germaniâ (quos *Calvinistas* appellant) à pace illâ religionis non exclusis: uti Principes Protestantes anno 1566. in Comitiis Imperii occasione causæ Frederici 3. Electoris Palatini declararunt; uti patet ex actis comitiorum; & inde citant. *Justus Justinus Justinopolitanus in secretis secretorum Turco-Papisticis* a. 1625. *consider.* 80. *pag.* 293. & *Justus Springer* J. C. Mollo-Saxonicus, Lutheranæ professionis *in tract. de pace religionis* anno 1613. *cap.* 8. *pag.* 68. & *cap.* 15. *pag.* 193. ubi formalia Principum protestantium verba exhibentur. Post illos acta comitiorum Augustanorum plenissimè explicuit & contra glossas quorundam defendit *Joh. Crocius* Theologus Marpurgensis in commentario *de Augustanæ Confessionis Societate* anno 1647. cap. 18. Demum ipso facto ab Imperatore & Imperii Statibus hęc controversia pro reformatâ religione terminata fuit anno 1648. in pace Monasteriensi.

§. 2. *Altera sententia extrema* est, eorum qui absque ullâ distinctione ajunt, cuivis libertatem talem ac tantam concedendam, qualem & quantam ille secundum conscientiam suam sibi necessariam esse judicat, ad Deo suo serviendum & salutem operandam. Quales sunt Neo-Saducei, Epicurei, Enthusiastæ, Libertini, Neutrales, Neo-Atriani, Neo-Photiniani, Remonstrantes, Machiavellistę, aliique pseudo-politici, populariter errantes. Pro hac sententia variè contendi puto. Sunt, qui per crassam ignorantiam atque inertiam confusos sine mente sine sensu clamores edunt: quippe qui terminis non intellectis aut prius non distinctis, disputent de non ente. *Sunt alii*, qui ab omni coactivâ in homines eorumque actiones tum sacras tum profanas potestate abhorrent; & consequenter exilia, carceres, armatos satellites, copias militares à temporibus Novi Testamenti, & conscientiis Christianorum relegant. *Alii* Magistratui omnem potestatem circa religiones & ecclesias non-publicas, seu non-templares, negant & consequenter omnem cujuscunque religionis impeditionem condemnant. *Alii*, pro hâc sententiâ tantum ad suam religionem, quam solam judicant esse ve-

ram,

ram, respectu, digladiantur: aliter locuturi, ubi rerum potiti fuerint. Et tales sunt Neo-Arriani ac Photiniani, Anabaptistæ ὁπλόφιλοι, Enthusiasto-Libertini, Remonstrantes Belgici: quorum sectæ in nullâ totius Christianismi gente, Regno, Provinciâ, tanquam religio publica, seu status hactenus obtinere non potuerunt. Qui tamen, simulac datum sibi esse putabant, ubi starent, & voce & praxi religionis à suâ dissentientis, veræ tamen (quam sectam illi appellant) impeditionem procurârunt, aut saltem probârunt. Repetantur ex historiis exempla Anabaptistarum Monasteriensium, & Anglicorum: inter quos celebris alioquin præfectus militaris *Harrisonus*, abrogationem non tantum stipendii, sed & publici ministerii ecclesiastici per totam Angliam moliebatur. Qualem Remonstrantes libertatem Roterodami, Hagæ-comitis, Alckmariæ, Schoonhoviæ, Ultrajecti, Neomagi, apud Magistratum quique suum causæ Remonstranticę addictum procurârint: nos probè meminimus, & loquuntur acta & monumenta. Socinianos aliosque Anti-Trinitarios libertatem illam sonare ac tueri, sed sibi tantum: neque enim de se usurpari vellent illud Virgilii: *Sic vos non vobis*, &c. Quamdiu enim ex voto totius Christianismi, & ex decreto omnium Christianorum Principum ac Magistratuum, quibus potestas & potentia non deest, exercitia eorum exclusissimæ sunt; eâdem chordâ aberrare non desinent; mox mutaturi, ubi potentia adfuerit. Nondum audivimus, quam libertatem nostris quęsierint, in oppido & agro Racoviensi, cum dominum loci suæ hæresi obnoxium haberent. Nec in totum excusare poterunt suum *Faustum Socinum*, quod libertatem sectæ Francisci Davidis antagonistæ sui negari, ipsum insuper hæresiarcham in carcerem compingi passus sit; ubi cum in phrenesin incidisset, miserè obiit. Supra Remonstrantibus in memoriam revocavi, quomodo agitata ipsis libertas adempta sit à collegio DD. deputatorum Ill. Ordd. Hollandiæ (cui intererant & ubi literas vocales pręstabant Advocatus Joh. Oldenbarneveldius & Hugo Grotius), Remonstrantibus tunc addictissimo *Adolpho Venatori*: quamvis ille protestaretur, se in conscientiâ, & ex verbo Dei illud sentire quod libro suo dicto, *Theologia vera & mera*, &c. *purus perspicuus, & universalis liber fundamenti*, &c. anno 1617. proponebat: adhęc se ad gloriam Dei, & ecclesiæ salutem, hoc non posse non communicare: siquidem, ut libri titulus præscribit, *Christianismus eo 1400. annis caruisset*. Nihilominus liber ille præeunte judicio Facultatis Theolog. Leidensis (quam cum *Joh. Polyandro* tunc constituebat *Episcopius*) à DD. deputatis Ordinum prohibitus, & autor in Gravesandam deportatus fuit. Si DD. Deputati Ill. DD. Ordd. hujus fratris sui libertatem conscientiæ violârint, libertatem proponendi & propagandi tam necessarium *fundamentum*, per coactivam potestatem impediendo: quid nobis sectæ Remonstranticæ

adversariis libertatis relinquerent; ubi vicibus mutatis ipsorum sectatores ad clavum sederent?

§.3. *Quâcunque* autem intentione & à quocumque sectariorum genere dicta hæc libertas urgeatur: Nos ei sententiam nostram his conclusionibus comprehensam opponimus.

1. *Concl.* Veræ religioni & ecclesiæ omnem libertatem ad illius exaltationem & istius propagationem atque ędificationem quilibet Magistratus in foro poli seu conscientiæ vi juris divini & naturalis concedere, promovere, defendere debet, quantum per potestatem & potentiam ipsius hoc fieri potest.

2. *Concl.* Negamus nullius falsę religionis libertatem, quam quivis hæretici, fanatici, blasphemi, turbones juxta conscientiæ suę (uti ajunt) dictamen sibi sumunt aut postulant, à Magistratu in foro poli seu conscientiæ negari, impediri, minui, coërceri posse.

3. *Concl.* Negamus cujusvis religionis exercitia & professionem à verâ religione sive in doctrinâ (quamvis non fundamentaliter), sive in ritibus, sive in regimine & disciplinâ dissidentem, à Magistratu ubique & semper necessariò prohibendam atque impediendam esse.

4. *Concl.* Negamus Magistratum quemvis, etiam Christianum & cætera piissimum ad cujusvis sive infidelitatis, sive hęresios hereticissimę & pessimę, sub adscititio nomine Christiano, religionis exercitia, ubique & semper impedienda, prohibenda, profliganda, in conscientiâ teneri. Ratio hęc est, Quia Magistratus non nisi ad Reipublicę salutem, & verę ecclesię conservationem ac majorem ædificationem, ex conscientiâ muneris sui infidelitatis, hęresios, idololatriæ licentiam coërcere atque impedire debet. Jam vero tales casus incidere possent, ut Magistratus ad hanc impeditionem non teneretur. Sunt autem isti casus I. *cum* deest potestas. Ex. gr. in locis, quibusdam ubi omnes, Cantones Helvetici simul imperant, non possunt Cantones reformati Papismum abrogare: in Belgicis Provinciis, non poterant Ordines, aut Magistratus civitatum, si qui erant reformati, eundem abrogare archonte Philippo II. Belgarum Principe; cui etiam potestas & jus circa religionis in politiâ admissionem aut non admissionem competebat. Nam quod in Hollandiâ & Zelandiâ sine Principis consensu anno 1576. Papismum abrogaverant DD. Ordines (quamvis in Hollandiâ minorem, partem reformatæ professionis essent); id provisionaliter, necessitate quâdam legem non ferente fiebat in illâ syrraxi, ad sui & suorum à præsentissimo exitio conservationem. Longè alia ratio erat, cum post annum 1581., Principe exauctorato, libera fœderatorum Respublica omnia majestatis jura in solidum tunc possidens, omnem Papismum absolutè abrogaret? II. *cum* deest po-

potentia; non peccat Magistratus tolerando malum, quod tollere non potest. Tali in casu tolerare malum non est malum facere. Sic David coactus fuit abesse à domo domini *Psal.* 4. *v.* 3. & 84. *v.* 2. 3. Et Hiskias per morbum suum *Jesa.* 38. *v.* 22. Et latro in cruce caruit baptismo *Luc.* 13. Petrus eleemosynam non dedit, nummis destitutus *Actor.* 3. *v.* 5. 6. *Augustinus* virgines à Gothis Romæ per vim stupratas ab omni crimine absolvit *lib.* 1. *de civit. Dei cap.* 16. Impotentia hæc & coactio Magistratus habet varios gradus.

1. *Casus est*, cum tanta est frequentia & potentia infidelium aut hæreticorum, ut Magistratus iis in ordinem cogendis par non sit: atque adeo de totius Reipublicæ, & consequenter de orthodoxæ ecclesię salute actum esset. In quo casu pręstat Rempublicam & Ecclesiam cum hoc gravamine, quam nullam habere.

2. *Casus est*, cum non obstante superioris Magistratus potentiâ, Reipublicæ & Ecclesiæ si non præsentissimum exitium, saltem periculosissima concussio exspectanda videtur: Quo in casu pręstat tolerare illud malum, quam incertæ aleæ summam rei committere.

3. *Casus est*, cum alicubi, ubi potentia & potestas non deest falsam religionem abrogatam supprimendi; ejus tamen restitutio permittitur, ut vera majori communis doctrinæ & ecclesię bono alibi conservari possit, absque hoc indulto, simul & semel exstirpanda. Exemplum habet *Anastasius Bibliothecarius in vitâ Johannis* 1. anno 523. ubi refert Joh. Episcopum Romanum, nuntiato Theodorici Regis proposito de totâ Italiâ gladio exstinguendâ, nisi Justinus Imperator in Oriente Arrianis exercitia sua permitteret, legationem ad Justinum suscepisse, & ab illo impetrasse permissionem Arrianorum, quos tamen *summo* (ut loquitur Anastasius) *ardoris amore religionis voluerat extricare.* Baronius, *ad annum* 525. §. 7. &c. Anastasii relationem falsi arguit ductus potissimum auctoritate epistolæ encyclicæ ipsius Johannis I. Sed recordetur lector, hunc Anastasium Moguntiæ anno 1602. in officinâ Joh. Albini primum editum tanquam *thesaurum historiæ* & tot elogiis in præmissis præfationibus, & excerptis doctorum commendari, quin & ab ipso *Baronio* in concinnandâ historiâ monarchiæ Papalis, etiam hoc in loco ad annum 325. advocari; quippe qui *fidelissimè rerum gestarum historiam enarravit, & quo in rerum sui temporis narratione nullum fideliorem & meliorem scriptorem habemus, apud quem magis cum simplicitate veritas, quam cum fuco mendacia valuerunt*: sunt verba Baronii quæ ex tom. 9. anno 752. §. 12. aliisque ejusdem tomi locis à Moguntinis editoribus excerpta exhibentur. Quam futile sit argumentum *Baronii* ex epistola Johannis desumtum, jam pridem ostensum est à *Blondello* in *Isidoro Mercatore* & *Turriano* vapulantibus a. 1628. p. 577. Sed de his παρέργως.

4. *Casus est,* cum orthodoxa religio & ecclesia alicubi oppressa, restitui non potest, nisi ibidem hæresi aut relinquatur aut de novo concedatur libertas. Exemplum habes apud *Sozomenum lib.3. cap.19.* & *Theodoret. lib.2. cap.12.* ubi *Athanasius* non tantum Antiochiæ, sed & in omnibus aliis civitatibus (teste *Socrate lib. 2. cap. 18.*) ubi soli Arriani templa tenebant, templa orthodoxis impetravit: concedendo scil. vicissim, quantum in se erat, templa Arrianis, Alexandriæ, & ubicunque soli orthodoxi obtinebant. Athanasii Responsum Imperatori Constantio datum, ut *promtum & acutum* à Socrate laudatur, & *ut à Deo suggestum*, à Ruffino lib.10. cap. 19. Erat enim omnis potestas & potentia penes Constantium Arrianis haut parum faventem; qui orthodoxis omnia templa adimere, & Arrianis omnia attribuere potuisset. Præstabat ergo templa ab orthodoxis retineri quæ habebant; & de novo illis aperiri, quæ non habebant; cum tolerantiâ Arrianorum: quam omnia perdere, & Arrianis omnia relinquere. Applicari huc posset adagium. *Dimidium plus toto*: & alterum, *Qui totum quærit, totum perdit.* Quod tamen promiscuè ad omnem aliam in diversis nationibus, Regnis, Provinciis, tolerantiam aut promissionem applicari non debet. E. gr. si Rex Galliarum reformatis concedit libertatem; si in Imperio pax religionis inita; ergo à Rege magnę Britanniæ, à Regibus Daniæ & Sueciæ & ab Ill. Ordd. Belgii Papistis libertatem concedi convenit; aut in Britanniâ, Daniâ, Sueciâ, Belgio, pacem religionis constitui. In Imperio Romano unâ in politiâ erant Orthodoxi & Arriani, & Imperator Arrianis favebat. Longe ergo dissimilis ratio.

5. *Casus est*, cum per leges sive conditiones fundamentales, aut per edicta & pacta mutua, Magistratus tenetur exercitia infidelitatis, aut idololatriæ, aut hæresios tolerare. An autem pacta illa legitimè, & necessitate urgente sint inita, & aliter non potuisset constitui, Deo & conscientiis eorum committendum est, qui protestantur fuisse necessitatem, (uti arcana Reipublicæ ipsis nota sunt,) nec contrarium evinci potest. Et sic in Belgio pacta de libertate exercitii Papistici Magistratus orthodoxi servabant, quamdiu illi à suâ parte pacta non violabant. Quomodo Theodosius II. Macedonianis ex pacto libertatem concessit: donec ipsi pactis violatis Antonium Episcopum Orthodoxum per sicarios occiderent; apud *Socratem lib. 7. cap. 31.*

6. *Casus est*, (qui etiam ad tertium referri potest) quando Magistratus inferior, à superiori cogitur exercitia infidelium aut hæreticorum permittere.

His casibus exceptis, dicimus Magistratum bonâ conscientiâ posse, immo & debere non admittere, ubi antehac non fuerunt, & opportunè prohibere atque

atque impedire, ubi hactenus fuerunt, exercitia & conventicula, 1. *Infidelium*, Paganorum scil., Muhammedistarum, Judæorum, Samaritarum. 2. Hęreticorum ac phanaticorum tum novorum tum Neo-veterum, quos supra recensuimus; & nominatim Neo-Arrianorum, Neo-Photinianorum, Anabaptisto-Arrian. aut Photinian., Remonstranto-Arrian. aut Photinianorum, Idololatrarum Romano-Papalium.

De Paganis, antiquas constitutiones Imperatorum solummodo indicamus.

Quas JCC. explicare & defendere solent: quasque juri divino, aut naturali, aut communi reformatorum doctrinę repugnare negamus. Conferri potest in 2. *part. sel. dispp. tit. de Gentilismo:*

De Judæis agimus in 2. *part. sel. dispp. tit. de Judaismo.*

De Muhammedismo, ex Gentilismo, Judaismo, & hæresibus conflato; vide 2. *part. sel. dispp. tit. de Muhammedismo.*

De hæresi & idololatriâ Pontificiâ, & de Neo-Arrianis ac Photinianis infra seorsim agemus.

Adducamus nunc argumenta pro thesi nostrâ,

I. *Argum.* Ex parte verę religionis & ecclesiæ. Quia Magistratus veram religionem & ecclesiam tanquam unicam viam ad salutem, tueri & pro viribus propagare debet Jesa. 49. v. 23. *Erunt reges nutritii sui*, &c. & Psal. 2. v. 12. *Osculanimi filium*, &c. Ergo debet opposita atque impedimenta tollere sive in totum sive in tantum; pro potestate & potentiâ suâ. Atqui impedimenta & opposita illa sunt infidelitas, idololatria, hæresis, blasphemia, Epicureismus, phanaticus enthusiasmus, &c. §. 4.

II. *Argum.* Ex parte subditorum. Quia Magistratus tenetur curare & promovere subditorum salutem, temporalem non tantum, sed & æternam. Atqui hoc serio nequit, nisi removendo impediens, tum violentam scil. tyrannidem, tum seductionem infidelitatis, hæresios, idololatriæ, blasphemiæ.

III. *Argum.* Ex parte Reipublicæ. Quia Magistratus debet, pro viribus, pacem Reipublicæ & concordiam subditorum tueri ac promovere. Atqui hoc fieri nequit, si ex proposito subditos suos per factiones infidelium hęreticorum, blasphemorum permittat, & consequenter Rempublicam turbari: quomodo opposita religionum exercitia, & factiones ecclesiasticas plerumque factiones politicæ comitantur aut sequuntur. Vide & confer *Judic.* 17. *v.* 1. & ibidem cujuscunque professionis commentatores.

IV. *Argum.* Ex parte Magistratus. Quia Magistratus est Deus in terris, vicarius summi Dei, viva lex subditorum: itaque Deum honorare, ejus causam agere, ejus jura tueri, ignominiam avertere tenetur: juxta mandatum

pro-

promissionem, comminationem. Psal. 82. *Dixi vos in estis*, &c. *Honerantes me honorabo*, &c. 1 Sam. 2. Atqui si foveat, aut saltem volens, absque necessitate, toleret dæmonolatriam, aliosque falsos & idololatricos cultus, aut alias hæreses & blasphemias; non honorat Deum, sed participat cum istis abominationibus; juxta doctrinam de participatione peccati alieni.

V. *Argum.* Ex parte hæresios, infidelitatis, irreligiositatis, idololatriæ blasphemiæ, &c. quibus omnia vitia virtutibus moralibus, & politicis opposita plerumque adsunt, saltem ex iis serius aut citius pullulant. Uti communi sapientum judicio, experientiâ, & rationibus hoc comprobatur. Conferendi hic tractatus de atheismo, idololatriâ, hæresi. Jam vero ut vitia moralia & politica Rempublicam inundent, si Magistratus utriusque tabulæ custos non fert; *Psal.* 101. *v.* 8. ergo nec atheismos, libertinismos, idololatrias, hæreses, blasphemias erga verum Deum ejusque cultum grassari permittet.

VI. *Argum.* Ex parte mandati divini. Quia Deus ipse mandavit falsi atque idololatrici cultus exstirpationem *Deuter.* 7. & 12. Ergo ut minimum dicam, non repugnat juri divino & naturali, si Magistratus, cui potestas & potentia adest, hoc agat.

VII. *Argum.* Quia laudata in scripturis exempla hic præeunt, Mosis, Josuæ, Asæ, Josaphati, Joasi, Hiskiæ, Josiæ: contra improbantur illi qui falsum cultum aut foverunt, aut nimiâ indulgentiâ ac conniventiâ vel minimâ ex parte tolerârunt, cum potuissent tollere. Vide exempla Asę 2 *Paralip.* 15. *v.* 17. Joasi 2 *Paral.* 24. *v.* 17. Exemplis scripturæ adde laudata in ecclesiis & historiis ecclesiasticis, exempla Constantini, Martiani, Theodosii, Valentiniani, Gratiani, Justiniani, &c. Vide & confer in corpore juris titulos C. *lib.* 1. *tit.* de summâ Trinitate, &c. *tit.* 5. De hæreticis & Manichæis & Samaritanis. *tit.* 7. de apostatis. *tit.* 9. de Judæis & Cœlicolis. *tit.* 11. de sacrificiis Paganorum & templis. Quibus adde Honorii & Theodosii 2. Constantii rescripta c. Pelagianos apud *Goldastum* in Imperii Romano-Theutonici recessibus, constitut. &c. pag. 592. Caroli M. Ludovici, Caroli Calvi, aliasque Imperatorias sequiorum sæculorum constitutiones, & Richardi Angli anno 1258. Henrici 7. Lucenburgensis anno 1312. aliasque apud eundem *Goldastum*. Sed quid ultra facem in meridie accendo.

VIII. Accedat communis sententia & praxis, Protestantium & reformatorum tum doctorum tum Principum & Magistratuum, in Angliâ, Scotiâ, Germaniâ, Helvetiâ, Hungariâ, Transsylvaniâ, Belgio. Non exhibebo hic excerpta ex theologis locorum communium scriptoribus, commentatoribus,

toribus, elencticis; nec ex politicis, Jureconsultis, historicis; nec ex decretis, edictis, statutis Principum & politiarum: quod cuivis ad apertiones librorum possint esse obvia. Tantum indicabo scriptores, qui peculiaribus tract. sectarum libertatem oppugnant, quales *Gulielmus Prynne* J. C. cujus tract. tit. *Fulcimentum gladii* ex Anglico idiomate in latinum transtulit *Wolphgangus Mayerus* theol. Basileënsis a. 1649. ubi & argumenta & autoritates complures adducuntur. Nostrate linguâ vulgati sunt libri *Caspari Grevinckhovii* ministri Roterodamensis anno 1611. & *Anonymi Apologia* edicti Groningani (cujus supra meminimus,) contra anonymum libertinum anno 1602. Hic moneo, me hoc indicio dictorum edictorum publicorum & scriptorum, hypotheses, rationes, responsiones, consectaria haut teneri aut velle præstare: sed solummodo in thesi & determinatione meâ cui strictè inhęreo, illorum consensum ostendere. Quia autem pręcipuè nobis controversia est cum Remonstrantibus & sectis Libertinicis, libertatem Belgicam pro quâ tamdiu pugnatum sit, perpetuò ingeminantibus, operæ pretium facturi sumus, si verbulo lectorem præmoneamus: Numquam aliquod liberę Belgii fœderati Reipublicæ, aut ullius Provinciæ decretum, aut manifestum, aut edictum fuisse publicatum, nunquam rescriptum fuisse visum, quo libertas exercitii & conventuum cujuscunque religionis (enthusiasticæ, anti-Trinitarię, Neutralis aut miscellæ, Papisticæ, Remonstranto & Anabaptistico-Socinianæ aut Arrianæ) sancita fuerit: nunquam declaratum pro libertate quarumvis sectarum post annum 1581. bellum gestum esse; aut talem libertatem esse fundamentum, aut columnam, aut stabilimentum Reipublicæ; nedum ut æque defensio libertatis exercitii Papatus & dictarum sectarum, ac religionis reformatæ; aut abrogatio reformatæ religionis & sectæ Remonstranticæ alteriusve modo dictæ, in locum ejusdem reformatæ religionis substitutio, publicâ auctoritate decreta fuisset. Quidquid libellorum, quidquid citationum viderim, hactenus tamen ne γρῦ ejus, quod hic petimus, videre contigit: multò minus responsum aliquod ad objecta decreta & edicta, à nobis pro nostrâ thesi allata.

Dicent forte ab Ill. Ordinibus Hollandię anno 1614. & 1617. mixtionem Remonstrantismi annò 1610. in apertum egressi, cum religione & ecclesiâ reformatâ tunc possidente & contra nitente, in illâ Provinciâ, & ab Ill. Ordd. Ultrajectinis anno 1612. in hâc Provinciâ decretum esse. *Resp.* 1. Totum hoc plane ἀπροσδιόνυσον est. Quia illa tolerantia & moderatio tunc ab Ill. Ordd. Hollandiæ (potioribus suffragiis) tentata versabatur circa purum putum Remonstrantismum quinquarticulanum, uti ille in *collatione Hagiensi* expositus erat. A quâ moderatione iidem Ill. Ordd. exsertè excludebant controversias in capitibus de satisfactione Christi, de

justificatione, de perfectione in hâc vitâ, de peccato originali, in quibus aliisve doctrinæ hactenus communiter receptæ traditæ capitibus omnem innovationem prohibebant, ni fallor 1613. mense Martio. Quin ipsi Remonstrantes in fine *Collationis* declarabant, nullam aliam sibi cum fratribus *Collocutoribus* à parte ecclesiarum Hollandicarum Deputatis, controversiam intercedere. Idem contendit *Anonymus* Apologista Remonstrantium libello vernaculo anno 1616. Hagæ-comitis apud Hildebrandum Jacobi edito contra libellum Amstelodamensem, continentem statum quæstionum controversarum inter Contra-Remonstrantes & Remonstrantes. *Johannes Wtenbogardus* (constitutus post habitam Synodum Dordracenam anno 1619. societatis Remonstranticæ director triumvir) *in Remonstrantiâ* anno 1618. mense Novembri oblatâ Ill. Ordd. Generalibus, & gubernatoribus Provinciarum Celsiss. Principi Mauritio, & Ill. comitibus Wilhelmo Ludovico & Ernesto Nassaviis, quæ eodem anno typis edita Lugd. Batav. apud Godefridum Basson, exsertè protestabatur, *se in negotio religionis nihil commune habere, cum Arrianismo, Socinismo, Pelagianismo, Papismo, aut similibus.*

Breviter ipsi illi Ill. Hollandiæ Ordines, qui potioribus suffragiis tolerantiam Remonstrantismi Quinquarticulani in ecclesias Hollandicas decreto suo 14. Januarii anno 1614. introducere intendebant, illud ipsum decre-„tum his verbis concludebant: Imperamus præterea his omnibus pasto-„ribus, ut in cæteris (N. B.) Christianæ doctrinæ capitibus eâ utantur ex-„explicatione, quæ consentiat cum verbo Dei, cumque his *quæ per ecclesias* „*reformatas passim recepta*, *& quæ his convenienter in reformatis harum re-*„*gionum ecclesiis (quas nos hactenus sustentamus, defendimus, & educamus)* „*tradita fuere.* Nunc compara Remonstrantismum in ipsorum *Apologiâ*, *Responso ad excerpta DD. Professorum Leidensium*, *Vindiciis seu Vedelio Rhapsodo*, Genuino Remonstrantico theologo (quę publica sunt scripta communi societatis nomine edita) exhibitum: & vide, an ullibi in toto Christianismo talis Remonstrantismi libertas, aut permissio, aut tolerantia, decreta fuerit. Si quis aureolam ex *Episcopii* & *Curcellæi* operibus contexere vellet, magis extensum Remonstrantismum daret. Fuerunt enim illi communis Remonstrantium concionatorum in theologico societatis gymnasio præceptores: Et cum dies diem doceat, nusquam adhuc figunt, nusquam quiescunt. *Vedelius quatuor partibus arcanorum Arminianismi* ex publicis & communibus scriptis eos in lucem protraxit. *Riissenius* ex iisdem, adjunctis insuper scriptis. *Episcopii* ac *Curcellei*, *farragine epistolarum*, aliisque Remonstrantium libellis. anno 1661. compendiosè indicium fecit tit. *Synopsis impuræ theologiæ Remonstrantium.* Ego anno 1637. eandem Theo-

Theologiam plenissimè ex scriptis tunc exstantibus, in *catechizatione super catechismo Remonstrantico*, linguâ vernaculâ detexeram. Idem latinè partem aliquam præstiteram in *Thersite Heautontimorumeno* anno 1635. & *in disp. de Trinitate*, *de Deo*, aliisque partim recusis, partim datâ occasione recudendis.

Quæ hic visum indicare, ut constet quantum differat hodiernus à Remonstrantismo quinquarticulano, cujus tolerantia ab Ill. Hollandiæ Ordinibus anno 1614. sancita dicitur. *Resp.* 2. Ill. Hollandię Ordines ab Advocati sui fabricatis chrestologiis & considerationibus politicam ipsorum autoritatem concernentibus, circumventi, tunc anno 1614. potioribus suffragiis talem tolerantiam decernebant: sed absque communi fœderatarum Provinciarum sententiâ, & contra protestationem civitatum Dordracenæ, Amstelodamensis, Enckhusanæ, Edamensis, Schiedamensis, Purmerendanæ. Negabant civitates illę in hoc negotio potioribus suffragiis decerni posse. Negabant fœderatæ Provinciæ in communi fœderatorum causâ (qualis erat conservatio & defensio religionis reformatæ) ab unicâ Provinciâ disponi posse. Et quamvis Advocatus cum aliquot juratis ipsi civitatibus hoc in controversiam tunc vocaret, quod illud hypothesi suæ tunc inservire putabat: aliter tamen de Ill. unitarum Provinciarum Ordinibus (quos *Generales* appellant) antea judicare & loqui solebat, cum ipsius consilium apud illos, non minus ac apud Ill. Hollandiæ Ordines prævaleret, cumque autoritate illorum reliquias turbationum Leicestrianarum tolleret, & a.1610.tumultuantem hanc urbem Ultrajectinam coërceret. Mitto, quod Capitaneus Generalis celsiss. Princeps Mauritius, idemque quinque Provinciarum (Geldrię, Hollandiæ, Zelandiæ, Ultrajecti, Transisalanię) Præfectus, seu locum tenens, defensionem & executionem decreti Hollandici negaret: & post illum ad defensionem ejusdem decreti ab iisdem Holland. Ordd. sollicitatus celsiss. Princeps Fredericus Henricus Generalis equitum magister idem negaret. De Illustri Comite Nassavio Wilhelmo Ludovico duarum Provinciarum (Frisiæ & Gronin Omlandiæ) pręfecto, deque illustri comite Nassavio Ernesto militiæ Belgicæ Mareschallo, & Geldriæ Gubernatore notissimum est, quam fuerint à Remonstrantismo, & dicto tolerantię ac moderationis decreto alieni. Quidquid autem de publicâ, & supremâ potestate, de legitimis Ordinibus & civitatum Magistratibus, de tyrannide usurpante, de violentâ confusione & ἀταξίᾳ, de jurium & privilegiorum concultatione in *Nullitatibus Synodi Dordracenæ*, *Achabi jejunio*, aliisque istius farinæ libellis, cornicati sint: nos in articulis renovatę unionis Hagæ comitis anno 1651. simpliciter acquiescimus: ubi satis evidenter determinatum, non quasvis hęreses & sectas, aut Neo-Arrianam, aut Neo-

Photinianam, sed reformatam religionem communi fœderatorum potentiâ defendendam. Quinam autem sint fœderati, & penes quos publica potestas, quærant & discant ex illis, ad quos hoc pertinet. Theologi potestatem & regimen politicum liberæ Belgarum Reipublicæ nec instituerunt, nec ordinârunt: sed constitutum agnoscunt, eique se subjiciunt. Si de limitibus alicubi aut inter aliquos controversia inciderit, hujus aut illius partis motiva & decreta, sua non faciunt: sed inter nudos spectatores & auditores juxta cum aliis privatis civibus numerari volunt. Sunt quidem publici antecessores in fidei & pietatis doctrinâ, juxta *Actor.* 6. *v.* 4. 1 *Thess.* 5. *v.* 12. *Hebr.* 13. *v.* 17. sed in particularibus negotiis & causis politicis, præsertim inter ipsos rectores controversis, antecessorium, directivum, & autoritativum judicium, ut ipsis minimè competit, ita nec illud sibi sumere, nec alii iisdem tribuere debent. Addo, haut æquum fore si in quibusvis contentionibus, factionibus, controversiis, & mutationibus politicis, privatum, consequens, discretivum suum judicium (quod nulli homini negari potest) cogerentur depromere, & hujus aut illius dissentientium partis judicia, decreta, facta, pretensiones, propriæ manus subsignatione, aut juramenti religione, aut quâcunque aliâ ratione apud quosvis profiteri ac defendere. Sufficere deberet, quod silentio, quiete, reali subjectione suâ neutrales se ostenderent. Vide supra *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *Resp.* 3. Quidquid a. 1614. potiora unius Provinciæ suffragia decrevissent, & quamcunque potestatem politicam contra aut supra Provincias sibi vindicassent (quod politicis judicandum relinquo) saltem potestas in ipsam ecclesiam, contra publicum ecclesiæ judicium, nova dogmata, novam pugnantium dogmatum mixtionem, dictam moderationem & tolerantiam, introducendi, ipsis minimè competebat. De quo supra affatim *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 2.-6.

§. 5. Respondeamus nunc ad præcipuas objectiones, quas vulgò nostrates, Epicureismo, aut Libertinismo, aut intolerandâ aliquâ hæresi afflati, & scriptores supra cit. huic promiscuæ libertati prætexunt.

I. *Object.* Apostoli non cohibebant exercitia infidelium & hæreticorum. *Resp.* Sic est: nec ego aliique theologi & ministri magis cohibent, quam Apostoli. Omnes enim tum potestate tum potentiâ destituuntur. Quod autem Apostoli Magistratus Ethnici potentiam non implorabant, id duabus de causis factum: quod scil. frustra hoc egissent, sine ullâ spe auxilii; & quod nomen & religionem Christianorum istâ tempestate prostituere nollent, apud Gentiles. Quod enim in causis particularibus, idem in hâc communi, prudentiam justorum docere poterat. 1 *Corinth.* 6. *v.* 1-8. *Audet quis inter vos*, &c.

II. *Object.* Negatio & cohibitio talis ac tantæ libertatis, qualem & quantam

tam quisque sibi tribuendam in conscientiâ judicat, est coactio conscientiæ, inquisitio & tyrannis Romano-Hispanica. Ratio est, quia eadem plane est libertas conscientiæ & libertas exercitii, & illa cum istâ reciprocatur; nec à se invicem distingui aut separari possunt: adeo, ut qui omnimodam libertatem cuilibet sectę ad arbitrium non concedit, conscientiam cogere dicendus sit. *Resp.* hac chordâ recentiores perpetuo oberrant, & in hanc confusionem ac principii petitionem ultima omnium λόγων analysis. Hoc etiam sumunt sibi & pręsupponunt *Diedericus Cornhertus c. Lipsium*, *Martinus Bellius*, quem *Beza* examinavit; *Anonymus* (*Castellio*) contra Calvini librum de Serveto, qui in Belgio anno 1612. recusus, cum Remonstrantis alicujus calumniatoriâ præfatione; Anonymus censor edicti Ill. DD. trium fœderum Rhętiæ, quem *Scipio Lentulus* minister Clavennensis anno 1592. refutavit; *Minus Celsus* Senensis, de hæreticis supplicio non afficiendis, qui cum subjectis epistolis *Bezæ* & *Dudithii* anno 1584. recusus est; Remonstrantes in *Apologiâ* & *Vedelio Rhapsodo*: & tract. qui nostrate linguâ editi, Anonymi (*Joh. Nicolai Rolwagen*, uti putatur) examen edicti Groningani contra sectarios, cum appendice *Caspari Coolhaes*; quod anonymus quis (an proprio motu, an vero jussu & nomine ampliss. Senatus Groningani, nescio) anno 1602. refutavit tit. *Apologia edicti*, &c. Groningæ apud Gerardum Ketel ordinarium urbis Groninganæ typographum in 4. Ejusdem anonymi examen refutatum fuit à cive quodam Amstelodamensi dicto *Wynando Kras*: Anonymi Remonstrantis perspicillum crystallinum (belgicè **Cristalijnen Bril** anno 1613.) cujus autor putabatur *Bernardus Duinglio* concionator Leidensis passim tunc ibidem & in Hollandiâ dictus **de Brilmaecker**; Anonymi tract. de libertate conscientiæ contra *Henricum Arnold.* vander *Linden* ecclesiasten Delfensem; Anonymi (*Simonis Episcopii*) genuinus theologus Remonstranticus.

Nos ex supra dictis respondemus realiter distingui libertatem conscientiæ & libertatem exercitii: quamvis utraque suos gradus, seu suum magis & minus recipiat, Quod vel unico hoc argumento probari posset.

1. *Arg.* Quæ revera & ipso actu separantur, & quorum unum potest esse sine alio, illa realiter distinguuntur.

Sed libertas conscientiæ & libertas exercitii revera & ipso actu separantur, & illa potest esse sine istâ.

Ergo.

Maioris consequentia nititur axiomate in scholis philosophicis indubitato. *Minor* probatur ex communi experientiâ, pręsertim in Belgio nostro, ubi cuivis hæretico libertas conscientiæ conceditur: non tamen æque libertas exercitii. Sed forte neget quis minorem dicendo, quod quam-

quamvis actu illam sine istâ alicubi concedi & accipi contingat (ut e. gr. Aquisgrani, Coloniæ, &c. & in Belgii Hispanici civitatibus ac pagis quamplurimis,) tamen jure divino in foro poli & conscientiæ coram Deo, prior sine posteriori nec peti, nec accipi, nec concedi deberet absque peccato: prior enim posteriorem includit, & posteriori sublatâ, prior tollitur, atque adeo tyrannis in conscientias exercetur.

Respondemus, si de religione verâ loqueris, dicimus jure divino & in foro poli libertatem exercitii à quovis Magistratu concedendam: ea si negetur, graviter peccari in Deum & in proximum. Sed à quo, à Magistratu non concedente, an à verâ ecclesiâ non sumente & usurpante, an ab utrisque? Arbitror à Magistratu, non à reformatis Coloniæ, Aquisgrani, in Belgio Hispanico passim habitantibus? Quis non videt ipso actu separari, & separari posse ac debere in foro poli libertatem conscientiæ à libertate exercitii, & quidem tali ac tantâ qualem & quantam in conscientiâ sentiunt & judicant à Magistratibus illis concedendam, nec sine gravi peccato negari posse. Nequaquam tamen in conscientiâ judicant, à se libertatem exercitii sibi à parte Magistratus in conscientiâ debitam, in quocunque casu negationis, ipso actu sumendam & usurpandam esse, quidquid tandem futurum esset. Habent exemplum Ecclesiæ Apostolicæ *Actor.8.v.* 1. 2. & consilium Christi Math. 10. v.23. *fugite in aliam*; & exemplum Apostoli Pauli 2 *Corinth.* 11. *Actor.* 17. *v.* 13. 14. Respondeant ipsi Remonstrantes dato ipsorum religionem esse veram, an peccârint in foro poli, quod Waelwici & Antwerpiæ, ubi ipsis anno 1619. tantisper concedebatur libertas conscientiæ, libertatem exercitii ab Archiduce Alberto unà non petierint, & si negasset, ipsi eam non usurpaverint, quidquid tandem futurum esset: Insuper respondeant, an putent Magistratus quosvis in conscientiâ teneri ad libertatem exercitii quibusvis hæreticis & phanaticis, qualem & quantam ipsi in suâ conscientiâ judicant sibi deberi, concedendam; nisi Deum graviter offendere, & seipsos in æternæ damnationis periculum conjicere velint? Ut me intelligant, quæro de Ebionitis, Simonianis, Valentinianis, Gnosticis, Marcionitis, Manichæis, Arabicis, Sabellianis, Priscillianistis, Neo-Saduceis, seu Neo-Epicureis, Deistis & spiritibus fortibus, Adamitis, Anabaptistis Monasteriensibus, Henric-Nicolaitis, seu Familistis, David Georgianis, Weigelianis, hodiernis Sinensibus diabolo sacrificantibus, hodiernis Lilburnianis, quæsitoribus, Æquatoribus, Tremulis seu Quakeris, aliisque phanaticis Anglicanis; quorum indicium & catalogum quære in *Eduardo*, & *Pagito*, qui Anglicè; *Gulielmo Prynne* & *Honorio Reggio*, qui latinè leguntur. *Samuel Rhuterfortus in tract. Anglico tit. libera disputatio contra prætensam libertatem conscientiæ* anno 1649. *cap.* 10.

*cap.10.pag.*128. quæſtionem hanc Libertinis proponit, An Magiſtratus abſtinere debeat à cohibitione & punitione falſi cultus, e.gr. oblationis infantis, ne ſcil. dominetur conſcientiæ alicujus.

Quod ſi dicant aliam eſſe rationem falſarum religionum, quę involvunt aut ſecum trahunt turbationem Reipublicę, aut immania flagitia omni humanitati & naturali honeſtati repugnantia: Regero, jam obtineri falſæ alicujus religionis exercitia poſſe impediri, relictâ libertate conſcientiarum, & abſque earum coactione aut tyrannide; & conſequenter falſam eſſe univerſalem affirmantem, de quarumvis religionum falſarum libertate exercitii divinitus mandatâ, & à Magiſtratibus præſtandâ, qualem & quantam quilibet ſectarii ſibi deberi, in conſcientiâ ſtatuerint. *Deinde*, ab illis explicari ac probari velim talibus deſignatis ſectis nominatim Arrianis, Photinianis, Tritheitis, &c. libertatem eſſe concedendam magis, quam aliis modo deſignatis, Henric Nicolaitis, Tremulis ſeu Quakeris, Gnoſticis, Manichæis, Neo-Saduceis, Deiſtis, &c. Rationes enim à Remonſtrantibus aliiſque Libertinicis præſumtæ libertatis vindicibus hactenus adductæ non minus militant pro Manichæis, Sabellianis, Gnoſticis, Priſcillianiſtis, Henric-Nicolaitis, &c. ac pro Arrianis, Photinianis, Franciſco Davidicis, Remonſtranto aut Anabaptiſto Arrianis, aut Socinianis. *Remonſtranticæ ſectæ aliarumque eadem eſt ratio. Cur itaque nominatim ejus audaciam refrænari petunt*: Sunt verba Remonſtrantium in *Reſponſo ad excerpta DD. Profeſſor. Leidenſium* anno 1631. pag. 131.

2. *Argum.* Quorum alterum in foro poli & conſcientiæ abſolutè eſt neceſſarium, alterum non abſolutè, aut ſemper, aut æque eſt neceſſarium, illa realiter differunt, & aliquo in caſu ſeparari poſſunt.

Sed libertas conſcientiæ, ejuſque uſurpatio abſolute eſt neceſſaria, & non tantum ſemper, ſed etiam ad ſemper obligat: libertas vero exercitii, ejuſque uſurpatio ad ſemper non obligat.

Ergo.

Minorem ſic explico. Ad libertatem conſcientiæ in amplectendâ, retinendâ, & fruendâ verâ fide, & poſitis ponendis eâdem declarandâ & defendendâ, quiſque in foro poli ſemper & ad ſemper obligatur: & ſi talis libertas negetur aut impediatur, eam tamen quiſque ſibi ſemper & ubique ſumere & uſurpare debet; nec unquam ullam coactionem admittere, per quam abneget fidem, aut hereſin amplectatur, profiteatur. Ad libertatem verę religionis publici exercitii concedendam ſemper quidem tenetur Magiſtratus: ſed ſi eam neget, ad eandem ſibi ſumendam & uſurpandam omnes fideles in foro poli, ſemper & ubique non tenentur. Uti probatur ex omnibus textibus ubi de fidelibus fugientibus, diſparſis, latentibus agitur, *Math.* 10. *v.* 23. *Actor.* 8.

v. 1,

v. 1. *Rom.* 11.*v.*2-5. *Hebr.* 11.*v.*17.18. *Apocal.*12.*v.*12. Adde fideles gementes sub tenebris Papatus à sæculo undecimo usque ad tempus pertendentis reformationis anno 1517. & ecclesias clandestinas sub Papatu, jam inde usque in hunc diem. Ergo differunt illæ libertates, nec una est altera, aut alteram includit: quia contradictoria prædicata de illis dicuntur. Quod vero ad falsam quamcunque religionem, nec Magistratus semper & ubique talem ac tantam libertatem, quantam secundum conscientiam suam errantes postularent, in foro poli concedere tenetur, nec errantes eam sumere atque usurpare. *Instantia:* Atqui debent conscientiæ suæ dictamen & ductum sequi. *Resp. Neg.* Debent conscientiam errantem deponere; non vero secundum illam quævis hæretica, blasphema, abominanda sacra semper & ubique proclamare, exercere, propagare. e. gr. Gnostica, Priscillianistica, Henric-Nicolaitica, Adamica, Sinica, Japonica, Judaica, Samaritica, Manichaica, Servetiana, Francisco-Davidica, David Georgica, Monasteriensia seu Knipperdollingica, Neo-enthusiastica seu Quakerica, Torrentiana, Lilburnia, Æquatoria, Quæsitoria, Baal-pehorica, Saturnina, Molochica (de quibus *Ezech.* 16. *v.*20.21. *Ps.*106.*v.*36.37.38. vide *Seldenum de Diis Syris syntagm.* 1. *cap.*6.); denique Lestrico-harpagica opinioni de communione bonorum subnixa, &c. Conferri possunt theologi in *tract. de conscientiâ.*

3. *Argum.* Quę ratione formali seu essentialiter, seu definitione differunt, ea non sunt idem: sed libertas conscientiæ & libertas exercitii, &c. differunt. Ergo.

Probatur minor 1. *quia* libertas conscientiæ, dicit libertatem sentiendi & credendi in interiori conscientiâ de Deo & rebus divinis; absque coactione illam fidem deponendi, & oppositam recipiendi, amplectendi, profitendi. Libertas exercitii, dicit libertatem juxta interiorem conscientię sensum exteriori homine fidem & religionem suam sive bonam sive malam seorsim & in conventibus ecclesiasticis publicè profitendi, exercendi, defendendi, propagandi. 2. *quia*, quorum opposita ratione formali, &c. differunt.

Sed opposita libertatis conscientiæ, & libertatis exercitii sive illa totalis sit sive partialis, ratione formali & definitione differunt. Ergo, &c.

Probatur de coactione conscientiæ, cujus ratio formalis est, constringere hominem sub pœnâ capitis, & fortunarum in interiori suâ conscientiâ deponere & abjicere fidem, quam habet sive bonam sive malam: & contra positivè recipere & priori fidei suæ substituere fidem contrariam, eamque profiteri & exercere; & quidem cum prioris fidei externâ rejectione, ejuratione, condemnatione, maledictione. Impeditio exercitii sive ea totalis & plena sit, sive partialis, in se & per se considerata, propriè & tantum actiones

actiones hominis exterioris cohibet, absque ullo actu coactionis circa sensum interioris conscientiæ, aut ejusdem externam confessionem. Haut aliter ac judices sæculares causâ cadentem sententiæ à se latæ effectum admittere cogunt, nec quidquam ab exteriori illius homine contra eam fieri permittunt, juxta conscientiæ suę judicium judicio tribunalis oppositum: interiorem tamen & conscientię suæ sensum sive rectum sive pravum ipsi liberum relinquunt.

4. *Argum.* Ex communi sensu, praxi, stylo omnium ecclesiarum & politiarum Christianarum tum antiquarum tum hodiernarum. Illarum decreta cum Doctorum testimoniis, & istarum leges, constitutiones, edicta nimis operosum esset hic exhibere. Suffecerit libros & loca aliqua indicasse, quibus lector, cui hoc libuerit, inspectis, judicet, quam imperitè & temerè Remonstrantes in *Præfatione Apologiæ præmissâ (*)* 3. b. promiscuam hanc quarumvis hæreseων (præsertim Antitrinitar. & Photinian.) libertatem antiquitatis suffragio comprobatam velint. *Commune*, inquiunt, *libertatis privilegium*, *regnorum ac Rerumpubl. columen est. Ita censuit*, *ita statuit melior antiquitas*. Ubi quæso? An apud *Socratem lib.* 1. *cap.* 9. & *Eusebium lib.* 4. *cap.* 23. & 25. & *de Vita Constantini cap.* 52.- 57.& *cap.* 61. 62. 63. Lege quæso, & vide quomodo approbante ecclesiâ idololatriæ & hæresiων (Novatian. Valentin. Marcionit, Cataphrygum, Paulianorum h. e. Samosatenianorum) libertatem sustulerit. Et quid *Concil. Nicenum*, & Constantinus in Arium & Arianos statuerit, *Sozom. lib.* 1. *cap.* 19. 20. His adde C. tit. 1. & 4. & 8. ubi leges enumerantur contra Manichęos, Apollinaristas, Novatianos, Eunomianos, Valentinianos, Montanistas, Priscillianistas, Marcionitas, Eutychianos, Donatistas, Paulianos, &c. Inde collige, quid *melior antiquitas* tum ecclesiastica tum politica, de Remonstranticâ libertate censuerit, statuerit. Qui καθ' ἐπιτομὴν lustraverit historiam ecclesiasticam, novit quomodo sectariis prętensa libertas adempta sit. Quęre modo in indice nomina hæreticorum à sæculo Constantini & deinceps. De Pelagio & Cœlestio Remonstrantium affinibus per Imper. Honorium & Theodosium repressis, vide *Baron. ann.* 418. §. *sect.* 19. Et *Usserium in ecclesiar. Britannicarum primordiis cap.* 10. ubi pag. 271.- 276. ipsa lex (dicta *sacrum rescriptum*) Imperatorum exhibetur; ut & rescriptum Palladii pręfecti prætorio. Ante eum hoc egerant Magdeburgenses, post quos *Baronius*, post hunc *Joh. Latius in commentar. de Pelagianis a.* 1617. *lib.* 1. *cap.* 8. Denique *Gerh. Joh. Vossius in Histor. Pelag.* anno 1618. *lib.* 1. *cap.* 55. qui ea de illis edictis referunt, quæ si cursim inspicere dignentur Remonstrantes, meliorem antiquitatem in posterum, uti spero, huc advocaturi non sunt. Mitto nunc declinantis antiquitatis & mediæ ætatis canones

nes synodicos, leges & constitutiones politicas, in tomis, aut epitomis conciliorum, in *Goldasti* constitutionibus Imperialibus, in codice legum antiquarum *Lindebrogii*, in jure Orientali Græcorum, exhibitas. Publicis his judiciis & actis ecclesiasticis ac politicis adde testimonia Doctorum, *Augustini epist.* 48. & 50. & 168. & 204. & *tract.* 11. *in Joh. & lib.* 9. *c. Cresconium cap.* 51. *& in Psal.* 57. *Tertulliani Scorpiac. adv. Gnosticos c.* 2. *Cypriani epist.* 73. *Ambrosii dicta apud Theodoret. lib.* 4. 5. *c.* 13. *ejusdemque epist.* 11. *&* 33. *Chrysostomi in Rom.* 13. *Nazianzeni homil. in dict. euangel. & epist. ad Nectarium.* Sed dies & charta deficeret, si omnia patrum dicta, si omnia conciliorum & patrum postulata, si edictorum c. hæreticos elogia & approbationes, si eorundem monitiones & increpationes in casu cessationis exhiberem. Qui uberius indicium desiderat, adeat *Claudii Sainctesii tract. supra cit.* qui edicta; & *Pamelii tract. supra cit.* qui patrum dicta collegit. Aut si isti ad manum non sint, ex nostris *Gul. Prynne*, qui edicta Principum & Patrum sententias indicat. Ut concludam, nullum antiquitatis concilium, nullus probatus ecclesiæ doctor, quarumcunque sectarum libertatem tantam, quantam ipsi sibi deberi in conscientiâ judicarent, unquam probavit. Dicta contrarium adferri solita infra expendemus.

Atque hæc de sententiâ & praxi melioris antiquitatis. In declinante antiquitate & mediâ ætate eundem consensum tum ecclesiarum & Doctorum, tum Principum contra prætensam libertatem invenient. Variorum edictorum indicium habes apud *Gul. Prynne*: consule modo capitularia Caroli M., Ludovici, Caroli Calvi, aliasque constitutiones apud *Goldastum*, & vitam Caroli M. per *Eginhartum.* Ex celebrioribus istorum temporum scriptoribus *Cassiodoro*, *Gregorio M.*, *Bedâ*, *Paulino*, *Albino Flacco*, *Rabano Mauro*, *Haymone*, *Photio*, *Hincmaro*, *Agobardo*, &c. varia hic exhibere possem, siquidem operæ pretium facturus essem. Accedamus ad tempora reformationis, quorum Theologi in commentar. ad scripturam & locis communibus tit. de *Magistratu*, & peculiaribus tractatibus unanimiter docuerunt ad Magistratus officium pertinere veræ religionis defensionem & falsæ prohibitionem; quod longè abest à prætensâ libertate. Quia autem Remonstrantes subinde in eristicis libellis ostentant testimonia *Melanthonis*, *Buceri*, *Musculi*, *Bullingeri*, eos ante omnes pro sectarum prohibitione contra prætensam libertatem, consuli velim. De theologis Anglis, *Juello*, *Wittakero*, *Pouelo*, *Willeto*, *Abotis*, *Sutlivio*, *Raynoldo*, *Prideauxio*, *Johanne Roffensi*, *Lancel. Androsio*, *Mortono*, *Fulcone*, *Davenantio*, &c. edicta, statuta praxin Angliæ contra Pontificios aliosque sectarios, comprobantibus, minimè dubitandum est.

Quia imprimis libertatem Belgicam Dei ope & majorum virtute contra Ro-

Romano-Hispanicas molitiones, partam & hactenus defensam obtendere solent: videndum, an libertatem conscientiæ strictè & propriè sic dictæ, à libertate exercitii non distinxerint, & an pro quarumvis hæresiωn & falsarum religionum liberis exercitiis tamdiu dimicatum fuerit. Cum Remonstrantes reformatam religionem pro voto mutare non possent, nec Advocatus (qui quamvis alio scopo patrocinium eorum susceperat,) apud Provincias Fœderatas, & celsiss. & illustr. earundem præfectos decretis, pactis, & juramentis de defensione reformatæ religionis inhærentes; hoc obtineri posset: ad novas maximas quæ tum jactabantur, confugit; ratus inde satis probabiles exceptiones rebus suis tunc inservientes, procudi posse, quibus oculos nonnullorum, antiquæ alioqui virtutis & fidei, præstringeret. Maximæ Neo-politicę erant istę: *Prior*: Cuilibet provinciæ, absque communi confœderatorum consensu, jus & fas esse, religionem mutare, aut talem introducere, qualem ipsis visum esset. *Posterior*: Bellum Belgicum à Fœderatis Provinciis gestum non esse pro reformatà religione; sed pro libertate, tum sæculari tum religiosa, quorumvis incolarum, conscientiæ pariter & exercitii

Duas has maximas contra omnem historiæ fidem, contra lucem factorum, contra tot decreta & edicta publica infeliciter excogitatas esse, sæpè antehac ostensum est: etiam aliquam partem à nobis *in part. 2. sel. dispp. tit. de Romanâ in sede incompatibili*, &c. & *de potestate temporali Papæ*. Nos hic quasi spicilegium aliquod facturi, solummodo insistemus historiæ de distinctione inter libertatem conscientiæ & exercitii, semper ab initio motuum Belgicorum usque in hunc diem in politiâ & ecclesiâ sic intellectâ, sic in rebus agendis observatâ & adhibitâ.

Anno 1568. nobiles Belgæ numero 400. libello supplice gubernatrici Parmensi tradito, solam conscientiæ libertatem & immunitatem ab inquisitione petebant: nullâ facta exercitii mentione. Vide historicos, *Meteranum*, *Borrium*, *Strada*, *Burgundum*, *Grotium.*

Anno 1576. in *Pacificatione Gandavensi* exsertè distinguitur & separatur libertas conscientię à libertate exercitii: illa conceditur; ista in Belgicis Provinciis negatur: excepto, quod in Hollandiâ & Zelandiâ, libertas exercitii a. 1572. introducta, servaretur.

Anno 1577. Celsiss. Principi Arausoniensi ejusque domesticis in susceptione Præfecturę Ultrajectinæ libertas conscientiæ permissa, publici exercitii minime: ita ut inter domesticos ipsius nulli admittendi essent, qui antehac concionatores fuerant, aut etiamnum essent. *Vide articulos conventionis apud Petrum Borrium lib. 10. fol. 219. 220.*

Idem colligitur ex unione Ordinum Belgicorum Bruxellis a. 1577. 9. Januarii; & ex perpetuo edicto ibid. 17. Februarii.

Anno 1578. libello supplice ab Archiduce Mathiâ & Ordinibus Generalibus reformati libertatem exercitii per Belgum petierunt, cum jam libertate conscientiæ fruerentur. *Strada lib.9.p.448.* En distinctionem.

Anno 1572. In Provinciis Hollandiæ & Zelandiæ abrogato religionis Papisticæ exercitio, sola conscientię libertas Papistis relicta est. Idem a. 1580. factum hic Ultrajecti, capitulis & clericis frustra reclamantibus.

Anno 1579. In *Pacificatione Coloniensi* à Rege Philippo ab Archiduce Mathiâ & Ordinibus Belgicis distincta fuit libertas conscientię à libertate exercitii. Illa Belgis ad quadriennium à rege concedenda offerebatur: ista negabatur; quæ tamen ab Archiduce & Ordinibus petebatur, quippe jam plurimis in locis possidens. Vide *acta pacificationis Antwerpiæ* apud Plantinum excusa a. 1580. p 70. 81. 97. 124. 125. 129, 143. 196.

Post annum 1581. constitutâ jam liberâ Belgarum fœderatorum Republica, in omnes civitates armis fœderatorum reductas, aut occupatas, exercitio religionis Papisticæ abrogato, reformatæ introductum: solâ conscientiæ libertate relictâ. Ab eo tempore edicta, quæ contra exercitia Papistica emanârunt, distinctionem & separationem libertatis exercitii à libertate conscientiæ in Belgio fœderato evicerunt. Vide collectanea edictorum Ill. DD. Ordd. General. & Ill. DD. Ordinum Holland. Inter edicta eminet illud Ill. Ordd. General. a. 1612. præsidente (si bene memini,) tunc in illo conventu Advocato Barneveldio Remonstrantium patrono.

Anno 1598. Ill. Ordd. Generales interceptos à Senatu Amstelodamensi *libros Socini* Hagæ-comitis comburi, & emissarios hæreticos *Ostorodum* & *Voidovium* ex Belgio fœderato intra quindecim dies excedere jusserunt. Ex quorum Apologiâ constat, eos eandem libertatem, quam Remonstrantes, hic imaginatos fuisse.

Anno 1610. Ill. Ordd. Ultrajectini Remonstrantismo tunc addicti, sacra missatica Amisfurti turbari curârunt, & intercepta illic instrumenta & ornamenta missatica, quamvis pretii non exigui, publicè comburenda dederunt.

Anno 1601. Senatus Groninganus publico edicto omnes quarumcunque sectarum segreges conventus prohibuit: absque ullâ libertatis Belgicæ, & unionis fœderatorum violatione.

Senatus Dordracenus segreges cœtus, (exceptis Anabaptisticis) alibi in Belgio permissos, quamvis sollicitatus, usque in hunc diem non admisit: nec tamen in libertatem Belgicam, pro quâ tam diu certatum, peccasse putatur.

Anno 1609. articuli induciarum, utriusque partis incolis in alterutrius ditione commorantibus libertatem conscientiæ concedunt: non tamen libertatem exercitii. Eodem enim anno 1609. Archiduces omnem libertatem de religione disputandi & conferendi peculiari edicto prohibebant; &

Ill. Ordd. Generales anno 1612. omnia exercitia Papistica interdicebant. Ut jam non dicam de severis edictorum executionibus tam frequenter per Provincias conspectis.

Circa annum 1615. aut 1616. tentata conventicula & exercitia Remonstrantica à Senatu Amstelodamensi impedita sunt.

Anno 1614. & 17. Ill. Hollandiæ Ordd. potioribus suffragiis Remonstrantismo aut tolerantiæ ejus faventibus, *decreto suo pro pace* ecclesiarum Orthodoxis ministris antiquæ & consuetæ suæ doctrinæ hactenus publicâ autoritate defensæ inhærentibus, libertatem exercitii nec in ecclesiâ nec in politiâ permiserunt. Quin & dicto Platonis, quod decreto suo præmittebant, haut obscurè innuebant, nullam libertatem dogmati veteranorum ministrorum, de gratiâ Dei & libero arbitrio, per quod Deus, (ipsorum & Remonstrantium ἀκρίτῳ judicio) fieret autor peccati, in Republicâ esse permittendam. Platonis dictum, interprete *Melanthone loc. comm. tit. de causâ peccati*, tale *est*. „Omni contentione pugnandum est, ne quis in civi-„tate, quam bene geri volumus, vel dicat vel audiat, seu senex seu juvenis, „seu in poëmate seu in aliâ narratione, Deum causam esse alicui malorum. „Quod neque sanctè ita dici potest, neque utile est civitati, nec secum con-„sentit in explicatione. Hic vides distingui inter libertatem conscientiæ, quam Magistratus ad Remonstrantismum seducti, nostris nunquam negarunt; & inter libertatem exercitii, quam hoc dicto Platonis omnino negandam tunc indicabant. Hic notandum dictum illud Ordinum Hollandiæ decretum peculiari tract. à *Joh. Wtenbogardo* defensum fuisse.

Anno 1612. Ill. DD. Ordines Ultrajecti, novo ordine ecclesiastico, ad cujus subsignationem ministros tunc adigebant, idem tunc, obtrusâ eâdem dictâ moderatione, agitabant.

Anno 1617. Senatus urbis Ultrajectinæ, & senatus agrarius Schielandiæ, edictis suis contra segreges reformatorum receptæ doctrinæ catechesi ac confessione contentæ inhærentium conventus, & contra profectiones ad sacra in alieno territorio frequentanda (quod hactenus in Belgio inauditum), ostenderunt, se inter libertatem exercitii & conscientiæ liquidò distinguere.

Anno 1582. Ill. Hollandiæ Ordines decreto suo in *Casparum Coolhaes* concionatorem Leidensem à *Synodo Hollandicâ* ob pravas opiniones exauctoratum & excommunicatum, (quod integrum exhibetur à *Winando Cras* edicti Groningani a. 1601. hyperaspiste, & à Synodo Hollandicâ in suâ relatione) docuerunt, satis superque se inter libertatem exercitii & conscientiæ discernere: illâ enim dicto *Coolhaes* negatâ, istam illi reliquerunt, dum scil. Amstelodami aquis vitæ distillandis incumberet.

Anno 1583. Senatus Dordracenus *Hermannum Herberts* concionatorem, præeunte judicio ecclesiastico, inhibuit, ne ἄτοπα suâ publicè doceret: sed absque coactione conscientiæ. Judicium hoc Synedrii & Senatus Dordraceni ab Ill. Hollandiæ Ordd. & celsiss. Principe Arausoniensi Wilhelmo I. approbatum fuit. Vidè de hoc *Synodi Zuydhollandicæ* brevem & veram relationem &c. a. 1592. Hagæ-comitis in typographejo Alberti Henrici ordinarii DD. Ordinum Hollandiæ typographi excusam in 8.

Anno 1577. & 1578. & 1583. ab Ill. Hollandiæ Ordd. & Senatu Delfensi, ea contra licentiam *Theod. Cornherti* Belgicarum ecclesiarum hostis infensissimi, decreta & acta sunt; ut Ordinibus eorumque delegatis *inquisitionem* (*3. part. operum Cornherti fol.* 144. a. *&* 147. b. *&* 434. a.) imponeret; & Senatui Delfensi, qui ex urbe suâ eum dimiserat, peculiarem apologiam tit. Paem-scherm opponeret. Quidquid autem ad efferum illum hominem compescendum egerint, nunquam tamen conscientiæ *Cornherti* vim intulisse, aut aliquid Romano-Hispanicæ inquisitioni simile patrasse dicendi sunt.

Anno 1616. Ill. Transisal. Ordines, à Remonstrantibus seducti, edicto quodam publicato ministris reformatis libertatem prophetandi, & profitendi atque explicandi consuetam ac tot annis publicâ autoritate defensam doctrinam suam de liberâ & omnimodâ Dei gratiâ, inhibere tentabant. Qui tamen cum concionatoribus Remonstrantibus tunc negabant, se hoc facto suo libertati conscientiæ & communi libertati Belgicæ præjudicare.

Anno 1619. & 1620. edictis Ill. DD. Ordinum Generalium prohibita sunt conventicula Remonstrantium: ubi simul libertas conscientiæ, & quidem in gradu superiori cum extensione ad religiosa exercitia in familiis, stabilitur.

Ecce distinctionem libertatis, & hujus sine illâ concessionem.

Anno 1626. & 1627. Illustres Hollandiæ Ordd. epistolis ad Magistratus civitatum missis declarabant se præhabito consilio & beneplacito celsiss. Principis Arausoniensis Friderici Henrici Hollandiæ Gubernatoris, velle ut edicta ann. 1619. 1620. sint *perpetua & strictè ubique observentur.* Vide rursum distinctionem; quam nisi admittas, dicendum erit Ill. Hollandiæ Ordd. cum celsiss. gubernatore suo ignorasse quæ sit libertas Belgarum, pro quâ hactenus contra Romano-Hispanicam tyrannidem & inquisitionem pugnatum sit.

Anno 1627. Ill. Frisiæ Ordines cum Ill. Præfecto & Gubernatore suo Ernesto Nassavio, Remonstrantium conventicula & exercitia peculiari edicto prohibuerunt. An & illi ignorârunt libertatem suam, pro quâ tot annis capitis & fortunarum pericula, contra Hispanos pugnando, subierant?

Anno 1644. Cum Legati sereniss. & potentiss. Regis Galliarum peterent moderationem edictorum contra exercitia Papistica, responsum est ab Ill. Ordd. Generalibus, nullis incolis libertatem conscientię & privatam in familiis negari: sed libertatem exercitii superstitionum cum verbo Dei pugnantium, aut notoriorum scandalorum, aut hierarchiæ Papalis concedi non posse.

En distinctionem libertatis in politiâ & foro Belgarum usitatam.

Anno 1651. in illustri fœderatarum Provinciarum panegyri & solenni *unionis Ultrajectinæ anno* 1579. renovatione, defensio religionis reformatæ, prout ea a. 1619. *in Synodo Nationali Dordrac.* & communis consensus formulis explicata ac determinata erat, de novo promissa ac suscepta est: manentibus interim edictis c. Pontificios in *suo vigore*, & sectarum coërcitione.

Quodnam illustrius documentum de distinctione libertatis conscientiæ à prætensâ quarumvis sectarum exercitii libertate, in politiâ Belgarum haberi posset?

Anno 1639. cum *epistola Sartorii* ministri Sociniani ex Hollandiâ Claudiopolim ad *Adamum Francum* ministrum Socinianum scripta, illic intercepta esset, ejusque contentum Ill. Ordd. Hollandiæ innotuisset, in antecessum decretum fuit, sectam Socinianam, quę ex Poloniâ tunc migrare coacta huc fortè confluxura videbatur, haut admittendam. Annis aliquot post 1659. decretum Ill. Hollandiæ Ordinum, contra hęresin Socinianam, ejusque scriptorum editionem & sparsionem publicatum. Hæccine libertas Belgica; pro quâ Remonstrantes contendunt? & quidem intuitu Socinianorum aut Arrianorum: ut patet legenti *Genuinum Remonstranticum theologum.*

Circa annum (ni fallor) 1646. ab ampliss. Consulibus Amstelodamensibus magnus numerus exemplarium *Institutionum Volckelii* Sociniani novè illic recusarum igni consecratus est.

Anno 1655. Nobiliss. & consultiss. curiæ Provincialis Hollandicæ Senatus librum anonymi de Præ-Adamitis Leidæ (sed suppresso nomine autoris & typographi) excusum, publicato edicto prohibuit. Quod à sapientiss. & graviss. Senatu absque violatione libertatis conscientiarum, hactenus in Belgio nostro servatæ, factum arbitror.

Celsiss. Princeps Arausoniensis Wilhelmus I. pietate & prudentiâ suâ effecit ne per *Erasmum Johannis* scholæ Antwerpianæ Rectorem, sed tectum Arrianum, ecclesia & Respublica detrimenti quid caperet: teste *Henrico Antonide theologo Franequerano in præfat. ad systema Theologiæ.* Qui Erasmus Johannis Antwerpiâ dilapsus Claudiopolim in Transsylvaniam se contulit

ibique

ibique ministerium inter Antitrinitarios exercuit. Idem putatur autor scripti tit. *Antithesis doctrinæ Christi & Antichristi de uno vero Deo*; cujus refutatio a. 1586. ab *Hier. Zanchio* conscripta est.

Idem Celsiss. Princps a. 1579. 1581. 1582. cum Ill. Hollandiæ Ordinibus causam & ordinem ecclesiarum contra *Casparum Coolhaes* ministrum Leidensem, quamvis Senatus Urbani favore & autoritate subnixum, defenderunt: absque tamen inquisitione, & conscientiæ coactione, quam tempore istarum contentionum adversarii odiosè objiciebant. Legendæ relationes de causâ C. *Coolhaesii* a. 1582. (pag. 15. 21. 22. 46. 51. 52. 70. 71. 88. 105. 116.) & de causâ *H. Herberts* a. 1591. nomine Synodorum Hollandicarum editæ. In priorum epistolâ dedicatoriâ ad Ill. Hollandiæ Ordines refertur, à dominationibus ipsorum, remonstantiam nomine concionatorum quorundam anonymorum sibi mense Februario 1582. oblatam, & contra ecclesiarum Belgicarum ordinem ac disciplinam, conscientiarum coactiones, inquisitiones neo-Papales, immo Papalibus pejores blaterantem (confer hujus libri pag. 116.) in conventu suo discerptam & combustam fuisse. Hæc ab Illustr. Hollandiæ Ordd. & Celsiss. Principe gesta indicare volui, ut adversarii discant, nostros illos libertatis Belgicæ fundatores, in quarumvis sectarum prætensâ libertate eam minime collocasse; & frustra eorundem sensu & autoritate malam hanc causam fulciri: uti nuper factum *in anonymi libello Remonstrantico* contra Senatum Leidensem, ubi titulus nomen *Celsiss. Principis Wilhelmi* I. præscribit, tanquam præsumtæ libertatis, juxta sententiam Remonstrantium, vindicis. Inclytus Senatus Leidensis, usq; in hunc diem edictum Ill. Ordd. General. 1619. contra conventicula Remonstrantica, juxta decretum Ill. Ordd. Hollandiæ a. 1626. & 1627. tanquam edictum perpetuum semper habuit, & absque conniventiâ, executionem mandavit, etiam anno superiori: quâ occasione scriptus est *libellus* Remonstranticus *de libertate conscientiæ*. Sed illi prohibendo conventicula Remonstrantica, & mulctas pecuniarias exigendo; non putant, se quidquam peccare in libertatem Belgicam, pro quâ prædecessores eorum a. 1575. invicto animo tam gravia passi sunt.

Sed quid tot dictis & factis apud antagonistas, Belgarum de libertate sententiam inculco: audiant modo seipsos & suos.

Arminius in dispp. 22. de reformat. ecclesiar. à Romanâ secessione §. 14. perspicuè describit libertatem conscientiæ & exercitii, & illam ab istâ distinguit, ac convenienter fidei & caritati Christianæ illam sine istâ concedi posse asserit: „ Reformati inquit, multis in locis etiam ubi rerum „ potiuntur, erga Pontificiæ religionis addictos (*amicâ & leni conversatio-* „ *ne*) utuntur, dum nec vim illorum conscientiis inferunt, nec minis ad ullius

„ ullius fidei professionem cultusve exercitium adigunt; sed fidem cultum-„ que quem mens illorum approbat, Deo privatim saltem adferre permit-„ tunt: solo utentes gladio spirituali, ut hæresi & idololatriâ interfectis, „ homines etiam hic secundum corpora salvi, in diem domini æternum „ salvari possint: impedimentum publicorum conventuum, hominum-„ que ad audiendas reformatorum conciones per mulctas pecuniarias „ compulsio, sic administrari possunt, ut charitatis officia esse queat evinci. Nihil aliud, de distinctione libertatis conscientię & exercitii dixerunt theologi Belgę, ut videre est in tract. *Caspari Grevinckhovii* supra cit.; & cum eo Deputati synodorum in Remonstrantiis suis, *Henr. Arnoldus vander Linden in tract.* supra cit., *Apologia decreti Groningani*, Quin ipsi Ill. DD. Ordines Generales in edicto a. 1619.

Episcopius in collegio dispp. privatarum disp. 17. §. 14. 15. & in disp. publicâ de jure magistratus circa sacra, eandem distinctionem haut obscurè innuit, & novis Remonstrantium placitis ab anno 1619. & deinceps contradicit. „ Cœtus, inquit, collegia, conventicula, sine summarum po-„ testatum veniâ & indulgentiâ, nedum invitis & nolentibus illis habere „ nulli Christiano fas est. Liberum tamen cuique de religione sententiam „ pronuntiare, eamque alteri communicare fas semper licitumque esse „ debet: id vero impedire aut prohibere, ad potestatem supremam non „ pertinet.

III. *Object.* Reformati in Germaniâ, Galliâ, Belgio & alibi non tantum libertatem conscientiæ, sed & exercitii petierunt: ergo debebant eandem aliis concedere, ubi rerum potiuntur; & qui olim in afflictione suâ tam humiliter & suppliciter petebant, nunc non debent aliis idem petentibus negare: juxta regulam, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Sic in *Responso ad specimen Profess. Leidens. p.* 126. &c. *Resp.* 1. Ut de Gallis, Germanis, &c. nihil dicam, nego ecclesias nostras in Belgio libertatem exercitii petiisse non tantum suæ religioni, sed & quibuscunque sectis & hæresibus, nominatim Libertino-Enthusiasticis, Arrianis, Samosatenianis seu Photinianis, Servetianis, Socinianis, Remonstranto-Socinianis. Petierunt eam verę, Euangelicę, Apostolicę, Catholicæ religioni quæ 37. articulis confessionis Belgicæ descripta habetur. Vide epistolam, quam cum confessione suâ Regi Philippo II. mittendam statuerant anno 1562. editam, & paręnesim ad Magistratus Belgii anno 1562. & epistolam ad Imperatorem Maximilianum II. & orationem ad eundem anno 1566.: quæ scripta unà cum confessione & catechesi vernaculo sermone edita sunt anno 1615. curante (ni fallor) *Ant. Thysio* tunc theologo Harderoviceno, postea Leidensi. Confer cum his scriptis *ordinem ecclesiasticum Vesaliæ* anno 1568. *Emdæ*

1571. *Dordraci* 1574. *Dordraci* 1578. conceptum; una cum actis dictarum synodorum, & supplicatione nomine ecclesiarum anno 1578. ad Archiducem Mathiam & Ordines Belgii: & judica, si vel γρῦ pro libertate exercitii quarumvis sectarum, nominatim alicujus antitrinitariæ, sive apertæ sive crypticę, aut Enthusiasto-Libertinicæ (Zwenckfeldii, Francki, Davidis Georgii, &c.), aut Semi-Libertinicæ, aut Neutralisticæ, &c. unquam dixerint; ac non potius se suaque ab omnibus sectis, & sectarum syncretistis ac proxenetis sollicitè semper distinxerint. Illico manus dabo, si vel unius Synodi, aut Classis, aut Consistorii petitionem commonstrare queant.

Dicent forte, à celsiss. Principe, aut præfectis Provinciarum, aut Ordinibus Provincialibus, aut Magistratibus civitatum, tale quid factum. *Resp.* 1. Dato, non concesso, falsò tamen illud religioni & ecclesiæ reformatæ in Belgio, earumque Synodis, Classibus, Deputatis Synodalibus, Consistoriis, licentiæ Papatus, aut Remonstrantismi, alteriusve sectæ inhibitionem subinde postulantibus imputaretur. Novimus politicos aliquando considerationibus sęcularibus sive veris sive imaginariis ad statum suum & fœderatorum aut vicinorum spectantibus sive duci sive constringi. *Resp.* 2. privata quorundam ἐν ἀρχῇ constitutorum, & causæ libertatis politicæ contra Hispanos studentium ingenia quid tulerint, publico regimini & Rectoribus tribui non debet. Eilbertus Leoninus, Haggeus Albada, aliique inter proceres religioni reformatæ nunquam nomen dederant. Ille honestate civili contentus, religionem omnem susque deque habebat: uti eum ipsi graphicè descripsit Phil. Marnixius in select. epist. Belgarum centur. 2. epist. 44. „ Nihil enim est in te quod non sit suavissimum, si hoc unum demas, „ quod nimium es atheologus. Dum enim tuis illis formulis, quid dico „ formulis? immo oraculis, Neminem lædere, honestè vivere, aliisque „ tanquam scopulis inhærescis, videris mihi Apostolorum omnium ac Pro- „ phetarum laborem omnem propè inanem ducere. Et talium proventus in Belgio, uti tunc erat, etiamnum nunc est uberrimus. Quod ad Albadam erat ille Zwenckfeldii theologematis, tantum non occupatus: uti tunc per difficilia illa tempora Proceres & Optimates non pauci Papatum quidem fastidientes, Zwenckfeldii, aut Francki, aut Davidis Georgii solius interioris hominis absque exteriori sanctificationem, regenerationem, deificationem comprobabant, ut cruce Christi posthabitâ vitæ, facultatibus, dignitatibus hoc quasi salvo conductu consulerent. De Albadæ erga Swenckfeldismum nimio affectu, vide ipsius & *Marnixii epistolas in sel. epistol. Belgarum centur.* 1. *epist.* 77. 78. 79. & 98. & Clariss. *Heinsii præfationem epistolis illis præmissam.* De celsiss. Principis Arausoniensis suffragio ex

ex epistolis Belgarum centur.2.epist. 51. quæ est *Marnixii ad Casp. Verheyden*, nescio quid subinde glorientur adversarii. Sed quod illo rerum statu Anabaptistas ex Hollandiâ prȩsertim Boreali excludendos non censeret, non ita miror. Erant enim Anabaptistæ, dissentientes tunc in capitibus non ita multis, ac quidem non pauci eorum posteri in pejus proficientes. Minimè erant turbulenti, industriâ & opibus suis negotiationem promovebant, & per eam pecuniarum vim, belli nervum; insuper plerique ex illis Romano-Hispanicam tyrannidem nuper unà cum nostris passi erant, & plerumque ob eadem placita, quȩ contra Papatum nobiscum tenebant. Potestas celsiss. Principi non aderat, si maximè voluisset (uti antea difficultatibus omnibus non ita perspectis à tali consilio non ita alienus videbatur); nec reformatam religionem inter Ordines Hollandiæ professis: & omnibus illis deerat potentia, & agendi opportunitas. Cum ergo anno 1577. tam multi inter Hollandiæ Ordines & Magistratus civitatum Papismo moderatiori, sive Erasmico sive Cassandriano, aut Neutralismo, aut Libertinismo, aut Semi-Libertinismo tenerentur, aliqui forte Anabaptismo faverent, cumque Respublica ex tyrannide vix emersisset, & tot tantaque pericula eam circumstarent; non culpanda est celsiss. Principis in hoc negotio prudentia, cui arcana Reipublicȩ optimè perspecta erant. Multo minus inter Libertinos, Atheos, hæreticorum fautores numerandus: quasi nullo verȩ religionis sensu tangeretur. Longè aliter se declaravit contra Regis Philippi exprobrationem in *Apologiâ* Latinè, Gallicè, Belgicè anno 1581. editâ. Nôrat distinguere inter Papalis religionis, aliarumque sectarum approbationem; & inter earundem in Republica, pro præsenti ejus statu, permissionem aut tolerantiam: insuper inter tolerantiam Anabaptistarum in Hollandiâ, & quarumvis aliarum hæresiωn, blasphemiarum, impietatum; præsertim Arrii, Samosateni, Photini, ab antiquâ ecclesiâ & universo Christianismo deinceps, usque in hodiernum diem condemnatarum. Frustra ergo promiscuæ istarum aut istis pejorum sectarum licentiæ ac tolerantiæ, prudentissimi illius heroïs consilia & acta prȩtenduntur. Nec sinit zelus ejus in causâ *Erasmi Johannis, Coolhaesii*, & *Herberts* (quorum supra meminimus) ostensus, ut quis tale quid de illo suspicetur.

Ut concludam, consequentia illa, à reformatis in Belgio debitam jure divino veræ religioni libertatem petentibus, ad hæresiωn quarumvis libera exercitia concedenda, similis est illi: Christiani cum primis à Christo sæculis sub cruce gemerent, libertatem & conscientiæ & exercitii jure divino sibi debitam petebant: ergo cum proximè sequentibus sæculis penes ipsos potestas & potentia esset, debebant vicissim petentibus Gentilibus horrendam ipsorum idololatriam, & abominanda quævis sacra (apud au-

 tores

tores de festis, de ludis, de theatro, de Magiâ, de idololatriâ, de sacrificiis Gentilium descripta) concedere, & ablata restituere. Sic vicerint Celsus, Julianus apostata, Symmachus. Eandem consequentiam nectant sub nomine Christiano, hæretici Gnostici, Nicolaitæ, Ebionitæ, Cerinthiani, Valentiniani, Priscillianistæ, Adamitæ, Monasterienses Anabaptistæ, Seideliani, Francisco-Davidici, &c. Eandem hodierni David Georgici, Henrico-Nicolaitici, Enthusiastæ tremuli seu *Quakers*, Weigeliani, & sub umbrâ ac nomine Anabaptistarum aut Remonstrantium quivis Neo-Arriani, aut Neo-Photiniani. Eandem consequentiam nectant, Hutterici Anabaptistæ, quibus bonorum communio articulum fidei constituit: qui ut divitibus plerisque ingratus, ita multis pauperibus sale scientiæ & conscientiæ destitutis, perquam gratus esset.

Eandem denique nectant, quicunque delinquentes contra mulctas, & pœnas à magistratu infligendas: prætenso ex propriæ conscientiæ judicio facti sui honesto, licito, sancto: & subjecto notissimo κοίνης ἐννοίας epiphonemate: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

Quid si conjurati in Galliâ, Angliâ, Hyberniâ, Rhætiâ ex zelo religionis suæ imprimis Jacobus Clemens, Balthazar Gerardus, Ravillacus, Alphonsus de Travail, Henricus Slaetsius, & similes parricidæ, conscientiæ suæ judicium & secundum illud sic faciendi libertatem immo & necessitatem, una cum τῷ *quod tibi non vis*, &c. obtruderent: quid quæso adversarii convenienter suis hypothesibus responsuri essent? An Magistratus & Judices ejusmodi tyrannidis in conscientias condemnarent? pariter & ministros Magistratum suum non dehortantes? Hypotheses, distinctiones, exceptiones Remonstrantium, quibus in hujus quæstionis discepatione utuntur, videat lector in *Vedelio Rhapsodo*, & in *Responso ad Specimen* seu *excerpta Professorum Leidensium pag.* 128-143.

IV. *Object.* Hæreticis in conscientiâ, & non contra conscientiam, innocenter errantibus, cætera innocentibus, probis, pacificis, subinde etiam dissentientium fraternitatem petentibus, in ecclesiâ libertas prophetandi, saltem in politiâ libertas exercitii concedi debet: quia innocenter errant, non scientes volentes contra conscientiam: & quia politiam non turbant, neminem lædunt, suum cuique tribuunt, honestè vivunt. Vide hęc aut similia *lib.* 1. *Vedelii Rhapsodi cap.* 3. & *lib.* 2. *cap.* 4. *Resp.* In antecessum optem declarari, Neo-Arrianis, aut Neo-Photinianis tantum, an etiam aliis sectariis Manichęis, Valentinianis, Gnosticis, David-Georgicis, Weigelianis, &c. hæc applicata velint. Interim dum hoc exspectamus, *Resp.* 2. Innocentiam, & probitatem, quę quidem Deo grata esset, non puto probari per hæresim; quam Apostolus inter carnis opera numerat *Galat.* 5. ut & *hæreticum post unam atque*

alte-

alteram monitionem vitandum monet. Tit. 3. v. 10. vide porro descriptionem hęreticorum 2 *Tim.* 3. *Philipp.* 3. 2 *Petr.* 2. & in epistolâ *Judæ*. Pontificii apud Toletum lib. 4. de Instruct. Sacerdotum, seu summâ casuum, &c. cap. 3.
„ statuunt *rusticum, si circa articulos fidei credat suo Episcopo proponenti ali-*
„ *quod dogma hæreticum*, mereri in credendo, licet sit error; qui tenetur
„ credere, donec ei constet esse contra ecclesiam. Rursus, aliqui putant
„ aliqua quæ verè sunt contra ipsas scripturas, sed ipsi ignorant, nec scire te-
„ nentur, nec peccant, nec merentur. Conferantur Remonstrantica lib. 2. *Vedelii Rhapsodi* cap. 4. *Resp.* 3. Hæretici lędunt concives suos, dum à viâ salutis, à veritate cœlesti eos abducunt, dissidia & factiones inducunt, & pacem perturbant; Nec Deo, quod Deì, nec proximo quod proximi est tribuentes.

V. *Object.* Quia negatio aut impeditio prætensæ libertatis cum hęreticidio coincidit, aut illud secum trahit, aut pari passu cum eo ambulat? *Resp.* Sic declamant Remonstrantes, in *Apologia*, in *Vedelio Rhapsodo*, in *Responso ad specimen Professor. Leidensium*: ubi ita ex hypothesi figmenti sui, & calumniosæ consequentiæ paratrogrœdiantur, ut non vereantur reformatis, quos *Calvinistas* vocant, omnem salutis spem hoc nomine adimere. Hæc ipsorum verba pag. 129. 130.

„ Esto tamen, certum sit, D.D. & cum iis Ecclesias Calvinisticas, statue-
„ re, neutros extremo capitis supplicio afficiendos esse, nihilominus extra
„ dubium est, eas ubi rerum potiuntur hoc optare, hoc cupere, hoc agere,
„ in hoc eniti, ut qui ipsis videntur hæretici, quavis corporali pœna, sola
„ mortis extrema pœna excepta, coërceantur & reprimantur à Magistratu
„ Politico. *Hoc satis est Remonstrantibus, ut damnabilis credi debeat Calvi-*
„ *nistarum secta.* Præterquam enim quod impossibile fere sit ab hac puni-
„ tione non delabi tandem ad hæreticidium, & punitiones multæ corpo-
„ rales brevi morte longe sint atrociores, *quicunque aliis armis contra hæ-*
„ *reses aut hæreticos, quà tales, cæteroquin probos piosque, quam spiritualibus*
„ *pugnant aut pugnari consulunt, eos omnes carnales homines & conscientia-*
„ *rum Tyrannos censendos esse aperte profitentur, nec fieri posse ut commu-*
„ *nionem habeant cum Deo & Filio ejus Jesu Christo.* Quippe non violant
„ tantum regiam Christi legem, quæ caritatem nostram ad inimicos usque
„ extendi vult, sed ipsam primam naturæ legem, *quæ jubet, ut ne faciamus*
„ *aliis quod nobis fieri nolumus, quam ipsi semper tanquam clypeum obiiunt iis*
„ *à quibus tanquam hæretici*, aliis quam spiritualibus armis premi ac vexa-
„ ri solent. Nemo leges istas sine summo crimine violat, & qui legibus
„ istis pro se utuntur ut alios crudelitatis damnent, eos aliquando eæ-
„ dem istæ leges & sua propria conscientia reos agent apud tribunal su-

„ premi Numinis, inexcusabilis immanitatis. Verum enim vero, ne quis „ existimet nos Doctoribus his eorumque Ecclesiis tribuere quod sibi tri- „ butum nolunt, en propriam eorum Confessionem; *Verum quidem est*, „ inquiunt, *Synodos atque Ecclesias legitimos suos Magistratus interdum ro-* „ *gasse, ut audaciam quarundam sectarum, ac nominatim Remonstranticæ suâ* „ *autoritate refrænarent, ac solemnia saltem ipsorum conventicula congruis ra-* „ *tionibus inhiberent.*

Sed ex verbis DD. Professor. Leidens., quę hic ab ipsis exhibentur, manifestissimè evincitur, refrænationem audacię, &c. & quidem *congruis rationibus* prętandam, non esse hęreticidium hæretici qua talis (ut ipsi Remonstrantes loquuntur) hoc est simplicis hæretici. Ergone coërcitio & inhibitio audaciæ ebriorum, aleatorum, usurariorum, ludionum, monopolarum, saltatorum, histrionum & spectatorum, novellas cantilenas per fora & compita cantantium, vectigalia & telonia publica fraudantium, bona sua dilapidantium, luxum in vestibus & conviviis ostentantium, uxores suas aut liberos suos durè tractantium, liberorum parentibus non obedientium, medecinam aut chirurgiam aut artem obstetriciam, non satis peritè exercentium, &c. est omnium istorum, quà talium, occisio? Miram judiciorum capitalium jurisprudentiam & praxin, novi hi rerum inventores, & verborum fabri nobis procudent? *Instantia:* pag. 129.

„ Quod perinde sit Remonstr. sive simplices hæretici excipiantur à cæde, „ sive non excipiantur. Sufficit ad damnationem si quis ullos hæreticos, „ quà tales, supplicio mortis adfici aut suadeat aut velit, imo nisi dissuadeat „ ut morte adficiantur, nisi contradicat, nisi repugnet suadentibus. *Hære-* „ *ticus quâ hæreticus mortis reus non est: errare, falli, decipi, humanum est.* „ Nemo sibi ipsi usque adeo male vult, ut in salutis æternæ negotio, se „ ipsum studio velit fallere, nedum ut fallendo alios, reum se velit facere „ gravioris condemnationis. Beatitudo æterna majus bonum est, quam ut „ à quoquam mortalium de industria possit negligi, nedum studio contemni „ aut ex professo odio haberi. Ex quo consequitur, *Quanto quis impensius* „ *opinionem suam amat*, sive quia eam præcisè creditu ad salutem necessa- „ riam, sive quia eam vehementer utilem ad pietatem esse sibi persuadet, & „ quanto magis aliorum saluti atque æternæ fælicitati studet, tanto eum „ minus odio dignum esse; *proinde autores, proseminatoresque hæreti-* „ *cæ alicujus opinionis, quos credibilius est ejus amore supra alios omnes duci,* „ *minime omnium mereri ut supplicio mortis adficiantur.*

Resp. Ergo perinde est in disciplinâ militari primus sit & demagogus seductor aliorum ad discessionem à signis, aut ad seditionem cohortis, aut legionis, aut exercitus; an simpliciter seductus, & majorem partem sequens,

non-

nonnunquam simplici animo, quomodo illi ducenti 2 *Sam.* 15.. *v.* 11. Et perinde est, an quis simpliciter fraudet vectigalia, an armatâ manu contra pretorem & scabinos ad facti cognitionem evocatos, fraudationem suam defendat? Ipsi ibid. sarcasticè explosâ distinctione Theologorum Leidensium, quam habent cap. 24. censuræ confess. Remonstr., satis distinguunt & limitant, his verbis: *Hæreticus quà hæreticus, mortis reus non est.* Sic est: nec percussor quà percussor, nec bonorum dilapidator, nec ebrius, nec aleator, nec fallitor, nec monopola, nec saltator, nec usurarius, &c. quà talis. Sed quid si sit hæreticus qualificatus, qui blasphemiam, vim intentatam, perjuria, flagitia, rerum perturbationes, seditiones, & quid non pertinaci errori addat; aut qui hæreses contra lumen naturale & honestatem civilem, cum Gnosticis, Priscillianistis, Adamitis, Anabaptistis Monasteriensibus propaget: an nusquam, nunquam in quocunque Reipublicæ discrimine inhibitio aliqua esset licita? An vero putant effugiis & palliationibus illis se omnibus posse satisfacere. *Errare sic falli, decipi humanum est. Nemo sibi ipsi usque adeo malè vult, ut in salutis æternæ negotio, seipsum studio velit fallere, nedum ut fallendo alios, reum se velit facere gravioris condemnationis*, &c. pag. 129. Hoc applica nunc antecessoribus in Judaismo, Muhamedismo, Gentilismo antiquo Ægyptiaco, Græco-Romano; & hodierno Japonico, Sinensi, Brachmannico, Tartarico, Asiatico, Mexicano, Peruviano; aut in Nicolaitismo, Gnosticismo, Priscillianismo, Manichaismo, Monasteriensi Anabaptismo, hodierno Enthusiastico-Quakerismo; Et concl ude eorum libertatem nullo modo inhibendam, aut impediendam esse: quia per consequentiam tuam cohibitio illa qualiscunque tyrannidem in conscientias exerceret, & necessario hæreticidium adjunctum haberet, aut post se traheret. Quidquid autem contra dicant & protestentur tum Doctores, tum Magistratus Belgici consiliis, dictis, scriptis, factis: eâdem chordâ Remonstrantes nostri oberrant, insuper fraudis & simulationis, declarationes ac protestationes insimulant, pag. 130. 131. & ferale hoc carmen illis occinunt, quorum tamen fraternitatem expetunt: *Salvari* ajunt pag. 128. *on possunt, fidenter asserimus, & ut animum advertatis obsecramus, ecclesiarum præsules, qui istud, non dicimus, probant, laudant, suadent, & commendant; ed qui non improbant, non dissuadent, non execrantur, non ab eo toto animo aborrent.* Confer τὰ ὑπέρογκα τῆς ματαιότητος in *Vedelii Rhapsodo, Apologiâ, Genuino Remonstrantico theologo.* Nunc collige lector, ubi sint, juxta calidos os judices, *Calvinus*, *Beza*, *Melanthon*, *Hemmingius*, *Musculus*, *Bullingerus*, um reliquis *Helvetiis*, qui supplicium de Serveto sumtum probârunt; atque adeo omnes theologi Galli, Angli, Scoti, Germani, Hungari, Sueci, Dani, Belgæ, qui in loco communi de Magistratu, aut in explicatione quinti

præ-

præcepti, Magiſtratui poteſtatem tribuunt falſos cultus, idololatrias, blaſphemias inhibendi. Ne quid dicam de *confeſſionibus Helveticâ art.* 30. *Scoticâ a.* 24. *Gallicâ a.* 39. *Saxonicâ tit. de Magiſtratu.* Dum autem ſtramineis ejuſmodi rationibus & conſequentiis, de tyrannide conſcientiarum, hæreticidio hæreticorum quà talium, de innocente errore, &c. nos urgendo, putatitiam illam libertatem, pro cujuſque ſectę judicio in conſcientiâ ſuâ, debitam vindicare ſtudent; an non vident, iiſdem effugiis ſe tollere omnem cenſuram eccleſiaſticam: exemplo hodiernorum Socinianorum, qui apud hyperaſpiſtem ſuum *Zwickerum* medicum nunc Amſtelodami commorantem, in iterato *Irenico Concil. Niceni* cenſuram eccleſiaſticam in Arrianos latam tyrannidis condemnat: *Concilium*, inquit, *Arrianos contradicentes mox anathemate percuſſit, adeoque tyrannidem in conſcientias uſurpavit.* Cui breviter & concinnè ita reſpondet clariſſ. & veteranus theologus Joh. Amos Comenius in *Iteratâ ad Chriſtianos admonitione de iterato Sociniano Irenico* a. 1661. pag. 181. „Non „mox, ſed poſt diu & fruſtra toleratos *inanes clamores, oppoſitioneſque falsò* „*nominatæ ſcientiæ: quales Apoſtolus tandem averſari juſſit* 1 Tim. 6. 20. „*Quomodo autem averſari, niſi illis qui non amant Dominum Jeſum Chriſtum* „(ſed æternitatis illius thronum oppugnant) *Anathema maranatha dicendo* „1 Cor. 16. v. 22. Et hoc tu tyrannidem vocas? Nempe eodem jure petu„lans puer virgam, Fur patibulum, Chriſtianus diſſolutus eccleſiaſticam „diſciplinam, quo hæreticus eccleſiæ ſynodicè congregatæ cenſuram, ty„rannidis accuſare poteſt.

Velim videre quomodo Ordinem ſuum eccleſiaſticum anno 1612. in Provinciâ Ultrajectinâ pręſcriptum cap. de diſciplinâ cleri art. 21.-25. à tyrannide conſcientiarum, convenienter ſuis dictatis in *Reſponſo ad ſpecimen,* &c. *pag.* 128. uſque ad finem; *Vedelio Rhapſodo lib.* 2. *cap.* 4. *Apologiâ cap.* 24. liberaturi ſint. Ut concludam, provoco illos, ut reformatę religionis & eccleſię doctrinam inhibendam aut à Republicâ ſive in publicis templis ſive in locis privatis non tolerandam, idque ob rationes tum theologicas tum politicas, abſque logis & rhetoricationibus in formâ & acromaticè probent; juxta ea, quæ habent in libello quodam Belgico, ubi omnibus omnino ſectis libertatem concedendam dicunt: exceptis duabus, quarum una dependet à capite extraneo: altera doctrinam habet ſeditioſam & factioſam, ſeu quæ cauſa eſt factionum. Prior quæ ſit, nemo noſtrum ignorare poteſt. Poſteriorem quamvis iſtic digito monſtrare noluerint; eam nullam aliam eſſe quam *reformatam* ipſis dictam *Calviniſticam*, non obſcurè colligitur ex *lib.* 2. *Vedelii Rhapſodi cap.* 2. *pag.* 174. 175. & *cap.* 5. *pag.* 108. & *cap.* 9. *pag.* 166. 169. 171. & ex *Reſponſo ad ſpecimen Profeſſ. Leidenſi pag.* 126. 127. 136. Et ex furioſâ *præfat. Dan. Tileni ad notas ſuas in*

canones

canones Synodi Dordrac. Ejuſdemque libello Gallico & Belgico de praxi & apraxiâ doctrinæ reformatæ, quem nos peculiari tract. a. 1628. refutavimus. Sic tamen probationem hanc inſtituant, ne hypotheſibus ſuis de promiſcuâ libertate locis modo cit. aſſertâ repugnet. Hæc aliaque de noſtris à Magiſtratu coërcendis non tantum declamant, & etiam à ſalute eoſdem excludunt, ſi qui inter ipſos de hæreticis puniendis ſententiam ſuam, ipſorum judicio, pronuntiâſſe videantur. Quales *Calvinus*, *Beza*, *Aretius*, *Bullingerus*, aliique à *Beza in tract.* ſuo adducti; cum *Melanthone*, *Hemmingio*, & theologis Helvetiis, qui ſupplicium Serveti probârunt; præterea *Gul. Prynne*, cum theologis Anglis non paucis. Unde quæſo conſtabit nobis theſin illam de libertate cœtuum colligendorum, & propagandæ cujuſcunque hæreſios omnibus hæreſiarchis & phanaticis concedendâ, eſſe articulum fidei fundamentalem, ſine cujus cognitione & aſſenſu nemo ſalvari poſſit: & antitheſin *Calvini*, *Bezæ*, *Bullingeri*, *Melanthonis*, *Hemmingii*, &c. *Kingi*, *Aboti*, *Davenantii*, *Gul. Prynne*, & Imperatorum cum omnibus Jureconſultis leges eorum C. tit. 1. & 5. L. *Ariani* & tit. 7. L. *Eum.* approbantibus, aut quoquo modo excuſantibus, aut non condemnantibus ac *deteſtantibus*, eſſe errorem fundamentalem, cum quo nemo ſalvari poſſit. Tentent modo, ſi auſint, aliquam probationis ſpeciem & duo iſta oſtendant: primo theſin iſtam ſive totidem verbis ſive per evidentem & certam conſequentiam in ſcripturis tradi; aut antitheſin in ſcripturis ſive totidem verbis ſive per certam & evidentem conſequentiam rejici. *Secundo* oſtendant, in ſcripturis tradi ſive diſertis verbis ſive per certam & evidentem conſequentiam, dictam theſin eſſe fundamentalem ſine quâ nemo ſalvari poſſit; aut antitheſin eſſe errorem fundamentalem, cum quo nemo ut ut cætera probus (quales *Calvinus*, *Bullingerus*, *Melanthon*, &c.) ſalvari poſſit. Recordentur hæc duo ab illis requiri, ut dogma neceſſarium aut ut error ſit fundamentalis. Vide 2. *part. ſelect. diſp. tit. de articulis & erroribus fundamentalibus.* Perpetuo clamant, articulos, dogmata, aſſertiones fundamentales & ad ſalutem neceſſarias eſſe pauciſſimas. Sed ſi ad quæſtiones theticas & hypotheticas per totum decalogum, neceſſitatem & fundamentalitatem ſuam extendant, quam innumerus neceſſariorum futurus eſt numerus. Quæſtio eſt de dictâ libertate hæreticis quibuſvis concedendâ; Item de qualitate aut quantitate inhibitionis, an etiam creſcentibus delictis, & accedentibus illis, quæ in Serveti causâ acciderunt, ad capitis ſupplicium deveniri poſſet. Ita cenſebant judices Genevenſes; nec abnuebant theologi, tum domeſtici tum extranei: quippe quorum nullus ſententiam & factum Genevenſium, tanquam in foro conſcientiæ jure divino & naturali (juxta principium illud, *Quod tibi fieri non vis*, &c. à Remonſtrantibus in *Reſponſo*

ad specimen Prof. Leidens. allegatum) crudele, flagitiosum, nefandum condemnavit, *detestatus est.* Similes quæstiones proponantur, An omne adulterium, an omne furtum, an omne stuprum, &c. pœnâ capitali puniendum? An omnes theologi aut Jureconsulti, furtum aliquod capitali supplicio puniri posse, ob innocuum hunc errorem (dato eos errare), ilico hac consequentiâ gravandi essent: Ergo sequitur furem quà furem morte mulctandum; & sic sentientes (quamvis cætera probissimos, & nonnisi ex convictione conscientiæ sic sentientes & dictitantes) esse homines sanguinarios, crudeles, ab omni christianismo, & ex ipso cœlo excludendos. Itane! ubi charitas, ubi moderatio, ubi dissentientium tolerantia, quasi quarto modo Remonstrantibus propria?

VI. *Object.* Magistratus nihil potestatis & inspectionis habet sive ἔξω sive ἔσω, in religiones & ecclesias, quæ extra publica templa in privatis locis, & propriis expensis conventus celebrant? *Resp.* Novum hoc εὕρημα in lucem prodiit anno 1618. postquam rota in regimine Hollandiæ verti cœperat. Vide illud supra *lib. 1. tract. 2.* rejectum. Aliter determinabant; cum genuini reformati, novitatibus & calumniosis ac blasphemis concionatorum quorundam clamoribus, aliisque ἀταξίαις & perturbationibus coacti, segreges cœtus in privatis domibus celebrarent. Affinis huic commento est sententia Papistarum, de laicis sive plebejis sive Magistratibus, quibus tanquam profanis minimè competat negotia & causas religiosas examinare & tractare. Vide *Bellarminum.* In eandem sententiam eunt hodierni Enthusiastę, dicti *Quakeri*; qui ajunt Magistratibus nihil negotii esse cum materiis religionis: teste *Thomâ Underhil in Historiâ Quakerorum angl.* Londini a. 1660. *cap. 2. pag. 28.*

VII. *Object.* Antiqua ecclesia in conciliis & patribus, præsumtam libertatem probavit, & omnem sectarum inhibitionem improbavit. Cum quibus consentit doctrina & praxis protestantium ac reformatorum. *Resp. 1.* Quod ad antiquitatem, absolutè negatur, ab eâ probatam, & per eandem à Principibus ac Magistratibus postulatam, restituendam libertatem Gentilismi. Vide *Prudentium contra Symmachum lib. 2. in fine.* Et *Ambrosii epist. 30. c. eundem Symmachum.* Leges Imperatorum c. Gentiles, Samaritas, hæreticos Manichæos, Arrianos, &c. à nemine antiquorum improbatas supra retulimus. *Resp. 2.* Theologi nostri jam inde ab initio reformationis usque in hunc diem prætensam illam libertatem Gentilismi Ægyptiaci, Syriaci, Hellenistici, Romani, hodierni Brachmanici, Japonici, Sinici, cum abominandis sacris Cybeles seu magnæ matris, Cereris, Saturni, Molochi, pervigiliis Veneriis, &c. & perfidiæ Judaicę ac Samariticæ; hæresium Ebionis, Cerinthi, Marcionis, Montanistarum, Circumcellionum, Adamitarum, Davidis Georgii,

gii, Monasteriensium, Familistarum seu Henrici Nicolai, Serveti, Arii, Photini, Socini, Francisci Davidis, Enthusiasto-Quakerorum, Antinomorum, &c. nunquam probârunt, nunquam Magistratibus suis suaserunt, nunquam sub poenâ condemnationis eorundem conscientiis imposuerunt. Quæcunque ergo antiquorum & recentiorum testimonia à *Bellio in farragine*, ab Anabaptista *Petro Joh. Twisk*, ab *anonymo Remonstrante* contra librum *Henr. Arn. vander Linden* ecclesiastæ Delfensis adducuntur; hanc quæstionem minimè tangunt. Loquuntur enim 1. *aut* de libertate Christianæ religioni ac pietati concedendâ. 2. *aut* de falsâ religione sive infidelium sive hæreticorum ecclesiis à Magistratu non obtrudendâ. 3. *aut* de non auferendâ, aut ablatâ restituendâ, eâ exercitii libertate; quâ ante sive ex pacto, sive ex Regum, Principum, Magistratuum suorum libero decreto ac concessione, possidentes gaudebant. 4. *aut* de libertate conscientiæ & infidelibus & hæreticis concedendâ: absque coactione eorum ad veræ fidei receptionem, sub poenâ capitis. 5. *aut* improbant ecclesiam, episcopos, aliosque ecclesiasticos judiciis criminalibus & poenis corporalibus & armis potius causam suam agentes quam verbo Dei. Harum explicationum aliqua citatis testimoniis applicari potest ac debet. Nec metuendum, ne verbis eorum vis inferatur: quandoquidem ipsi alibi se satis explicant; nemine excepto: uti etiam nemo indicari poterit, qui sententiam Libertinorum, Remonstrantium, Socinianorum & similium hâc in parte defendit. Fatendum est, aliquos tum antiquorum tum recentiorum videri ultra convenientem inhibitionem, etiam supplicium capitale admittere; in casu scil. necessitatis, cum hæreses & molitiones archihæreticorum cum blasphemiis, infandis factis (e. gr. Adamitarum, Priscillianistarum), legum subversionibus, Reipublicæ perturbationibus, autoritatis publicæ & minorum coërcitionum contemtu ac delusione, præsentibusque Reipublicæ periculis conjuncta. Sed quidquid nonnulli scripserint, aut fecerint, communis & stabilita ecclesiarum doctrina inde colligi nequit; ut nec benignior interpretatio dictis autoribus negari: recisis consequentiis, quibus sententia eorum ab adversariis gravatur; quippe quæ vel calumniosæ sint, vel si solidæ aut saltem probabiles, ab ipsis prospectæ non fuerint. Conferantur *Profess. Leidenses in censurâ confessionis Remonstranticæ cap.* 24. *Rivetus in dialysi Grotianæ discussionis sect.* 1. & 16. *Altingius in problem. novâ loc.* 15. *probl.* 12. Qui statis determinant, an & quousque Magistratus sectas inhibere aut tolerare possit: sic tamen ut necessariam quamcunque inhibitionem non faciant aut nolint fieri eandem, cum hæreticidio, quà hæretici: uti adversarii pro prætensâ libertate suâ, contendentes, calumniosè inferre solent. Nos anno 1638. *in disp. de Gentilismo part.* 2. & anno 1637. *in disp. de Judaismo part.* 2.

Nnn 2 in-

inhibitionem & tolerantiam tum infidelium tum hęreticorum distinctè sic determinavimus, ut à coactione conscientiæ, & hæreticidio hęreticorum quà talium nimis quam manifestè distare & in praxi separari posse ac debere, deprehendi possit. Specimen in ipsâ praxi exhibetur in Republicâ Belgicâ. Si qui ex nostris (e. gr. *Calvinus* & *Beza*,) ulterius progressi videntur, cum pro Senatu Genevensi apologiam instituunt, & hæresin tam qualificatam ab illis in effero & blasphemo Serveto convenienter juri divino vindicatam probant: rogabo adversarios, ut conferre dignentur theologos illos, qui præ aliis, magis ipsis grati antehac videbantur, quam *Calvinus* aut *Beza*, aliisque istius commatis præcisistici; ideoque in causæ suę disceptatione non raro ab ipsis ad partes adducebantur: ut serio deliberent, an soli *Calvinus* & *Beza*, & hujus interpretes Belgici, *Bogermannus* & *Geldorpius* gehennalis condemnationis sententiæ innectendi sint. Sunt autem tales *Melanthon*, *Bucerus*, *Musculus*, *Bullingerus*, *Hemmingius*, *Franciscus Junius*, *Juellus*. *Melanthon* in loc. comm. de Magistratu pag. 610. 611. edit. Basil. anno 1555. ait Magistratum utriusque tabulæ custodem esse, & debere *punire ac prohibere epicureos sermones*, *idolorum honores*, *perjuria*, *fœdera dæmonum*, *professionem impiorum dogmatum*. Et paulo post laudat Reges, *qui prohibuerunt contumelias veri Dei*, &c. *Etsi enim Magistratus non judicat nec mutat arcanas opiniones in mente, tamen externa delicta prohibere debet propter gloriam Dei, & ne plures corrumpantur licentiâ & exemplis.*

Idem in epistolâ ad Calvinum 1554. Octobr. „Refutasti luculen„ter horrendas blasphemias: ac filio Dei gratias ago, qui fuit βραβευτὴς hu„jus tui agonis. Tibi quoque ecclesia & nunc & apud posteros grati„tudinem debet & debebit. Tuo judicio prorsus assentior. Affirmo etiam „vestros Magistratus *justè* fecisse, quod hominem blasphemum re ordine „judicatâ *interfecerunt*. Confer eundem in centur. epistol. theologic. ad *Schwebelium* p. 195. & imprimis in consil. theologicis *part. 2. p. 223. 1. ed. in* 8.

Erasmus lib. 21. epistol. ep. 7. ad Georgium Saxoniæ Ducem pag. 777. & 778. edit. Basil. anno 1558. „Sit sane conjiciendus in ignem, qui pu„gnat adversus articulos fidei, aut si quid aliud magno ecclesiæ consensu „receptum est, ut cum illis parem habeat autoritatem; At æquum non „est, ut quivis error igni puniatur, nisi accedat seditio, aut aliud crimen, „quod leges capite puniunt. Neque enim ad hoc valere debet Euangelii „prætextus, ut impunè peccetur, sed ne omnino peccetur, etiamsi per le„ges liceret impune. Et pag. 778. Non hæc eo spectant, ut censeam hoc „malum esse negligendum, sed ut doceam vulgaribus remediis non ex„asperandum.

Ubi quamvis in mitiora consilia & remedia inclinare se ostendit (in

quo

quo ei assentior): omnem tamen inhibitionem improbare non audet. Modum autem & rationem inhibitionis, quem verbis modo cit. indigitat, ego suadere nolim. Quod ad subjectum illic designatum (Lutheranos scil.) improbam istius coërcitionis confessionem toto animo detestor; quam tamen non tam ab ipsius proprio ingenio, quam nimiâ ἀρχοντωπερεικείᾳ profectam arbitror.

Bucerus in *Math.* 22. inhibitionem & quidem satis severam Magistratibus à Deo impositam dicit. Nimis prolixum esset omnia ipsius verba hic exhibere: ut & ea quæ habet in scriptis Anglicanis lib. 1. de Regno Christi pag. 10. 11. Ubi docet piis Principibus injurias & contumelias in Deum, imprimis vindicandas. „Hinc est, inquit, quod verè misericordi judicio „Deus in lege suâ sancivit ab omni populo lapidandos (*Levit.* 24. *Exod.* 31. „35. *Deuter.* 13. 17. *Num.* 15.) qui aliquid blasphemiæ contra ipsum „dixissent: qui sabbathum violassent: qui falsam religionem admisissent, „vel aliis obtrudere essent conati, legesve ejus destinatâ voluntate essent „transgressi. Sic vero advigilantibus contra injurias Dei, piis Regibus, „*impietas quidem multorum non exscinditur: opprimuntur tamen*, ne se ad „contumeliam & infirmiorum offendiculum proferat, &c.

„ Si reprobi interim hypocritas se præstent, pietatem quam externè simulant, animo respuentes, *sibi tantum eo noxii erunt*, non aliis: ut quibus „nec verbo nec facto impietatem obtrudere permittuntur. Confer *Buceri* epist. in centur. epist. theologic. ad *Schwebelium* pag. 107.

Musculus in Psal. 2. v. 11. ubi ait Magistratus servire Deo, cum hæreticos & idololatras coercent: In locis communibus tit. de hæresi adhibet verbum *cogendi*: quamvis *haut certo præscripto determinari possit*, *quibus modis cogendi sint*.

Et pag. 1329. (edit. in Basil. in 8. a. 1576.) „Christianus magistratus „animadvertit quidem in hęreticos; verum sic moderatè, ut sint qui resipiscere possint. Non patitur ut de fide doceant, nec permittit ut ecclesias „colligant, episcopos & alios ministros ordinent. Alios privat honoribus „alios proscribit, alios mulctâ pecuniariâ punit: quod Augustini temporibus factum esse legimus, Ipsos impostores ac seductores, ne illi, postquam incorrigibiles apparent, ultra quenquam seducant, carceribus inclusos tamdiu coercet ac detinet, donec in se reversi resipiscant. Sic coërcendi sunt, qui cogi se ad bonum non sustinent. Hâc pœnarum moderatione ad scopum pertingi potest, ad quem collimare debet Christianus „Magistratus.

Bullingerus in Decadibus Sermonum, in libris contra Anabaptistas lib. 3. cap. 7. aliisque in locis, quæ in notis ad Apologiam Anabaptist. libris illis

ſubjectam §. 1. & 2. indicantur contra prætenſam libertatem Magiſtratus officium hac in parte inculcat. Quin & Serveti ſupplicium in præfat. ad librum Simleri de æterno Dei filio defendit, dicens *factum & judicium ſenatus* Genevenſis fuiſſe *ſanctum*: & *non ultra conſilium* reliquarum Rerumpubl. Helveticar. euangelium *profitentium ab ampliſſ. Senatu Genevenſi petitum* fuiſſe factum. Jubere *omnes leges divinas pariter & humanas*, &c. *de blaſphemis ſumere ſupplicium. Quod cum ampliſſ. ſenatus Genevenſis fecit, pro pio ſuo officio, quod debuit, fecit.* Confer ejuſdem & collegarum epiſtolam aliorumque theologorum Helveticorum ad Senatum Genevenſem epiſtolas, inſertas *epiſtolis Calvini pag.* 156.-165. edit. in fol.

Hemmingius in Syntagm. cap. 43. ait, „Magiſtratum legis divinę cuſtodem eſſe quando exemplo Davidis, &c Joh. Friderici Ducis Saxoniæ, Chriſtiani III. Regis Daniæ &c. tollit idololatriam, & idololatriæ occaſiones. De Serveti ſuplicio *cap.* 1. *ſyntagm.* §. 38. „Deinde cum his hęreſiarchis damnamus etiam impium & impuriſſimum nebulonem, Michaelem Servetum, qui rabiosè contemtis ſanctorum patrum conſiliis, Arii & aliorum fanaticorum hominum damnatas hæreſes revocare conatus eſt; quem *juſtè* accuſatum à D. Joanne Calvino, *meritò* Genevates affecere ſupplicio.

Franciſcus Junius in dedic. ad Ill. Ordd. Generales præmiſſâ collationi cum libello *Puccii de Chriſti ſervatoris efficacitate*, &c. Goudæ in Hollandiâ excuſo pag. 304. (edit. operum Junii in fol. tom. 2.) „de Magiſtratus officio contra prætenſam libertatem ſic loquitur: Quod ſi (ut confido fore) auctoritate veſtrâ proſpexeritis, ne quid in graviſſimis illis (*de ſpeciali ſcil. gratiâ redemtionis, & non univerſali*) doctrinę ſacræ & ſalutis noſtræ capitibus deinceps quiſquam temere & ἀτάκτως auſit effundere, & Dei veritatem, publicam pacem, exiſtimationemque veſtram hoc pacto minuere; omnia mihi à vobis putabo data.

Idem in animadverſionibus ad Bellarm. lib. 3. de eccleſiâ, qui eſt de „membris eccleſiæ militantis, cap. 3. §. 10. *Solum remedium eſt mittere eos „in locum ſuum:* Sunt verba Bellarmini: quibus ita reſpondet Junius. Hæc „Draconis Romani lex, ſanguine non atramento ſcripta, ex particulari „definiens universè Nos verò, Bellarmine, alios quos dicitis, hæreticos „negamus eſſe; alios non ſupplicio, ſed commiſeratione dignos; alios aliquo ſupplicio; etiam ultimo. Hos ſupplicio aliquo afficiendos ſequenti notâ ita deſcribit, *qui contumaciter corrumpunt publicum.*

Juellus in apologiâ eccleſiæ Anglic. pag. 90. 91 (edit. gr. lat. Joh. Smithi 1639.): „Arianos, inquit, Eutychianos, &c. eoſque uno verbo omnes, „qui vel de Deo patre, vel de S. Spiritu, vel de ullâ aliâ parte religionis Chri-

„ Christianæ impiè senserunt, quia ab euangelio Christi coarguuntur, im-
„ pios & perditos pronuntiamus, & usque ad inferorum portas detestamur:
„ nec id solum, sed etiam si forte erumpant uspiam, & sese prodant, eos
„ legitimis & civilibus suppliciis severè & serio coërcemus.

Ibid. pag. 95. Nam nos quidem omnes illas hęreses, quas illi nos ale-
„ re & fovere calumniantur, illis interim sedentibus atque aliud agentibus,
„ quotidie repellimus & propulsamus.

Anastasius Veluanus præteriri non debet, quod ad Remonstrantium opinionem de gratiâ & libero arbittio quodammodo propius accedere videatur, atque ideo contra reformationem & ecclesiam Belgicam in staterâ collocandus. Is ergo in libro vernaculo tit. *Odegi laicorum* a. 1554. edito, & a. 1610. Hagæ-comitis recuso *artic. seu tit. de Magistratu* pag. 350. *& tit. de reformatione pag.* 303. *tit. de Magistratus officio pag.* 303. Christiano, inquit, Magistratui duo officia incumbunt, prius est, *pro viribus allaborare, ut idololatria in terris ipsorum impediatur, tollatur, funditus exstirpetur.* Qualis autem & quantus fuerit Anastasius, de quo tantopere Remonstrantes gloriantur, ex ipsius dedicatione libro cit. præmissâ cognoscat, cui hoc tanti est: aut Triglandii defensionem honoris & doctrinæ reformatar. ecclesiar. p. 301. edit. 2. a. 1619. aut 2. contra-Remonstrantiam ministrorum reformatorum in Hollandiâ anno 1617. mense Augusto Ordd. Hollandiæ exhibitam, pag. 36. edit. lat. in 4. consulat.

Denique *ipsum Remonstranticum decretum* pro pace ecclesiarum, nomine Ordd. Hollandiæ anno 1614. editum, & ab Joh. Wttenbogardo μετὰ πολλῆς φαντασίας, non sine κολακείας aspergine anno 1615. defensum: Ubi prohibent *publicè aut è suggestu, aut alias apud populum* (nota) *proponi, disputationes profundiores, quæ extrema atque absurda, quæ quibusdam imputari ante diximus, post se trahunt.* Ibidem tamen libertatem concedere se dicunt, seu *permittere* ut in *Academiis & verbi divini interpretum conventibus* de iis *colloquia instituantur.*

Reformati tunc temporis aut negabant strenuè doctrinam reformatam absurda, quę jactabantur, post se trahere, & probabant sua odiosè atque ambiguè, si non calumniosè, ab adversariis proponi, verbis quibusdam *Calvini, Bezæ, Martyris, Zwinglii, Marlorati, Zanchii, Piscatoris, Parei,* &c. à reliquo contextus corpore avulsis, & nonnunquam mutatis aut additis quibusdam. Libertatem ergo exercitii orthodoxi in interpretandis suis, & ex scripturâ confirmandis, atque una adversariorum objectionibus, quæ certatim in vulgus spargebantur, occasione ita ferente, quà voce quà scripto, refutandis & possidentes retinere studebant, & communi consensui omnium ecclesiarum ac scholarum reformatarum tantisper inhærere: donec in *Synodo*

do Nationali seu generali Belgicâ de novè motis & intrusis quorundam ministrorum (qui Remonstrantes dicebantur) controversiis legitimè cognosceretur. Sed frustra ab Ordd. Hollandiæ hæc continuanda libertas exercitii petebatur. Aliis sectis & novè exortæ Remonstranticæ quinquarticulanæ illa concedebatur, & pro hâc concessione certatim contendebatur: soli ecclesiæ reformatæ, ejusque ministris pro fide sanctis semel datâ decertantibus eripienda erat: ut videre est in decreto modo cit. & altero eorundem DD. Ordd. a. 1617. Si quis dicat, conscientiæ libertatem relictam fuisse; ex sententiâ & hypothesibus Remonstrantium responderi posset, fuisse eam conscientiæ coactionem, & non libertatem; quod tantam nostris sive publicos sive segreges cœtus agentibus exercitii libertatem non concederent, quantam ipsi in suâ conscientiâ judicabant sibi ad Deum ritè colendum necessariam, & concedendam esse. Quid ad hæc responderent?

Commentum illud Remonstranticæ libertatis cuivis phanatismo & hæresi, (nominatim Arianæ, Photinianæ, Socinianæ) concedendæ, absque ullâ inhibitione, ne scil. tyrannis in conscientias exerceatur, à scriptoribus politicis & Jureconsultis pariter explosum videbit, si quis eos inspicere dignetur. Nos aliquos saltem ex protestantibus & reformatis hic indicamus: *Althusium in politic. cap.* 28. §. 56. - 72. *Reinhardum Koning disp. politic.* XI. §. 33. *Keckerm. lib.* 1. *polit. cap.* 32. *can.* 9. 10. *Liebenthalium in colleg. polit. exercit.* 13. §. 26. *& ibid. quæst.* 4. *in fine. Christianum Mathiam lib.* 3. *system. polit. exercit.* 6. *p.* 397. *Danæum lib.* 5. *Politices Christianæ pag.* 355. 356. *edit. in* 8. apud Vignon 1596. Politicam Anonymi tit. *De Statu Politico seu Civili.* anno. 1617. Francofurti apud Emmelium in 4. *lib.* 2. *discursu* 21. cum 66. & 67. *Carpzovium lib.* 2. *Jurisprud. Consistor. tit.* 15. *definit.* 246. 247. *Althusium in dicaiologiâ lib.* 1. *cap.* 101. celeberrimum *Seldenum*; *lib.* 2. *de iure naturali & gentium cap.* 1. & 2. *Zoucheum in elementis Jurisprudentiæ part.* 4. *descripti juris ecclesiastici secundum canones & constitutiones Anglicanas sect.* 8. ubi hæretici convicti, sæculari potestati tradendi dicuntur. *Gul. Prynne* inter Anglos Politico-Jureconsultus in pecul. tractatu tit. *Fulcimentum gladii*, &c. quem latio donavit *Wolphgangus Mayerus theologus Basileensis* a. 1649. Agmen claudat *Ordo ecclesiasticus* à Remonstrantibus in Provinciâ Ultrajectinâ a. 1612. conceptus, & editus, ubi in capp. de disciplinâ cleri & populi (fol. 19.-25.) inhibitio & coactio aliqua statuitur, prætensæ libertati opposita. De inhibita eodem ordine ecclesiastico, libertate profitendi & docendi omne Dei consilium in scripturis revelatum de prędestinatione & providentiâ, supra monuimus.

CAP. V.

De libertate extra conventicula aut absque iis, falsam religionem voce, scriptis, factis profitendi, ac defendendi, & oppositam veritatem oppugnandi.

Quia autem ſectæ quædam cœtus & conventus ad communia exercitia ſuſque deque habent; aliæ obtentam libertatem conſcientiæ, non vero exercitii, tam latè extendunt, ut quidvis verbis, ſcriptis, factis audendi poteſtatem ſibi ſumendam putent; abs re futurum non videtur, ſi peculiariter de libertate abſque conventibus ad communia & publica exercitia, diſquiramus. Sit ergo.

I. *Quæſt. An libertas conſcientiæ circa ſenſum falſæ religionis vel extraneæ ſeu Achriſtianæ, vel hæreticæ ſub nomine Chriſtiano, coactioni jam deſcriptæ directè oppoſita, civibus, incolis, advenis alicubi conceſſa includat & dicat illimitatam libertatem, eandem falſam religionem tum viva voce tum ſcriptis inculcandi diſſeminandi, propagandi; & promiſcuè per domos, in ἀγοραῖς, in ἐγκυκλίοις, in navibus, in ſtabulis, in diverſoriis, defendendi; atque una veram religionem refutandi, inſectandi; & an ad conceſſionem ejuſmodi illimitatæ libertatis, omnes Magiſtratus hic & nunc & ſemper, in conſcientiâ teneantur?* Reſp. Neg. Rationes ſunt iſtæ 1. *quia* illimitata ejuſmodi libertas, verè nefaria licentia, æquipolleret libertati publici exercitii & conventuum: quin etiam alicubi & aliquo reſpectu eandem ſuperaret; & veræ religionis profeſſioni, eccleſiarum ac politiarum paci ſæpe plus damni daret, quam conventus & exercitia publica. Quibus ergo rationibus ſupra probatum eſt libertatem publici exercitii falſis religionibus non concedendam; iiſdem analogicè huc applicatis etiam probatur, illimitatam ejuſmodi libertatem à Magiſtratu non concedendam 2. *quia* Achriſtianæ, & hæreticæ quędam pſeudo-religiones, earumque defenſiones, & oppoſitę veræ religionis refutationes atque inſectationes, ſunt blaſphemæ. Atqui blaſphemiis vomendis, illimitata ejuſmodi libertas à Magiſtratibus, & quidem certâ lege ac decreto, concedenda non eſt. Judaicam religionem abſque horrendis in trinitatem & Chriſtum θεάνθρωπον blaſphemiis non defendi, & oppoſitæ veræ religionis refutationem ab illis non tentari, alibi oſtenſum eſt, *in 2. part. ſelect. diſpp. tit. de Judaiſmo.* De variis hodiernis pſeudo-religionibus Gentilium, quæ directam diaboli invocationem complectuntur, idem dici poteſt. Vide de iis *2. part. ſel. diſpp. tit. de Gentiliſmo.* Quid de antiquæ religionis Romano-Ethnicæ defenſione, & oppoſitę Chriſtianæ refutatione

& persecutione dicemus? An negabimus eam fuisse, absque blasphemiâ, quæ symbolum professionis suę statuebat in istis duobus, in sacrificio aut thurificatione Diis suis, & Imperatori tanquam Divo offerendâ, & in *blasphemiâ* erga Christum enuntiandâ: uti colligimus ex *Plinii epist. ad Traianum.* De blasphemiis hæreticorum, qui nomine Christiano tegi voluerunt, si probare id vellem, magna immo major pars hæresiologωn Epiphanii, Augustini, Theodoreti, &c. hic describenda esset. Lector modo percurrat in *Augustino de hæresibus capita de Ebionitis, Valentinianis, Marcionitis, Manichæis, Carpocratianis*, &c. De hodiernis anti-Trinitariis (Servetistis, Socinianis Francisco-Davidicis, Arrianis) idem statuendum est. Prætereo hic libros *Julii Cæsaris Vanini*, & de tribus impostoribus, de arte nihil credendi, Quod nihil scitur, 3. *quia* multæ infidelium seu Achristianorum & hæreticorum religiones directè pugnant, aut repugnantiam involvunt contra theologiam naturalem de Deo & cultu Dei; aut contra naturalem ac civilem honestatem: e. gr. antiquus & hodiernus cultus dęmonum (de quo *in 2. part sel. dispp. tit. de Gentilismo*) Manichaica, Marcionitica, Priscillianistica, Adamitica, Anabaptistico-Monasteriensia; David-Georgica, Henric-Nicolaitica, & similia portentâ. 4. *quia* communis consensus & praxis, Christianorum, etiam ipsorum adversariorum talem libertatem repudiat.

De libris prohibitis, deque iisdem publicè combustis, de sermonibus blasphemiam redolentibus per mulctas pecuniarias, exilia aliaque pœnarum genera repressis, de factis externis (e. gr. cultus dæmonum, aliarumque Gentilium aut Papalium superstitionum ac ceremoniarum) scandalosis & in oculos incurrentibus, lege & facto impeditis impediendis, omnes gentes, nationes, regiones, civitates testari poterunt: quæ tamen libertatem conscientiæ civibus & incolis suis sive ex pacto sive ex indulto concessam & hactenus servatam, hoc facto suo minimè violari credunt. Extra Belgium nostrum, Exempla pænè infinita non conquiremus: suffecerit digitum ad aliqua Belgica intendisse: ubi à Libertinis & Antitrinitariis eorumque fautoribus tantopere pro prætensâ libertate certatur.

Anno 1598. Ill. Ordd. Generales interceptos Socini libros publicè exusserunt, & possessores eorum *Ostorodum* & *Vaudovium* è Belgio ejecerunt.

Anno 1610. Deputati Ill. Ordd. Hollandię ad classes Hollandicas & facultatem theologicam Leidensem scripserunt, ne quis de controversiis per *Arminium* ejusque sectatores tunc motis quidquam publicaret: & hæc quidem prohibitio facta, simulac *Johannes Wttenbogardus*, *Johannes Arnoldi*, *Corvinus*, aliique scripta sua contra reformatos edidissent. Quâ arte & intentione

tentione hęc prohibitio tunc facta, odorari facile poterant, quotquot polypo non laborabant.

Anno 1614. per deputatos Ill. Ordd. Hollandiæ condemnata & prohibita sunt *scripta apologetica Sibrandi Luberti & Joh. Bogermanni*, contra *Philippicam Hugonis Grotii*, pro suâ, immo omnium ecclesiarum reformatarum, communi doctrinâ, contra nova novorum Vorstianorum & Remonstrantium, monstra.

Anno 1617. iidem deputati Ill. Ordd. Hollandiæ Remonstrantium causæ faventes (quippe ductu Advocati Joh. Oldenbarneveldii, & Hugonis Grotii tunc utentes fruentes) Adolphi Venatoris concionatoris plus quam Remonstrantici Alckmariani librum tit. *Theologia vera & mera*, &c. condemnârunt, & autorem in insulam Gravesandam deportârunt.

Iidem Deputati paulo ante *Hadriani Smoutii* orthodoxiæ & primigeniæ reformationis tenacissimi librum, quo probare intendebat controversias Remonstranticas tangere fundamentum, non tantum prohibuerunt, sed insuper autorem in insulam Gravesandam deportatum, ibidem integro fermè anno desinuerunt, quamvis eum febribus gravissimis conflictantem.

Iidem DD. Deputati circa id tempus Nachtegalium quendam Alckmarianum ob eructatum Hagæ-comitis blasphemum de tribus impostoribus sermonem, totâ Provinciâ pepulerunt.

Anno 1618. Ill. DD. Ordd. Generales librum vernaculum tit. *Statera orationis Legati Britannici Carletoni*, proscripserunt, & autoris indicium, præmio non exiguo proposito, studiosè captârunt.

Anno 1651. Ill. Belgii fœderati Ordines in panegyri Hagiensi, contra Papatus & sectarum inhibitionem decreverunt.

Anno 1653. Ill. Ordd. Hollandiæ edicto publico, non tantum conventicula & exercitia Socinianorum (quæ tunc nulla, aut saltem non ita nota erant) sed etiam, & imprimis libros & scripta eorum prohibuerunt.

Anno 1659. inclytus hujus nostrę urbis Senatus, itidem Socinianorum libros prohibuit.

Anno 1655. 26. Novembr. Ill. curia Hollandica librum anonymi (cui tit. *Praadamitæ*, sive exercitatio, &c.) prohibuit.

Hæc omnia ita gesta, contra dicta, scripta, consulta, acta, extra conventus & publica religionis exercitia ostendunt, quomodo salvâ conscientiæ libertate, externi hominis dicta, scripta, facta impediri possint.

II. *Quæst. An quibuscunque infidelibus aut sectariis, sive ex pacto, sive ex voluntario decreto, sive ex consuetâ tolerantiâ & conniventiâ, conscientiæ libertate, immo & exercitii libertate fruentibus in contentione contra veram religionem & ecclesiam, quasvis calumnias reales vivâ voce aut scripto intorquen-*

di licentia à pio Magistratu concedenda sit; & an qualiscunque inhibitio hic adhibita, conscientiæ tyrannica coactio & promissæ aut concessæ libertatis violatio dicenda sit? Resp. Neg. Et hoc satis in Belgio nostro ostensum fuit, cum Arnhemii mense Februar. 1617. à supremâ Curiâ Ducatus Geldriȩ, tabella quædam Remonstrantica, symbolizationem doctrinæ reformatæ cum Manichaicâ, Turcicâ, &c. delineans, publicè combusta est. Videri possunt scripta adversa super hoc Illustris Curiæ Geldricæ facto, lingua nostrate, edita: à parte Remonstrantium tit. **Zedigh Ondersoeck**, &c. eique opposita refutatio tit. **Antwoort op seecker Laster-schrift**, &c. 1617.

Idem proculdubio (si mens non læva fuisset) evenisset similibus calumniosis tabellis, Ultrajecti anno 1617. ab Anonymo, & Bleiswici in agro Roterodamensi ab *Henrico Slaetsio* postea paricidâ, & Goedereedȩ ab Adriano Romano istius oppiduli concionatore, editis & publicè cum provocatione affixis. Quem postremum memini anno 1618. in *Synodo Delfensi* non tantum ab omnibus orthodoxis, sed & à Remonstrantibus partem synodi facientibus, ob imprudens & petulans hoc ausum, gravi censurâ notatum, & à ministerio suspensum fuisse. Distingui debet inter sententiæ propriæ explicationem ac defensionem, & inter extravagantes obtrectationes, scurrilia convitia, atroces calumnias, aut inter modios commentorum, sarcasmorum, crassissimorum mendaciorum, contra omnem factorum lucem emissorum.

III. *Quæst. An personalium calumniarum, convitiorum, criminum falsi contra orthodoxos veritatis hyperaspistas licentia, à Magistratu coërceri possit: absque cœco partium studio, & absque libertatis conscientiæ, aut permissæ libertatis exercitii violatione. Resp. Aff.* Uti enim quosvis subditos suos contra injustas infamationes, aliasque injurias tueri tenentur, & pro re nata innocentiam ac famam eorum vindicare secundum politicorum ac Jureconsultorum placita Juri Divino & naturali convenientia; idque absque ullâ conscientiarum tyrannide ac coactione: sic non minus, si non magis, ministros, aliosque veræ religionis confessores ac defensores ab illatâ aut inferendâ injuriâ vindicare tenentur. Data ergo sectariis inter nos quantacunque à Magistratu conscientiæ libertas, immo & quibusdam libertas exercitii in conventiculis seu cœtibus: non tamen dicta libertas ad projectam mysteria fidei blasphemandi, & fideles veritatis doctores calumniandi, ac diffamandi audaciam, extendenda est. Nulla enim libertas Christiana, nulla libertas conscientiȩ, nulla libertas exercitii sive veræ sive falsæ religionis, homines absolvit ab officiis erga proximum Ethicis, œconomicis, politicis: nulla licentiam tribuit injuriis sive verbalibus sive realibus eundem lȩdendi. Pontificii carnalem & maledictam hujusmodi libertatem nostris probari calumnian-

lumniantur: ſed quid illis reſpondendum ſit, ſtrictim antehac indicavimus in 2. *part. ſel. diſpp. tit. de ſede Romanâ incompatibili*, &c. *pag.* 867. In Rhætiâ in valle Telinâ anno 1595. cum Tyrani Parochus Pontificius nomine *Caballus* Calvinum pro concione impietatis & blaſphemiæ accuſaſſet, verbis quibuſdam ex ipſius Inſtitutionibus publicè prælectis: paſtores reformati re cum piis ac prudentibus quibuſdam politicis communicatâ, ut huic calumniandi licentię occurrerent, dictum Parochum ad comitia Curienſia in jus vocari curârunt: „ quo legati trium fœderum pro ſuâ prudentiâ & „ authoritate proſpicerent, ut pax & tranquillitas publica ſervetur, edicta „ ſua obſerventur, & hujuſmodi calumniæ reprimantur. Rationes, cur neceſſe fuerit à reformatis dicto parocho hoc nomine dicam ſcribi, & effrẹnem illam calumniandi licentiam ſiſti, referuntur in libro tit. *diſputationis Tyranenſis inter Pontificios & miniſtros verbi Dei in Rhætia anno* 1595. 1596. *habitæ partes* IV. autoribus Cæſare Gafforo, Octaviano Mey, &c. Baſil. typis Conr. Waldkirchii 1602. in 4. part. 2. cap. 1.- 12. ubi tota actionis & diſputationis hiſtoria deſcribitur; ſpecialiter autem cap. 2.- 5. occaſiones & motivæ hujus actionis in *Caballum* à miniſtris reformati inſtitutæ. Et merito laudanda eſt prudentia ac juſtitia Dominorum trium fœderum Rhætiæ, qui juridicam de dictâ Parochi calumniâ cognitionem Nicolao à Marcâ prætori Tyranenſi mandabant, literis hunc in modum ſcriptis (pag. 70. libri cit.)

„ *Salus quamplurima unâ cum noſtri oblatione ſit tibi nobili*
„ *Magnifico atque fideli Officiali noſtro.*

„ Poſtquam ad inſtantiam honorandorum & Chriſtianorum Domino- „ rum, totiuſque ſynodi Euangelicæ religionis noſtrarum regionum, hono- „ randus Presbyter Simon Caballus Curatus eccleſiæ Catholicę Tyra- „ ni, ratione cujuſdam ſermonis ignominioſi & calumnioſi (ut nobis re- „ latum eſt) per eum prolati contra Euangelium profitentes, coràm nobis „ ut compareret in Pitachio nuperrimè Curiæ habito citatus, ipſe tamen „ non comparuerit, ideò his noſtris præcipuè tibi in mandatis damus, qua- „ tenus pro debito officii tui debitas velis aſſumere informationes & ſe- „ cundum ordinem contra dictum Presbyterum Simonem Caballum pro- „ cedere, eumque (ubi reus repertus fuerit) juxta demerita punire. Ubi ta- „ men hoc noſtrum mandatum exequutioni non mandaveris (quod tamen „ te facturum non dubitamus) ſcias nos ipſos coactos fore in dicta cauſa „ procedere, & dicta calumnioſa verba irremiſſibiliter juxta decretorum „ noſtrorum tenorem vindicare, iiſque te noſque Dei committimus tute- „ læ. Datæ & proprio Civitatis Curiæ dilectorum confœderatorum no- „ ſtrorum ſigillo omnium noſtrûm nomine munitæ, die 24. Julii 1595.

Et hęc quidem justè & opportunè tali in casu, non sine synodi ecclesiarum reformatarum in Rhætia consilio & decreto, à nostris illic acta putamus. Quamvis autem personalis hæc calumnia de Calvini Arianismo, etiam religionem & ecclesiam reformatam, quę per Calvini latus petebatur, & istic & ubique tangeret; atque adeo merito à ministro Tyranensi, & vicinis fratribus ad animum revocata sit: negari tamen non potest, quin piis, præsertim ministris, aliquo in casu, contra purè personales & particulares calumnias, ministri reformati existimationem depeculantes, aut insuper honestatem civilem ipsi detrahentes, ad judicum sęcularium patrocinium confugere liceat. Calumniatores nonnunquam nec finem, nec modum faciunt mendaciis & calumniis personalibus, innocentes quà voce quà scripto theatrizandi: quo fit, ut non tantum multi ex veræ religionis consortibus, scandalizentur; sed & jurati religionis hostes infamia illa, quæ buccinantur, flagitia avidè arrepta, in faciem nostris impingant, & ministerium universum, una cum communi veritatis aut pietatis causâ pręjudiciis illis gravatâ, contemtui habeant. Quid hic faciet pius minister, quid alius quis ecclesiæ antecessor, quid presbyterium, quid cœtus quicunque ecclesiasticus, ita gravatus? Si semper taceant, silentium & adversarii, & malevoli aliqui, & falsi fratres plerique, si non omnes, quin ipse calumniator interpretabitur culpam manifestariam & conscientiam αὐτοκατάκριτον. Sin spongiam, aut apologiam, quam immo si omnibus illis pertinaciter per complures annos inhibitis, vel semel simplicem quam inficiationem & quidem publicè provocatus, opponat: ilico φιλονεικίαν, aut turbatam pacem, aut odium theologicum, aut vindictę studium, & sermonibus, & scriptis, & intentatis censuris ecclesiasticis, & invocatis in caput patientis, Magistratus supremi ac subalterni coërcitionibus, tibi exprobrari audias. Nolim alicui autor esse, ut semper, ne quidem ut sæpe, adversus personalium mendaciorum ac calumniarum nimbos se moveat; multò minus ut imaginario honoris punctulo, aut verbuli volantis punctioni, severam paret vindictam & mandata nepotibus arma (quod vulgò facere solent Catones, alienæ famæ tam prodigi): sed tamen dictare non ausim, nullo in casu, & suæ, & suorum, & ministerii, alteriusve muneris honori, ac publicę ædificationi quenquam, quâcunque honesta ratione consulere posse; præsertim; patienter, forte & ἀσμένως, spectantibus illis, qui calumniarum & diffamationum licentiam sufflaminare deberent.

Concludo dicto Augustini, serm. 52. ad fratres in eremo, (tom. 10. col. 1396. edit. Basil. Frobenianæ anno 1556.) „Propter nos, inquit, con„scientia nostra sufficit nobis: propter vos fama nostra non pollui, sed „pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atque distinguite. Duę sunt

res

„res conſcientia & fama. Conſcientia neceſſaria eſt tibi: fama proximo „ tuo. *Qui fidens conſcientiæ ſuæ, negliget famam ſuam, crudelis eſt: maximè* „ *in loco iſto poſitus*, de quo dicit Apoſtolus ſcribens ad diſcipulum ſuum „ (*Tit.* 2.) circa omnes teipſum bonorum operum præbe exemplum.

CAP. VI.

De quæſtione, *An Magiſtratus tantum propter particulares rationes politicas, non vero propter generales rationes theologicas, exercitia & propagationem falſarum religionum, ſive infidelium ſive hæreticarum, impedire poſſit aut debeat. Et an in Belgio Fœderato, tantum propter rationes politicas hactenus impeditæ ſint.*

GEmina quæſtio hic formari poteſt, Una thetica, altera hypothetica ſeu hiſtorica. *Prior*, eſt, *An tantum ob rationes particulares, ſtatum hujus aut illius politiæ concernentes ejuſmodi impedimenta & tanquam in foro conſcientiæ licita probari; aut ſaltem excuſari poſſint: contra vero, an mutato rerum ſtatu, & particularibus illis rationibus ceſſantibus, libertatem, qualem ſectarii judicio conſcientiæ ſuæ, ſibi neceſſariam poſtulant, concedendam eſſe.* Affirmantem innuit *Anonymus* Libertinus, *in examine edicti Groningani* contra ſectas 7. Sept. 1601. publicati: cum ait, fol. 𝔉ij: *obſervandum Ill. Ordd. edicto & praxi ſuâ* (prohibitione ſcil. & perturbatione conventiculorum) exercitia Papiſtica *non impedire intuitu religionis ipſorum, ſed intuitu quorundam periculorum, quæ per conventicula illa prævident* oritura. Quę exceptio in *Apologiâ edicti Groningani* juſſu inclyti Senatus ibid. anno 1602. editâ pag. 49. ſolidè refutatur. Verba quædam mox infra excerpemus. Rationes pro parte negante ſint iſtæ generales, quę paſſim apud autores capp. præcedentibus cit. occurrunt. §. 1.

I. *Argum.* Quiſque fidelis pro poteſtate & potentiâ ſuâ honorem divini nominis promovere tenetur, juxta petitiones orationis dominicę, *ſanctificetur nomen tuum, veniat regnum*, &c. Ergo & Magiſtratus pro poteſtate & potentiâ ſuâ tenetur promovere, &c. Atqui honor divini nominis non promovetur à Magiſtratu, niſi ea, quibus Deus irritatur, ejuſque nomen contumeliâ afficitur (e. gr. blaſphemias, atheiſmos, opiniones profanas & directè θεομαχοῦσας, idololatriam, dæmonolatriam, magiam, divinationem, & ſimilia clamantia peccata) removeat & impediat. Vide quęſo & expende 2 *Reg.* 17. *v.* 11.-19. *Ezech.* 36. *v.* 22. 23. & 16. *v.* 15.-43. *Judic.* 2. *v.* 13. 14. *Exod.* 20. *v.* 5. 2 *Paral.* 15. *v.* 17.

II. *Argum.* Cuique fideli commendavit Deus curam ſalutis proximi ſui:

sui: *Jacob.* 5. *v.* 20. *Heb.* 3. Ergo & Magistratui suorum subditorum 1 *Timoth.*2. *v.* 2. Jam vero, fidelis cura ac promotio salutis & mediorum salutis (scil. fidei, & pietatis) subditorum esse nequit, sine remotione impedimentorum. *Sicuti virtus est vitium fugere, & sapientia prima stultitiâ caruisse*; & causa procreans ac conservans effectum non dat, nisi amoveatur causa corrumpens: sic salus subditorum ritè non promovetur, nisi opposita salutis, quantum fieri potest, removeantur.

III. *Argum.* Magistratus est ecclesiæ nutritius, patronus, defensor, & utriusque tabulæ custos: uti apud omnes hoc in confesso est. Atqui ut genuinus nutritius, patronus, defensor, custos ex conscientiâ muneris, omnia mala & malos ab alumno suo aut cliente, aut deposito, aut à re quâcunque sibi creditâ, arcere tenetur: sic Magistratus blasphemias, Epicureismos, hæreses, omnemque antiqui serpentis ἔχθραν Christo, ecclesiæ, fidei, pietati adversantem pro potestate & potentiâ suâ amoliri tenetur.

IV. *Argum.* Ducitur ab analogiâ virtutum homileticarum; quas Magistratus in subditis suis cum promovet; necessariò contraria vitia exstirpat aut licentiam eorum coërcet. Atqui in virtute religionis seu pietatis promovenda, non minus laborandum pio Magistratui, quam in virtute justitiæ; nec minus in virtutibus theologicis (fide, spe, caritate), quam in moralibus. Neque enim decet eum agere instar Homerici Jovis, qui nudus spectator pugnæ ad Trojam, ad convivium Æthiopum proficiscebatur: aut instar Gallionis (*Actor.* 18.) cui, Paulo ad tribunal suum adducto, & Sosthene ante idem tribunal à Judæis cæso, *nihil quidquam eorum curæ erat*, v. 17. quique à tribunali eos abigebat v. 16. dicens: *Si quid injusti factum esset aut facinus malum, ô Judæi, quatenus ferret ratio, vos sufferrem. Sin vero quæstio est de sermone, & nominibus, & lege vestrate, ipsi videritis: judex enim istarum rerum ego esse nolo*, v. 15.

Observet lector contra calcas cavillationes, me in coërcitione vitiorum religioni ac pietati, & virtutibus moralibus oppositorum, solummodo analogiam, aut generis convenientiam inferre; non autem speciei aut formæ identitatem. Et his quatuor argumentis sufficienter conclusum puto, Pios Magistratus rationibus theologicis, non tantum considerationibus politicis, in foro poli, & jure divino in conscientiâ obligari ad idololatriæ, blasphemiæ, damnati cultus, phanatismi, hæresios, &c. impeditionem: si modo potestas & potentia ei adsit, & absque status Reipublicę subversione, aut gravissimæ concussionis periculo id fieri queat.

§. 2. *Posterior* quęstio hypothetica, & propriè historica, est ista: *An in Belgio fœderato tantum ob rationes politicas, aliquo in casu necessitatis, Pontificiis aliisve sectis exercitia prohibita sint, alioquin non prohibenda. Resp.* Ita quidem

dem dictat Anonymus Libertinus, censor & oppugnator edicti nobiliss. & ampliss. Senatus Groningani 1601.: ut probet Senatum illum contra libertatem & unionem Provinciarum Belgicarum (pro quibus tam diu pugnatum erat) tale edictum promulgasse. Cui Senatus in *Apologiâ* suâ, nomine & mandato suo, contra dictum Libertinum anno 1602. conscriptâ
„ atque editâ pag. 49. sic respondet: In annotationibus Albadæ ad acta pa-
„ cificationis Coloniensis (p. 23. 33. 34. &c. edit. Latinę): cum dicit arti-
„ culum illum Coloniensem (pro libertate & pace religionis) formatum
„ esse ad constitutionem Caroli V. in Imperio a. 1555. Passavii formatam,
„ & ad edictum in Galliâ a. 1576. publicatum, &c. In quibus certè nec
„ Anabaptistarum, nec aliarum sectarum mentio facta est, sed doctrinę re-
„ formatæ.

Ibid. paulo post: „ Sed fabulator (vernaculè Fabel-Hans) noster hic exci-
„ pit decreta, & edicta DD. Ordinum, non tangere Anabaptistas, aut alias se-
„ ctas in Belgio, sed solos Jesuitas; non quidem respectu religionis ipsorum,
„ quasi illam solummodo prohiberent; sed tantum, quod in suis conventi-
„ culis, schemate exercitii eorum religionis, subdolis suis rhetoricationibus
„ seditiones & latrocinia in hisce regionibus concitare studeant. Attendite
„ quęso, quam egregium interpretem DD. Ordinibus hic sociennus præstet, &
„ quomodo Dominationes eorum ab ipso honorentur. An tantum pro-
„ pter externam politicam pacem, & nullo modo propter gloriam Dei, &
„ subditorum suorum salutem hæc agerent dominationes eorum? An tan-
„ quam Christiani Magistratus Jesuitarum missam solummodo prohibe-
„ rent, ne inde proditiones aliquas in politiâ machinarentur; & non potius,
„ quod Deus & Servator noster Jesus Christus in summo gradu per eam
„ blasphemetur, & homines seducantur? Et dato dominationes eorum
„ metu seditionis ad talia edicta contra Jesuitas impulsos: cur quæso Ana-
„ baptistæ, David-Joristæ, aliæque sectę hinc excluderentur? An nimium
„ pii nunc essent ad antiquum spiritum suum Monasteriensem, & Batenbur-
„ gicas artes ac dolos induendos, ad omnes Magistratus exstirpandos, inde
„ novum sibi regnum capessendum? An ignoratur, David-Joristas hâc
„ tempestate scribere, Babylonicę suæ captivitatis esse mensem, &c. ita ut
„ post decursum duorum mensium suorum se exsurrecturos & novam Hie-
„ rosolymam suam ædificaturos, &c. sperent? Unde videre est, quam aptè hic
„ Libertinus nomen Illustr. DD. Ordinum, imprimis acta pacificationis Co-
„ loniensis pro suâ opinione adducat.

Ibid. pag. 50. & 51. excipit *Apologia, contra Albadam* (de quo nos supra) & ejusdem *annotationes ad acta pacificationis Coloniensis*; verbis *edicti Gallici anno* 1570. *artic.* 4. & *constitutionis Passaviensis* anno 1555. exhibitis,

 ad

ad oculum demonſtrans in Imperio Germanico, & Regno Gallicano ſoli reformatę religioni libertatem petitam, conceſſam & pactis firmatam: omnibus aliis ſectis præteritis, immo in *Conventione Paſſavienſi* exſertè excluſis. Addimus antea Auguſtæ a. 1530. 23. Septembr. ſolis Auguſtanæ confeſſionis ſociis à Carolo V. libertatem conceſſam, hâc conditione, ut *ſecum & cum Imperii electoribus, Principibus, Ordinibus deliberent, quomodo cohibendi & puniendi ſint Anabaptiſtæ, & qui de cœnâ Domini ſecus, quam eccleſia, docent.* Etiam in hodiernum diem pax religionis in Imperio hactenus ſervata, & ſolenni inauguratione Imperatorum, ac pace Monaſterienſi anno 1648. teſtata, nullius religionis præterquam Pontificiæ & Proteſtanticę cum reformatâ libertatem agnoſcit. Et hinc in nundinis & catalogis Francofurtenſibus nulli libri theologici, prẹter dictarum religionum, venales comparent.

Et hactenus dictatum Libertinici fabulator ſatis ſuperque ab *Apologiâ Groninganâ* refutatum arbitramur. Sed quia theologo alicui in libello tit. *Theologi paradoxi* a. 1649. Groningę edito in 8. pag 167. de prohibitione in Belgio fœderato parum feliciter ἱστορῶν, ſimilem fere criſin procudere libuit, in tranſitu hic eadem corrigenda videtur. „ Hoc addo, *ait*, quod cum in Bel„ gio fœderato Proceres cenſuerunt libertatem exercitii ſuorum ſacrorum „ non eſſe concedendam v. gr. Remonſtrantibus aut Pontificiis, id non fa„ ctum eſt argumento merè theologico, quod errent illi aut peccent in ſuis „ ſacris, & quod Deus nolit permitti falſæ religionis exercitium; alias idem „ militaret non ſolum contra Judæos Amſterodamenſes, & ſectarios Anglos „ Roterodamenſes, ſed etiam paſſim contra Anabaptiſtas, &c. ſed rationi„ bus merè politicis, quod ex illorum ſacrorum, maximè Pontificiorum, „ publico exercitio, præſens periculum Reipublicæ, à ſeditionibus popula„ ribus & variis conſpirationibus inde naſcituris; quoniam iſti homines ſem„ per ſe premi putant, niſi alios opprimendi poteſtatem fuerint conſecuti. His „ demum & ſimilibus argumentis de eo quod expedit ita agitur, ut de eo „ quod aliàs licet non dubitetur.

In his verbis lector quiſquis extra experientiæ, hiſtoriæ, & factorum lucem, ex ſolo ſuo ingenio ἐυρητικῶς conjectare nolit, facile mecum animadvertet, aſſertionem illam de non conceſsâ aut concedendâ v. gr. Papiſtis aut Remonſtrantibus exercitii libertate ob *rationes merè politicas*, & non ob *argumentum merè theologicum*, eſſe meram ὀνειρολογίαν.

Quod ſic oſtendo:

I. *Quia* decreta & edicta Procerum, allegant rationes theologicas, ab erroribus Papiſtarum aliarumque ſectarum deſumtas. Sic edictum Groninganum a. 1601. allegat *verbi divini corruptionem* (vernaculè Verfalſchinge) *abu-*

abusum sanctorum sacramentorum, hominum multorum scandalizationem & seductionem. Quibus addit, *ἀταξίας & abusus in conjugio & extra conjugium*, & *quoscunque alios contra institutum & usitatam hic Christianam politiam ecclesiasticam.* Edicta Ill. DD. Ordd. General. 27. Martii a. 1612. & 26. Februarii anno 1622. & 20. Augusti a. 1641. præter rationes particulares defensionem Reipublicæ contra hostem concernentes, allegant & istam: quod inter subditos suos spargant, iisque inculcent *varias & in verbo Dei prohibitas superstitiones*: anno 1612. quod *falsâ suâ doctrina* subditos *ad idololatriam*, & ad aversionem à legitimis suis Magistratibus abducere conentur, &c. & *liberos ab obedientiâ parentum, & uxores ab officio maritis debito.* Anno 1622. 1641. 1649. Ill. Ordines Zelandici in celebri *panegyri Hagiensi* anno 1651. *refrenanda* monent *superstitionum Romanarum exercitia*: (vide historiam *Aitzema tit.* **Herstelde Leeuw** *pag.* 192.) Ill. DD. Ordines Generales anno 1644. Legatis Gallicis libertatem aliquam exercitii Romanæ Ecclesiæ petentibus, respondebant, talem postulatam libertatem *reformatæ religionis incolumitati*, maximis & ordini status, *paci ac tranquillitati reformatæ ecclesiæ*, *repugnare*, &c. Ill. DD. Ordd. Zelandiæ in edictis 1629. & 1636. rationes has allegant, quod Papistæ auderent *omnis generis superstitiones, & exercitia idololatrica* exercere: & quod subintrantes sacerdotes, monachi, aliique clerici, etiam Jesuitæ, *dictos Papistas confirmarent in ipsorum erroribus & superstitionibus, aliosque bonos subditos in animis ipsorum inquietarent*, &c. Quod sermones sererent ac sustinerent statui Reipublicæ, &c. *ut & veræ religioni atque Ecclesiæ reformatæ periculosos*: per quos non *tantum homines scandalizantur*, sed & *status tum politiæ tum religionis* haut obscurè turbari posset.

Ibid. Omnes ab omnibus muneribus & functionibus excludunt, qui promotionem aut gradum Academicum sumserint sub juramento, de defendendis *Romanis erroribus & superstitionibus. Ibid.* prohibent, *veræ reformatæ religionis obtrectationem & traductionem.*

Ill. DD. Ordd. provinciæ Ultrajectinæ, quamvis per subreptionem quorundam ad claudicationem in partes Remonstrantium tunc imprudenter propenderent, in *Ordine Ecclesiastico* anno 1612. præscripto *artic.* 1. & 2. protestantur, se tanquam juramento obstrictos esse solius ex solo Dei verbo reformatæ ac reformandæ religionis susceptionem atque observationem: Ibidem Deo gratias agunt, quod Provinciam Ultrajectinam tam gratiosè liberaverit ab humanis traditionibus, idololatriâ, superstitionibus & abusibus, &c.

Ill. DD. Ordines Hollandiæ eorumque Deputati, in edictis suis contra conventicula Papistica, & contra reiteratam baptismum & matrimonialem

confirmationem eorum, qui in ecclesiis reformatis baptizati & confirmati sunt 1. Julii 1594. & 4. April. 1596. & in particularibus seu topicis contra varias Papatus superstitiones decretis atque actionibus per suos in Australibus & Borealibus partibus Deputatos, ut & Curiam Provincialem, balivos, satrapas, Magistratus topicos, satis superque ostenderunt, non tantum consideratione politicâ ac particulari, sed etiam & vel imprimis theologicis rationibus, seu intuitu orthodoxæ religionis ac pietatis, oppositorumque errorum, idololatriæ, superstitionum commotos fuisse.

II. *Quia*, innumeræ Synodorum, Classium, Synedriorum, & Ministrorum deliberationes, remonstrantiæ, petitiones, Magistratibus superioribus & subalternis factæ (quarum aliquæ historiis, aut actis ecclesiasticis insertæ, aut seorsim typis descriptæ exstant) rationibus theologicis suffultæ sunt. Jam vero cum Magistratus petitionibus ejusmodi, non tantum verbis ac promissis, sed & ipso facto annuit; liquet eum rationibus theologicis locum dedisse, iisdemque motum, ut Papatus exercitia inhiberet. Et sane ejusmodi inhibitionis exempla in hâc aliisque Provinciis, Geldriâ, Zelandiâ, Transisulaniâ, Frisiâ, Groningo - Omlandiâ, non obstante magnâ quorundam conniventiâ, passim conspiciuntur.

III. *Quia* religio reformata pro unicâ verâ religione à Magistratibus Belgicis habetur; & sub istâ qualitate, omnibus viribus fœderatorum defenditur, ac in renovatâ, resumtâ, ac confirmatâ unione Hagę - Comitis a. 1651. defendenda statuitur. Eadem adamantinum unionis nostræ vinculum, & columna ac firmamentum; immo & fundamentum status; in decretis, manifestis, epistolis indictionis publicarum supplicationum & eucharistiωn ab Ill. DD. Ordinibus prædicatur: uti in actis ac protocollis politicis, & aliquam partem in ecclesiasticis, aliquam etiam partem in annalibus, Mercuriis, novellis, legi potest. Nummi honorarii post *Synodum Dordracenam anno* 1619. exteris theologis donati aurei, Belgicis argentei, inscriptio, *Assertâ religione erunt ut mons Zion*, memoria nunquam excidet. Quid? quod à religione reformatâ alieni ad Magistratus & munerum publicorum dignitatem non admittuntur: plerisque in locis ne quidem nominari possunt, nisi eam externè professi, & in communione ecclesiæ nostræ viventes: insuper præfecti militares jam inde ab a. 1651. in ejusdem defensionem jurare tenentur. Adde quod in civitatibus vi armorum in potestatem redactis, aut aliâ quavis ratione ipsis cedentes, adhęc in colonias, in castella, naves, in classes, in nationes Indię Orientalis & Occidentalis, reformatam religionem hactenus introduxerunt, & etiamnum ubicunque potestas & potentia adest, introducunt. Quæ omnia non sine ingenti absurditate & simulatione fierent; nisi intuitu veræ illius religionis & ejusdem inco-

incolumitatis, conservationis, propagationis, hostiles, machinationes, & oppugnationes, quantum fieri potest, averterent at disturbarent. Si aliquem veritatis & ecclesiæ (*2 Thessal.* 2. *v.* 10. *Ps.* 16. *v.* 3.) amorem habent, non possunt non odisse & quidem perfecto odio (*Ps.* 139. *v.* 19.-23.) idololatriam, hæreses, superstitiones: si subditorum suorum salutem, fidem, pacem, pietatem diligunt, quęrunt, promovent, & pro eâ certant (*Jud. v.* 3.) utique fieri non potest, ut regnum Diaboli crescere & Christi decrescere; hostes Christi triumphare, amicos Christi lugere, seduci, in partes scindi; atque ita Dei nomen blasphemari; Babylonem superbè ædificari, & Hierosolymam solo æquari æquis oculis aspicerent. Pii Magistratus speculum illud à Regio psalte *Psalmis*, 48. 51. 87. 122. 132. 138. politum intueantur: atque unà memores sint tam solenniter resumtæ, explicatæ, firmatæ Hagæ-Comitis anno 1651. confœderationis: ubi defensio religionis reformatę cum inhibitione Papisticæ conjungitur.

IV. *Quia*, pace Monasteriensi confectâ ex agro Bredano, Bergensi ad Zomam, Cuyckensi, Sylvæ-ducensi Papatus ejectus est: non ob præsentaneum seditionis, aut cum hoste conspirationis periculum (quod ab agris illis potestati ac ditioni Illustr. DD. Ordd., & tempore belli hostium tributo atque exactioni bellicæ subjectis, haut facile hoc stabilitæ pacis tempore exspectari potest; nec ob alias considerationes politicas, quæ alioquin in contrarium non defuissent: sed ob theologicas, à gloriâ Dei, à salute subditorum, à multorum ex captivitate Babylonicâ liberatione, ab idololatriæ & hæresion eversione, à religionis & ecclesiæ reformatę propagatione, petitas. Legantur *Acta Pacificationis Monasteriensis in Historiâ L. Aitzema*. Nos de nostris Proceribus affirmare possumus, non ob merè politicas, sed multò magis ob theologicas, singulari curâ hoc egisse ne Papatus (quod impensè contendebat pars adversa) in templis illic ultra possideret, sed introducendæ reformationi cederet. Quantum in præclarum hoc opus invigilârint Proceres Zelandiæ, constat ex decreto typis edito: ubi rationes theologicæ comparent.

Quod ad Ill. hujus Provinciæ Ordines, cum indicium faciente uno ex Proceribus rerum quæ Monasterii agebantur, apprimè gnaro, innotuisset ministris Ultrajectinis, in tractatione pacis huc usque perductâ, nondum satis cautum esse tamdiu exspectatæ agri Sylvæ-ducensis reformationi: consilium capiebant Ill. Ordd. dominos suos clementissimos, tunc commodum convocatos, de hoc coram & exhibito libello supplice monendi. Quod, Deo benedicente, tam feliciter succedebat, ut non tantum delegatos ex ministris verba facientes audirent, & libellum eorum supplicem lectum gratiosè probarent, sed & ilico per literas Nobil. & amplis. suis in

collegio Ill. DD. Ordd. Generalium deputatis accuratam ad tanti momenti negotium, attentionem commendarent: quo factum, ut adversæ partis delegatis, magno molimine & astu pro Papatus continuandâ illic possessione laborantibus, nihil ab hâc parte concederetur. Libellus supplex, volentibus Rever. collegis à me conceptus, & ab ipsis lectus, relectus, probatus, post exhibitionem ab aliquo typographo typis descriptus cum esset, paulo post, improbis convitiis & cavillationibus ab aliquo Libertinici generis, (ut videtur) tenebrione, flagellatus fuit. Ne quis autem forte incidens in tenebrionis illius libellum, suspicaretur aliquid absurdi aut peregtini à nobis tunc actum fuisse, exemplum dicti libelli in latinum traducti cap. proximè sequenti opportunè exhibebitur. Quod autem ob rationes theologicas, à supremis Belgii Potestatibus in agris modo dictis contra Papatum cœptum est post conclusam pacem Monasteriensem; idem etiam anno 1610. post inchoatas inducias, contra eundem factum in agris seu territoriis Bommeliano, Neomagensi, Heusdano, Macropedico, (vernaculè **de Lange-straet**) & vicinis Zuythollandiæ partibus: ubi propter bellica incommoda, & forte alias ob rationes mihi non ita notas parochis & sacerdotibus Pontificiis in publicis templis, usque ad illud tempus relictis, nulli concionatores reformati, introducti erant.

V. *Quia* extra conventicula omnes superstitiones Papales in nuptiis, in funeribus, in feriis, in foro, in compitis, in civitatibus, in agris, in civicis collegiis inhibitæ sunt & omnes reliquię rituum, instrumentorum, signorum, imaginum, tabularum, benedictionum, processionum, supplicationum, &c. autoritate Magistratuum in templis, cœmeteriis, plateis, arvis, domibus, abolitæ sunt, & etiamnum abolentur, earundemque abolitio per ecclesias & verbi ministros petitur: testibus, cum quotidianâ experientiâ, actis consistorialibus, classicalibus, synodalibus. Quis credat, rationes merè politicas, à præsentissimo in Rempublicam & ejus Rectores conspirationum & seditionum periculo, ac metu, desumtas ab ecclesiasticis urgeri, & unicè à Magistratibus admitti, ad crucem ligneam, aut crucifixi sive lignei sive lapidei imaginem, & quasvis aliorum sanctorum imagines deturbandas, altare in aliquo templi angulo relictum diruendum; pictas in vitris aut muris templorum cruces inducendas aut inde eximendas; imagines trinitatis ita exstirpandas, ut vola & vestigium earum nullibi relinquatur; ad candelas cadaveri aut loculo in domo luctus appositas aut impositas exstinguendas; ad ęgroti aut moribundi unctionem & candelę feralis, conspicuam accensionem, ubi fieri poterit, impediendam; ad rusticos nocte intempestâ buculam aut equum, suum circum cœmeteria, aut delubra, aut loca quęvis reliquiis sanctorum & per eas miraculis, olim sacrata ac signata ducentes, inhibendos ac mulctandos; ad ornatum & instru-

instrumenta missatica intercepta publicè comburenda: uti a. 1610. hic Ultrajecti factum, & à Pontificiis poëmate in facti illius detestationem conscripto celebratum est; quod eodem anno Sylvæ-ducis in monasterio quo, parieti affixum me vidisse memini. Quod si quis quærat, quâ ratione Magistratus, Toparchæ, Præfecti, Balivi, Satrapæ, Pretores in civitatibus, in oppidis, in vicis, prædicta prohibeant, impediant, tollant, & pro re natâ mulctas exigant; respondebunt esse superstitiones Papisticas, easque generali isto nomine in edictis Ill. DD. Ordd. Generalium & Provincialium vetitas intelligi. Cum vero *superstitionem* audis, habes rationem theologicam, qua peccatum superstitionis, specie, immo & genere, à rebellione, seditione, conspiratione in Rempublicam aut Magistratus distinctum.

VI. *Quia* sequerentur absurda, supra ab inclyti Senatus Groningani *Apologiâ* 1602. merito rejecta: Quod Ordines & Magistratus Belgici in religione essent libertini aut neutrales, & salutarem fidem ac pietatem, Deique omnipotentis gloriam susque deque haberent, & considerationibus ac rebus hujus sæculi subjicerent, iisque metirentur. *Machiavello* cum suis atheis, Turcis ac Tartaris melius ista convenirent, quam Christianis Magistratibus. Horum Chamus regni Polonici competitorem cum ageret per suum legatum rationibus variis de hoc sæculo propositis, subjecisse fertur: Quod ad negotium religionis, *vester Papa erit meus Papa, vester Lutherus erit meus Lutherus.*

Excipi posset, Ordines Hollandiæ & Zelandiæ, cum anno 1576 exercitia Papistica abrogarent, & solius religionis reformatæ in publica templa introducerent, non videntur tam theologicis, quam politicis rationibus & extremâ necessitate huc tracti fuisse. *Resp.* Sic est, & hoc jam ante in 2. *part. sel. dispp. tit. de temporali potestate Papæ pag.* 817. *& seqq. concessi.*

Sed ex hoc particulari Provinciæ Hollandicæ facto, & quidem illo rerum statu, non est inferendum, in Belgio fœderato ob rationes merè politicas exercitia Papistica prohiberi, & non ob errores & idololatriam Papatus, & subditorum seductionem. In Hollandiâ tunc temporis complures Proceres à professione religionis alieni erant, pauci zelo ejusdem afficiebantur: ideoque talem Papatus ejectionem, non tam rationibus theologicis (quod ad compluria, si non quod ad pleraque in *Panegyri Ordinum* suffragia), quam politicis rationibus à præsentissimo periculo & extremâ necessitate, quæ legem non ferre dicitur, desumtis, adscribendam esse concedo. Et hoc satis ipsi Ordines indicabant celsiss. Principi Arausionensi, cum hanc Papatus proscriptionem, ob alias rationes politicas conaretur impedire: ut ipse refert in suâ *Apologiâ, contra Philippi* II. *proscriptionem.* Idem tamen

men celsiss. Princeps annis aliquot post, anno scil. 1580. cum Groninga à Comite Renneburgico tam turpiter prodita esset, aliaque perfidè à Papistis ex genio & seductione suæ religionis, patrata, sententiam hâc in parte mutavit. De quo vide historicum nostratem *Petrum Bor.*

Sed ex hoc facto & sensu Ill. Hollandiæ & Zelandiæ Ordinum particulari, universaliter concludendum non est de omnibus eorum successoribus, multo minus de unitarum Provinciarum Ordinibus Generalibus: quasi luce veritatis magis magisque collustrati, & perfectiorem cognitionem & perfectius odium Papatus adepti non essent, atque adeo ex conscientiâ & proprio pietatis sensu ob rationes theologicas per idololatriæ, hęresios, blasphemiæ, superstitionis suppressionem, veritatem Christi & salutem subditorum non promovissent, & secundum προαγῶσας prophetis *Apocal.* 18. *v.*6. & 17. *v.*16. 17. Deo suo non inserviissent.

Et hactenus de prohibitis exercitiis Papisticis. De Remonstranticis, quorum opponens meminit, ob meras rationes politicas prohibitis, ęque fidem facit ac de Papisticis. Aliter sonant decreta Ill. Ordd. de indicendâ *Synodo Nationali Dordracena*, & ipsa indictio Synodi, ejusdemque approbatio, & confirmatio: quæ solenniter repetita in præliminaribus ad tractatum pacis Monasteriensis, & in *panegyri Hagiensi*, anno 1651.

Et cum Vorstiana, Sociniana, aut Arriana Remonstranticis implicarentur, aut iis tegerentur, quis dicat Proceres nostros contra ejusmodi monstra decrevisse, ob *rationes merè politicas*. Ne guttam Christianæ fidei, pietatis, studii gloriæ divinæ haberet, quisquis ex solis considerationibus sæcularibus contra ejusmodi monstra commoveretur aut quidquam moveret. Legant tepidiores venerandi ac veterani theologi *Joh. Amosi Comenii* non minus acutas quam patheticas contra Socinianum Swickerum dissertationes; & Ill. Hollandiæ Ordinum, & inclyti Senatus Ultrajectini decreta, & acta contra Socinianos; *infra cap.* 8. alleganda? Adjunge illis dimissionem Hermanni Herberts ex urbe Dordracenâ, Cornherti ex urbe Delfensi, Caspari Coolhaes ex urbe Leidensi. *An* viri isti tantopere metuendi erant, aut manipulus aliquis Socinianus ex Poloniâ in unam atque alteram Hollandiæ urbem a. 1639. aut 1653. forte illapsurus, tam metuendus erat? aut aliqui proditionum, & cum hoste conspirationum suspecti, ut ob præsens periculum & extremam necessitatem (qualis a. 1576.) ab a. 1581. usque in hunc diem in viros illos à publicis potestatibus agenda fuerint, quę acta sunt? *An* cujusquam ex illis doctrina fundabat axiomata illa pseudopolitica, sed οἰκεῖα & genuina Papistica, de rebellione, conspiratione, perfidiâ, conscientiæ inquisitione, &c.? Nihil tale. Quæ ergo potuissent esse rationes meræ politicæ, illos & similes aut arcendi, aut dejiciendi?

Et

Et quæ cauſa merè politica prohibendi fanaticum librum; quamvis autoris non illiterati; *de Præ-Adamitis*? Quid ille quæſo auſus fuiſſet, quid potuiſſet contra Belgarum Rempublicam, contra publicas poteſtates?

Quęro de phantaſticis tremulis dictis *Quakers*, an eorum conventus & phanatiſmi ob meras rationes politicas ſupra allegatas in Belgio noſtro prohibeantur, & prophetæ eorundem in domum maniacorum, aut in ergaſterium compingantur? Credat Judęus apella, non ego. *An* non potius, quia nomen Dei blaſphematur, fides ſubditorum pervertitur, ſimpliciores ſeducuntur, eccleſiæ perturbantur, progreſſus euangelii impeditur, &c.

Nec prætereundum quod Ill. Hollandiæ, & Ultrajectini Ordines, quamvis, ſubrepticiè & obrepticiè à Remonſtrantibus tunc circumventi, *illi* anno 1614. decreto ſuo pro pace eccleſiarum & teſtimoniis ibidem additis; *iſti* ordine ſuo eccleſiaſtico, apertè profiteantur rationes eſſe theologicas, non merè politicas, cur dogmata Pelagiana illiſque annexa gratiæ & gloriæ divinę repugnantia, prohiberent.

Videamus nunc aſſertionis hujus de Papiſtici & Remonſtrantici exercitii non ob theologicas, ſed ob merè politicas rationes prohibitione, probationem.

„ Non factum eſt, inquit, quod errent illi aut peccent in ſuis ſacris, & „ quod Deus non permittit falſæ religionis exercitium; alias idem militaret „ non ſolum contra Judæos Amſterdamenſes, & ſectarios Anglos Roterodamenſes, ſed etiam paſſim contra Anabaptiſtas, qui ubique publicè, ut no- „ minatim in hac Provinciâ, ad ſacra ſua conveniunt. *Reſp.* 1. Quaſi omnium ſegregum conventuum errores eſſent pares; & uno e. gr. Lutheranorum permiſſo, etiam Socinianorum, Franciſco-Davidicorum, David-Joriſtarum, Gnoſticorum, Manichęorum, &c. pariter permittendi eſſent. Quaſique conventus quorum errores analogicè pares ſunt pariter permittendi aut non permittendi eſſent. Cum errores unius alicubi minus nocere poſſint eccleſiæ reformatæ, quam errores alterius: & unius cœtus exercitium ſive approbatum ſive permiſſum prius illic poſſederit, quam alterius de novo colligendi, & permittendi. *Reſp.* 2 Gryphes equis junxiſſe videtur, cum conſequentiam ducit à Judæis Chriſti & Chriſtianorum profeſſis ac juratis hoſtibus, & ſectariis Anglis Roterodamenſibus. Quæ, quales, quantæ fuerint hæreſes eorum, hactenus mihi conſtare non potuit: ſi ipſe indicium feciſſet, ſcapham ſcapham nominando, potuiſſet de eo cogitari. Ego ex viris orthodoxis urbem illam frequentantibus, qui Anglos illos eorumque miniſtros propius norant, nihil aliud intelligere potui, quam fuiſſe in doctrinâ orthodoxos, in modo regiminis ſolummodo à Belgicis Eccleſiis diſſentientes; quod ordini & deciſivis claſſium ac ſynodorum noſtratium judiciis in eccleſiæ ſuę regimine

ne nollent ſubjici, ſed libertate ſuâ mallent gaudere. Et dato fuiſſe in formâ regiminis eccleſiaſtici genuinos independentes, an ideo magis cum Judæis conjungendi, quam alii qui non tantum in regimine ſed etiam in ritibus, immo & in ipsâ doctrinâ à Belgicis, Gallicis, aliiſque reformatis eccleſiis diſſentiunt. Porro de Anglorum, quos Independentes vocant, diſſenſione ex *Spanhemii*, *Apollonii*, *Joh. Hoornbeeck*, editis epiſtolicis reſponſis & diſſertationibus, quam ex alterius de rebus ſibi incompertis, ex proprio ingenio ea ἱϛορῦντος, quę hypotheſi ipſius magis inſervire videntur.

Cap. VII.

An Papiſmo libertas exercitii in politiis reformatis concedenda ſit.

§. 1. Quæſtionem generalem de libertate in quibuſvis politiis reformatis concedendâ, diſtinguimus, à ſpeciali de libertate in Belgio concedendâ. Quod ad quæſtionem generalem, ad eam ſeqq. concluſionibus reſpondemus. 1. *Concl.* Ubi poteſtas & potentia adeſt, & per pręſentem ac particularem Reipublicæ ſtatum id fieri poteſt, libertas ſubditis concedenda non eſt, quam hactenus non habuerunt; nec reſtituenda, quæ juſtis de cauſis antehac ablata fuit. 2. *Concl.* Non æque facile libertas eripitur, ubi hactenus eâ gaviſi ſunt, nec ad factiones, proditiones, conſpirationes, ſeditiones contra Rempublicam, aut ad blaſphemias, calumnioſaſque contra veram religionem, eccleſiam, ejuſque miniſtros contentiones, eâdem abuſi ſunt. Ubi tamen Magiſtratus judicaverit opportunum nunc eſſe ut ἥττημα illud hactenus toleratum ad gloriam Dei & ſubditorum ſalutem è Republicâ tollatur, optimè defendi poteſt, factum illud juri divino & naturali convenire. Sicuti alibi, ubi potentia deeſt, & per præſentem Reipublicæ ſtatum, ob imminentis everſionis, aut periculoſiſſimæ concuſſionis metum opportunè tolli nequit; tolerantia hujus mali juri divino & naturali non repugnat. Breviter directè huic univerſali affirmanti. *Omnis permiſſio aut tolerantia Papiſmi eſt licita; immo neceſſaria, quandocunque & ubicunque ea poſtulatur:* opponimus iſtam particularem negantem, *Aliqua Papiſmi permiſſio non eſt licita, aut neceſſaria.* Similiter univerſali neganti, *Nulla Papiſmi permiſſio ſeu tolerantia eſt licita:* opponimus hanc particularem affirmantem: *aliqua Papiſmi permiſſio ſeu tolerantia eſt licita.* Hinc jam liquet, quis ſit genuinus hujus controverſiæ ſtatus. Ut videas fruſtra honeſtandi fœneris trapezitici gratiâ ab Autore Theologi paradoxi anno 1649. Groningæ editi pag. 165. 166. confundi tole-

tolerativam mali permiſſionem cum mali patratione, & diſtinctionem de permiſſione juris, aſpargi: quæ alibi refutantur. Papiſticam miſſam, aliaque exercitia idololatrica eſſe in ſe & per ſe mala nunquam committenda nemo noſtrum ignorat: omnem tamen mali permiſſionem tolerativam (non approbativam) idque non tantum ob majus malum evitandum, ſed etiam ob alias rationes ſtatum eccleſię & Reipublicæ concernentes, in ſe & per ſe malam eſſe, conſtanter negamus. Scire velim qua arte rhetoricâ ad lectionem diſquiſitionis Nicolai Fabri, *Num majoris mali vitandi causâ levius committi poſſit*, me ableget, ut ibi *profani mei aſſerti de juridicâ permiſſione minoris mali ad majus vitandum, accuratiorem refutationem deprehendam.* Titulus Nic. Fabri habet *malum levius committere*: quod abſolutè & ſemper illicitum eſt: meum aſſertum, quod mihi adſcribit habet, *minus malum permittere*; hoc eſt, tolerare, quod tollere non potes. Author theologi paradoxi, de ſuo addit, *iuridicè permittere.* Si hoc illi idem eſt quod committere, nego hoc ſenſu licitum eſſe, & nego me hoc aſſerere, aut aſſeruiſſe: ut à theologis Ultrajectinis in re *Judicatâ*, & à Doctore *Leonh. Riiſſenio* tract. peculiari in caſu fœnoris Lombardici tit. *Apologiæ pro pauperibus & attenuatis*, &c. ſermone vernaculo, & à me in diſpp. de uſuris contra fœneratores pro piâ ſynodorum noſtratium & totius Chriſtiani orbis ſententiâ abunde oſtenſum eſt. Sed è diverticulo in viam. Poſſe ergo exercitia Papiſmi à Chriſtiano Magiſtratu abſque coactione conſcientiæ, & juris divini aut naturalis violatione prohiberi & impediri, probatur rationibus, partim theologicis, partim politicis.

I. *Quia* hæreſes & blaſphemiæ ſaluti hominum, & gloriæ Dei adverſantes, impediri poſſunt, abſque conſcientiæ coactione aut tyrannide.

Atqui Papiſmus eſt hæreſis, apoſtaſia, &c.

Major propoſitio utrinque in confeſſo eſt.

Minor ad oculum à noſtris ſatis ſuperque demonſtrata eſt, *Chamiero* ſcil. *Riveto*, *Molineo*, &c.

II. *Quia* horrenda idololatria, per quam ira Dei in nationes, & Reſpublicas attrahitur, à Magiſtratu impediri & arceri poteſt.

Atqui Papiſmus eſt talis idololatria, &c.

Major rurſum utrinque in confeſſo eſt.

Minor à noſtris probata fuit, in diſceptationibus de miſsâ, invocatione ſanctorum, iconolatriâ, ſtaurolatriâ, Mariolatriâ, λειψανοθρησκεία, angelolatriâ, &c.

III. *Quia* ſuperſtitiones cum ethnicis antiquis & hodiernis, & cum Judaicis, Muhammedicis, magicis ſymbolizantes, à Magiſtratu prohiberi & impediri poſſunt.

Atqui tales sunt superstitiones Papisticæ.

Major in confesso est.

Minoris probationum indicium à nobis factum est in 3. *part. sel. dispp. tit. de superstitione*, &c. à *pag.* 91. *usque* 632. *& pag.* 870. usque ad finem. Et *part.* 2. *tit. Inventarium Ecclesiæ Romanæ* à *pag.* 684. usque ad finem.

IV. *Quia* Magistratus absque coactione conscientiæ, absque juris divini aut naturalis violatione, regnum Antichristi, quod regno Christi opponitur, impedire potest, ne in Republicâ suâ propagetur, crescat, floreat, subditos suos ad se traducat, iisque dominetur. *Apocal.* 17. *v.* 16. 17. & 18. *v.* 6. 20. Ubi vide ex commentator. nostris *Pareum.*

Atqui Papismus est regnum Antichristi, & caput ejus regni Papa Romanus est magnus ille Antichristus.

Major probatur ex textibus citatis.

Minor probata est à nostris in tractatibus de Antichristo, quales *Gomari* (quem quære inter ipsius disputationes) *Poueli*, *Danei*, *Beumleri*, *Roberti Abboti*, *Nic. Vignier* gallicè tit. *Theatre de l'Antichrist*, qui post omnes plenissimè anno 1610. demonstrationem Antichristi exhibebat; Petri Molinei gallicè tit. *Accomplißement des Propheties*; Sereniss. & Potentiss. Regis Britanniæ Jacobi in monitoriâ præfat. ad Imper. Reges, Principes apologiæ pro juramento fidelitatis præmissâ Angl. Lat. Belg., *Georgii Downami*, qui contra *Jesuitam Lessium* Regis sui monitor. præfat. defendit anno 1620.: quem postremum ex nostris catasceuasticè & anasceuasticè contra recoctas & postremas exceptiones, *Malvendæ*, *Zwarez*, *Lessii* imprimis, causam hanc egisse arbitror.

Atque hæ rationes theologicæ.

Addimus aliquot politicas ex jure naturali, gentium, & civili sive Romano sive quovis alio provinciali, aut urbico desumtas.

I. Ratio rationum politica est, *Quia* religio & ecclesia Papistica est dependens in politicis & sæcularibus (sive directè sive indirectè seu per consequentiam) ab alio principe & monarchâ supra omnes Imperatores, reges, principes hujus mundi divinitus constituto. In quo pseudo-principio Papismi, fundantur omnia perfidiæ, rebellionis, conjurationis, &c. pseudo-axiomata. Ita ut genuinus Papista, in politiis reformatis non possit esse bonus civis. Vide hæc probata; cum indicio autorum in 2. *part. select. dispp. tit. de sede Romanâ incompatibili*, &c. *& de potestate temporali Papæ.*

II. *Quia* juxta axiomata, Nemo tenetur prodere seipsum, & Nemo propriam carnem odio habuit, Et naturale est unicuique creaturæ, multo magis sentienti, maximè intelligenti, conservare seipsum.

Jam vero, cum Pontificii ex vi suæ religionis in errante conscientiâ suâ sta-

ſtatuunt reformatos jacturę capitis & fortunarum eſſe obnoxios, & Magiſtratus reformatos eſſe illegitimos uſurpatores: quid aliud exſpectandum, quam ut numero & potentiâ eorum creſcente, ubi reformatis ſuperiores evaſerint, & Papa aut Epiſcopi per confeſſarios ſignum dederint, præſens regimen aut rectores dejiciant, & reformatos omnes, tanquam devotos Chananæos, & omnem reformatæ religionis profeſſionem exſcindant.

Hinc videmus non tantum licitam eſſe reformatis, ſed inſuper magis minuſve, pro ſtatu Reipublicę, neceſſariam eſſe, conſervationis & propagationis Papiſmi inhibitionem.

III. *Quia* locuſtarum clericalium, ad exercitia Papiſtica requiſitorum, alitura, & per emiſſarios illos collectæ & emendicatæ oblationes ad principales ſuos (monaſteria, capitula, templa, &c.) tranſmittendæ, ſubditos politiæ reformatæ & conſequenter ipſam Rempublicam, gravant, attenuant, exhauriunt. Hæc autem incommoda à Republicâ quibuſvis legitimis mediis, (inter quæ inhibitio exercitiorum & conventuum) amovenda eſſe, nemo ſanus dubitabit.

IV. *Quia* ad clericatum, imprimis ad monachatum, & ſemimonachatum interventu exercitiorum, conventuum, clericorum emiſſariorum, juratorum Reipublicæ reformatæ hoſtium, tam multi ex ſubditis utriuſque ſexus pertrahuntur; reſpublica otioſis & perditis ejuſmodi hominibus impletur; hæreditates genuinis hæredibus (præſertim reformatæ religionis) pręripiuntur; liberi nolentibus, ſæpe reclamantibus parentibus ad monachatum aut ſemi-monachatum abducuntur, & poteſtati parentum ſubtrahuntur; denique per perpetui cœlibatus leges, in familiis & Republicâ ſtupra, ſcortationes, adulteria, aliæque impuritates, cum nothis, ſpuriis, malè natis, malè educatis liberis, multiplicantur. De familiarum & Rerumpublicarum damnis, per ſubductionem liberorum à poteſtate & obedientiâ parentum, videri poteſt tract. *Petri Ærodii* JC. & judicis quæſtionum tit. *de patrio jure ad filium pſeudo-Jeſuitam*; qui Argentorati a. 1611. typis *Petri Caroli* recuſus eſt.

De putatitiâ immunitate atque independentiâ clericorum & monachorum à politicâ poteſtate & ὑπεροχῇ, cujus opinione in conſcientiâ errante & ipſi & ſequaces eorum obſeſſi ſunt, Reipublicæ reformatæ ſecuritati haut leviter præjudicante, alibi dicendum erit. Confer infra *part. 2. lib. 4. tit. de monachis.*

V. *Quia* confirmat hoc communis conſenſus & praxis omnium politiarum proteſtantium ac reformatarum (quibus poteſtas, potentia, occaſio non defuit) pręeunte ſuaſione Doctorum & paſtorum ſuorum. Vide ma-

gnam Britanniam, Daniam, Norwegiam, Islandiam, Sueciam, Finnoniam, Livoniam, tot principatus & territoria in Germaniâ, Cantones Helvetios (Tigurum scil., Bernam, Basileam, &c.), Rempubl. Genevensem, Fœderatum Belgium.

Rationes, & suasiones Papistarum, quas pro libertate in politiis reformatis sibi concedendâ depromere possent, omnes quasi unum in fasciculum colligatas, proponebat supplicatio seu petitio Sereniss. ac Potentiss. Regi Jacobo ac Parlamento Anglicano anno 1604. exhibita: quas omnes eodem anno refutabat *Gabriel Powel* theologus Oxoniensis, libello vernaculo tit. *Consideratio rationum Papisticarum, à statu seu politiâ, & religione ductarum*, &c.

Erant autem numero 46. quarum indicium aliquod ex *Powelo*, qui eas in formam redegit, hic facimus. 1. *Quia* Papistę se infinitè Majestati Regiæ obligatos tenerent, & quâvis occasione paratos se ostenderent ultimam sanguinis guttam pro ejusdem defensione offerre. 2. *Quia* Papistæ specialiter respici & magni æstimari deberent; quippe qui sint membra utilia & potentissima ad impediendos & deprimendos Puritanos, quorum numerus indies supra Protestantes excrescit. 3. *Quia* tolerantia Papismi maximè convenit ad Regiæ Majestatis contra omnes domesticas & extraneas aggressiones firmitatem ac securitatem. 4. *Quia* Papistę uti constantes obedientes & fideles sunt Deo in suâ religione, quam profitentur; sic etiam regi suo obedienter subjecti & fideles sunt. 5. *Quia* tolerantia illa pariet, excitabit, & fovebit in subditis diversæ religionis seriam æmulationem & sanctam contentionem: ut alteri alteros superent in officiis, servitiis, amore erga regis personam & negotia. 6. *Quia* hæc tolerantia invitabit Papisticos reges & principes, ad veram & realem colligationem pacis & amicitiæ cum Regiâ Majestate ineundam; sicque delectum dabit conjugiorum cum liberis ipsius, nobilium, divitum, amplissimorum. 7. *Quia*, Misericordia, clementia, beneficentia ostensa in concessione libertatis conscientiæ & exercitii, citissimè & maximè omnium lucratur amorem subditorum: in quo Regiæ Majestati præsens & maximè securum, contra omnes aggressiones, pericula, tumultus, erit asylum. 8. *Quia* dicta tolerantia respectu rationum status non est damnosa, uti docent exempla Germanię, Galliæ, Poloniæ.

Hactenus rationes politicæ

Religiosæ sunt sequentes,

1. *Quia* Papistica religio est illa ad quam Anglia primum ex paganismo conversa est. 2. *Quia* eadem religio primaria est, quæ aliquam gentem ad Christianam fidem convertit, & ad ejusdem professionem adduxit. 3. *Quia* est illa religio, in cujus communione aliquando fuerunt protestantes, & à

quâ

quâ exierunt. 4. *Quia* est ea religio, cujus primi autores (excepto Christo cum Apostolis) aut sectatores à nullo nominari queunt: nec potest commonstrari ullum dogma fundamentale jam inde ab Apostolicis temporibus definitum, quod antea non fuerit creditum, & cujus oppositum in Ecclesiâ Romanâ nunquam fuerit traditum. 5. *Quia* eadem religio centenas hęreses refutavit & exegit. 6. *Quia*, hæc religio erexit & ædificavit templa, collegia, hospitalia, eademque dotavit; instituit universitates & seminaria, &c. 7. *Quia* eadem in tribus sæculis simul sumtis, tres apertos adversarios in universo orbe Christiano experta non est, qui contradixerint ejus doctrinæ, aut aliquam fidei formulam tenuerint; præter eam, quam Papatus tradit. 8. *Quia*, hanc religionem professi, semper exploratæ sanctitatis in vita suâ fuerunt, & similem mortem sortiti sunt. 9. *Quia*, hæc illa religio est, cui celeberrimi hujus mundi Imperatores & Reges coronas suas subjecerunt, cujus prælatos venerati sunt, censuris obediverunt. 10. *Quia*, infinita hanc religionem profitentium multitudo utriusque sexus paupertatem, castitatem, & obedientiam, tria præcipua consilia Euangelica profitentur, quæ ab Apostolis observata fuerunt. 11. *Quia*, testificata est per sanguinem & sanctitatem ejusmodi martyrum ac confessorum, quos ipsi protestantes approbant; & tota eorum doctrina miraculis confirmata, & à conciliis comprobata. 11. *Quia*, religio hęc, est admirabilis consensus & unitatis in doctrina, non varians in quâque regione & Republicâ. 13. *Quia* eadem postremis mille annis & ultra sacræ Scripturæ custodiam habuit. 14. *Quia* eadem instituit festa, jejunia, & omnes bonas ceremonias, ac solennes observationes. 15. *Quia*, fundavit censuras ecclesiasticas, & genera disciplinæ; & produxit legem canonicam. 16. *Quia* profitentes fidem suam post mortem canonizavit, annuamque eorum memoriam celebrat. 17. *Quia* Papisticæ religionis sacerdotes, Papatum deserentes judicantur legitimi & sufficienter ordinati ad verbum Dei prædicandum, sacramenta administranda, omnemque jurisdictionem spiritualem in cœtibus protestanticis exercendam. 18. *Quia*, ea est religio, cujus antiquitati, & veritati omnium templorum, sacellorum, pulpitorum formæ, & omnium hospitalium, collegiorum, abbatiarum, fenestrarum templarium, & sculptorum lapidum monumenta, manifestam evictionem conferunt. 19. *Quia*, principia & axiomata Papisticæ religionis tam certa sunt, ut protestantes, quoties à Puritanis oppugnantur, non videant quomodo se defensuri sunt, nisi ad invincibiles Romanæ ecclesiæ, & ejusdem Doctorum, rationes confugerint. 20. *Quia*, hæc religio docet anniversariam confessionem coram sacerdote, pœnitentiam, restitutionem, satisfactionem; præscribit dies jejunii, tempora abstinentiæ, impletionem votorum, unum & uniforme exemplar fidei, veteris ho-

hominis mortificationem. 21. *Quia*, Papistica religio est illa, ob cujus defensionem Rex Angliæ dicebatur, *defensor fidei*, Rex Galliæ *Christianissimus*, & Rex Hispaniarum *maximè catholicus*. 22. *Quia* est ea religio, in cujus professione quisquis verè eam ingressus est, mox vivit in majori reverentiâ Dei, & metu peccati, & priorem vitam in meliorem commutat. 23. *Quia* eadem habet, & omnibus sæculis habuit pastores & Doctores, viros in omni scientiâ, eruditione, lectione, judicio, virtute & verâ pietate celeberrimos. 24. *Quia*, exequitur officia sua ecclesiastica cum majestate, honorandâ gravitate, reverentiâ; ceremonię ejus sunt admirabiles, sacramenta consolatoria. 25. *Quia*, hujus religionis clerici degunt absque uxoribus, &c. 26. *Quia*, hujus religionis professores, & confidentes defensores, fuerunt, quatuor sanctæ Ecclesiæ agniti Doctores *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Gregorius*. 27. *Quia*, Hanc religionem professi sunt, omnes sancti in Kalendario notati, omnesque personę sanctitate memorabiles. 28. *Quia*, religio hæc confirmata est scripturis, Apostolicis institutionibus, conciliis, patribus, Doctoribus, rationibus, historiis, chronologiis, prophetiis, visionibus, revelationibus, miraculis, traditionibus. 29. *Quia* hæc religio incipiens ab Hierosolymâ crevit & seipsam sparsit per omnes nationes. 30. *Quia*, terrę seu regiones ab hâc religione recedentes, aut eidem alia dogmata admiscentes, præsentem prioris felicitatis jacturam passæ sunt, in manifestam apostasiam, aut deplorandam servitutem, aut in utramque lapsę. 31. *Quia* hujus religionis cœtus & congregationes semper jam inde à primâ plantatione verè visibiles & conspicuæ fuerunt. 32. *Quia* religio hæc dispersa est per totum mundum. 33. *Quia* semper habuit perpetuam visibilem notorum pastorum & doctorum continuationem. 34. *Quia*, doctrina ejus reducitur & subducitur ad cathedram Apostolicam, per veram & legitimam episcoporum successionem, unoquoque eorum unitatem servante cum suo prædecessore, & perpetuò custodiente depositum, de manu in manum sibi traditum. 35. *Quia*, religio hęc servat absolutum consensum cum omnibus scripturæ partibus, cum conciliorum œcumenicorum decretis, & cum communibus omnium antiquorum patrum assertionibus. 36. *Quia*, hanc religionem nulla persecutio abolere potuit. 37. *Quia*, hanc religionem profitentes semper potentiam habuerunt dæmonas ex obsessorum corporibus ejiciendi. 38. *Quia*, hæc religio ex naturâ suæ doctrinæ & sanctarum ordinationum, subditos pluribus & fortioribus mediis obstringit temporalibus suis dominis.

Et hæc rhapsodia 46. rationum 8. scil. politicarum, & 38. theologicarum: quas à theologiæ studiosis facillimè difflari posse non dubito: modo antagonistam aliquem Bellarmini de notis ecclesiæ, aut consultationis *Lessii* de

de religione capessendâ, *Roberti Abbotti* refutationem præfationis *Bishopi* præmissam defensioni cathol. reformati *Perkinsi*; *Wittakeri responsum ad decem rationes Campiani*; *Juelli apologiam ecclesiæ Anglicanæ*, *Helmichii examen epistolæ Jesuitæ Costeri ad Ill. Ordd. Belgicos*, tit. *Gladii Goliath*, *Molinei & Riveti* scripta adversus Jesuitam *Sylvestrum de Petra sancta*, meam *desperatam causam Papatus*, similiave scripta in generalibus illis præjudiciis profligandis occupata, in antecessum legere aut in ipso examine subinde consulere & conferre dignati fuerint. Objectiones & exceptiones quæ in Belgio nostro partim à Papistis, partim à neutralibus aut Libertinis, partim à quibusdam nomine reformatis, moveri audimus, capite sequenti perstringemus. Quas rhetoricè potius quam theologicè aut politicè in supplice ad Regem Sereniss. ante coronationem libello Papistę anno 1603. accumularant, *idem Gabriel Powelus* à se excussas indicat in præfatione; ut & hujus secundæ petitionis à clariss. theologo *Matheo Sutclifo*. Quibus jungendi ejusdem gentis & ad statum Angliæ contra libertatem illam disputantes, *Davenantius in tract. de judice controversiarum pag.* 71. *Georgius Abbotus in sex prælectionibus*; *Robertus Abbottus in defensi cathol. reformati Perkinsii; Andreas Willetus in præfat. ad commentar. in epistolam Judæ* 10. rationes adducit. Vires rhetorum Pontificiorum in hâc causâ conjunctas exhibent virulenta scripta tit. *Examen catholicum edicti Parlamentar. contra catholicos* anno 1606. & *Andreæ Philopatri responsum ad edictum reginæ* a. 1591.

CAP. VIII.

De quæstione, an hoc tempore Papistis in Belgio Fœderato sive ob rationes politicas, sive ob ecclesiasticas, libertas exercitii concedenda sit.

ACcedamus nunc ad quæstionem hypotheticam, *An in Belgio Fœderato, libertas exercitii Papistis concedenda sit. Resp.* Non est quæstio, an quâcunque incidente rerum mutatione, aut potestatis potentiæve immunitione, Magistratus Belgici teneantur pertinaciter libertatem illam negare. Absit. Nec est quæstio historica, an unquam alicubi in Belgio negata sit; sed quæstio est. *An* repugnet juri divino & naturali, quod hactenus negaverit, & anno 1651. in *panegyri Hagiensi* ab Ill. Provinciarum Fœderatarum Ordinibus inter pacta & conditiones renovatæ & confirmatæ unionis retulerint hanc sequentem: *edicta contra Papatum in suo vigore manebunt, & executioni mandabuntur*. §. 1.

Nos dicimus non tantum hoc licitum esse, sed etiam expedire, immo & necessarium esse ad conservationem & promotionem boni publici tum po-

 litici

litici tum ecclesiastici. Confer supra *pag.* 399. *& 2. part. select. dispp. tit. de sede Romanâ incompatibili*, &c. Contra non tantum Pontificii, Epicurei, Sceptici, Libertini, Neutrales libertatem illam concedendam dicunt: sed & Remonstrantes; ex quorum argumentis & hypothesibus supra refutatis pro promiscuâ libertate, hoc necessario sequitur. Ne dicam à primipilis ipsorum hoc apertè traditum. Sic enim *Eduardus Poppius* in libello eristico contra Bartholomeum Nicolaum reformatum ministrum Goudanum pag. 4. 5. „sentio, inquit, non malè facturos DD. Ordines, si ubi satis caverint „iis quæ ex religione Romanâ in damnum Reipublicæ redundare possent, „& prospexerint ne ex Papisticis officiis, processionibus, &c. publica „dentur scandala, non malè facturos si etiam Papistis exercitia sua permit„tant, ne seipsos conscientiarum coactione polluant.

In libello anno 1619. edito tit. **Vrijen Godts dienst** pag. 45. ajunt, se nullam videre difficultatem, cur Papistis æquè ac aliis libertas tribuenda non sit. In *Vedelii Rhapsodi lib. 2. cap. 4. pag.* 107. „Hinc est quod Remon„strantes tolerari velint *omnes errantes*. & pag. 167. Quid criminis in eo „esse potest, si Remonstrantes in istâ libertate patriâ nati atque educati, „*omnibusque* subditis vestris parem libertatem optantes profiteantur, &c. Idem necessario sequitur ex omnibus illis, quę supra de libertate conscientię & exercitii ab illis disputata sunt. *Arminius* & primi ejus sectatores, quidquid de libertate prophetandi, & sectarum, aut scissi (uti loquebantur) Christianismi unione cum *Acontio in stratagematis Satanæ* viderentur ἀκοντίζειν, idololatras tamen & Papæ monarchicos & hæreticidas tanquam ἀπειθεῖς, excludebant. Vide *Arminii disp. de secessione à Papatu §. ult. & disp. privatam* 75. ubi in corollario eorum idololatriam Ethnicæ & Judaicæ æquiparandam dicit. *Bertius* jam factus Arminianus disp. de Magistratus politici functione propositæ anno 1609. Resp. *Abrahamo la Faille Hagiensi* „hæc corollaria subjiciebat VII. An præter solam veram religionem etiam „possit tolerare plures? Disquiri Permitt. VIII. An Pontificiis erepta olim „templa & publicum superstitionis ipsorum exercitium citra impietatem „posset restituere? N.

Sed ab anno 1609. usque ad 1619. aliquod est intervallum, ita ut dies diem multa eos dedocere aut docere potuerit. Nos cum ecclesiis, classibus, synodis, Doctoribus Belgicis assiduo contra libertatem Papismi petentibus ac monentibus, & cum Magistratibus tum superioribus tum inferioribus, tot edictorum & decretorum repagulis, jam inde ab anno 1581. usque in hunc diem, & infinitis edictorum executionibus libertatem, quam sibi Papistæ nostrates sumunt, inhibentibus, sentimus planè inconsultum esse, hoc tempore pacis & hoc rerum statu Pontificiis libertatem concedere,

& ſuperiora omnia edicta abrogare. Ne autem Libertini aut occulti Papatus fautores fingant, hæc omnia impetu aliquo à zelotis quibuſdam ita olim facta fuiſſe, nunc vero antiquata; provoco ad Synodorum Nationalium & particularium querelas, petitiones, monitiones actis ipſarum & actis Ill.DD. Ordd. Generalium, & Provincialium memoratas; ubi & decreta occaſione iſtarum querelarum & petitionum condita notantur. Rationes ad ſtatum Belgii noſtri accommodatas de novo hic non coacervabo: ſed ut operæ parcam, petitionem nomine miniſtrorum hujus urbis à me anno 1648. conſcriptam & Ill. hujus Provinciæ Ordinibus exhibitam, exinde Hagam-comitis ad Nobiliſſ. & magnificos DD. in collegio Ill. DD. Ordinum General. ex hâc Provinciâ delegatos aſſeſſores tranſmiſſam, de verbo ad verbum in Latinum ſermonem nunc tranſlatam exhibebo; quod pleraſque, ſi non omnes, rationes complexa videatur.

„ *Nobilibus & potentibus Dominis Dominis Provinciæ Ultrajectinæ*
„ *Ordinibus.*

„ REverenter indicant veſtrarum Nobiliſſimarum Poteſtatum obe-
„ dientes famuli, verbi divini in Eccleſiâ Ultrajectinâ præcones, quod
„ occaſione pręſentis tractatus Monaſterienſis inter hujus Reipublicę & Re-
„ gis Caſtiliæ Plenipotentiarios, propius conſiderârunt, & pro munere ſibi
„ impoſito publicis ac privatis precibus Deo omnipotenti commendârunt
„ ſtabilitionem & conſervationem non tantum libertatis noſtræ tam caro
„ pretio emtę, ſed etiam & imprimis ſanctiſſimę, Chriſtianę Apoſtolicæ &
„ Catholicę noſtræ fidei, infallibili Dei verbo ſuperſtructæ, & tanto ſangui-
„ nis profluvio in his terris plantatæ: ne illi per conſuetas Romanas &
„ Hiſpanicas artes aliquâ in re pręjudicetur, neve per parorama aliquod aut
„ præteritionem, laudatiſſimum harum nationum regimen perpetuâ maculâ
„ aſpergatur.
„ Quod inſuper ſupplices petitores non ſine ingenti gaudio intellexerunt,
„ à Nobil. Poteſtat. veſtris, juxta cum aliis Provinciis confirmationem di-
„ ctæ ſanctiſſimæ, Chriſtianę, Apoſtolicæ Catholicæ fidei, tanquam neceſſa-
„ rium totius tractatus Monaſterienſis præſuppoſitum ac fundamentum,
„ jam decretam eſſe.
„ Quod nihilominus ſupplices petitores, ut ſuo erga cauſam Dei animo
„ & affectui ſatisfacerent, & quia, *res eſt ſoliciti plena timoris amor*, non
„ potuerunt nec voluerunt omittere, quin veſtras Nobil. Poteſt. ex abun-
„ danti ſuppliciter orarent, nec minus ſerio coram magno Deo in conſcien-
„ tiâ obteſtarentur, ne decreta Chriſtiana tam ſuper promovendo veræ

„ religionis negotio in Germaniâ (nominatim in Electorali Palatinatu, in „ ducatibus Juliacensi & Bergensi, in Imperiali urbe Aquisgranensi, &c.) „ quam super ejusdem in Provintiis Unitis confirmatione antehac condita, „ per tractatus Monasterienses, aliquâ in parte infringantur aut flectantur: „ ita ut per mundanas considerationes ullus abominando Papatui obtin- „ geret favor, ad plenario jure & potestate harum nationum, cui Deus tam „ clementer benedixit, contra dictum Papatum, non utendum.

„ Quod consequenter supplices petitores hanc παῤῥησίαν sumserunt, bonâ „ cum Nobil. Potest. vestrorum veniâ, in specie efflagitandi, ut laudatum „ modo de stabiliendâ religione decretum, non tantum generaliter obser- „ vetur, & specialiter in hâc aliisque Provinciis ac civitatibus in meditullio „ sitis, executioni mandetur, cum veræ religionis defensione & exsertâ Pa- „ pisticæ, secundum priora edicta, exclusione: sed etiam ut dictum decre- „ tum peculiariter (juxta Nobil. Potest. vestrarum intentionem & senten- „ tiam) ad extremos limites & loca unitarum Provinciarum jurisdictioni „ ac supremæ potestati subjecta; hoc est, ad Baroniam Bredanam, Mar- „ chionatum Bergensem ad Zomam, territorium Cuyckense, territorium „ Sylveducense, Valckenburgense, Daelhemense, eorumque appendices, „ quæ armatâ dictorum locorum occupatione, Provinciis unitis ante bien- „ nium acquisita intelliguntur; denique ad omnia loca, quorum jurisdictio „ & suprema potestas politica ab unitis Provinciis in præsenti vindicatur, „ aut in posterum per tractatus, aliove modo legitimè vindicari posset.

„ Rationes hujus Christianæ petitionis apud Nobil. Potest. vestras cum „ minime opus sit deduci, aliquæ solummodo memoriæ Nobil. Potest. ve- „ strarum refricandæ ergo, annotabuntur.

„ I. *Quia* Nob. Potest. vestræ Dominum Deum honorare tenentur; „ & hunc in finem omnem potentiam & autoritatem suam impendere in „ divini cultus promotionem, & idololatriæ, hæresios, & nominis divini „ profanationis ac blasphemiæ aversionem.

„ II. *Quia* Nobil. Potest. vestræ in conscientiâ tenentur subditorum suo- „ rum (etiam nominatim in locis modo indicatis) salutem non tantum in „ temporalibus, sed etiam, imo multò magis, in spiritualibus promovere. „ Quod per cujuscumque perniciosæ ac damnabilis idololatriæ, hæresios, „ &c. disturbationem, & seductorum ac pseudo-prophetarum ignorantes „ animas miserè seducentium, exclusionem fieri debet.

„ III. *Quia* decet Nobil. Potest. vestras hâc ratione sincerum animum „ & sensum suum circa veram religionem coram toto orbe, præsertim ante „ oculos Papistarum, ostendere. Absque hoc calumniantium ora obturari „ non possunt; quibus in more positum est quotidie, specialiter occasione ejus-

„ ejusmodi actionum, nostris exprobrare, *quod reformationis susceptio & „ defensio mera sit comœdia & prætextus*; quod sit *festum pecuniarium*; quod „ *non quæratur religio, sed regio*, hoc est, jurisdictio; Quod harum Provin- „ ciarum *proceres seu Magistratus, saltem multi, aut ad minimum pars eorum „ in conscientiâ satis sciant, Papisticam religionem esse optimam*, aut saltem „ *in oculis ipsorum non adeo malam esse*.

„ IV. *Quia*, vestræ *Nobil. Potest.* non minorem pro verâ religione zelum „ demonstrare tenentur, quam Pontificii proceres pro suâ falsâ religione. „ Quam ipsi nunquam promovere aut introducere negligunt, cum veræ „ religionis exclusione: ubi aliquid potestatis & juris sibi competere autu- „ mant; etiam cum prætensę suę potestatis & jurisdictionis dimissione, modo „ promotionem aliquam religioni suæ stipulari queant.

„ V. *Quia* permissio papismi in dictis locis & agris continuari nequit, „ multo minus per tractatus aut alio quo modo in stabilitum jus converti; „ sine pudefactione & confusione multiplicium actionum, manifestorum, „ protestationum fœderati Belgii in negotiationibus & tractatibus cum aliis „ Principibus & Rebus-publicis, adhæc in variis publicarum supplicationum „ indictionibus, edictorum & decretorum promulgationibus, &c. hic non „ referendis: Quibus religio, tanquam essentialis pars, immo tanquam „ Reipublicæ nostræ basis & fundamentum prædicatur, pro quâ vitam & „ fortunas suas parati essent exponere.

„ VI. *Quia* in omnia ad unionem reducta loca & oppida post annum „ 1581. religio reformata introducta & Papismus ejectus est, nec ullis postu- „ latis, prætensionibus, protestationibus locus est datus: uti ex historiis pro- „ bari posset. Quod si hæc facta sunt rebus Reipublicæ nostræ tam tenui- „ bus, dubiis & incertis: multo magis nunc fieri deberent, postquam Deus „ noster ad tantum libertatis & potentiæ fastigium nos evexit. Quod tan- „ quam exceptum à communi regulâ & consuetudine factum est in tracta- „ tu deditionis Trajecti ad Mosam, Venloæ, &c. alium habet respectum: „ uti liquet ex *manifesto* a. 1632. publicato, quo Ill. DD. Ordines Gene- „ rales, subjugatas Provincias ad jugum Hispanorum abjiciendum, & liber- „ tatem capessendam invitant.

„ VII. *Quia* metuendum est, ne per negligentiam aut remissionem, „ quæ hic obtingere posset, corda justorum & verè reformatorum nimiâ „ afficerentur tristitiâ; per quod manus ipsorum aliquando remitterentur, „ ubi necessitas vitam & fortunas pro patriâ & legitimis magistratibus con- „ tra communes hostes exponi postularet. Vix credere possumus, tali in „ casu nostras nostrorumve successorum adhortationes, & validissimas ra- „ tiones admonitionum desumtas à salute religionis (pretiosissimi omnium

„ piorum philopatridum pignoris), ſemper parem habituras efficaciam; &
„ reformatos intuitu religionis, pariter paratos ac promtos fore: forte hâc
„ ſuſpicione eos tentari contingeret, quaſi nimis vilia haberentur ipſorum
„ bona & vita; quaſique libertas & confirmatio Papiſmi, loco veræ reli-
„ gionis, iis emere intenderetur.

„ VIII. *Quia* ubi Papiſmus in locis deſignatis ſtabilitus fuerit, iiſdem
„ uti poſſet tanquàm tuto ſpoliario ad excurſiones locuſtarum Antichriſti in
„ has noſtras terras inſtituendas, (uti ſuperioris induciarum temporis expe-
„ rientia nos docuit,) quin etiam tanquam officinis & fabricis politicarum
„ proditionum ac conſpirationum, juxta fundamentalia Romanæ religio-
„ nis axiomata: dum Romanis clericis iſtarum patratoribus & executori-
„ bus tanquam hujus Reipublicæ ſubditis abſque obſervatione & ſiniſtrâ
„ ſuſpicione, intrandi & exeundi libertate uti frui licebit.

„ IX. *Quia* veſtræ Nobil. Poteſt. juxta cum aliis Provinciis Unitis ha-
„ ctenus poſſeſſione & uſu ſupremi Dominii in Baroniâ Bredanâ, Marchio-
„ natu Bergenſi ad Zomam, territorio Cuyckenſi, gaviſæ ſunt: ita ut de in-
„ duſtriâ optimum jus in dubium trahi videretur, ſiquidem illi, penes quos il-
„ lud eſt, eodem ſecundum maximas & conſuetudinem jam inde poſt an-
„ num 1581. ad religionis noſtræ introductionem & Papiſmi abrogationem
„ non uterentur. Quantum ad agrum Sylvæ ducenſem, verum eſt hoſtem
„ poſſeſſioni ejuſdem voluiſſe litem movere: ſed ſine ullâ juris ſpecie; uti
„ patet ex notiſſimâ Bruxellis anno 1625. latâ ſententiâ, quâ territorio
„ Sylvæ-ducenſi independentia ab urbe & archi-prætore Sylvæ-ducenſi ab-
„ judicatur. Ita ut à Rege Caſtiliæ tractatus & negotiationes ſuper religio-
„ ne in agro Sylvæ-ducenſi, aliiſque in locis ſupremo hujus Reipublicæ do-
„ minio ſubjectis ordinandâ, non magis prætendi poſſint, quam veſtræ No-
„ bil. Poteſt. ſuper ordinandâ in marchionatu Antwerpiano, aut territorio
„ Mechlinienſi prætendunt.

„ X. *Quia* exempla prædeceſſorum Nobil. Poteſt. veſtris hâc in parte
„ præeunt; qui juxta cum aliis Provinciis difficilibus temporibus a. 1580.
„ cum Rex Hiſpaniarum tanquam harum Provinciarum Princeps adhuc
„ agnoſceretur, religioni Romanæ abrogatæ reformatam ſubſtituerunt.
„ Accedunt exempla Proteſtantium Germaniæ Principum, qui quamvis ſu-
„ premam poteſtatem, qualem veſtræ Nobil. Poteſt., non habeant, nullum
„ unquam Papiſmum in territoriis & dominiis ſuis tolerârunt; immo præ-
„ tenſæ Papæ Romani poteſtati ne quidem huc uſque ſe immiſcere volue-
„ runt, ut vel unicam ipſius epiſtolam reciperent, & nuntios ſeu legatos
„ ejuſdem ad alloquium admitterent. De quo videndus *lib. 28. hiſtoriæ*
„ *Thuani pag. 52. edit. in fol.*

XI. *Quia*

„ XI. *Quia* Nobil. Poteſt. veſtrę jam de puncto religionis in deſignatis „ locis (uti refertur) benè & laudabiliter decreverunt; ideoque Chriſtianum „ ſit in tali decreto perſeverare. Orant ergo & obteſtantur Nobil. Poteſt. „ veſtras, ſupplices petitores, pium tale propoſitum conſtantes ſervare & „ proſequi dignentur: ſub ſpe & exſpectatione divinæ ſuper hujus Rei- „ publ. armis, & pacis tractatu benedictionis: atque unà præmonent, „ ſi hæ ſimileſque divinæ gloriæ & ſimileſque de divinâ gloriâ & ſalute re- „ ligionis cogitationes poſt ponantur, nihil aliud exſpectandum eſſe; quam „ ut hi tractatus pacis, & proſperitatis noſtræ faſtigium, ad quod per reli- „ gionem à Deo ſupra alias terras quamplurimas evecti ſumus, nobis aut „ poſteris noſtris, pariter ac Bohemiæ & Germaniæ, in laqueum & ruinam „ cedat: juxta infallibile Dei verbum 1 Sam. 2. v. 30. *Honorantes me ho-* „ *norabo, ſed contemnentes me,* &c.

„ Subſcripſerant huic libello ſupplici omnes eccleſiaſtę Ultrajectini, uni- „ co ſolummodo excepto, qui ab urbe tunc aberat.

„ *Joannes Flaman. Andreas Suave, Johann. Breyer, Gisbertus Voetius, Caro-* „ *lus de Maets, Corn. Heycoopius, Libertus Spruyt, Gualterus de Bruyn, Joh.* „ *Hoornbeeck.*

Excutiendæ nunc rationes quæ in Belgio noſtro in contrarium partim à §. 2. Pontificiis, Libertinis, Neutralibus, aliiſque ſectariis, apertè proponi; partim à ſimulacris reformatorum, ſed intus Remonſtrantibus aut Semi-Papiſtis, aut viris de hoc ſæculo (*Pſal.* 17. *v.* 14.) palam jactari, aut in tenebris muſſitari percepimus.

I. *Rat.* Sola religio Romana eſt vera & ſalutaris: ergo omnis libertas illi concedenda. *Reſp.* Antecedens negatur: horrenda idololatria quæ cuivis Ethnicæ, etiam Ægyptiorum, ęqualis ſit (aſtipulante theologiâ *Arminii ſupra cit.*), immo quemvis Ethniciſmum ſuperat in adoratione hoſtiæ, nullâ ſpecie ſalutaris dici poteſt. Adde nunc multiplices hęreſes, & blaſphemias, & infinitas pæne ſuperſtitiones atque ἐθελοθρησκείας. Hanc demonſtrationem delineatam dedimus *in 2. part. ſel. diſp. tit. de fide Papiſtarum ſalutari an damnabili.* Forte quis cum Remonſtrantibus in *Vedelio Rhapſodo* aliiſque Neo-Scepticis, excipiat, Quas reformatus orbis hęreſes pronunciat, atque ex ſcripturis demonſtrat, hæretici illi negant tales eſſe, & contra reformatę doctrinę multiplices hæreſes, blaſphemias, immo & idololatrias (ut videre eſt in libro gallico Jeſuitæ *Richeomi tit. Pantheon Huguenotte deſcouvert*) viciſſim impingunt. Ergo datatim hic luditur. Repono, hujus Pyrrhonici & Sceptici axiomatis (*quod nihil ſcitur, & nihil credendum ſit, & quod omnia conſtent meris opinionibus aut dubitationibus*) examen alibi à philoſophis inſtituendum; & à theologis in controverſiis contra

Atheos,

Atheos, Epicureos, Libertinos, & in quæstionibus de autoritate scripturę, de certitudine fidei, de judice controversiarum, &c. Tantum hic quæro, si Scepticis ejusmodi circulationibus Gnostici, Manichęi, Henric-Nicolaitę, Muhammedistæ, Bonzii Iaponici, Adamitæ, Weigeliani, Felgenhauwerus, Jacobus Bohemus, scriptor Præ-Adamiticus, &c. pro causâ suâ contra Remonstrantium religionem, quæ & quatenus suæ adversatur, exciperent: quæro, inquam, an pronuntiarent, *datatim ludi, & in orbem convitia fundi?*

II. *Rat.* Quia est antiqua religio, saltem hic in Belgio antiquior est reformatâ, & prior possedit: Cum ergo potius sit jus possidentis, ex possessione deturbari non debuit; saltem jam deturbata, si non restitui, ad minimum libertate donari. *Resp.* Eâdem chordâ oberrabant antiqui Gentiles: quibus responderunt Christiani apologetici, præsertim *Ambrosius in epistola contra Symmachum.* Prȩsumpta Pontificiorum antiquitas, satis superque excussa est à *Juello in apologiâ ecclesiæ Anglicanæ, & in defensione ejusdem apologiæ c. Hardingum, à Molineo in novitate Papismi, Raynoldo, Plesseo, Blondello, Chamiero,* &c. Nos methodum elidendi jactatam antiquitatem, successionem, catholicismum Papismi, ostendimus in nostrâ *Desperatâ causâ Papatus,* & in 1. *part. select. dispp. tit. de patribus, & in 2. part. tit. de Vi veritatis,* &c. & *de methodo elidendi antiquitatem,* &c. Applicatè ad Belgium nostrum respondeo, antiquissimos majores nostros Gentiles pro suo Gentilismo contra novè introductum Christianismum, idem proculdubio objecisse; idemque hodie objicere Japonios, Sinenses, Indos, Abassinos, Russos, aliosque Asiæ & Africę populos Gentilismi, aut Muhammedismi, aut Christianismi (sed Apapistici) antiquâ possessione gloriantes. Exspectabimus, quid illis sint oppposituri.

III. *Rat.* Quia inhibitio exercitii Papistici est coactio conscientiæ, & nova inquisitio: atqui hanc tantopere detestati sunt majores nostri, & tanto cum sudore & sanguine eam profligârunt. *Resp.* Hoc teretismate passim nunc obtunduntur reformati, non tantum à sectariis quibusdam aut Libertinis, sed etiam à nonnullis reformatis sive aliud quid clausum in pectore habentibus, sive rasis tabulis, sive vix semiliteratis, qui forte *historiam Belli Belgici à Jesuita Fabiano Stradâ,* Ducis Parmensis gestorum gloriæ, ejusdemque familiæ velificante conscriptam legerunt: in politiâ speciali fœderati Belgii, & in *historiis Meterani, Petri Bor, Petiti, Reidii, Hoostii, Grotii,* satis hospites. Sed horum sacra ignorantia non videt se hoc modo universum fœderati Belgii regimen & Rectores jam inde ab anno 1583. usque ad renovatam in *panegyri Hagiensi* unionem anno 1651. & inde usque in hunc diem exprobratione tyrannidis in conscientias crudeliter infamare.

mare. Et hi vel soli patriæ amantes seu boni patriotæ, quin & boni politici audire velint. Omnibus nunc præteritis perlustrent quæso infelices illi historici & novelli politici decreta & edicta Ill. Ordd. General., & Ill. Hollandiæ Ordinum ab a. 1581. usque in hunc diem publicata (quę in volumina duo collecta & recusa habentur) & multis eorum ferale illud carmen *tyrannidis*, coactionis conscientiarum, inquisitionis Hispanicæ appingant. Hic scil. pietatis honos, sic nos in septra reponis. Siccine Magistratus tuos, siccine majores tuos, siccine egregias animas quæ libertatem hanc nostram labore & sanguine suo nobis pepererunt, honoras coram populo? Et inter hos novellos aretalogos non desunt, qui anonymis & famosis libellis, qui mendacibus Mercuriis seditionem Dei ministris & Magistratuum contemtum, non sine atroce injuriâ objiciunt; quod dilecta hominum peccata, aut profanas vocum novitates & hæreses ex verbo Dei reduarguant. *Quis tulerit Gracchos*, &c. *Supra cap.* 4. distinctionem inter libertatem conscientiæ & exercitii, in theologiâ, & in ecclesiâ non tantum, sed etiam in politiâ, & foro Belgarum receptam, usitatam, & ab ipsis Ill. Belgii fœderati Ordd. a. 1619. in formâ adhibitam probavi: nec hic repeto. Tantum addo, quod illic omissum, tot sententias inferiorum & superiorum tribunalium, quibus mulctas à Papistis & sacerdotibus eorum in prohibito Papistico exercitio deprehensis exsolvendas, toparchis, Satrapis, Mareschallis, Prætoribus exigentibus adjudicârunt, hanc distinctionem præsupponere. Præterea sapientissimum & consultissimum supremæ curiæ Hollandiæ Senatorem *Franciscum Francken*, virum salutis patriæ amantissimum, & liberæ Belgarum Reipublicæ studiosissimum, tyrannidis & inquisitionis Romano-Hispanicæ hostem accerrimum in aureo libello suo, quo justitiam belli Belgici contra libellum *Francisci Verhaer* Archiducum historici accuratissimè defendit, eandem distinctionem inculcare. Verba ipsius, prout in latinum sermonem à *Daniele Johannide Snecano* a. 1620. translata sunt, hic exhibeo ex §. 21. & 22.

„ Quibusvis Principibus & rerum publicarum rectoribus, meo quidem „judicio, concedendum est publicum religionis exercitium decreto sanci„re; in hunc videlicet modum, ut unâ solum cultus divini forma publici„tus admissâ, reliquarum aut minimum unius alicujus exercitio fas sit in„terdicere: præsertim ubi apparuerit publicæ paci & tranquillitati haud „aliter posse consuli. Interea & hoc ausim asseverare, quæstionem & ju„dicium de conscientiarum cordiumque recessibus, deque fide mortalium „in neminem competere aut cadere posse, nisi in solum Deum Omnipo„tentem cordium cognitorem ac scrutatorem. Neque hujus me sententiæ „esse pœnitet; nihil plane reperiri, quod æquè ad conversionem homi„num faciat, quam sincerus amor ex benevolo affectu promanans; aut

„ quicquam nocentius inimicitiis, vexatione, persecutione ac violentia.
„ Anima quippe cum sit particula divinæ auræ (liceat sic loqui) ac proinde
„ in Deum suam referat originem, tantę est nobilitatis, in servitutem re-
„ digi ut nequeat, nec, quo sponte ducentem non sequitur, se pertrahi si-
„ nat. Tale fuit judicium præpotentum Dominorum Ordinum; ideoque
„ censuerunt nihil magnopere hujusce rei edictis coercendum esse præter
„ exercitium ceremoniarum pontificiarum, nulla vi conscientiis aut fidei
„ adhibita, nec vel tantillum illis gravatis, aut vel minima in eas quæstio-
„ ne habita. Unde cuivis non contentioso aut iniquo rerum æstimatori in-
„ proclivi est colligere istas, quas extremis tantum lineis depinximus, ve-
„ xationes hac Dominorum Ordinum cautione nequaquam excusari posse;
„ quantumvis *Verhario* nostro quasi in transcursu aurem hic nobis velli-
„ care libeat hac admonitione, scilicet temporis progressu cognitum iri,
„ annon Domini Ordines sua de religione decreta sint exasperaturi, secuti
„ exemplum Caroli Quinti. Sed fallitur & fallit incautum lectorem, dum
„ primis edictis in negotio isto statutis aliquam lenitatem videtur attribue-
„ re: illa enim, quæ inciderunt in annos XXI & XXVI non sunt sane nul-
„ lius momenti, & suo non carent rigore, adeò ut ad proscriptionem &
„ capitis pęnam secundum formulam ab iis præscriptam judicibus proce-
„ dendi necessitas incumberet; non tantum adversus Doctores, sed & omnes
„ qui ipsis adhærerent.

„ Quin & anno XXIX & XXXI. capitis pæna decreta est in omnes, qui
„ vel minimum à Romana Ecclesia dissentirent, cautumque est ut in per-
„ severantes ultricibus flammis vindicaretur, in deficientes verò viros qui-
„ dem gladio, mulieres autem ita ut corpora ipsarum terrę mandarentur.
„ Nec ulla in parte sibi defuerunt, quorum non orbi liberi, non parentes
„ exacta ætate, non gemitus virorum, luctus mulierum immanes animos
„ inflexerant, etiam delecti sunt inquisitores, qui hanc persecutionem acer-
„ rimè urgerent & exequerentur. Atque in eam rem adeo strenue incu-
„ buerunt isti homines, ut inquisitio quinquennio aut sexennio summas
„ vires plenumque vigorem acquisiverit, nihilque ad extremam sævitiam
„ fecerit reliqui. Ex adverso præpotentes Domini Ordines jam continuos
„ quadraginta annos rerum potiti sunt, nec tamen ullâ conscientias affe-
„ cerunt molestia. Quod verò *Verhaer* diversam in futurum suspicionem
„ concipit, indicio est sanguinaria ipsum moliri consilia, & ad persecutio-
„ nem inclinare; neque enim dissimulat, inquisitionem hominibus tam
„ esse necessariam, quam sit virga pueris, & quam frænum equis.

Vides quomodo Ill. Belgii Fœderati Ordines semper distinxerint, & in praxi separârint libertatem conscientiæ à libertate exercitii, & hâc negatâ illam

illam non tolli aut violari judicaverint. Anno 1629. civitas Sylvæ-ducensis petiit inter conditiones deditionis stipulari voluit libertatem exercitii (quæ ipsis negata) non vero conscientiæ; quâ sciebant omnes Fœderati Belgii subditos frui. Anno 1632. stipulantur civitates Venloa, Ruræmunda, Trajectum ad Mosam libertatem exercitii, quæ concessa. Anno 1632. in *tractatu pacificationis* inter unitas & Hispanicas Belgi provincias artic. 19. stipulantur Ill. DD. Ordines, ut reformati in provinciis Hispanicis posthac in conscientiâ non molestentur, sed istic in pari statu & ordine habeantur & permittantur, quo Romano-Catholici in provinciis fœderatis: *teste L. Aitzema part. 1. historiarum suarum pag.* 140. Idem postea renovatur & declaratur ad artic. 19. *Æquum esse*, ajunt, *ut reformati in provinciis* Hispanicis *extra inquisitionem* (recherce) *& in domibus suis extra molestiam relinquantur.* Ibid. pag. 254. Delegati provinciar. Hispanicarum offerunt delegatis Ill. Ordd. Fœderatorum traditionem civitatis Bredanæ, hac conditione, ut religio & status clericorum maneret, uti tunc erat. *Ibid. p.* 170. Ill. DD. Ordines fœderati, Ordinibus Belgii Hispanici stipulantibus offerunt libertatem exercitii Papistici; eandemque offerunt in *manifesto suo* 22. Maji & 11. Septembris anno 1632. Idemque promittunt Regi Galliarum in *tract. confœderationis* 15. April. 1634. *artic.* 3. *Ibid. pag.* 116. 124. 180. Anno 1641. Ill. DD. Ordines in *tract. pacis* seu induciarum cum Johanne Lusitaniæ Rege *artic.* 3. subditis Belgii fœderati libertatem conscientiæ in domibus & libertatem exercitii in navibus ipsorum stipulantur. *Ibid. pag.* 261. Anno 1644. in Hulstum Flandriæ oppidum armis fœderatorum subactum, introductum est exercitium reformatum, Papistico inde pulso: quidquid conquererentur Legati Gallici *L. Aitzema histor. part. 2. pag.* 54. Ill. DD. Ordd. Fœder. in delegatorum suorum ad tractatum pacis Monaster. instructione *artic.* 27. mandant, ut de plano recusent omnia puncta de Papistici exercitii in fœderatis provinciis admissione, nec vel minimam super eâ propositionem aut stipulationem ferant. *L. Aitzema part. 2. pag.* 363. Ill. Zelandiæ Ordines in considerationibus circa *tractatum pacis Monasteriensis* notant atque improbant, Papistas à *libertate conscientiæ (quam iisdem subtrahi nolint)* ascendere ad libertatem exercitii & quasi liberum religionis suæ exercitium passim sibi sumere. *L. Aitzema histor. suarum part. 2. pag.* 160. 161. Ill. DD. Ordines fœderati in instructione delegatorum suorum ad tract. pacis Monaster. declarant se velle, ut incolæ agri Sylvę-ducensis introducto in templa exercitio reformato & abrogato Papistico, in fruitione libertatis conscientiæ permaneant. *Ibid. pag.* 238. Delegati Ill. DD. Ordd. fœderator. Monasterii respondent quod dominationes eorum nullam subditis suis conscientiæ coactio-

nem imponant; & quod incolas agri Sylvę-ducensis in libertate conscientiæ defensuri sint, nec passuri ut in eâ turbentur. *Ibid. pag.* 245. Quod constitutâ pace, executioni mandârunt, publicatis per agrum Sylvæ-ducensem contra exercitia edictis. Et hæc de receptâ & usitatâ hac distinctione in Belgio. De ejusdem usu in exteris politiis multa hic colligi possent: sed unum solummodo ex multis delibare lubet, ex *Joh. Haywardo* historico Anglo in vitâ Eduardi VI. pag. 290. ubi refertur, cum Mariæ Regis sorori nomine Regis nuntiatum esset non diutius permittendum ipsi esse exercitium missæ, nisi brevi aliquam conformationis spem faceret; & cum ipsa respondisset, animam suam esse Dei, & quod ad fidem suam, ut eandem mutare non posset, sic eam nolle dissimulare: replicam hanc factam esse, *quod Rex non intenderet fidem ipsius constringere, sed externam ejus professionem restringere*, &c. Plura non addimus, obtestati eos, qui multa de inquisitione & coactione conscientiæ blaterando, blasphemant quod ignorant (*epist. Judæ v.* 10.) aliquam prius terminorum & politiæ ac historiæ Belgicę cognitionem sibi acquirant: ne tanquam cœci de coloribus videantur judicare.

IV. *Rat.* Quia secundum religionem & conscientiam reformatorum in Belgio & Ill. DD. Ordinum, libertas religionis nemini neganda: ergo nec Pontificiis eam petentibus. *Resp.* Hoc argumento tanquam κατ' ἄνθρωπον, id est, ad hominem, Pontificios non rarò usos fuisse novimus: sed frustra. Nituntur enim falsâ hypothesi, quasi reformati, speciatim in Belgio, sensissent aut professi essent libertatem conscientiæ esse libertatem exercitii, & hanc omnibus falsis religionibus concedendam esse. Quæ sit & semper fuerit nostrorum sententia supra *cap.* 4. declaravimus.

V. *Rat.* Quia solennibus conventionibus & pactis libertas Papismi & defensio illius libertatis promissa est: jam vero pacta, fœdera, conventiones esse juris gentium, & servanda theologi & politici in Belgio ut semper contenderunt, sic eorundem violationis Hispanos & Pontificios reos peregerunt. *Resp.* Hoc argumento passim nostros obtundunt, plurimi ex Pontificiis, aliqui ex neutralibus & sectariis; nec desunt ex reformatis, qui infelices illos historicos sequantur: quos ego politiæ & historiæ nostratis æque ac rerum divinarum & humanarum ignaros esse arbitror. Anonymus quis Pontificius, aut anonymi pontificii anno 1647. quædam instrumenta conventionum seu pactorum cum provinciis & civitatibus quibusdam in Belgio pro conservatione Papismi initorum gallico idiomate ediderunt: ubi satisfactiones (ut vocant) seu conventiones (Harlemensem a. 1577. Goezanam, 1577. Ultrajectinam 1577. Amstelodamensem 1578.) exhibent; & Magistratibus hoc agentibus & concionatoribus *flabellantibus* (uti lo-

quuntur)

quuntur) fraudes, perjuria, pactorum fidem violatam acerbissimè & calumniosissimè objiciunt. Sed imperiti illi calumniatores, tempora non distinguunt. Falsissimum est Ill. Belgii fœderati Ordines post constitutam liberam Rempublicam, & omnem ac supremam potestatem ac jura majestatis ad se devoluta, atque à se possessa & exerceri cœpta, absque ullo Philippi 2. aut successorum tanquam Principum suorum intuitu, unquam aliquam religionis Papisticæ defensionem, aut permissionem, aut tolerantiam sive sponte sive aliquâ in conventione promisisse, quam non servaverint. Ostendant acta, indicent locum & tempus. Nam satisfactiones anno 1577. 1578. quas *Jesuita Heribertus Rosweidus Ultrajectinus in tract. de fide hæreticis servandâ* anno 1610. cap. 17. adducit, non magis ad hanc rem faciunt; quam acta, decreta, responsa, pacta Ordinum, Procerum, Magistratuum Belgicorum in belli Belgici primordiis, cum semper intuitus esset ad supremum Belgarum Principem Philippum 2.

Vin' hujus argumenti gemellum: Proceres, nobiles, Ordines, Magistratus Belgii per tredecim fere annos ab inchoato bello jurabant Principi suo Regi Hispaniarum fidelitatem, nomine ejus & pro illo (ut loquebantur) politiam & militiam regebant, jus administrabant, telonia, vectigalia, tributa imperabant, privilegia & immunitates, veniam delinquentibus concedebant, Academias seu studium universale Leidense instituebant.

Atqui post annum 1581. usque ad conclusam pacem Monasteriensem, nihil tale fecerunt, nec ulla vel minimâ specie ostenderunt, se illum agnoscere Dominum ac Principem suum, seque ei fore fideles; uti initio conventum, promissum, juratum fuerat.

Ergone ab eo tempore, (a. 1581.) usque ad pacem Monasteriensem Ill. DD. Ordines fœderati & Magistratus id secundum promissa, pacta, juramenta præstare debuerunt; & quia non præstiterunt, merito perfidi, perjuri, pactorum & juramentorum fidelitatis violatores cum *Jesuita Rosweido* dicendi sunt: Imprimis & celsiss. Princeps Arausoniensis Wilhelmus I. cui Philippus trium provinciarum præfecturam commiserat, quique ideo speciali fidelitatis juramento eidem obstrictus erat. Hoc argumentum ubi solverint inter nostros, qui pactorum & confæderationum violationem, majoribus, prædecessoribus, præsentibus Rectoribus supremis & subalternis impingere audent, ob non concessam aut hoc pacis tempore non restitutam Papistis nostratibus libertatem: videbunt eadem methodo atroces suas calumnias & infamationes difflari.

Quod si quis, quamvis Apapista, ad argumentum à me objectum respondeat τὸ *conceditur totum*: ægrè non feret si recordemur historicæ prophetiæ quam præfatiunculæ ad tractatum modo laudatum consultiss. *Francisci Franck*

latinus interpres anno 1620. inseruit: Verba ejus sic sonant: „ Hoc ego „ scriptum è vernaculâ in latinam linguam, quam Lipsius vinculum gentium „ nominat, transfudi, ut exeuntibus jam induciis, peregrinis quoque con„ stet, quis justius (ut mihi hoc Lucanus de suo largiatur) arma induerit. „ Exurgit.n. paulatim ætas (*Nota*) quæ Dei armipotentis in Belgium collata „ beneficia ignorat: ut necesse sit ad exemplar Catonis, qui cum videret Græ„ cos omnium hominum primos sese velle esse ac proinde alias gentes despi„ cere de Originibus scripsit, sic etiam monstrare origines è quibus bellica hæc „ calamitas in fundum nostrum dimanavit. Ut verbo dicam, hoc argumentum eorum nititur istis falsis hypothesibus.

Quarum Prima est plane anistorica, & apolitica: Ill DD. Ordines fœderatos propius per unionem Ultrajectinam conjunctos & à Principe suo a. 1581. exautorato, & ab Ordinibus ac Provinciis Belgicis, qui priores à *Pacificatione Gandensi* sponte divortium fecerant, aut avulsi, & Principi suo reconciliati ejusdem partes contra provincias fœderatas ac liberam earum Rempublicam tuebantur, esse eosdem cum Ordinibus totius Belgii qui anno 1577. in *Pacificatione Gandensi*, in solius Papisticę religionis exercitia conservanda & defendenda compromiserant. Quod falsissimum. Libera enim confœderatorum Respublica, nec in materia nec in formâ seu specie, est Belgium ex 17. Provinciis cum & sub Principe suo coadunatum a. 1577. Pars enim non est totum, nec totum est pars: non magis quam numerus binarius in specie & forma est ternarius aut quaternarius.

Secunda est, Ordines liberæ fœderatorum Reipublicę ab anno 1581. usque in hunc diem esse ordines Belgii qui Archonte duce Mathiâ a. 1578. Romanæ religionis defensionem, & reformatæ permissionem & admissionem sanciebant.

Tertia est, per conventionem inter Ordines Belgii a. 1577. & 1578. & per propiorem unionem, Ultrajecti inter Ordines Fœderatos a. 1579. initam, singulis provinciis & civitatibus defensionem Papisticæ religionis tanquam publicæ & status, & permissionem reformatæ religionis per segreges cœtus exercendæ, imponi. Quod planè falsum esse, constat ex articulis *Pacificationis Gandavensis*, pacis religionis, propioris unionis Ultrajectinæ. Hollandia & Zelandia a. 1576. & cum iis civitates quædam in aliis Provinciis (e.gr. Brugæ, Gandavum, Bommelia, &c.) omnia exercitia Papistica abrogaverant; & in omnibns tractatibus solicitè cavebant, ne ad restitutionem eorum tenerentur. In Germaniâ Imperator & Principes imperii juxta *conventionem Passaviensem* a. 1555. in utriusque religionis libertatem indefinitè & collectivè conspirabant. Quod tamen distributivè intelligendum non est, quasi scil. ex vi *conventionis Passaviensis* serenissimi electores Saxonicus, Palatinus,

nus, Brandeburgicus, alii Principes & status Protestantes Papismum in suis ditionibus conservare aut restituere, & Romano-Catholici Principes ac status (Archiepiscopi Coloniensis, Moguntinus, &c. & Dux Bavarus, &c.) in suis quique ditionibus religionem protestanticam & reformatam admittere tenerentur; nisi politicè fœdifragi, perfidi, & turbatores pacis audire nolint, ex formula *conventionis Paßaviensis.* Absit, absit.

Quarta est, Reges, Principes, Status, populi falsâ religione imbuti, absolutè aut sibi mutuo promittentes ejusdem defensionem, & veræ religionis exclusionem: ubi à Deo ad fidem conversi fuerint & potestate ac potentiâ muniti, non posse unquam veram religionem admittere, aut falsam quocunque rerum statu inhibere. Applicetur hoc ad antiquos, ante Constantinum, Imperatores & Senatum Romanum, ad Reges Galliæ, Poloniæ, Angliæ, Daniæ, Sueciæ fidem christianam amplexos, & fiat conclusio.

Quinta est, nullam posse incidere rerum & politiarum tantam mutationem, nullam potestatum translationem, ablationem, mixtionem, sive per pacta sive per justitiam armorum, ut populorum & Magistratuum successores, iisdem prædecessorum suorum quamvis heterogeneorum, pactis, promissis, statutis in specie perpetuò inhęrere non teneantur, vel usque ad finem mundi. Quid si Imperium Romanum, cujus reliquiæ hodie supersunt, tale quid prætendat adversus hodiernos Gallię, Hispaniæ, Belgii, Angliæ, Dalmatiæ, Transsylvaniæ, Ægypti, Illyrici, Gręciæ, Syriæ ac Palestinæ, Italiæ denique populos, Reges, Principes, Magistratus: quid quęso eos responsuros arbitramur? Videantur *Lazius de migrationibus gentium*, & vulgares politici de mutationibus Rerumpublicarum, & scriptores de translatione Imperii, in 2.*part. sel. dispp. tit. de translatione Imperii à nobis indicatos.* Queruli Pontificii nostrates hanc hypothesim suam, examinatam videbunt à suo officiali, cum viveret, Antwerpiensi, *Francisco Zypæo in tract. cui tit. Hiatus Cassani obstructus.*

VI. *Rat.* Quia Pontificii in Belgio inter primos pro libertate pugnârunt, eamque labore & sanguine suo pepererunt; quâ soli nunc carere coguntur. *Resp.* hæc una est ex rationibus, quam Legati Gallici duo extraordinarii Comites *d'Avaux & la Roche*, cum ordinario legato Barone *de Courson* 3. Martii a. 1644. allegabant, cum Pontificiis libertatem aliquam contra edicta publicata, eorumque executorem peterent. Quomodo propositionem illam acceperint Ill. DD. Ordines, discet lector ex responso eorum, communicato prius cum celsiss. Principe Arausoniensi, legatis dato, & paulo post evulgato; quod etiam *secundæ parti histor. L. Aitzema* insertum est. Summa „erat, Nunquam dominationes suas potuisse probare permissionem exercitii „superstitionum contra verbum Dei, 2. & notoriorum scandalorum, 3. Pontificiæ

„ tificiæ hierarchiæ introductionem. 4. inclinationem Papistarum in Regem „ Hispaniæ, hæreditarium harum Provinciarum hostem: uti successivè & „ nuper in solemnibus ipsorum precibus, aliisque actionibus per justas scien- „ tiæ rationes & legitimas informationes hoc deprehensum, & clarè detectum est: Adde huic rationi quæ a. 1637. detecta sunt ex interceptis *epistolis Rovenii clandestini Episcopi Ultrajectini* ad vicarium suum *Wachtelarium* civem & canonicum Ultrajectinum: in quibus inter alia *Wachtelario* suo communicabat, se operâ Hispanici Romæ residentis legati usum esse in causâ suâ contra Jesuitas aliosque regulares Pontifici commendandâ; hac inter alias motivâ: Quod catholici hic affecti essent erga Regem Hispaniæ; in quâ devotione eos alioquin continere non posset: quod tamen unicè intendere & studere se dicebat. Hæc aliaque arcana ex interceptis *epistolis Rovenii, & libro actorum Episcopalium* (quæ in archivis hujus Reipublicæ servantur) tunc patebant; quorum partem indicata habes in sententiis à dicasterio Ultrajectino latis, & *intendit* (uti loquuntur) nobiliss. D. prętoris. Quod si ergo in initio belli Belgici aliqui eorum, etiam ex clero, tyrannidi Hispanorum obstiterint, & hactenus de communi libertate non malè meriti sint: secuta tamen eorum defectio & cum hoste partim aperta partim clandestina conspiratio, qualibuscunque ipsorum benefactis lituram induxerunt. Bonus civis non tantum incipere, sed & in fidelitate suâ proficere ac perseverare debet: Huc analogicè applica Galat. 5. v. 7. *currebatis bene*, &c. Ezech. 18. v. 21. *Si justus averterit se*, &c. *Excipient* forte (prout hic Ultrajecti quinque capitula canonicorum excipiebant a. 1580.) aliquorum perfidiam sibi fidis patriotis non debere fraudi esse, ideoque pacta servanda esse, de religionis suę conservatione & defensione. Cui exceptioni responderi potest; non magis hoc religioni Papisticæ & ejusdem consecraneis fraudi fore, quam reformatorum quorundam (e. gr. Wilhelmi Comitis Bergensis, Principis Chimaici, &c.) perfidia, religioni reformatæ: nisi Papistę alium superiorem in temporalibus præter & supra Ill. DD. Ordines & Magistratus Belgicos agnoscerent, & ex principiis ac conscientiâ religionis Romanę ejusmodi ipsorum perfidiæ ac proditiones per se orirentur. Cujus demonstrationem antehac dedimus in 2. *part. selectar. dispp. tit. De sede Romanâ incompatibili*, &c. &, *de Temporali potestate Papæ*.

VII. *Rat.* Quia tempora nunc mutata sunt, & alia est rerum facies; postquam Rex Hispaniarum juri ac prætensioni suæ in fœderatas Belgii Provincias in *tract. pacis Monasteriensis* simul & semel renuntiavit; nullumque bellum Hispanicum nunc amplius nos urget: ita ut tutò nunc major libertas Pontificiis nostratibus concedenda sit. *Resp.* Hoc argumento non tantum Pontificii jam inde à conclusâ pace Monasteriensi passim utuntur,

utuntur, ſed etiam aliqui ex reformatis. Verum utrique longè falluntur: dum falsò præſupponunt, nullam aliam inhibiti Papiſmi cauſam eſſe, quam metum ſeditionis, & cum hoſte Hiſpano conſpirationis. Hujus hypotheſios falſitatem ſupra *cap.6.* perſpicuè evicimus: nec hic repeto. *Reſp.* 2. quamvis nullum bellum cum Principe aut politiâ Papali nunc nos urgeat, cujus occaſione periculum aliquod à Papiſtis noſtratibus eorumque flabellis ſacerdotibus metuendum eſſet: nuſquam tamen & nunquam tuta fides, quamdiu perſtat dependentia à Papâ, & perfida, ſeditioſa, & latrocinalia Papiſmi axiomata (*in diſp. de ſede Romanâ incompatibili*, &c. expoſita). Det Deus ne nos aut poſteros noſtros aliquando hoc doceat experientia ſtultorum magiſtra. Terreant nos veſtigia tanto fratrum noſtrorum in Galliâ, Rhæticâ valle Telinâ, Hiberniâ, Pedemontio (& quidem tempore Pacis) nec non majorum noſtrorum in Belgio ſanguine ſignata. Scio à Papiſtis facta dici infecta. Scio à *Jeſuita Sailly* in refutatione *horologii excitatorii Belgarum* ab anonymo anno 1610. conſcripti omnia atrocia, nefanda, abominanda extenuari. Scio os impudens *Jeſuitæ Roſweidi in diſſert. de fide hæreticis ſervandâ* contra *Danielem Plancium* ſcholæ Delfenſis Moderatorem anno 1610. cap. 17. pag. 175. omnia in Belgio noſtro perfidè geſta rejicere in milites quoſdam: „Quod ſi, inquit, quis miles noſter præfractior, Ducis quandoque „neglexit imperium; ſi quę natio ferventioris naturę impetu abrepta juſti„tiæ aliquando tranſiliit limites, improbamus præfractos animos, limitum „prævaricatores deteſtamur. Non hæc à Ducum imperio, non à doctrinâ „catholicâ eveniunt. Quaſi vero ignoti eſſent Papa Romanus, Philippus 2. cum conſilio ſuo Hiſpanico, Dux Albanus cum filio Friderico, Margareta Duciſſa Parmenſis, Cardinalis Granvellanus, Ludovicus commendador, Johannes Auſtriacus, Franciſcus Sonnius, pater Knyffius, Ruardus Tapperus inquiſitores, præſes *Vergas*, & *Heßelius* cum toto conſilio turbarum. Nos hâc vice impudentiſſimi hominis malagmatis nihil aliud reponemus, quam quod Leidenſes obſeſſi ab Hiſpano & ad deditionem invitati:

Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

VIII. *Rat.* Videntur tamen hoc rerum ſtatu, inter judices & munerarios nonnulli, de priori ſententiâ ſuâ remittere, & non obſtantibus edictis c. Papiſmum, majorem libertatem concedere aut velle concedere; & ſynodis ac miniſtris indignari, quod in hâc opinione & intentione ſuâ ſe turbare non deſinunt. *Reſp.* 1. Fateor fieri poſſe, ut aliqui ſub larvâ reformationis ſemi-Papiſmum, aut neutraliſmum, aut Libertiniſmum aut Epicureiſmum, ſub pectore geſtantes, rationibus propriis, & quidem de hoc ſæculo unicè attendant, iiſque alios ſæpè non ita malos, circumveniant; qui forte immunitatem ſibi à victore Papiſmo pollicentes; quippe ei, ubi res exegerit, facile

cile cessuri, & fasces submissuri. Sed fallax in temporalium Parnasso somnium, & rerum in Belgio gestarum sive ignorantia sive oblivio occultavit à miseris illis peremtoriam crudelissimi. *Vergas* in consilio turbarum prę-sidis, sententiam in Belgas latam: *Mali fraxerunt templa: boni nihil fecerunt contra: ergo debent omnes patibulari.*

Sed quidquid sit de sensu & conatu quorundam, quos Deus novit, manent nihilominus edicta, nec cessant eorum executiones; adeo ut in desuetudinem venisse, & inveterata esse dici nequeat. Aliud sane DD. deputatorum, & superiorum atque inferiorum tribunalium acta testabuntur. An non Ill. Ordines Generales anno 1663. DD. Ordd. Hollandiæ deputatos monuerunt, ut inquirerent in confluxum plurimorum auditorum ad concionem in ædibus cujusdam Pontificii Hagę-comitis à celebri quodam declamatore nuper ex Galliâ adventantis palam habitam; ad quam etiam reformatæ ecclesiæ membra, immo & aliquos ex proceribus & concionatoribus non veriti fuerant invitare? An insuper eosdem DD. deputatos non monuerunt, ut habita informatione, secundum edicta, (a. 1651. in celebri fœderatarum Provinciarum *panegyri* denuo stabilita) huic culpæ affines tractarent? Vides inhibitionem Papismi etiamnum manere, & mansuram, quamdiu resumpta & renovata unio provinciarum: nec posse à quoquam, non dico judice, prętore, munerario, sed ne quidem ab ullâ civitate aut provinciâ aliter statui, quamdiu major necessitas, quæ nulla nunc est, non cogit. Si rerum vices ita mutarentur, ut ab interno aut externo hoste præsentissimum eversionis aut gravissimæ concussionis Reipublicæ periculum metuendum esset; nemo sanus intercederet. Præstat enim aliquam, cum quorundam defectuum tolerantiâ, quæ nunc tolli non possunt, habere Rempublicam, quam nullam; aut summam rei incertæ aleæ subjicere.

IX. *Rat.* Quia Provinciis Belgicis Hispano subjectis ab Ill. Ordd. fœderatis a. 1632. religionis Papisticę istic stabilitæ defensio socialis oblata est. Circa id tempus civitatibus sponte ad fœderatos non transeuntibus, nec antea civibus aut subditis fœderatorum, sed extremâ armorum violentiâ ad deditionem coactis, Venloæ, Ruręmundæ, Trajecto ad Mosam plena exercitiorum libertas concessa est. Anno 1609. in tractatu induciarum, agro Bredano, Bergensi ad Zomam, Cuyckensi fœderatorum potestati subjecto, exercitia Papistica & quidem in publicis templis, relicta sunt. Ergo multo magis civibus in Hollandiâ & Zelandiâ, ab initio belli Belgici omnia pericula, juxta cum reformatis, subeuntibus, omnia onera sustinentibus, libertas aliqua concedenda esset, pręsertim tam obnixe eam petentibus. *Resp.* Ut rationes politicæ fuerunt, cur illis defensio offerretur, istis libertas con-

concederetur: sic aliæ fuerunt, & etiamnum sunt politicæ imprimis & theologicę rationes cur nostratibus non concedatur. Decem provinciæ Hispano subjectæ, nec jure nec facto fœderatis suberant: ubi ergo deest potestas & potentia, non potest nec debet pius Magistratus argui ob non sublata aut inhibita exercitia Papistica. Cum ergo consilia agitarentur de pace non tantum, sed & arctissimâ unione septemdecim Provinciarum mutuâ contra quosvis extraneos hostes defensione, salvis utrique coëuntium parti propriis juribus, & privilegiis, imprimis receptâ ac stabilitâ cujusque religione: videmus longè aliam oblatæ illius libertatis & defensionis fuisse rationem, quam postulatæ à civibus & subditis fœderatorum Papismo addictis. In Imperio Germanico Protestantes & Pontificii uniti sunt, & ad pacis sæcularis ac religiosæ defensionem obligati, & quidem jure adæquationis: ita ut pars Protestantica in Papisticam, nec vice versa, potestatis quid habeant quod ad propriorum cuique jurium & privilegiorum & receptæ religionis mutationem. Similem autem unionem inter utriusque partis Provincias tunc intentam & agitatam fuisse, compendio disce ex 1. *part. histor. L. Aitzema pag.* 124. & *pag.* 117. ubi articuli unionis à fœderatis Provinciis concepti; imprimis etiam ex *decreto fœderatorum* 22. Maji & 11. Septembris 1632. tunc publicato, quo decem Provincias ad jugum Hispanicum abjiciendum invitabant, & ad id operam suam pollicebantur. Cur autem magnum hoc ausum minus successerit & periculoso huic bello, quod Hispani *æternizare* studebant (sunt verba Ill. Comitis Henrici Bergensis in suo *manifesto* tunc edito) finis impositus non fuerit, divinæ providentiæ arcanis committendum est. *Homo proponit, Deus disponit: ut Aitzema ibid.* loquitur.

De libertate concessâ Venloæ, Ruremundæ, Trajecto ad Mosam, facile respondetur, totum hoc respexisse Proceres & Magistratus decem Provinciarum, & quæ tunc agitabantur consilia de pace ac unione, etiam exclusis Hispanis, deque mutuâ & communi pacis sæcularis & religiosę defensione. Et hunc in finem viam monstrantibus quibusdam istarum partium Proceribus, tanquam præambulum & caput bonæ spei, Trajectum in hostili solo petitum fuit, ibique oblatæ ac promissæ libertatis specimen à fœderatis exhibitum. *Scriptori Theologi Paradoxi pag.* 162 more suo calidis ex ingenio conjecturis nimis indulgenti contra factorum lucem dictare libuit: *Mosæ-Trajectenses vi & armis eam libertatem Superioribus Belgii fœderati extorsisse, cum eâ demum conditione se dedere voluerint, adeo ut Magistratui intolerabilis necessitas hic pro lege fuerit. At trapezitæ nullis armis hoc ius sibi faciunt*, &c. Huc ergo necessitas mihi contradicendi & immane fœnus trapeziticum contra orbis Christiani judicium honestate donandi, scripto-

rem

rem hunc adegit, ut armis Trajectensium coactos diceret fœderatos ad dictæ libertatis concessionem. Quasi vero Trajectenses ad incitas redacti non fuissent, ut ultra sustinere non possent, cum dederent: nisi præsentissimam internecionem subire maluissent. Fœderati jam sub ipsis muris eorum cuniculos agebant, nec ulla vel minima spes solvendæ obsidionis affulgebat. Quid aliud restabat animosissimo præfecto & præsidi, qui tam animosè & pertinaciter hactenus defenderant, quam promta deditio. Quis vel alpha μυθολόγων diceret, fœderatos à Venloensibus, Ruremundensibus, Limburgensibus, vi armorum compulsos ad plenissimam Papismi libertatem ipsis concedendam; qui scil. tam probè instructi erant, ut vix ad unius atque alterius diei; aut ad paucorum dierum defensionem sustinendam sufficerent. Sylvę ducenses anno 1629. quamvis pluribus mensibus à Kal. Maji usque ad 14. Septembr. non minus quam Trajectenses, & pari animositate, se defendissent, in *tractatu deditionis* cum libertatem illam postularent, minimè obtinuerant. Fortitudini & gloriæ armorum celsiss. herois & Principis Arausoniensis, ejusdemque præfectorum militarium, atque admirandæ benedictioni divinæ, non parum detrahi videtur, cum diræ necessitati & armis Trajectensium insolita illa concessio adscribitur. Cum spes illa unionis septemdecim Provinciarum contra quosvis hostes extraneos, etiam contra præsidia Hispanica, decollasset, nullis civitatibus subactis (quales *Cataracta Gandavensis*, *Hulstum*, *Breda*), libertas illa quamvis postulata, concessa est: quidquid Galli in bello illo nobiscum arctissimè confœderati, contra negatam Hulstensibus libertatem quererentur. Ex quibus manifestissimè elucet, peculiari respectu supra memorato, fœderatos tunc temporis *manifesto* suo (juxta *decretum* 21. Maji & 7. Septembris 1632.) promisisse; & Trajectensibus, Venloensibus, Ruremundensibus, Limburgensibus re ipsâ concessisse libertatem; quam intentione, consilio, & spe unionis omnium Provinciarum jam evanidâ, *Cataractæ Gandavensi*, *Hulsto*, *Bredæ*, quin & legatis Gallis anno 1644. intercedentibus, ut & delegatis Hispanicis pro agro Sylvæ-ducensi in *tractatu pacis* anno 1648. talem libertatem stipulari satagentibus, absolutè negârunt; & contra quam pace jam stabilitâ, in *articulis renovatæ unionis* anno 1651. in celebri *panegyri Hagiensi* unanimiter definierunt. De relictâ ad tempus libertate illic antiquitus possidente, nec unquam loco motâ, in agro Bredano, Bergensi ad Zomam, Cuyckensi, anno 1609. in *tractatu induciarum*, respondemus, particularem illam brevis temporis (12. scil. annorum conniventiam) tanquam exceptionem à regulâ, regulam confirmare: cum ejusdem peculiares fuerint rationes politicæ, judicio eorum qui in conniventium illam consentiebant, tunc urgentes. Quęnam fuerint, non est quod inquiramus: quandoquidem inter

inter arcana politica, easdem tunc haberi voluerunt; nec in *articulis induciarum* ulla indulgentię illius fiat mentio. Communiter ferebatur, Regis Galliarum petitionem intercessisse: & hoc postea editæ negotiationes *Jannini* manifestârunt.

X. *Rat.* Quia reformati in Belgio libertatem à Philippo 2. & Ordinibus Provinciarum petierunt; & cum non impetrarent, censuerunt iniquè secum agi. Iidem anno 1578. ab Archiduce Mathiâ & Ordinibus Provinciarum eandem cum peterent, obtinuerunt. Debebant ergo vicissim, ubi rerum potiuntur, eandem Pontificiis petentibus concedere: juxta regulam Math. 7. v. 12. *Quodcunque*, &c. & illud poëtæ,

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Resp. Hoc argumento nostrates non tantum Pontificii, sed & medii, dubii, moderatiores, sæpe uti soleat. *Janninus* legatus Gallicus, cum tractatui induciarum Belgicarum, nomine Regis sui interesset, & illo absoluto a. 1609. mense Junio Ill.DD. Ordinibus commendaret, si non authorizationem Pontificiæ religionis per legem, saltem ejusdem permissionem per dissimulationem & tolerantiam: inter alias rationes hanc adferebat: Quod Ill. DD. Ordinis ipsi scirent, servitutem esse plus quam intolerabilem, non posse colere Deum secundum illam religionem, in quâ quis institutus est; & hanc fuisse ipsorum dominationibus principalem ac potentissimam causam, confugiendi ad arma, & omnia pericula contemnendi, ad se liberandos, &c. Quodque magna differentia esset inter Principem, qui nolit subditis suis libertatem alterius religionis præter eam, quam in regno suo receptam & approbatam repperit, permittere; & eum qui velit concivibus suis adimere eam religionem quâ gaudebant, antequam vestra ibi fuisset introducta. *Addit ibidem:* „ Sed vos, inquit, cum simul & in commune tam reformati „ *(ceux de la religion)* quam catholici, libertatem & supremum dominium „ quo in præsenti gaudetis, acquisiveritis, &c. æquum est, ut utrique ejus „ participes sint. Apprime durum esset, ut in re, cujus admodum sumus „ sensibiles, illi haberentur tanquam magistri & domini, isti vero ad sortem „ subditorum & servorum redigerentur, &c. Judicate igitur in vestrâ causâ, „ alterius causam, &c. Sed ad hæc aliaque quæ disertè & speciosè ibi commentatur (in *Negotiationibus* præsidis *Jannini* gallicè editis *part.* 2. *pag.* 590. 597. edit. in minori 8.) respondendum est, tacitè pręsupponi & sumi, Pontificiæ & reformatæ religionis, respectu politiæ reformatæ, qualis hæc nostra, parem esse rationem. Nostram profitentes ex fundamentis ejus. 1. *Neminem* credunt aut tenent supremis Principibus & Magistratibus suis superiorem in spiritualibus aut temporalibus sive directè, sive indirectè; cui tanquam totius orbis, saltem totius Christianismi Mo-

narchæ & vicario Christi divinitus constituto, de necessitate salutis subesse debeant. 2. *Nec* talem Monarcham aut quenquam alium credunt in foro interiori conscientiæ posse absolvere à juramento fidelitatis, aut ab obedientiâ Principibus & Magistratibus suis sive fidelibus sive infidelibus, sive hæreticis sive orthodoxis debitâ ac promissâ. 3. *Nec* credunt, quoscunque sub nomine Christiano à se dissentientes sive hæreticos sive idololatras, sive clericos sive laicos, sive literatos, sive idiotas, sub pœnâ capitis & fortunarum ad receptionem & professionem religionis suæ (quam orthodoxam & salutarem esse defendunt) adigendam esse, ejusque conscientiam cogendam, & in eam inquirendum secundum formam inquisitionis Hispanicæ, aut Romanæ intra muros. 4. *Nec* credunt, sive infidelibus sive sub nomine Christiano hæreticis, idololatris, blasphemis fidem non esse servandam. 5. *Nec* credunt se posse absque peccato, in testimoniis, juramentis, contractibus sive in judicio sive extra judicium adhibere æquivocationes & mentales reservationes. 6. *Nec* credunt esse quem in terris spiritualem superiorem, cui cœca debeatur obedientia. 7. *Nec* credunt esse quem in terris Monarcham spiritualem, qui dispensare possit in promissionibus & juramentis suis, quique ex peccato possit facere non peccatum. Sed in contrarium hæc omnia ex fundamentis suę religionis & conscientiæ eâ informatæ, tenent aut tenere debent Pontificii; hæc ipsis à Doctoribus & animarum curatoribus perpetuò inculcantur & inculcari debent. Vides ergo, quam diversissima sit ratio, admittendi in Republicâ Pontificiâ exercitii reformati, & admittendi in Republicâ reformatâ exercitii Pontificii. Hi si numero paulatim crescentes, tandem superiores evaderent, quid aliud Magistratui aut Reipublicæ reformatę exspectandum, quam seditiones, rebelliones, proditiones, latrocinia, lanienæ: indicium modo facientibus confessariis, aut ordinariis, aut brevibus, & bullis Pontificum; & præeuntibus exemplis Galliæ a. 1572. Hyberniæ a. 1643. Rhętiæ seu vallis Telinę a. 1620. Pedemontii a. 1552. & 1655. 1661. Mitto nunc Belgium nostrum perfidiâ procerum Hannoniæ & Artesiæ, Comitis Renneburgii pręfecti Groningani, Comitis Egmondani, Nobilium aliquot (quos *malè contentos* vocabant) Wilhelmi Stanley præfecti Daventriensis, clericorum aliquot & laicorum Trajectensium ad Mosam, & aliorum hic non memorandorum, ex fundamentis & conscientiâ religionis Pontificiæ ortâ, satis vexatum. Exciperet forte quis, Pontificios nostrates hactenus, & etiam esse, & fore fideles: quales eos loco citato laudat *Janninus* vir prudentiâ politicâ, in suo ordine maximus. *Resp.* Ill. DD. Ordines, qui eos propius nôrunt, longe aliter de iis censent: ut videre est in *responso legatis Gallicis* anno 1644. dato. Nec ipse Rex Galliarum credidisse videtur Pontificios omnes in Belgio

gio esse catholicos status, quales in Galliâ distingui solent à catholicis curiæ *(du cour)*, Romanæ scil. Quid sibi velint hæc verba Regis per Dominum de Villeroy 10. Januarii 1607. ad *Janninum* scripta (inserta sunt 1. *part. negot. Jannini pag.* 499.) lectori considerandum relinquo: „quod, inquit, „non mandasset legato suo, ut se adjungeret illis in negotio religionis Pon-„tificiæ, cujus *in Belgio fœderato restitutionem Archiduces in tract. pacis petituri „erant; ad quod Regis auxilium postulabant)* non factum esse defectu zeli & „affectus, cum in utroque abundaret; sed quod sciret officium hoc suum „minus gratum fore, & inutile Provinciis unitis. Quin ipsum prudentiss. *Janninum* haut paulo aliter in suis Pontificiæ religionis contra reformatos & ipsum Regem suum ac legitimum in regno successorem Henricum IV. ligæ Gallicæ consectaneis, deprehendisse arbitror; quamdiu ejus intimum ageret consiliarium: uti eum egisse refertur in vita ipsius Negotiationibus præmissa. Atque hæc omnia non ex privato Ligistarum sensu, sed ex oraculis capitis ecclesiæ, qualem ipse Pontificem appellat, & ex fabrica sedis Romanæ promanasse, tam evidens est, ac si solis radiis scriptum esset. Quę ignorare nos non sinunt istorum temporum historiæ, & libri passim volitantes de ligâ Hispano-Gallica, Catholicom d'Espagne, decreta Academiæ Parisiensis contra libros *Zwarez*, *Mariana*, *Santarelli*, *Becani* illic publicè combustos, Arnaldi & Martelrie actiones in Jesuitas, &c. denique Jeremiæ Ferrier à religione reformatâ apostatæ tract. tit. *Catholiques d'Estat.* Ut hic prætercam actiones Anglicanas contra proditores pulverarios, & eruditissima theologorum Anglorum scripta hâc occasione edita, alibi à nobis in 2. *part. sel. dispp. tit. de sede Romanâ*, &c. *indicata*; ipsamque sereniss. ac potentiss. Regis *Jacobi apologiam* pro juramento fidelitatis.

XI. *Rat.* Alii nunc sunt Papistæ in Belgio, ac antehac: pręsertim pace confecta, & juratâ in pace Monasteriensi Regis Hispaniarum omnis in Fœderatum Belgium prætensionis, renuntiatione. *Resp.* 1. Quantum mutati sint ab illis, quales describunt Ill. DD. Ordines in *responso* Legatis Gallis dato a. 1644 velim aut ipsi, aut alii nos certiores faciant. Alioqui logi illi tantum apud nos fidei invenient, quantum felis professio monastica, apud mures: *Qui fueram non sum, frater, caput aspice tonsum.* Septem illa dictata supra à nobis indicata, ubi ex religione & theologiâ Romanâ exemerint, aut saltem ipsi sive volentibus sive nolentibus confessariis suis, animarum curatoribus, Episcopis, consistorio Cardinalium, Papâ, Concilio quovis Romano-Papali, eadem dictata ejurârint; & nihilominus pro genuinis Papistis ac fratribus in orbe Papali agniti fuerint: tum demum nostris deliberandum esset, an aliam de illis opinionem concipere debeant. Sed talem metamorphosim nondum vidimus. Quin contra pręsumere licet, eos nunc longè ri-

rigidiores esse, & nunc magis metuendum, ne datâ quâcunque occasione cum extraneo quovis hoste Papismum professo, (quamvis Hispanus nihil auderet nec posset, aut amplius in rerum naturâ non esset), libertatem ipsis promittente conspirent: Voces eorum subinde erumpentes (quales anno 1629. cum hæc Provincia per irruptionem hostium in periculo versaretur) credulitatem & securitatem nobis excutiunt.

Est vindicta bonum vitâ jucundius ipsâ.

Non frustra illorum vindicta metuenda, & acrior reformatorum persecutio, qui passim conqueruntur, se per præsens reformatorum regimen ab omnibus illis beneficiis & officiis excludi, quibus familiæ & majores ipsorum gaudere solent. *Resp.* 2. Quod ad pacem Monasterii conclusam, & ei præmissam Regis Hispaniæ renuntiationem, quid si eam, occasione aliquâ subserviente, uno halitu difflaret Pontifex; uti Innocentius X. ante paucos annos pacem Germaniæ emissâ bullâ abrogabat? Vide *bullam* hanc examinatam à *Cl. D. Joh. Hoornbeek* antehac collegâ nostro conjunctissimo. Quid Rex Hispaniarum facturus esset, nostrum non est hariolari. Quia futurorum contingentium nobis non est determinata veritas. Si absolutam, quam dictus Vicarius Christi & Monarcha spiritualis postulat, obedientiam illi pręstaret; affirmare non ausim, eum in gratiam Fœderati Belgii, aut Ill. DD. Ordinum, aut Principum Arausoniensis ac Nassovicorum (à quibus tot tantisque intolerandis injuriis, tot cladibus, tot Provinciarum ab Imperio suo avulsione, tot damnis se affectum credit) indignationem Papalem cum metuendis fulminibus & anathematis, adhęc aversionem suorum subditorum & procerum, aliorumque Principum Papismi zelatorum, susque deque habiturum. Saltem confessarios conscientiarum possessores & Rhadamantos, aut clerum Hispanicum, aut sacræ inquisitionis præfectos, aut consistorium Romanum, aut Cardinales præsertim Hispanię alumnos & δωροφάγους, hoc Regi suasuros, non est verisimile. Sed quidquid illi suasuri aut dissuasuri essent, oculi piorum in Deum respiciunt, & ab ipso, in cujus manu corda Regum, pacem exspectabunt; nec minus à potentissimo rege in tam pręclarè cœpto constantiam; ut consilio & conscientię Dei obedientiam Papæ postponat: exemplo Caroli V. progenitoris sui, qui invito Papâ, etiam insalutato, pacem sæcularem & religionis Anti-Papalis anno 1555. in Imperio firmabat. Quod idem fere imitatus Ferdinandus III. cum Imperii Principibus, & Rex Gallorum; quos hactenus Innocentii X. sub annulo piscatoris facta protestatio à recto dimovere non potuit. Deus veritatis & pacis omnibus Principibus hanc mentem non tantum servet, sed & insuper indat, ut aliquando illa impleant, quæ *Apocal.* 17. & 18. prędicuntur.

XII. *Rat.*

XII. *Rat.* Papa Romanus est neutralis respectu Belgii uniti : ita ut hac pacis tempestate à Pontificiis nostratibus quamvis Papæ ecclesiasticè subjectis, eique ut capiti suo adhærentibus in spiritualibus, nihil mali metuendum, nihil sinistri suspicandum sit? *Resp.* Memini tale quid exceptum fuisse pro profugo Wachtelario Archiepiscopi Rovenii vicario, communicationum cum Papa & legato Hispanico Romæ habitarum conscio ; cum ipsi crimen perfidiæ & perduellionis coram judicio Ultrajectino intentaretur. Sed ad illud antehac respondi in *disp. de Sede Romanâ incompatibili*, &c. Nunc addo ibi dictis, Ill. DD. Ordines Fœderatos anno 1644. in *responso* ad intercessoriam petitionem legatorum Gallicorum, illam neutralitatem minimè agno-„ scere, cum disertis verbis declarant ; se hierarchiæ Papalis (**Pauselijcke** „ **Hierarchie**) introductionem permittere non posse. Quid subditis suis sit Pontifex, & quid ipse sibi arroget, infra *part. 2. lib. 4.* in descriptione ejusdem exhibemus. Ipse Papa ostendit se non esse nec velle esse neutralem, cum per insidias & in tenebris non tantum politias reformatas tentare, turbare, quassare, suffodere, subruere conatur; sed insuper violenta arma palam circumferr aut pecunias nervum belli suppeditat. *Pii V epistolæ* latinę (imprimis *lib. 4.*) & *Cardinalis Bentivogli* (qui in Galliâ & Belgio Hispanico Papę nuntium egerat) Italicæ, nec non *epistolæ Cardinalis d'Ossat* gallicę. Cancellaria Hispanica lat. *Secreta Secretarum Turco Papistica*, Reges, Principes & Respublicas Protestanticas ac reformatas satis edocere queunt, quam Papa neutralitatem servet. Ubique ipse aut turbas suscitavit, aut aliunde suscitatis unguem in ulcere se præstitit. Qui historias gallicas jam inde ab Henrico II. usque ad Henricum IV. inclusè, & Anglicas jam inde ab initio regni Elizabethæ usque ad Carolum I. inclusè, & Germanicas à Carolo V. usque ad Ferdinandum 2. inclusè, cum *histor. Concil. Tridentini* percurrit, aut saltem unius *Thuani*, facile sine perspicillo transflucentem neutralitatem videbit. Ut à Belgio nostro non recedam, meminerint aliqui nostrates rerum divinarum & humanarum æque periti scilicet, quam neutralitatem coleret Papâ Sixtus V. cum naves & copias suas admirandę classi Hispanicæ anno 1588. ad excidium Angliæ & Belgii eunti adjungeret. *Michael Eytzinger* Austriacus (scriptis aliquot non incelebris) anno eodem Colonię in 8. classis illius navium, præfectorum, legionum militarium, &c. catalogum Germanicè editum hoc prosphonemate quasi prophetico ad Elizabetham Anglam, claudebat:

Tu quæ Romanas voluisti spernere leges,
Hispano disces subdere colla jugo.

Sic neutralis ille Germanus, in neutrali Germaniâ, in neutrali urbe Coloniensi, neutralitatis classicum canebat. Clementis 8. neutralitatem refert

Cambdenus in histor. rerum Anglicarum part. 4. ad annum 1600. pag. 750., ubi ejus bullam exhibet, quâ Comitem Tir-Oenium & exercitum catholicum in Hiberniâ ad rebellionem animabat. Et paulo ante ad *ann. 1599. pag. 743.* scribit eundem Papam spem rebellium Hibernorum promissis & indulgentiis aluisse, *Phœnicis plumâ præmissâ.* Hinc est quod Principes protestantes, ne quidem literas à Papâ sibi inscriptas aperire voluerint, nec Fridericus Rex Daniæ, nec Regina Angliæ ejusdem legatum admittere. Quorum antehac mentionem feci *in disp. cit. de sede Romanâ incompatibili*, &c. Quibus addo factum Ill. DD Ordd. qui cum delegati ad tractatum pacis Monasteriensis adventum suum nuntiari curassent omnibus legatis Monasterii tunc præsentibus, & inter eos nuntio Pontificis; scribebant, ut in posterum ad eum non mitterent, nec etiam ab eodem visitationes reciperent: Et cum de indicio seu qualicunque nuntiatione seu communicatione nuntio Pontificis factâ inaudiissent, satis ostendebant sibi gratius futurum fuisse, si delegati ipsorum ad Nuntium Pontificis non misissent. Ita refert *L. Aitzema 2. part. histor. pag. 1.*

XIII. *Rat.* Aliis sectis etiam de novo succrescentibus, aut conniventia obtingit: cur minus Pontificiis, qui priores hic possederunt, & tantum numerum faciunt *Resp. 1.* Quod ad antecedens, respondemus, nullam libertatem communi fœderatorum lege, decreto, autoritate unquam concessam, multo minus stabilitam fuisse. *Secundo*, non fuisse vel nudam conniventiæ tolerantiam communem quarumvis sectarum; aut quarundam in omnibus Provinciis; aut quarumvis in civitatibus, oppidis, vicis usitatam *Tertio*, tantus Papistarum numerus, quem tantopere *Janninus loco cit.* exaggerabat, (à nostratibus Papistis proculdubio ita persuasus) libram potius in oppositum inclinare faceret; & scrupulos proceribus nostris augeret: ut de impediendo eorum incremento magis magisque cogitarent. *Resp. 2.* Quod ad consequentiam, ea plane inconsequens est: ob dissimilem sectarum seu segregum cœtuum (qui jam inde ab initiis belli Belgici fuerunt Anabaptistici & Lutherani) & Papistarum rationem: hi enim & in typum idololatriæ, & septem illorum perfidiæ dictatorum traditi sunt; illi minimè. De Arrianis aut Socinianis non admissis aut admittendis, sequenti capite quæremus.

§. 3. Restat problema unum atque alterum consectarium.

I. Probl. *An Belgii Fœderati, Synodi, classes, synedria per deputatos suos toties, & vel quotannis contra licentiam & excessus Papistarum monentes, ad perjuria & datæ fidei ac pactorum violationem, & conscientiarum coactionem Ill. DD. Ordines & Magistratus suos incitent? Resp.* Jesuita *Rosweidus* cum *in tract. de fide hæreticis servandâ cap. 17.* Proceribus & Magistratibus Belgicis

cis reformatæ religioni addictis pactorum & datæ fidei violationem objicit, in *ministros flabellantes* (ut loquitur) hoc rejicere videtur, & per solitam ipsorum consequentiam, in religionem reformatam. Sanè tantum ab hoc absunt, ut in contrarium fidem hac in parte datam sanctè servandam serio semper monuerint, & in posterum monituri sint. Vide nostrorum contra Pontificios *de fide servandâ editas hactenus dissertationes*; *& epistolam* ad Ill. Comitem Nassavium Johannem seniorem, ducatus Geldriæ tunc præfectum, quæ exstat in *epistolis illustrium Belgarum & ad Belgas centur.* 2. *epist.* 70. *Remonstrantia deputatorum utriusque Synodi Hollandicæ* anno 1632. Ill. DD. Holland. Ordinibus exhibita, & paulo post typis descripta, quamvis conqueratur de Papistarum excessibus Trajecti ad Mosam, minimè tamen petit, ut contra datam in articulis deditionis fidem, clerici & exercitia Papistica inde exigantur. Ne quidem Ill. & præpotentes Belgii fœderati Ordines hoc in animum induxerunt, post detectam anno 1638. clericorum & Papistarum quorundam Trajectinorum ad Mosam, horrendam perfidiam ac proditionem.

II. Probl. est, *An clerici tum regulares tum seculares ob necessariam à Pontifice dependentiam, & absolutam ac quasi cœcam obedientiam eidem debitam reliquaque, quæ ex vi religionis suæ tenent, axiomata, supra à nobis exposita, possint esse & haberi boni cives; atque adeo jus civitatis aut saltem commoratio, non minus ac aliis quibuscunque sive advenis sive indigenis, in Belgio fœderato illis concedenda sit? Resp.* 1. *Concl.* in statu belli cum Hispano, nullo modo tali concessioni locus esse poterat: *tum* ob septem axiomata seu dictata supra enumerata: *tum* quod experientia Ill. DD. Ordines & Magistratus Belgicos multis modis docuisset, clericos illos assiduò partibus Hispanicis favisse ac studuisse, idque sermonibus, & factis suis, simulac occasio daretur, ostendisse. Repetant nostri ex historiis Belgicis, quomodo & quorum flabellatione (ita loquar) Artesia, Hannonia, Sylva ducis, à *pacificatione Gandavensi* avulsæ fuerint; quomodo Mechlinia, Groninga, Daventria, &c. in hostium potestatem devenerint? quid coëgerit Ill. Hollandiæ & Zelandiæ Ordines anno 1576. & Ill. Ordd. Ultrajectinos anno 1580. (inter quos tamen tam multi erant majorum suorum religioni tunc etiamnum addicti) omnia religionis illius exercitia abrogare. Quod sine sacerdotibus aliisque clericis, exercitia illa haberi non possent, & quod clerici illi hierarchiæ ac sedi Romanæ innexi, subditorum suorum conscientias per Papismi prædicationem, & sacramentorum (præsertim pœnitentiæ seu confessionis auricularis & absolutionis) administrationem possiderent, agerent, huc illuc impellerent. Accedebat, quod clerici illi ex partibus hostilibus maximam partem missi, quovis alio assumto schemate

formales tamen hoſtes & Hiſpanizati immediatè à mittentibus ſuis Hiſpanicis dependentes, ubi per Provincias Fœderatas aliquamdiu diſcurriſſent & inde caput unctive referentes ad nidos ſuos Hiſpanicos ut plurimum reverterentur, aliique inde miſſi, ipſis ſuccederent. Has hoſtis Romani per prius, & Hiſpani per poſterius expeditiones & negotiationes, inveſtigavit, perveſtigavit, & deprehendit Anglia regnante Elizabethâ, & remedia contra eas pro viribus adhibuit: ut videre eſt in *edicto anno* 1591. & plurimis Anglorum theologorum ſcriptis, quæ cauſam hanc tangunt, ſub regno Elizabethæ & Jacobi editis. Quod ad clericos civium aut incolarum noſtratium filios, quorum opera ſe tunc temporis etiam uſos fuiſſe dicent: reſpondemus, pleroſque illos in partibus hoſtilibus ſeu Hiſpanicis Lovanii ſcil. aut Duaci, quoſdam Coloniæ ſtudiis theologicis operatos fuiſſe. Quales illi fuerint, & quid ab illis exſpectandum eſſet, καὶ τυφλῷ δῆλον. Noſtros hoc minimè latere potuit. 2. *Concl.* hoc tempore pacis, non videmus quomodo tali conceſſione Reipublicę & eccleſiæ noſtræ ſaluti ac ſecuritati conſuli poſſit. Quamvis enim in præſenti, nec ab ullo hoſte extraneo Pontificias partes ſecuto bellum nobis inferatur: nec pontificii haut facile quid movere poſſint, quamdiu proceres noſtri armatâ militiâ pacem cuſtodiunt: ſecuros tamen eos non ſinunt, ſpecimina ſeditionum & rebellionum, præludia majorum aut univerſalium, ante annos aliquot in hujus provinciæ vico, dicto **Schalckwyck**/ & in vico Noorthollandiæ dicto **Nyerop** conſpecta: In **Nyerop** prætorem & ſecretarium edictorum executores minis ſuis præſentem mortem intentantibus ad abolitionem & rupturam ſyngraphæ cogebant. In **Schalckwyck**/ Mareſchallo violentis armis, quæcunque furor miniſtrabat, reſiſtebant, eumque oppreſſuri fuiſſent, niſi ilico, auxiliares aliquot milites ex hac urbe ſubmiſſi, tumultuantes diſſipaſſent. Hiſtorias rerum geſtarum habent acta, & ſententiæ judicum; eaſdem more ſuo tradiderunt annui Mercurii.

Quamvis autem, nullo bello ab hoſtibus Pontificiæ religioni addictis petiti, hactenus in utramque aurem dormire poſſemus: quis ſecuritatem nobis ſpondebit ſi rerum vicibus mutatis extranei ejuſmodi hoſtes nos laceſſerent! Papa nunquam neutralis eſt, conſequenter nec clerici Papales; & quomodo illi ſuos laicos non concitabunt, ut arreptâ tali occaſione, clam aut palam, pro re natâ hoſtium manus contra præſens regimen confirment: quamdiu fidem & conſcientiam ſeptem axiomatum ſeu dictatorum non depoſuerint. Ubi Papæ primo orbis Romani motori viſum fuerit *monitorio* aut *brevi* indicare vicario (uti vocant) apoſtolico in provinciis fœderatis, aut Epiſcopis Ultrajectino, Middelburgenſi, Daventrienſi, &c. & per eos omnibus confeſſoribus & clericis, præſentes Ill. Ordd. & Magiſtratus civitatum,

tatum, non esse amplius Magistratus: quid inde de subditorum papismo addictorum fide sibi polliceri poterunt? Velle autem pontificem hoc facere, docet nos præter irreconciliabilem hostilitatem & prætensionem juris divini in politias reformatas, exemplum Angliæ, & scripta de juramento fidelitatis ultro citroque edita, alibi indicata. Breviter & acutè *Bellarminus contra Barclayum* unicâ distinctione totum hoc mysterium evolvit: Non potest, inquit, papa dicere, ne obedias Magistratui tuo (hoc enim repugnaret juri divino): sed potest dicere Magistratum aut principem illum, non esse Magistratum aut principem.

III. Probl. *An concionum, & mißarum exercitiis, aliisque idololatricis solennitatibus, & ad ea conventiculis sequestratis; ad minimum nostratibus Pontificiis concedi debeat administratio sacramentorum, saltem illorum, quibus negant se in negotio salutis suæ posse carere: e. gr. absolutione, cum eucharistia & extremâ unctione; quæ ipsis itineris extremi necessarium viaticum dicuntur; & an hunc in finem ad aliquorum sacerdotum, sed notorum ac civium, commorationem & hoc qualecunque ministerium; connivendum sit?* *Resp.* Sic aliquos ἐν ἀρχῇ aut publico in munere constitutos, subinde disserere audias. Viros hos minimè malos, à neutralibus, aut à moderatoribus, (uti præ se ferunt) Pontificiis, cognatis, necessariis, familiaribus suis, hisce verisimilibus & coloribus præoccupatos arbitror. Quod si profunda Papatus penetrassent, aliter forte judicarent, aut saltem ampliarent. Considerent *primo*, sacerdotes civium filios & fideles cives in idea, & in Republicâ Platonis facilius fingi ac pingi posse, quam in Belgio fœderato haberi: quamdiu scil. animæ ipsorum de necessitate salutis Pontifici Romano subjiciuntur; quamdiu à superioribus suis quod ad ortum & exercitium ministerii sui indissolubili vinculo proximè dependent; quamdiu cum reliquis Papatus membris tam clericis quam laicis in Belgio Hispanico, aliisque vicinis sive neutralibus sive confœderatis politiis communionem ac fraternitatem servant & colunt; quamdiu denique septem illa perfidiæ axiomata, aut absolutè, aut saltem quod ad praxin in Belgio fœderato, non ejurârunt. *Secundo*, viatici administrationi in confessione auriculari minus quidem periculi respectu moribundorum videri subesse: cum enim accepto viatico plurimi, aut plerique hinc emigrent, parum ab hâc inteteriori jurisdictione sacerdotum in conscientias, incommodi metuendum esset, quidquid illis perfidiæ, rebellionis, conspirationis instillassent: quandoquidem credimus mortuos non mordere. Sed unde salvum conductum adversus confessionem auricularem animæ carnificinam (uti eam merito appellat *Calvinus lib. 3. Institut. cap. 4. §. 17.*) Belgis nostris procurabunt? An ex proditione pulverariâ in Angliâ anno 1605. & Je-

ſuitæ *Eudæmon Johannis Apologiâ*, Sereniſſ. *Regis Jacobi Apologiâ* pro juramento fidelitatis, *Coci* actione in Garnetum aliosque proditores, & ſubſecutis ſcriptis *Androſii epiſcopi Elienſis tit. Tortura Torti*, *Donni*, *Prideauxi*, *Caſauboni*, *Cracanthorp*, &c.? Stat inconcuſſum ferale illud axioma Papatus, *quæcunque conjurationum*, *& proditionum conſilia ſacerdotibus ſub ſigillo confeſſionis innoteſcunt*, *non eſſe revelanda.* De quo vide ſcriptores citatos; aut, ſi compendio ſtudes, *Rivetum ad 9. decalogi præceptum. Tertio*, Neceſſitatem alicujus miniſterii & alicujus cultus, qualem Pontificii ſecundum errantem ſuam conſcientiam prætendunt, ſimiliter ab Arrianis, Socinianis, Manichæis, Adamitis, Priſcillianiſtis, Henric Nicolaitis, Circumcellionibus, Flagellantibus, Gentilibus in ſacrificiis humanis, aliiſque abominandis ſacris, prætendi poſſe: uti *ſupra cap.4.* oſtenſum eſt. Quin à Pontificiis libertatem idololatriæ miſſaticæ, pariter prætendi poſſe: quam tamen opponentes concedendam negant.

Atque hæc hactenus nobis diſſertata, non ex odio popularium & concivium noſtrorum miſerè ſeductorum; ſed partim ex odio Antichriſtianiſmi, quem perfecto odio odiſſe debemus, partim ex amore gloriæ divinæ, ſalutis, & incolumitatis eccleſiæ ſimul ac patriæ noſtræ, præſentiſque ejuſdem regiminis. Caritatem & miſericordiam, erga miſeros illos non deponimus, cum *Arminio (in diſp. de ſeceſſione à Papatu ſupra aliquoties cit. & laudatâ)*: ſic tamen, ut in ipſorum gratiam erga propria viſcera noſtra, erga oves fidei noſtræ commiſſas, erga eccleſiam, patriam, politiam miſerationes noſtras nolimus eſſe crudeles, & luporum catulos libertate illâ paulatim adoleſcentes, in propriam pernitiem contra nos armare. Conſervationem noſtri ipſius abſolutam quidem & ſupremam legem non facimus; ſed hypotheticam: cum poteſtas & potentia divinitus Senatui populoque reformatam religionem profeſſis conceſſa eſt. Maxima erga Deum ingratitudo eſſet, donis & admirandis ejus liberationibus non uti, quâ abſque juris divini aut naturalis violatione uti licet. Eccleſiaſtæ in Hollandiâ à celſiſſ. Principe Mauritio a. 1588. (referente inſigni Belgarum hiſtorico *Everhardo Reydio*) evocati, ad caſum propoſitum bene & prudenter reſpondebant, reſtitutionem exercitii Papiſtici ſtatui Belgii fœderati non convenire, non conducere; quamvis condemnare nollent alias politias, utriuſque religionis: (reformatæ ſcil. & pontificiæ) libertatem urgentes. Addo ego & repeto, Reipublicæ noſtræ & procerum reformatorum conſcientiis, imponendum non eſſe, ut quâcunque rerum mutatione aut quacunque neceſſitate incidente, omnem poſtulatam libertatem aut conniventiam negent: cum præceptum de idololatriâ & falſo cultu inhibendo ſit affirmativum, obligans ſemper, ſed non ad ſemper. Extra tamen neceſſitatem, & quamdiu po-

poteſtas ac potentia adeſt, nec Republicę & eccleſiæ in Republicâ ſalus aliud quid poſtulet, in bono illo perſeverandum eſſe, & edictis antehac promulgatis inſiſtendum. Hoc cum hactenus fecerint, & porro cum Deo facturi ſunt, juxta articulum renovatæ & confirmatæ *unionis anno* 1651.; ex hactenus dictis concludimus nullius perfidiæ, inclementiæ, tyrannidis, injuſtitiæ, coactionis conſcientiarum, violati juris divini aut naturalis, propterea ſuſpectos eſſe poſſe. Hoc erat demonſtrandum.

IV. Probl. *An ad clericos Papales Belgium fœderatum ex Belgio Hiſpanico intrantes peculiari ratione attendi poſſit magis, quam ad alios quoſcunque Regis Hiſpaniarum ſubditos; ita ut ipſis æquè, & obtento prius conſenſu Ill. DD. Ordd. aut Magiſtratuum localium, huc intrare, aut aliquo tempore ibidem commorari non liceat? Reſp. Aff.* 1. *Quia* non ſunt neutrales reſpectu Reipublicæ fœderatæ: ſed jurati ſatellites Papæ, hoſtis irreconciliabilis: uti paulo ante probatum eſt. 2. *Quia* non ſunt ſubditi Regis Hiſpaniarum; ſed Papæ: uti hoc prætendebatur à delegatis Regis in *tract. pacis Monaſterienſis*, cum ageretur de relinquendis aut non relinquendis clericis, cum exercitiis & bonis commendatis, in agro Sylvæ-ducenſi. Hinc colligunt noſtri abſque violatione articulorum pacis, circa clericos Belgium fœderatum intrare ac frequentare cupientes jure merito ſic ſtatutum eſſe; cum articulus de liberâ frequentatione ſubditorum utriuſque partis, fœderatorum ſcil. in ditionibus Regis, & regiorum in ditionibus fœderatorum, ad clericos extendi non debeat: quippe quorum perſonæ & bona regi ſubjecta non ſint. Sed longè aliter ſe res habet in noſtris concionatoribus, qui æque ac omnes alii cives, ſubjecti ſunt, & tales judicio Ill. DD. Ordinum, & proprio ſuo cenſentur. Et hinc eſt quod abſque ullâ exceptione libertate illâ fruantur, ac frui debeant.

V. Probl. *An bellum à libera fœderatorum Republicâ jam inde ab a.* 1581. *uſque ad pacem Monaſter.* 1648. *geſtum ſit & pax ibidem à parte fœderatorum concluſa, pro libertatis & poteſtatis politici pariter ac religionis reformatæ ſtabilimento, conſervatione, defenſione; an vero pro ſectarum quarumvis, ſpecialiter Papiſmi libertate; ſi non tempore belli, ſaltem tempore pacis; ſi non omni, ſaltem majori, quam antehac? Reſp.* Prius *Aff.* poſterius *Neg.* contra nonnullos, qui fimbrias pacis Hiſpanico Belgicæ ad pacem Romano-papalem extenſam velint. Sed longè falluntur. Ut enim nulla pax eccleſiaſtica, ſic nec politica cum Romanâ ſede & regno Antichriſti fingi & fabricari debet: eccleſiæ enim noſtræ & politię pro ſymbolo ſibi adoptare debent titulum libelli à celebri theologo Anglo *Joſepho Hallo* Lat. & Angl. editi: *Roma irreconciliabilis*, Lat. No peace with Roome/ Angl. id eſt, *nulla pax cum Româ.*

De bello pro ſolâ liberâ Republicâ, & religione reformatâ geſto, cum ſpe-

ſpeciali excluſione papiſmi, ſupra ex decretis, edictis, manifeſtis, reſponſis, capitulationibus cum civitatibus, quamvis papiſmo addictiſſimis (quales Neomagum, Groninga, Sylva-ducis, Breda, Hulſtum) ſatis ſuperque probatum eſt; quibus adde inſtructionem & juramentum gubernatorum ſeu pręfectorum tum generalium tum provincialium. Ad quod juramentum à ſe in ſuſceptione præfecturæ præſtitum ritè provocabat celſiſſ. Princeps Arauſonienſis Mauritius in reſponſo Ill. DD. Ordd. Hollandiæ (quod ad potiora ſcil. ſuffragia) anno 1617. dato; cum à celſitudine ipſius poſtularetur defenſio & executio decreti anno 1614. & anno 1617. contra puritatem doctrinæ & pacem eccleſiarum conditi. De pace, ejuſque tractatibus nunquam aliter in deliberationem admiſſis, inchoatis, continuatis, concluſis, ratificatis, compendio cognoſce 1. *ex* quæſtionibus ſeu conſcientię caſibus, & ad eos reſponſis miniſtrorum anno 1588. à Principe Mauritio evocatorum; de quibus hiſtorici noſtrates, inter eos *Everh. Reidius*; nec negat *Joh. Wttenbogardus*, *in ſuâ hiſtor. eccleſiaſt. pag.* 71. 2. *ex* laudatâ aliquoties renovatâ *unione Hagienſi* anno 1651. 3 *Ex* epiſtolâ Ill. DD. Ordd. Hollandiæ ad Senatum Harlemenſem 12. Januar. 1630. A „bello piè (**Goddelijck**) liberari poſſumus, ſervando veram Chriſtianam „reformatam religionem, nec quidquam vel minimum permittendo, quod „facere poſſet ad Romanarum idololatricarum ſuperſtitionem defenſionem (**tot voorſtant**) *L. Aitzema part.* 1. *hiſtor. pag.* 85.

In concepto circa id tempus decreto Ill. DD. Ordinum Hollandiæ (*Aitzema ibid. p.* 93.)*artic.* 1. „ut omnia membra Ordinum Hollandiæ nomi„ne ſuorum committentium & ab iiſdem authoritati ſolenniter & ſanctè ſub „juramento promittant, regimen, uti nunc in præſenti conſtitutum eſt, „& religionem prout nunc in publicis templis docetur & à *Synodo Nationa„li Dordracenâ* (anno 1619.) confirmata eſt, ſe defenſuros, abſque ullâ „mutatione in illo aut in iſtâ faciendâ aut permittendâ.

„ *Artic.* 4. Ut omnes & ſinguli fungentes aut poſthac functuri munere „aliquo regiminis aut juriſdictionis, dictæ religionis profeſſionem faciant, „aut ad minimum illi addicti ſint, & in ingreſſu muneris ſui ſub juramen„to promittant ſe defenſuros dictum regimen & religionem, & edicta con„tra pontificia & Remonſtrantica exercitia executioni daturos.

Senatus Harlemenſis in reſponſo ad epiſtolam Ill. Hollandiæ Ordinum „(*Ibid. pag.* 88.): religionem & regimen tanquam duo principaliſſima ſta„tus fundamenta ſemper habita & defenſa fuiſſe; & etiamnum habenda „ac defendenda? & religionem ac regimen jam ſtabilita eſſe, & ſtabilita „debere manere. Adde formulam juramenti religionis tum aſſertorii tum promiſſorii; quod conſules, ſenatores, ſcabini in aditu muneris ſui præ-

ſtare

ſtare tenentur & uſque in hunc diem (*hæc ſcribo* 8. *Decembris* 1664.) præſtare ſolent.

Ill. ac prępot. DD. Ordines fœderati Belgii Generales, in præliminaribus ad *tractatum pacis Monaſterienſem*, tanquam prærequiſitam conditionem declarant & decernunt, ut religio modo deſcripta, ſtabiliatur, & ſtabilita teneatur ac defendatur. Vide *L. Aitzema part.* 2. *pag.* 285. 314. 346. & *pag.* 159. ubi in conſiderationibus ſuis ad concluſionem pacis dicunt: „reformatam religionem eſſe *animam ſtatus fœderati Belgii*; eſſe *fundamen-„tum ſuper quo florentiſſima hæc Reſpublica eſt fundata*; eſſe *principale vin-„culum, immo unicum vinculum*, *quo Belgicæ provinciæ in communi regimine „ſtatus inter ſe manent unitæ*.

Quid ultra facem in meridie accendo? Tu Deus veritatis & pacis tam bene cœpta ac poſita confirma: ſerva præſentibus & ſucceſſuris Proceribus hanc mentem: ne unquam ſint, qui decretorum, confœderationum, promiſſionum, juramentorum ruptis repagulis particulari ἰδιογνωμοσύνῃ, profanitati, perfidiæ, avaritiæ, ſuperbiæ, tantum indulgeant, ut ſtabilitę religionis mutationem, concuſſionem, ſi non ſubverſionem, prudentes imprudentes moliantur. Converte, aut confunde ac detege, ſi qui inter munerarios ſint Achitopheles, inter verbi miniſtros indocti & inſtabiles; aut terrena ſapientes, quorum Deus ſit venter. Atque hactenus ſatis ſuperque oſtendimus, quid majoris libertatis per ſtatum pacis Papiſmo, aliiſque ſectis acquiſitum prætendi poſſit: nominatim Antitrinitariis Socinianis aut Arrianis; de quibus mox ſequenti capite diſquiremus.

CAP. IX.

An ſectis Antitrinitariis, Socinianis, Arrianis & ſimilibus, aliiſque fanaticis in Belgio fœderato aliqua exercitiis & conventiculorum libertas directè aut indirectè concedenda ſit?

QUæ & quales ſint ſectę antitrinitariæ, & qui earum conatus in Belgio fœderato, hic præſuppono ex 1. *part. ſelectar. diſpp. tit. de neceſſitate & utilitate doctrinæ de trinitate*; & 2. *part. tit. de merito Chriſti, & de articulis & erroribus fundamentalibus*; 3. *part. tit. de notitiâ latentis ac ſerpentis hæreſios antitrinitariæ*. §. 1.

Diſtinguo hæreſiωn iſtarum libertatem aut tolerantiam in eccleſiaſticam & politicam. De *priori* cœptum agi in diſpp. modo indicatis, & rurſum infra *part.* 3. *de eodem ex profeſſo agetur tit. de libertate prophetandi, de moderatione & tolerantiâ, de ſyncretiſmo*.

De *posteriori* hic propriè quęritur, & quidem particulari ad Belgium nostrum respectu.

Quæstio est, *An Photinianis seu Socinianis, aut Arrianis aut quibuscunque aliis Antitrinitariis civibus, incolis, advenis libertas aliqua exercitii in Belgio fœderato sive directè, sive indirectè concedenda sit. Resp.* De apertâ & directâ concessione, tolerantiâ, conniventiâ, Negatur, siquidem & quamdiu potestas ac potentia adest (uti per Dei gratiam adest) eam tollendi aut inhibendi.

Rationes de novo non moliar, sed ad præcipuas, quasdam partim theologicas partim politicas supra *cap*. 4. & *in dispp. modo citatis* propositas, digitum solummodo intendo.

I. *Rat.* Quia gloria Dei nostri, & unici mediatoris nostri postulat, ne sub sigillo libertatis, sub salvo conductu & patrocinio Procerum reformatorum, & in oculis eorundem, apertè & voce, & scriptis vomantur blasphemiæ. Atqui Socinismus, & Arrianismus, judicio totius Christianismi, sunt blasphemia (uti vocant) hæreticalis: Confer commentatores decalogicos ad 3. præc. & Casuistas tit. de blasphemiâ. Memoratur factum Amphilochii Episcopi Iconii, ex *Theodoriti Histor. Eccles. lib. 5. cap.* 16.

„ Post Theodosii illinc reditum, Amphilochius ille admirabilis, cujus „ sępius à me jàm facta est mentio, accessit oraturus Imperatorem, uti ex „ urbibus Arianorum conventus ejiciat. At Imperator postulationem illam „ nimis severam & inhumanam arbitratus rejicit. Sapientissimus igitur „ Amphilochius re ad tempus tacita, aliam rationem ad id, quod volebat „ obtinendum, eamque planè memorabilem excogitavit. Nam cùm alio „ tempore fortè intra palatium esset, videretque astantem Imperatori filium „ suum Arcadium, qui nuper Imperator creatus fuerat, ipsum Imperatorem Theodosium (ut mos est) salutavit ille quidem, sed filium sine honore dimisit. Imperator autem ratus Amphilochium oblitum officii, jubet ad filium accedere, eùmque osculari. At Amphilochius respondit, „ Satis esse, quòd ei honorem habuerat. Itaque Theodosius rem acerbè & „ graviter ferens, probrum filio objectum, injuriæ loco sibi ipsi illatę numeravit. Tum sapientissimus Amphilochius, declarans Imperatori, quod „ animo instituebat, contenta voce: Vides, inquit, ô Imperator, quam „ ægrè ignominiam filii tui patiare: imò verò illis, qui in eum insultant, vehementer succenses. Credas igitur mihi velim, hujus universitatis rectorem Deum, eos qui contra filium suum unigenitum loquuntur blasphemias, itidem detestari, & tanquam ingratos erga servatorem & patronum suum odio prosequi. Cujus institutum cùm hoc pacto intellexisset „ Imperator, facta ejus dictaquè simul admiratus, legem protinus conscripsit, „ quæ vetabat conventus ab hæreticis agi.

II. *Rat.* Quia removenda aut impedienda sunt, per quę subditi à fide & pietate Christianâ abducerentur. Atqui exercitia Sociniana, aut Arriana cum appendicibus, sunt talia &c. *Vide part.* 1. *selectar. dispp. tit. de necessitate doctrinæ de Trinitate.*

III. *Rat.* Quia libertas illa, statui Ecclesiæ & Reipublicę nostræ minime convenit: *Non Ecclesiæ*, quæ contra odiosas adversariorum suorum Papistarum calumnias toties & tamdiu protestari debuit nihil sibi cum Arrianis, aliisque antiquis hæresibus commune esse. *Non politiæ*, quæ perpetuo protestata est se pro libertate & religione reformata (non hæresibus Antitrinitariis) difficillimum illud bellum sustinuisse; in quo tam largâ benedictione, & tot victoriis, denique tam felici exitu à Deo coronata est. An concessione blasphemiarum & hæresium gloriæ divinæ, sanctissimæ religionis & politiæ stabilimento ac paci adversantium, Deo suo gratias agerent? An abominandis hęresibus fovendis politiam suam tanto fautorum, neutralium, hostium ęstimio, tanto Principum & Rerumpublicarum in Europâ favore atque applausu, tot tantisque auxiliis & fœderibus nobilitatam, fœtidam redderent? Reges Gallorum, qui Christianissimi dicuntur, ob fœdera cum Belgis aliisque inita & auxilia submissa ab Hispanicis & Curialibus Catholicis traducuntur. Sed eos defendunt Archiepiscopi & Episcopi Galliæ anno 1625. peculiari libello latino contra famosos libellos tit. *mysteria politica*, & G. G. R. *Theologi ad Ludovicum XIII. &c.* admonitio. Idem præstitit anno 1626. Nicolaus Rigaltius libello latino tit. apologeticus pro Rege Christianissimo Ludovico XIII. qui inseruit decretum Acad. Parisiensis contra dictos libellos famosos. Idem Jeremias Ferrier libello gallico tit. *Catholique d'Estat* in 8. qui postea insertus est volumini in 4. plura istius generis scripta continente anno 1642. tit. *Recueil de diverses pieces pour servir à l'Histoire.*

Idem denique autor *vindiciarum Gallicarum* contra larvati Patricii Armachani, (revera *Cornelii Jansenii regii in Acad. Lovaniensi Professoris Theologi*) *Martom Gallicum* anno 1638. In omnibus illis apologeticis & in præsidis *Jannini* negotiationibus nulla mentio libertatis, nisi religionis reformatæ in Galliâ per edictum Nannetense permissæ, in Belgio nostro obtinentis. Sereniss. & potentiss. magnæ Britanniæ Rex Jacobus in *apologiâ B.ij. B.4. C. 3. D. 3.* (edit. Belgicæ Middelburgensis 1612. ex gallicâ Londinensi apud typographum Regium Nortonum, expressæ) protestatur contra mutationem religionis reformatæ per Arminium ejusque asseclas, pręsertim & Socinizantem Vorstium ad professionem Leidensem ab Ordinibus Hollandiæ tunc vocatum; allegatâ inter alias hâc ratione: Quod religio reformata sit gluten amicitiæ, inter Britannos & Belgas, & quod

ejus causâ atque intuitu tot tantaque subsidia & auxilia Belgis hactenus submissa sint. Addebantur hæc compulsoria. Quod si DD. Ordines sibi non tantum, sed & universę ecclesiæ nollent satisfactionem dare (**contentement geven**) se propediem coram toto orbe declaraturum ipsorum apostasiam à fide & à verâ ecclesiâ Domini nostri Jesu Christi; apostasiam scil. illorum, qui Ordinum favore, defensione, & gratâ acceptatione fruebantur. Idem dico, de regnis Daniæ & Sueciæ, cum quibus fœdera nostris intercesserunt, & etiamnum intercedunt. Idem de Principibus Germaniæ Protestantibus & reformatis, quotquot Reipubl. & causæ fœderati Belgii hactenus faverunt & favent. Quam grata ergo futura esset Europæis Principibus & politiis, Belgii nostri confœderatis, amicis, fautoribus, inaudita ejusmodi libertas, nemo non intelligit.

Anno 1628. cum deputati utriusque synodi Hollandiæ (quorum partem tunc faciebam) in Remonstrantiâ suâ Ill. DD. Ordinibus Hollandiæ tunc exhibitâ & eodem tempore typis expresâ, inter alias motivas, hanc suggererent, Quod hâc ratione toti orbi Christiano fœtidum redderetur fœderatum Belgium; reponebant Remonstrantes in libello remonstrantiæ opposito: oportere ergo ut *regnum Poloniæ* (ubi ipsorum opinione libertas Socinianis concedebatur) *admodum fœteat*. Sed infelices illi historici perperam præsupponebant, Regis & regni concessionem; quæ nulla erat, nec unquam fuerat: & paucis annis post satis ostendit regnum Polonicum quid istic libertatis cuivis sectæ, & inter eas Socinianæ concessum sit. Quærant modo ex fratribus suis *Sartorio*, *Jona Slichtingio*, aliisque, quo loco nunc sit libertas ipsorum. Legant nostri, quibus vacat, *Apologiam Slichtingii in* 8. editam, & de re totâ judicent.

IV. *Rat.* Quia communis consensus & praxis antiqui ac hodierni Christianismi hanc sententiam nostram comprobant. Vide *titulos Codicis de summâ Trinitate*. Atqui jus civile Romanum in fœderato Belgio in omnibus legis vim obtinet, ubi peculiaribus summarum potestatum decretis ac statutis illud abrogatum non est.

Quod nunquam in hoc casu factum. Ut enim *Jacobus Lectius* J. C. & syndicus Genevensis in refutatione calumniosæ applicationis legum istarum factæ in principio codicis Fabriani autore *Fabro* supremi dicasterii Sabaudici Pręside, legum istarum fulmen à Genevensibus aliisque reformatis avertit: sic & nostrates J. Consulti pariter avertere possunt & solent. Nec ex decretis Principum Belgarum, & liberæ Reipublicæ anno 1581. constitutæ, nec ex *Grotii Jurisprudentiâ Hollandicâ* ex decretis illis extructâ, quidquam adferri poterit, quod istarum legum Romanarum antiquationem indicet.

V. *Rat.*

V. *Rat.* Quia in Belgio fœderato, Ill. DD. Ordd. Generales anno 1598. *Ostorodum* & *Voidovium* Socinismi apostolos eum hic sparsuros, intra quindecim dies ex Belgio excedere jusserunt, omnesque libros Socinianos, quos secum attulerant, Hagæ comitis exurendos dederunt. Quibus apologiam suam typis editam dicti *Ostorodus* & *Voidovius* opposuerunt.

Et anno 1653. Ill. DD. Ordines Hollandiæ edictum contra Socinismum & Libros Socinianos, publicârunt: quod unà cum monitione & petitione DD. deputarum utriusque Synodi Hollandicæ, & consilio seu *responso DD. theologorum Leidensium*, *Examini apologiæ equitis Polani* contra edictum Ordinum Hollandiæ à *D. Coccejo* insertum vide. Anno 1655. ampliss. Senatus Ultrajectinus simile edictum promulgavit.

Prætereo factum ampliss. DD. consulum Amstelodamensium, qui magnam partem exemplarium *Institutionum Volkelii* Amstelodami excusorum, quæ in manus ipsorum devenerant, ante animos aliquot in cineres redigebant.

Et ne quid desit, ipse Remonstrantium hyperaspistes & patronus *Hugo Grotius* in & cum collegio deputatorum Ill. Hollandiæ Ordinum Remonstranticæ factioni tunc nimis faventium librum *Adolphi Venatoris* Remonstrantici concionatoris Alckmariani anno 1617. proscripserunt, & autorem in insulam Gravesandam deportârunt: quod portenta Sarmatica saperet, & ipsius libri frontispicio præscriberet, tali *libro fundamenti*, seu *theologiæ veræ & meræ infantium & lactentium in Christo* (hic libri titulus) contineri doctrinæ formulam, quâ Christianismus 1400. annis caruisset, quæque nunc primum in lucem proferret amator liberæ unitatis &c.

Quin idem Grotius in Pietate Ordinum Hollandię apud Patium juratum Academiæ Leidensis typographum autoritate publicâ Senatus delegatorum ab Ordd. Hollandiæ anno 1613. excusâ pag. 81. sic loquitur: „Videmus, inquit, ut & his ipsis quas nos habemus, & aliis insuper con„tentionibus Germania distrahatur. Nunquam has turbas, qui fecere, „ component. Nisi Principum autoritas sequestram se pugnantibus prębeat; „res desperata est. Hoc agunt illustrissimi Ordines: non convellunt anti„ quam fidem, non œcumenicarum synodorum dogmata rescindunt; non „ Pelagium resuscitant: *non ad Sarmatica portenta connivent.* Christiani „ sunt. Catholici manent. Reformati esse non desinunt. Ergo Remonstrantium partibus addicti, aut in segregibus ipsorum cœtibus religionem exercentes ac profitentes, si qui hodie ἐν ἀρχῇ aut publicis in muneribus constituti (quales esse nemo ignorare potest), non debent connivere ad Sociniana portenta: dictante *Grotio.* Quod autem de unico dissidiorum remedio satis confidenter ac superciliosè dictat, illud luci factorum & com-

muni experientiæ nimis manifestè repugnat. Quando ab ipsis Principibus, Proceribus, Magistratibus, exemplo Regum Israëlis à Jeroboamo usque ad postremum, & Regum Judæ Joasi, Athaliȩ, Menassis, &c. corruptelæ & contentiones contra doctrinȩ puritatem, morum sanctitatem, ordinis, regiminis, disciplinæ integritatem ac vigorem, oriuntur (uti sæpe ortæ sunt): an tum *has turbas, qui fecere, component? an nisi autoritas eorum se sequestram pugnantibus* præbuerit, *res* futura est *desperata*? Ad populum Phaleras. Jeroboamus 1 *Reg* 12. & deinceps notatur, quod Israelem peccare fecisset. Adde Constantium, Valentem, &c. Sed ut in transitu luxuriantes & mythologicas oratoris amplificationes amputem: intuere solummodo statum antiquissimæ trium primorum sæculorum ecclesiȩ. An non fuerunt ecclesiæ ut crucis, sic & lucis? An ullæ sequiorum sæculorum ecclesiæ, usque ad sæculum decimum aut usque ad ἀκμὴν Antichristianismi, & stabilitam novitatem Papatus, sub Christianis Principibus, doctrinæ puritate, morum sanctitate, ordinis, regiminis, disciplinæ integritate & vigore, salubri controversiarum compositione, hæresiων aversione aut expulsione, pacis & concordiȩ ecclesiasticæ conservatione aut restitutione, cum illis comparari poterunt? Atqui carebant ecclesiæ illæ sequestrâ Principum autoritate: & tamen cum pluribus magnisque portentosis hæresibus, pugnandum illis erat; quas qui excitârant ex ecclesiâ non tollebant aut propulsabant, non magis quam hodierni Antitrinitarii aut Remonstrantes: sed ecclesiæ orthodoxæ, juxta potestatem & ordinem à supremo ecclesiæ magistro concessum. Descendamus ad nostra tempora & nostrum Belgium: ubi quȩso contentiones in ecclesias injectæ, ubi lites ex litibus satæ, ubi scintillæ dissidiorum in flammam eruperunt, ubi potestas & disciplina ecclesiæ oppugnata, quassata, luxata, pessundata magis; quam ubi Magistratus blanditiis, chrestologiis, falso nominatæ sapientiæ deceptionibus heterodoxorum & turbonum circumventi, aut quibusdam rationibus suis propriis, aut prȩtensis politicis seu sȩcularibus ducti, novatores contra ordinationes correptiones, censuras ecclesiasticas defenderunt. Cur unus *Venator* Alckmariæ, unus *Hermannus Herberts* Goudæ, unus *Casparus Coolhaes* Leidæ, quamvis omnes non vulgariter heterodoxi, subsistebant; nec heterodoxiæ emendari, nec lites inde ortæ tolli, nec ecclesiæ ad unionem ac pacem revocari poterant? Quæ causa? Nulla alia, quam quod Magistratus istarum civitatum scintillas illas & primum erumpentes flammas exstingui non paterentur; sed contra omnibus salutaribus ecclesiarum, classium, synodorum consiliis & remediis per abusum sȩcularis suæ potestatis, exclusis aut oppressis, quin & ipsâ Ill. DD. Hollandiæ Ordinum interpositione in Leidensi & Goudano negotio, posthabitâ; heterodoxos & ἀτάκτους illos defenderent, eosque in re-

rebellione erga ecclesiam & ordinem ecclesiasticum (cui in ingressu ministerii se subjecerant) tamdiu confirmarent. Vide hæc ex actis publicis tum ecclesiasticis tum politicis accuratè exposita in *historiis apologeticis nomine synodi Hollandicæ de causâ Caspari Coolhaes & Hermanni Herberts* editis; & in *histor. ecclesiasticâ Triglandii*, ubi de turbis Alckmarianis. Ultrajecti, cum *Hubertus Duyshuysen* pastor segregis illius à publicâ ecclesiâ reformatâ, in templo Jacobeo cœtus, (cujus dubia in nonnullis erat religio, & regimen plane nullum, nec Papisticum, nec reformatum, nec medium participationis) ad unionem cum ecclesiâ reformatâ Ultrajectinâ in doctrinâ & disciplinâ adductus esset; eique favente & comprobante Senatu se conformasset; atque ita scisma illud sublatum videretur: non tulit illud proximè succedens senatus per tumultum popularem, & armatam manum intempestâ nocte, dejecto priori senatu, ecclesiæ reformatæ ejusque ordini tunc faventissimo, constitutus. Is cum majorem partem Jacobeæ neutralitati seu mavis confusioni & ataxiæ addictus esset, atque ante unionem modo memoratam, non exigua ejus pars fuisset, primum Ecclesię reformatæ ministris omne ministerii exercitium interdixit, post seniores & diaconos depoluit, ministros neutrales (ita habent acta) se requirere declaravit, neutralem seu miscellam ecclesiam in publicis templis molitus est; regimen non regimen ecclesiasticum sibi vindicavit, sua solius autoritate (ita exsertè decernebant) absque ulla electione absq; ullâ exploratione & probatione ecclesiasticâ, ministros heterodoxos, dubios, probos, improbos huc accersebat; atq; ita dispersâ & profligatâ ecclesiâ reformatâ, aliam quam neutralem in publicis templis, ut potuit, collegit, recollegit, fovit; à communione, correspondentiâ; regimine ecclesiæ Papisticę, simul & reformatæ ecclesiæ Belgicæ absolutam, separatam, independentem. Erant autem viris illis rationes peculiares, sed de hoc sæculo, cur neutralem, seu miscellam ejusmodi professionis & ecclesiæ formam ac faciem affectarent, eamque perpetuo à vicinis aliisque in Belgio fœderato ecclesiis divisam ac separatam servarent: inter alias istæ, odium disciplinæ, & affectata χρήσις ac κλῆσις bonorum ecclesiasticorum. Vide eosdem rationes in epistolâ epistolis *Calvini*, *p.* 43. Subinde tamen ob commendationem & intercessionem vicinæ Provincię Hollandicæ, & quorundam, quibus hic melior sententia, & quia reformati ac defensores reformationis audire malebant quam neutrales, aut semi-Papistæ, aut Libertini, aut qualescunque soli-ipsi sectarii scismatici; tentârunt, aut passi sunt tentari disparsæ ecclesiæ reformatæ recollectionem, in publica templa revocationem, & cum miscellâ illa conniventiæ seu tolerantiæ (ut neoterici cujusdam phanatici termino utar) ecclesiolâ, ejusque ministris reconciliationem. Sed arenâ sine calce ædificatum fuit, & genuini reformati antiquæ ac dissipatę ecclesiæ

Ul-

Ultrajectinæ, & orthodoxi theologi ad mali hujus curationem aliunde subinde huc accersiti, perpetuo fuerunt decepti : uti ex senibus didicimus, qui illa viderant, & pars magna eorum fuerant; & ex historiâ *Petri Bor* Ultrajectini, nec non ex epistolis summi theologi *Fr. Junii* quarum una comentar. in *Exodum* pręfixa est, altera inter selectas epist. à *Simone Abbes Gabbema* a. 1663. edita est. *p.* 610. In civitate Heusdanâ patria mea *Gerardus Blockhoven* doctrinâ & moribus impurus ad brachium militare, hoc est ad superintendentem præsidii militaris, quævis proarbitrio (ut tunc erant tempora) istic usurpantem & agentem, confugiebat. A consistorio sæpius monitus, cum non audiret, tandem non sine consilio & consensu classis ab exercitio concionum tantisper abstinere jussus; & cum minimè pareret, templum ab ædilibus & Magistratu clausum fuit : & conciones tantilper habitæ in monasterio monialium. Quid interea hujus ἀτάκτου patronus præfectus militaris ? In arce, seu castello, quod incolebat, locum concionibus habendis dicto *Blockhovio* assignabat, & ad pulsationem tympani per plateas proclamari curabat, ut si qui *Blockhovii* conciones audire vellent, in arcem dictâ horâ venirent. Sed stylobate illo militari subtracto, hoc est, inde remoto, atque ab Ill. Ordd. & gubernatore Hollandię Ill. Comite Mauritio, exautorato, *Blockhovius* in *Synodo Delfensi* a. 1577. causam suam agente & prosequente *Synedrio Heusdano*, à ministerio depositus fuit. Pauci in Belgio nostro nominari poterunt, qui monitionibus, & correptionibus aut censuris ob doctrinam aut mores subjecti, easve metuentes, palam aut clam ad Magistratum, aut ad aliquem aut aliquos ex Magistratu non confugerint, ibique præsidium contra autoritatem, εὐταξίαν, censuram ecclesiasticam non quæsiverint. Illustre exemplum appellationis ultra mare (ita loquar) vide relatum & examinatum a. 1642. à *Petro Cabbeljauw*, tunc ecclesiaste Leidensi, *tit. apolog. rescr. pro libertate*, &c. An autem tale postulatum pręsidium, provocantibus illis frequentius negatum, illiq; ad judicem οἰκεῖον, & in illo genere competentem ablegati sint, an vero manus adjutrices fuerint paratæ, non vacat nunc per singulas olympiadas enumerare. Quique ministri relegant acta sua consistorialia, classicalia, synodalia, aut saltem eorundem repertoria, & calculum ineant.

Remonstrantes nostrates a. 1610. apertè petebant per Ill. Hollandię Ordines protegi contra censuras ecclesiasticas. Quod ipsis concessum, atque unà classibus prohibitum, ne ad ministerium vocatos examinarent in doctrinâ quinquarticulanâ. Mirabilis sane sequestræ autoritatis intercessio, sine quâ de salute & pace ecclesiarum conclamatum esset. Ecclesię scil. jam & bene constitutæ, ordinatæ, stabilitæ, pacificæ, florentes, cogendæ sunt, ut εὐταξίαν suam & doctrinam suam, aut deponant, aut diminuant, aut saltem tantisper sequestrent, donec heterodoxi aut ἄτακτοι, sub sequestrâ Magi-

ſtratuum autoritate ingrediantur, & aliquo numero aucti eccleſiam dividiis & innovationibus turbare, & tandem numero prævalentes publicam doctrinam in Socino-Remonſtrantiſmum transformare valeant. Cur in primo ortu Remonſtrantiſmi eccleſiæ Roterodamenſis, Hagæ-comitana, Goudana, Hornana, Alckmariana, Leidenſis, Hagienſis, Brielana, Schoonhoviana infectæ & turbatæ fuerunt, magis, quam Dordracena, Enckhuſana, Edamenſis, Purmerendana, Schiedamenſis; aut quam Amſtelodamenſis: ubi tamen ipſe *Arminius* tot annis docuerat, eique per omnia ὁμόψηφος *Joh. Halsbergius*; ubi aliquot Arminii diſcipuli relicti, eorumque ſeria tentamina non deerant; ubi in eccleſiâ Gallo-belgicâ ad Remonſtrantiſmum defecerat *Goulartius*. Nulla alia erat cauſa, niſi quod illic regimen conſiſtoriorum, & claſſium, Magiſtratus potentiâ ſuâ ἀλλάγως & ἀτάκτως impedirent: Amſtelodami vero, Dordraci, Enchuyſę, &c. non impedirent. Et quæ cauſa, quod in Provinciis Zelandiæ, Friſiæ, Groning-Omlandiæ, Remonſtranticæ factiones & contentiones non æque graſſarentur ac in Provinciis Hollandicâ & Ultrajectinâ? Nulla alia, quam quod in his fibulæ & clauſtra innovationibus illis ab Ill. Ordinibus & Magiſtratibus laxarentur; & contra piorum obnitentium conatibus, ac legitimo regimini eccleſiaſtico fibula imponeretur: ſequeſtratâ hunc in finem annuarum ſynodorum in Hollandiâ, celebratione ab anno 1608. uſque 1618. Eadem cauſa fuit cur in Ducatu Geldriæ Remonſtrantiſmus turbaret civitatem Neomagenſem, non ęque Zutphanienſem: & in dominiis particularibus, Buerenſe, non æque Vianenſe. Et hæc hactenus de ſequeſtrâ Magiſtratuum autoritate: unicâ diſſidiorum in eccleſiâ componendorum ratione: uti ſine bibliis, ſine codice, ſine antiquo & hodierno jure eccleſiaſtico, *Grotio* dictare libuit. Sed laus Deo, quod Ill. Belgii Fœderati Ordines cum celſiſſ. Principe Arauſionienſi Mauritio, ad jus divinum & eccleſiaſticum antiquum ac reformatum in convocandâ Synodo Nationali, potius, quam ad temeraria ac juvenilia ejuſmodi ſchediaſmata attenderent.

Sententiâ noſtrâ de exercitii libertate Socinîſmo, aut Arrianiſmo, aut §. 2.
affinibus hęreſibus negandâ, ſic expoſitâ: videndum eſt, qui pro iſtâ libertate pugnent. Primo quidem ipſi hæretici Antitrinitarii: ut videre eſt in *Apologiâ Oſtorodi & Voidovii* contra decretum ſeu ſententiam DD. Ordd. Generalium; & in *Apologiâ equitis Poloni*, contra edictum DD. Ordinum Hollandiæ anno 1655. à *D. Coccejo Theologo Leidenſi examinatâ*. Horum tota diſſertatio nititur falsâ iſtâ hypotheſi: quod in Belgio fœderato quarumvis religionum libertas ſit, fuerit, eſſe debeat: quippe pro quâ contra inquiſitionis Romano-Hiſpanicæ tyrannidem à majoribus noſtris pugnatum ſit. Sed longè falluntur, confundendo libertatem conſcientię cum libertate ex-

 ercitii:

ercitii: de quarum distinctione supra *cap.* 4. Socinianis hâc in parte se jungunt *Remonstrantes, in libris supra cit.* & in *Genuino Theologo Remonstrantico* Belgicè conscripto ab *Episcopio* in conclavi cœtus Remonstrantici Amstelodamensis communi Remonstrantismi Doctore, & quidem, ut libellus ipse satis innuit, communi nomine societatis Remonstranticæ edito; ubi inter alia *pag.* 161. *coll.* cum *pag.* 174. 176. commendant DD. Ordinibus libertatem illam, quam in regno Polonię, etiam Socinianis, concedi præsupponunt: *Quod nam regnum ajunt, pacatius & felicius est Polonico; quod hanc libertatem pro fundamentali lege habet, & in quo innumeræ religionum professiones (Belgicè* **Gesintheden** *) non tantum tolerantur, sed & publicè defenduntur (Belg.* **Gehanthaeft worden** *)? Sint isti Reipublicæ vestræ pharus, & imprimis Jesu Christi Servatoris vestri religio,* &c. Nec mirum, eos pro Socinianorum libertate & tolerantiâ in Republicâ nostrâ tantoperè zelare, cum paulo ante, & passim per totum libellum pro ecclesiasticâ unione, communione, & fraternitate cum iisdem Socinianis ineundâ contendant. Rationes seu mavis πάθη & amplificationes magni hujus postulati sui adductas, hic denuo non excutio: cum supra *cap.* 4. satis superque profligatę sint; & *Cl. Joh. Amos Comenius in Sociniano Zwickero* Amstelodami hanc crambem recoquente, ad eas responderit in tertiâ ad dictum Swickerum admonitione anno 1662. *pag.* 49. & *seqq.*

§. 3. Accedamus nunc ad politicam tolerantiam, quâ in Belgio jam ab initio belli Belgici, & deinceps constitutâ jam liberâ Republicâ anno 1581. usque in hunc diem quam plurimis in locis fruuntur Anabaptistæ: & videamus, an Socinismus in cœtus illorum irrepens, aut Anabaptismus cœtuum istorum paulatim in Socinismum transformatus, sub retento antiquo nomine, & titulo Anabaptistarum, à Magistratibus nostris veram Christianam reformatam religionem professis, dum per Dei gratiam potestas & potentia adest, sit tolerandus; eique sub Anabaptistarum titulo, schemate, & conventibus, delitescenti, eadem tolerantia aut participatio ejusdem tolerantiæ relinquenda; quæ antiquis & genuinis Anabaptistis in Belgio huc usque indulta fuit. Per antiquos & genuinos Anabaptistas intelligimus, qui nunc uniti *Flandri, Frisii, Germani* dicuntur: & quorum doctrina *conceptu Coloniensi* anno 1591. *Ramo olivæ* anno 1629. *Germanicâ confessione* 1630. *Dordracenâ confessione* 1632. explicatur. In Belgio fœderato, nominatim in Hollandiâ & Provinciâ Ultrajectinâ Magistratus reformatæ religioni addicti passim libertatem exercitii, antiquis Anabaptistis, in primis persecutionum & armorum turbis concessam, etiam hodie continuant: quos tamen in doctrinæ, prophetiæ, turbulentiæ phanatismis, tales non experiuntur, quales illi, qui in Thuringiâ, Monasterii, in Frisiâ, in Hollandiâ Amstelodami 1536.

1536., & in nupero inteſtino bello Anglico ab anno 1642. & deinceps arma geſſerunt; & quales à *Melanthone in centuriâ epiſtolarum Joh. Schwebelii epiſt.63. ad Bucerum*, & *Simlero in præfat. ad libros Bullingeri* contra Anabaptiſtas, & à *Bullingero lib.1.* & 2. aliiſque theologis, & vulgatis hiſtoricis deſcribuntur; & quos antiqui reformationis theologi inhibendos, immo etiam pro re natâ puniendos cenſuerunt. Vide de iis judicia *Zwinglii*, *Bullingeri*, *Lutheri*, *Melanthonis*, *Buceri*, *Brentii*, *Oecolampadii*, *Urbani Regii*, *Calvini*, *Johannis à Laſco*; & de hodiernis Anglicanis *Honorium Regium* lat.; *Ephr. Pagit*, anglicè; *Gul. Prynne in fulcimento gladii*, angl. & lat.; edictum Ordinum Rhætiæ anno 1570. contra Arrianos, & Anabaptiſtas; & edictum Groninganum anno 1601. cum apologiâ ejuſdem. Quales phanaticos & turbulentos coërcendos, ſaltem non ita promiſcuè admittendos, primi reformationis jam introductæ concionatores in Belgio, & proximè illis ſuccedentes judicabant; & qualium Anabaptiſtarum, revera Arrianorum aut illis pejorum, blaſphemias Scipio Lentulus Neapolitanus miniſter Clavennenſis in prӕfatione ad reſponſum ſuum pro edicto Ill. trium fœderum Rhӕtiæ, deſcribit.

His præſuppoſitis & præmiſſis, concludimus Socinianos, Arrianos, Enthuſiaſtas, Tremulos ſeu *Quakeros*, *Quæſitores*, alioſque Sceptico-Neutrales ſive doctores ſive diſcipulos, in cœtibus Anabaptiſtarum paſſim ex communibus doctrinæ formulis in Belgio noſtro notorum, toleratorum non eſſe tolerandos; nec eſſe tolerandos ullos cœtus Anabaptiſticos, qui tales hæreticos in communionem ſuam recipiunt, eoſque nomine & profeſſione ſuâ tegunt, aut volentes ſcientes abſque ulla reſiſtentiâ aut proteſtatione, iis tegi patiuntur.

Rationes generales & ſpeciales præced. §. contra Socinismi aut Arrianiſmi, ſimiliumque hæreſion in Belgio noſtro tolerantiam allatæ, huc applicandæ ſunt.

Quibus iſtas nunc addimus I. *Quod* tolerati & genuini Anabaptiſtæ per hæreſios Antitrinitariæ, aut phanatico-enthuſiaſticæ in cœtus ſuos introductionem, in præſentiſſimum ad abominandas illas hӕreſes ſeductionis periculum conjiciuntur; & conſequenter, quod letifera illius ſeductionis culpa, etiam in Magiſtratus illos redundat, qui hæreſes illas pro viribus, non impediunt aut coërcent.

II. *Quod* alios cujuſcunque profeſſionis ſubditos ſuos pro viribus non cuſtodiunt ab infandis illis hæreſibus, earumque ſeductione: & quod conſequenter animarum per illas hæreſes perditio, ſi quӕ contingat, à manibus Magiſtratuum repoſcenda ſit. Huc analogicè applica *Ezech. 3. v. 18.*

III. *Quod* antiquos & genuinos Anabaptiſtas hâc novâ Socinizantium

 per-

permiſſione, cogunt ad ſeparationem, & ſegreges à reipſa Socinizantibus nomine Anabaptiſtis, cœtus formandos: uti hoc anno 1664. fieri cœptum, Amſtelodami & Ultrajecti.

IV. *Quod* conſequenter tali permiſſione ac tolerantiâ novarum diviſionum, diſtractionum, contentionum, ſectarum, cœtuum, collegiorum multiplicatio promoveatur: cum potius de immunitione earum cogitandum eſſet.

V. *Quod* antiqui & genuini Anabaptiſtæ non levem capitis diminutionem & tolerati ordinis ac regiminis ſui turbationem & jacturam pati videantur: cum tolerantia ipſis conceſſa, à Socinianis aliiſve hęreticis à ſuæ confeſſionis eccleſiis ſub reatu conſtitutis, rapitur; aut iiſdem tradendo proſtituitur; qui progreſſu temporis numero, ambitu, factione Diotrephicâ prævalere poſſent, & poſſidentibus dicere τὸ:

Hæc mea ſunt, veteres migrate coloni.

Prout prodromi aut præludii vice ſatis illuſtre ſpecimen nuper Ultrajecti datum: ubi unus atque alter ex Socinizantibus Anabaptiſtis (quorum exercitium ſpeciali Magiſtratus interdicto anno 1661. tunc adhuc ſuberat) in privato-publico Anabaptiſtarum oratorio ſeu auditorio, ſeris gazophylacii ſeu ἀρχειοταμείου violenter ope fabri ferrarii à ſe eum in finem adducti, effractis & decuſſis, omnia acta, omnes chartas Anabaptiſto-Eccleſiaſticas inde ablatas aſportârunt. De quâ vi ſibi illatâ, cum Anabaptiſtæ apud hujus urbis ſenatum conquererentur, amandati ſunt ad dicaſterium, ut ibi de facto illo cognoſceretur & judicaretur. An jure experturi ſint, & quid de ſpolio illo in foro ſoli judicandum ſit, dies docebit. Salrem fateor me non videre, quomodo hæc vis illata, Anabaptiſtarum theologiæ & profeſſioni magis conveniat, quam graſſatorum & τοιχωρύχων. Dicent forte, ſi quid dici poſſit, ſe eſſe eccleſiam Anabaptiſto-Ultrajectinam, & ad ſe pecunias & chartas eccleſiaſticas in ſolidum pertinere. Scilicet ad aliquos ſub reatu ab eccleſiis ſuæ confeſſionis & unionis, & ſub interdicto Magiſtratus conſtitutos, pertinent pecuniæ & chartæ eccleſiaſticæ. *En quo diſcordia cives abduxit miſeros!* Merito genuini Anabaptiſtæ, quorum prædeceſſores in Belgio prius perſecutionis, poſtea libertatis ſeu tolerantiæ alicujus fuerunt participes, exclamare poſſent, *En queis conſevimus agros.*

Improbus hæc tam culta novalia Arius *habebit. Sic vos non vobis* &c. Siccine libertatibus, chartis, pecuniis, oratorio, ordine, regimine, diſciplinâ, titulo, per novellas quas Socinianas plantulas, heri aut nudiuſtertius in horto noſtro natas ſpoliabimur!

Sic antiquos Arrianos, & Remonſtrantes Belgicos non pudebat contra ſolem loqui: cum *illi* jactarent, ſe antiquos & genuinos eſſe catholicos, reliquos

quos Homoousianos & Athanasianos; atque adeo eos pellerent, ubicunque possent: *isti* se esse antiquos & genuinos reformatos; reliquos, Calvinistas, scismaticos, novatores, novorum dogmatum & magistrorum Genevensium (*Calvini & Bezæ*) sectatores, quæsito quovis prætextu pellendos, pulsos ubicunque modo brachium sæculare ad nutum sacerdotis extenderetur.

VI. *Quod* genuinis Anabaptistis contra blasphemias Socinianas & Arianas invigilantibus, & causam Dei hâc in parte nobiscum & cum universo Christianismo agentibus, ab omnibus Christum diligentibus, pro dono vocationis suę, succurrendum sit. Quod non fieret, si theologi pro suâ parte omni celeusmate, consilio, auxilio non firmarent manus eorum, qui in his fundamentalissimis dogmatis idem nobiscum oppugnare & propugnare parati sunt: & si Magistratus pro potestate & potentiâ sibi divinitus concesśâ, lupos illos & lupinos ululatus à populo sibi commisso, non arcerent: specialiter ab Anabaptistarum cœtibus, qui nunc iis infesti esse cœperunt. Quibus eo magis hoc agendum est, quo paratiores & ferventiores vident Anabaptistarum cœtus cum antecessoribus suis ad expeditionem hanc cum universo Christianismi exercitu suscipiendam; & perpetuo minitans ab arce Ill. DD. Ordd. Hollandiæ & Senatus Ultrajectini, fulmen (juxta edicta a. 1653. & 1655. contra Socinismum,) à se & cœtibus suis hactenus toleratis (alioquin in posterum non tolerandis, siquidem Socinismi aut Arrianismi latibula forent) averruncandum. Particulares ab illis gestorum Roterodami, Leidæ, Amstelodami, Ultrajecti, &c. histotias, ipsis aliquando publicis scriptis exhibendas relinquo: contentus hic solummodo digitum intendisse ad fœdus unitatis unitorum Anabaptistarum (dictorum *Flandrorum*, *Frisiorum*, *Germanorum*, juxta pristinam separationem) renovatum Ultrajecti 9. Septembr. & 1. ac 2. Octobris anno 1664. Leidæ confirmatum, à plurimis subsignatum, & mense Decembri 1664. Roterodami typis publicatum.

Quo renovato unionis fœdere tanquam sepimento aut intergerino pariete, novatores Arriani & Sociniani, aliique phanatici à communione & fraternitate eorum se exclusos videbunt; prout ipso facto istarum hæresiωn suspectos & auditoria hactenus communia etiamnum insidentes, ac tenentes, externa ac locali separatione, & in peculiaria auditoria seu oratoria ad hoc comparata secessione, exclusissimos fecerunt; nihil sibi commune cum illis esse volentes, quamdiu à dictis hæresibus se non purgaverint, & ad receptas doctrinæ ac unitatis formulas supra nominatas, non redierint.

Sed rei aut suspecti nostrates Anabaptistæ eorumque patroni, quamvis alterius professionis Remonstranticæ scil. aut reformatæ, contra omnia hæc à genuinis Anabaptistis Ultrajecti acta, excipiunt.

I. *Except.* Negârunt & etiamnum negant se esse Socinianos. *Resp.* Audiant fautores ac patroni, responsum à Comenio in 3. admonitione pag. 49. datum Zwickero perneganti se esse Socinianum: *Vah*, inquit, *nos simplices, si perpetuum hoc hæreticorum stratagema necdum intelligimus. Legantur quæso ecclesiasticæ historiæ, aut (quod compendii loco esse possit) Vedelii prudentia veterum: patebit nihil frequentiæ esse hominibus fidei corruptelam molientibus, quàm induere vulpinam propositumque dissimulare quamdiu datur.* Antiquorum Arrianorum historia typus est novorum. Sed ne extra Belgium nostrum eamus, *Davidis Georgii*, & *Vorstii* inficiationes, simulationes, satis nos monere poterant. Illum vide depictum in *Basileënsium commentariolo historico*, & in *Epistolâ Acronii* medicinæ & mathematum in Acad. Basileënsi Professoris quę est 67. *centur.* 1. *Epistolarum* illustrium clarorum virorum à *Simone Abbes Gabbema* a. 1663. editarum. Davidis Georgii posteros & sectatores audacter negantes & simulantes *Ubbo Emmius* secundo suo scripto anno 1603. tam luculenter convicit, ut ad cumulum vix aliquid addi posse videatur. Vorstium tergiversantem, implicantem, ajentem, negantem, concedentem, distinguentem, exstinguentem vide graphicè depictum in specimine pastorum Leovardiensium; Anonymi (*Johannis Lætii*) refutatione responsi Vorstiani ad articulos ex Anglia transmissos; Sereniss. & Potentiss. magnę Britanniæ *Regis Jacobi Apologiâ*; *Doctoris Eglisemmii Crisi & Hypocrisi. Resp.* 2. Quidquid pernegent, aut ambiguis & dolosis verbis imponant imperitioribus: reipsa tamen eos σοκινίζειν vel ex sola ipsorum confessione liquet, quam sui purgandi causâ ediderunt. Videat, quem hæc tangunt, & qui Belgica attingit *annotationes rever. collegæ nostri Cornelii Gentman* ad dictam quatuor nostratium Anabaptistarum Socinizantium confessionem, earundemque annotationum contra anonymum Socinianum subsecutam defensionem.

II. *Except.* Quâcunque in re antea defecerint quatuor Anabaptistici concionatores, Socinismi suspecti: tandem tamen anno 1664. plenissimè se purgârunt, quinque sequentibus articulis senatui exhibitis. *Resp.* 1. non purgârunt se apud ecclesiam suam, nec apud sexdecim à vicinis ecclesiis Anabaptisticis anno 1662. huc delegatos. Judicabant illi hos quatuor à communi doctrinâ & confessione Anabaptistarum defecisse. Idem judicat scriptum nuper Amstelodami editum tit. *lapis lydius* ubi in tabellâ exhibentur collata inter se dicta *scripturæ*, *Socinianorum*, *Galenistarum* (sic istic appellantur Socinizantes Anabaptistæ,) & *Mennonitarum.* Tandem *sincerum illud fœdus unionis* nuperrimè à cœtibus Anabaptisticis in Hollandiâ contra Anabaptistas Socinizantes erectum, & publicatum: apud quos etiam purgatio instituenda fuisset, & ab iis judicium purgationis exspectandum. Si enim de

de doctrinâ ecclesiæ judicat ecclesia, & Anabaptisticæ ecclesiæ in politiâ nostrâ sint toleratæ, cum suo ordine regimine, judicio, disciplinâ: pertinet ad libertatem ipsis politicè permissam statuere & judicare, quæ sit aut non sit genuina doctrina communi confessioni congrua, & quinam tanquam genuini filii, fratres, aut tanquam antecessores habendi ac recipiendi sint. Hoc ni fiat, jam abrumpitur libertas, permissio, tolerantia.

Rex & regnum Galliæ libertatem concedit doctrinæ & ecclesiæ reformatæ, cum ordine & regimine suo. Si ergo quis concionator in doctrinâ aut moribus aberasse dicatur, de eo modo & ordine recepto prius ab ecclesiâ cognoscendum & judicandum est. Idem dico de Imperatore Turcarum, qui ecclesiis Græcis, aliisque in imperio suo & nominatim ecclesiis reformatis in partibus Hungariæ ab ipso occupatis, exercitii libertatem concedit, & consequenter disciplinæ & judiciorum ecclesiasticorum de doctrinâ & moribus tum membrorum, tum concionatorum, & in hunc finem ecclesiasticæ correspondentiæ & publicarum ac statarum synodorum, quas una cum ecclesiis in regno Hungarico extra ditionem ejus, & principatus Transsylvanici ditione collectis, celebrant.

Idem de cœtibus reformatorum in imperio Russico, & regno Polonico. Quod si Reges & politiæ istæ à doctrinâ & ecclesiâ reformatâ alieni, immediatum & peremtorium de membris aut concionatoribus judicium sibi sumerent, & aliquos doctrinâ aut moribus inculpatos declararent, eosque ut tales contra ecclesiasticum judicium & censuras minores aut majores, ecclesiis invitis obtruderent recipiendos aut retinendos: jam tantundem facerent, ac si concessam hactenus permissionem, aut tolerantiam abrumperent. Quod si Magistratus aliquis confessionis & communionis reformatæ, & qui ejus approbationem in conscientiâ Dei, ac secundum eam confirmationem, patrocinium, & protectionem suscepisset & hactenus præstitisset ac publicè & constanter professus esset, tale quid ageret; quis non videt, hâc ratione illam approbationem, confirmationem, protectionem, in totum aut in tantum abrumpi. Et hoc si fieret absque ullâ restitutione, aut spe restitutionis, jam ecclesiis cogitandum esset de remedio illo, *quod Synodus Hollandica Harlemensis in Remonstrantiâ* suâ ad Ill. Hollandiæ Ordines anno 1582. indicabat: cujus supra *lib. 1. tract. 2. cap. 3. pag. 159.* meminimus. Et si cœtus segreges privato publici non concederentur, exemplo antiquæ ecclesiæ, & hodiernarum aliquot, clandestina exercitia instituenda essent; & istis validè impeditis, ac dominante persecutione, de fuga & migratione cogitandum. Sponte non cedit ecclesia, coacta non resistit; *arma ejus sunt preces & lachrymæ*: juxta dictum *Ambrosii*, alibi à nobis laudatum.

Instet forte quis *Instantia* I. Utraque pars Anabaptistarum tam Socini-

zantium

zantium aut Arrianizantium quam Anti-Arrianorum est heterodoxa. *Resp.* Posterior in doctrinâ de trinitate, de satisfactione Christi &c. non est. In aliis quibusdam, ut de baptismo, de Magistratu, de juramento &c. heterodoxia eorum, seu potius ipsi cum istâ heterodoxiâ à Magistratibus hic & alibi politicè tolerantur. Sed hæresios Socinianæ aut Arrianæ nulla tolerantia hactenus in Belgio nostro audita: quin contra præscriptionibus & prejudiciis publicis gravata est: uti supra ostendimus.

Instant. II. Non est quæstio, an tales hæreses alicubi in Belgio politicè sint tolerandæ: sed an designati aliquot concionatores Anabaptistici hæresi illi affines sint, aut meritò apud suos, & apud reformatos Doctores de eâ suspecti habeantur. Quæstio est status inficialis: uti *Grotius in Pietate Ordinum Hollandiæ* de *Conradi Vorstii* causâ loquebatur. *Resp.* Sit sane: sed ad hominum istorum audaces inficiationes, & dolosas incrustationes, non tam patienter attendendum esset, ac quidem factum in causâ *Conradi Vorstii*: ubi sex Remonstrantici collocutores in *colloquio Hagiensi* eorumque judicium secuti Remonstrantismo tunc faventes politici negabant se in *Vorstii libro* de *Deo culpanda* illa videre, quæ totus Christianismus professionis reformatæ, Lutheranæ, Pontificiæ se videre clamabat. Ad tales versipelles & crypto-hereticos in lucem protrahendos operâ, indicio, & consilio exercitatorum theologorum opus est; imprimis eorum, qui in libellorum primorum & postremorum lectione versatissimi essent, insuper collatione libellorum cum eorundem suspectorum ante aut post motam litem disputatis, objectis, responsis, sive effutitis sive extortis, occultatum nunc venenum accuratius deprehendere possent. At tales non fuisse Proceres Hollandicos, maximam partem illiteratos, nec Academiȩ curatores, nec advocatum magnum, nec syndicum unum atque alterum, qui in gratiam Remonstrantismi, Vorstii causæ tunc favebant, nemo dubitare poterit; qui modo *scripta Antivorstiana* tunc edita, & secutum a. 1619. *Synodi Nationalis Dordracenæ judicium sess.* 152. absque præjudicio legerit.

Instantia III. Si ab Anabaptistis ejusdem confessionis sociis judicium, & à theologis reformatis indicium ac consilium de Socinismo aut Arrianismo quorundam concionatorum Anabaptisticorum exspectandum esset, viderentur Magistratus cœci judiciorum istorum executores constitui: quod saperet hierarchiam Papisticam. *Resp.* minime. Vide latissimam differentiam inter sententiam Papistarum & reformatorum, supra *lib.* 1. *tract.* 2. Reformati omnibus sive Magistratibus sive subditis insonant illud 1 Cor. 10. v. 15. *Tanquam prudentibus*, &c. *judicate vos quod dico.* 1 Thessal. 5. v. 21. *Omnia probate; quod bonum est tenete.* 1 Cor. 2. v. 15. *spiritualis homo dijudicat omnia*, &c. Sed hȩc non tollunt ordinem & potestatem ante-

antecessorum divinitus constitutum 1 *Theß.* 5. *v.* 12. *Hebr.* 13. *v.* 17. Et si Principes, ac Magistratus in propriis & sæcularibus negotiis absque cœcæ obedientiæ atque executionis calumniâ, absque suę autoritatis prostitutione, consilia consiliariorum (in quorum multitudine salus) & consulta prudentum seu Jureconsultorum petunt atque audiunt: quanto magis illud fieri deberet, in intricatissimis illis hæreticorum nexibus & flexibus.

Hæreticos è latebris suis extrahere, & latentes eorum insidias detegere non est cujusvis quamvis fide & cognitione salutis, juxta promissionem *Actor.*2.*v.*17.18. præditi, docent nos exempla Arrianorum; Davidis Georgii; Neo-Arrianorum & Photinianorum, qui in ecclesias reformatas intrabant tanquam fratres; præterea, Vorstii & Remonstrantium. Videantur *Vedelii arcanorum partes quatuor.*

Ut in nostratibus Anabaptisto-Socinianis hoc ostendamus, quinque ipsorum articulos omnibus cujuscunque professionis theologis Christianis legendos, expendendos exhibebimus; ut judicent an Socinismi antehac, nunc Arrianismi suspecti, satis superque se purgaverint.

„ *Artic.* 1. Est unicus, ęternus, incomprehensibilis Deus, pater, filius „ spiritus s. : ita ut Pater sit Deus, Filius sit Deus, Spiritus S. sit Deus; & „ tamen isti tres tantum sint unus & verus Deus.

„ 2. *Artic.* Filius Dei non est demum factus (seu *non fuit demum*) cum „ ex Mariâ nasceretur, sed ante jacta mundi fundamenta, immo ante „ omnem æternitatem exstitit apud patrem suum: ita ut visibilis mundus „ per ipsum factus sit.

„ 3. *Artic.* Per unum peccatum Adami universum genus humanum in „ mortem & condemnationem incidit, unde nec per seipsos nec per alias „ creaturas inde liberari possint: nisi Deus gratuitum liberationis medium „ per filium suum procurasset.

4. *Artic.* Christus non solum nobis fuit exemplar, & per dignam mor„ tem suam non tantum euangelium & euangelicas promissiones confir„ mavit, sed etiam per easdem & per perfectam obedientiam jus vitæ æter„ næ nobis acquisivit; ita ut nec per opera nostra, nec propter opera nostra „ nec ex operibus nostris tanquam meritoriis, quamvis non sine operibus; „ sed ex solâ gratiâ justificemur: ita ut Christus unica meritoria salutis no„ stræ causa sit.

„ 5. *Artic.* Futura est universalis mortuorum resurrectio, bonorum & „ malorum, piorum & impiorum: & impii subibunt non tantum pœnam „ damni, sed & pœnam sensus: quippe adjudicandi æterno cruciatui, ubi „ vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur.

Circa articulos iſtos,

I. *Primo* obſervandum, dictos Concionatores Anabaptiſtico-Socinianos ſingulari arte à Remonſtrantibus hauſta, plura de Chriſti divinitate nunc dicere, quam antea Socinizantes dixerant ac ſcripſerant: ut ita ictum edicti contra Socinismum in Hollandiâ 1653. & hic Ultrajecti 1655. publicati declinarent, & abſque mendacio quaſi negare poſſent ſe non eſſe Socinianos. Quâ autem fide & conſcientiâ χαλκεία χαλκείων mutaverint, hoc eſt Socinismum cum Arrianiſmo, Deus & dies indicabunt. An autem ſepoſito tantiſper Socinismo, ab Arrianiſmi, non magis quam Socinismi in Belgio noſtro tolerati aut tolerandi, ſuſpicione ſe liberaverint, ex ſolius τῦ ὁμοϋσίϋ aut vocis ſynonymæ omiſſione judicari poteſt. Hanc enim fidiculam latenti Arrianiſmo extorquendo *Concilium Nicenum*, & univerſus orbis Chriſtianus uſque in hunc diem adhibuit. Hanc quam maximè fugiunt, & ſubinde apertè perſtringunt heterodoxi aut ſuſpecti, ut e. *Curcelleus* Remonſtranticæ theologiæ in privato Remonſtrantium gymnaſio Amſtelodamenſi profeſſor. Quicunque ergo tam αὐθάδεις & confidentes ſunt, ut poſthabito totius Chriſtianiſmi exploratorio τῦ ὁμοϋσίϋ technologemate, peremtoriè de Arrianizantium orthodoxiâ ſtatuere auſint, ii ſane qualibuſcunque verborum cothurnis, & fallacibus hæreticorum declarationibus circa fundamentalem articulum de trinitate, volentes aut nolentes ſe decipi patiuntur.

II. *Secundo* notandum, hanc declarationem quinquarticulanam, omnia non dicere, quæ ſcriptura ſacra, univerſus Chriſtianiſmus, Anabaptiſtarum confeſſiones, ſcripta Mennonis, de illis fidei capitibus tradidere. Uti id oſtenſum in conſiſtorii Ultrajectini ad quinque articulos annotatis, inclyto hujus urbis ſenatui exhibitis.

III. *Tertio* notandum, quod in illis quinque articulis, longè aliter loquuntur ac in præcedentibus confeſſionibus & apologiis ſuis: uti ex collatione hoc oſtenſum à conſtorio Ultrajectino, in dictis annotatis. Cum tamen ipſi nec in frontiſpicio articulorum nec in Remonſtrantiâ ſuâ indicent, has eſſe δευτέρας ſuas curas, ideoque σοφωτέρας; aut ſe melius jam edoctos fuiſſe; aut priores ſuas confeſſiones & apologias, ſe hac poſtremâ declaratione, voluiſſe emendare ac ſupplere.

IV. *Quarto* notandum, primum articulum, quamvis ſpecioſè poſitum, non tamen ſufficere ad purgationem & liberationem à juſtâ ſuſpicione Arrianiſmi. Cur cum antiquis Arrianis dicunt, *ante omnem æternitatem?* Dei æternitas non habet ullum *ante*. Si filii æternitas eſt unius veri & ſummi Dei æternitas, nihil ergo eſt ante eam. An forte hâc phraſi indicare volunt, filium ante mundum conditum, ante omnia tempora ſæcularia à patre productum

ductum aut essentiatum esse? Deinde non declarant, quod filius & Spiritus S. sint unus idemque summus & ὁμοούσιος cum patre Deus. Cur cum Arrianismi suspecti sint, à termino abstinent? quem jam inde à *Concilio Niceno* totus Christianismus tanquam tesseram catholicismi contra λοξίας Arrianos usurpavit?

Quęro insuper, cur ab Arrianis asserentibus mundum per filium esse conditum tanquam per instrumentum se non discriminant verbis Anabaptisticæ confessionis, *quod mundus per filium conditus sit, tanquam per ipsum omnium rerum creatorem.*

Cur dicunt *mundum visibilem eße conditum*? An ergo invisibilis æque per ipsum non est conditus? (*Coloss.* 1. v. 16.) angeli scil. & cœlum beatorum, & mundus subterraneus: quandoquidem *omnia per hunc facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum est* Joh. 1. v. 3. Ipsi Arriani invisibilia per Christum creata esse profitebantur. Cur denique amplius & distinctius fidem suam non declarant contra Socinianos unum Deum patrem (apud *Crellium in tract. de uno Deo patre*) & Spiritum S. Dei virtutem aut potentiam, aut potius bonam qualitatem seu motum animi in nobis, *certam scil. spem vitæ æternæ* (apud *Smalcium in tract. de Christi divinitate cap. 8.*) prædicantes; & contra recentiores Arrianizantes, qui Christum Deum essentiatum & Deum subordinatum statuunt. Rationes, inter alias, cur hoc facere debeant, sunt istæ. 1. *Quia* apud suæ professionis consortes, & apud omnes per orbem Christianum theologos, qui hos quinque articulos cum ipsorum ante biennium editâ confessione collaturi sunt, merito suspecti erunt symbolizationis cum hæresi Socinianâ aut Arrianâ. Priori edita anno 1661. peculiari fidei & doctrinæ suę confessione se minimè purgârunt; sed potius se magis suspectos reddiderunt mutatis præsumtionibus, in probationes: uti à Rever. collegâ nostro *Corn. Gentman tum notis ad dictam confessionem*, tum earundem notarum contra anonymum Socinianum defensione luculenter ostensum est. 2. *Quia* postmodum, ob instantem necessitatem, & ob publici contra Socinismum edicti metuendum fulmen, versâ velificatione suâ, si non prolapsus à Socinismo ad Arrianismum, saltem simulatione Arrianismi, se ejusdem suspectissimos reddiderunt. Quasi scil. lupo in leonem transformato, oves in posterum indemnes fore, spondere quis possit. 3. *Quia* aliter & uberius ac distinctius loquuntur Anabaptistarum editæ confessiones, & sexdecim Anabaptistici concionatores ex vicinis eorum cœtibus huc missi ad controversiam à quatuor Socinizantibus Ultrajecti motam cognoscendam: quippe qui filii, ac spiritus sancti à patre & inter se distinctorum (Belg. **Onderscheyden**) *unicam deitatem* cum patre, & unicæ deitatis *summitatem* ac *perfectionem*, & *unitatem in attributis divinis*, & *cultu ac honore*

divini confitentur. 4. *Quia* Anabaptistæ Anti-Sociniani quatuor hos devios, quos hactenus ad meliorem mentem adducere requiverunt, quique se legitimè non purgârunt, nihilominus ministerium prædicationis ausi fuerunt resumere, & ejusdem usurpationem continuare: jam res suas habere jusserunt, nec conciones ipsorum frequentando, nec ad conciones in cœtibus suis habendas admittendo.

V. *Notandum*, in tertio articulo, quod se non satis purgent ab antiquo Pelagianismo & hodierno Socinismo; qui statuunt Adæ peccatum fuisse primum, & posteris dedisse imitationis exemplum: cum confessio Anabaptistica veteri ipsorum *Martyrologio* præmissa artic. 7. dicat: *Adamum & Evam per peccatum suum morti temporali & æternæ, cum omni posteritate in ipsis, factos esse obnoxios.* Et Menno Simonis in summar. part. 2. fol. 79. Nos *plane peccaminosos, immundos, infectos, impotentes in Adamo factos esse.*

VI. *Notandum* ad 4. artic. quod non declarant contra Socinismum, cujus suspecti erant, Christum tanquam sponsorem passione & obedientiâ sua pro debito peccatorum nostrorum, loco nostro, seu vice nostrâ, satisfecisse.

VII. *Notandum* ad 5. artic. Quod contra Socinianos non declarant, eadem corpora piorum & impiorum suscitanda; & pœnas infernales impiorum fore æternas.

VIII. *Notandum* dictos quatuor Socinizantes, seu mavis per subdolam schematis mutationem & καιροδουλείαν, nunc Arrianizantes (saltem in artic. de Trinitate), promittere quidem se confessionem Anabaptisticam docere & promovere velle, hâc tamen sub conditione, ut confessio verbo Dei subjecta sit, & probæ ejusdem subordinata. Atqui ut vera pax ecclesiastica sincerè ineatur & servetur, oportuisset eos declarasse, quod in conscientiâ sentiant & convicti sint, confessionem Anabaptisticam in fundamentalibus illis dogmatibus Anti Socinianis, & Anti-Arrianis cum verbo Dei per omnia convenire. Hoc ni fecerint non magis tali suâ promissione se liberant à Socinismi aut Arrianismi suspicione, quam Neo-Arriani, *Socinus* uterque, *Alciatus*, *Gribaldus*, *Valentinus Gentilis* aliique Itali; qui primum unionem & communionem cum ecclesiis reformatis colebant, earumque confessionem & communem doctrinam profiteri ac promovere velle videbantur (aliter enim non fuissent in ecclesias recepti & in album fidelium seu membrorum relati): sed hâc similive mentali reservatione aut expressâ conditione, uti exitus docuit. Ita proclive ipsis erit, prima quacunque opportunitate vulpinam pellem deponendi, &c., & cum Arrianâ aut Photinianâ in lucem prodeundi affulgente, prætexere τὸ *dies diem docet*; & promissam professionem & promotionem doctrinæ Anabaptisticæ, quę hâc in

in parte eadem cum reformatâ & totius Christianismi, sed cum subjectione ad verbum Dei, prꝫstandi: dicendo, nunc cum videam verbo illo Arii aut Photini doctrinam tradi, eam docere & promovere teneor, & silentium omne, si cui per dissimulationem antehac prudenter studuissem, abrumpere. An ecclesiæ nostræ reformatæ, & Belgicæ, ministros & candidatos ministerii Socinismi suspectos tali cum promissione reciperent & à lepra Socinismi satis mundatos declararent? Non arbitror. Longè aliter sonat *formula* consensus in doctrinâ, cui omnes ministerii candidati, ministri, seniores, Diaconi, scholarum rectores, & ludimagistri tenentur subscribere. Vide eas formulas in *Post actis Synodi Dordracenæ anno* 1619. vernaculâ linguâ conscriptis & anno 1663. primum excusis.

III. *Except.* Tolerare quatuor illos, non vero ab iisdem se separare debuissent dicti Anti-Socinizantes Anabaptistæ Ultrajectini. *Resp.* Idem in ecclesiis Belgicis prætendebant Remonstrantes. Sed distinguenda & explicanda est tolerantia, nec in genere terminis illis, verè occultis dedecoris, illudendum. Dolosus versatur in generalibus. Professi Sociniani aliique omnes hęretici, Libertini, Enthusiastæ, fanatici idem prætendere possent. Scriptura commendat quidem tolerantiam ignorantium, atque infirmorum; *Hebr.* 5. *v.* 2. *Philipp.* 3. *v.* 15. 16. sed non absolutam atque indefinitam quorumvis. Eadem enim laudat angelum ecclesiæ Ephesinæ, quod non toleraret malos *Apoc.* 2. *v.* 2. & reprehendit angelum ecclesiæ Pargamensis, quod toleraret Nicolaitas *Ibid. v.* 14. 15.

Et Apostolus 1 *Cor.* 5. *v.* 2. graviter incessit Corinthios quod tolerarent incestuosum. Dehortatur jugi tractionem cum infidelibus 2 *Cor.* 6. *v.* 14-18. Hortatur ut declinarent à *dissidiorum & offendiculorum autoribus*, contra doctrinam, quam dedicerant *Rom.* 16. *v.* 17. idque Apostolus proprio exemplo comprobavit *Actor.* 19. *v.* 9. Vide quæ infra *part.* 3. *titulis de libertate prophetandi, de tolerantiâ, de moderatione, & lib.* 3. *Desperatæ causæ Papatus sect.* 2. *de secessione & separatione ecclesiasticâ*, docemus. Remonstrantes factionem suam in ecclesiis Belgicis, objectâ separatione alicubi ab orthodoxis factâ, pariter tegere studebant. Sed illis responsum fuit à Theologis exteris in *Synodo Dordracenâ sess.* 26. Ubi vide. Judicium vero de necessariâ hâc non tolerantia & separatione, non penes quatuor hos Socinizantes; sed penes ejusdem politicè toleratæ professionis socios, hoc est; penes Anabaptistarum cœtus eorumque Antecessores in Belgio esse debebat.

IV. *Except.* Siquidem ita ageretur, cum quatuor illis Socinizantibus, uti anno 1661. agi cœptum erat: videretur libertas conscientię in Belgio concessa violari & tantopere exosa apud Belgas *Inquisitio* revocari. *Resp.* Minimè. Causæ ecclesiasticæ cognitio, & examen sive à Politicis sive ab

ecclesiasticis instituatur, nec inquisitio est, nec conscientiarum coactio: uti supra pluribus explicatum est; nec hic repetimus.

Quid si in toleratos cœtûs Anabaptisticos successive irreperent furiosi Thomæ Munteri & Johannis Leidensis Regis Monasteriensis sectatores, aut tremuli seu *Quakeri* Anglicani, & tandem potioribus suffragiis in τόπον sui fanatismi in Belgio minime tolerati & tolerandi, traducerent; an sine tyrannide in conscientias, Hispano-Romanâ inquisitione aut ejus prole, Magistratibus adhæc attendere non liceret?

Sed nesciunt, qui sic loquuntur, quid sit Hispanica inquisitio, quid sit hierarchia Romana. Faxit Deus ne aliquando ob fastidium ac contemtum veræ religionis, & ordinis ecclesiastici à Christo instituti, dictæ inquisitionis & hierarchiæ tyrannidem experiantur! Conferatur ad solutionem hujus exceptionis *in* 3. *parte select. dispp. tit. Notitia latentis & serpentis hæresios antitrinitrariæ.*

V. *Except.* Atqui sufficit quod coram delegatis Magistratus, qui Socinismum minimè cogitat tolerare, satis superque se purgaverint per quinque propositos articulos. *Resp.* Pariter *Vorstius* cum suis pyraustæ gaudium gaudebat, postquam quibusdam politicis Remonstrantismi fautoribus, & quæstionum ac technarum Socinianarum minimè peritis, morbidis & stupidè consutis apologiis gnaviter illusisse se putabat. Bene monuerat *Sibrandus in præfat. commentarii ad* 99. *errores*: „Quanto autem satius fecissent „Ordines Hollandiæ, si cum illum perorantem audirent, adhibuissent viros „harum controversiarum peritos, qui de hujusmodi hæresibus, tergiver„sationibus, contradictionibus, & æquivocationibus rectè judicare po„tuissent. Si non voluerunt Doctoribus & pastoribus indigenis hoc judi„cium permittere, potuissent viros orthodoxę & de hæresi minime suspe„ctos ex Germaniâ, Britanniâ &c. Hic posset quis dicere, Ordines esse „custodes utriusque tabulæ. Rectè. &c. *Ibid. fol. sequ.* Huc accedit illos, „qui Reipublicæ præsunt, sæpe aberraturos esse, si de prophetiis, jure, „vestibus, calceis, metallis, morbis, monetis, rebus nauticis &c. per se „respondendi morem ac jus sibi sumserint. Omnes enim illi harum rerum „periti non sunt. De re vero incognitâ nemo rectè judicaverit. Ut igitur „ordini congruenter faciunt, cum per Jurisconsultos respondent de jure, „per sutores de calceis, per sartores de Vestibus, per aurifabros de auro, per „medicos de morbis eorumque remediis &c. ita non solum hunc ordinem „observabunt, sed etiam legi Dei obtemperabunt, si de prophetiis judicandi „jus ac morem relinquant prophetis. Equidem Christiani Monarchæ & Re„ges, quamdiu stetit libertas ecclesiæ, ita fecerunt. Quod ibidem multis „exemplis probat. In eâdem *præfat. pag.* 27. refert quomodo *Vorstius* theologos

logos Heidelbergenses *nequiter deceperit.* Non mirum si ajendo, negando, distinguendo, exstinguendo homonymiis ludendo. Ordines Hollandiæ, maximam partem tunc idiotas, minimam literatos; omnes tamen in quęstionibus Vorstianis & Socinianis de Deo, ejusque attributis, de personâ & satisfactione Christi, &c. imprimis in effugiis, tergiversationibus, cothurnis, homonymiis circa statum controversorum inficialem, nec perspicaces, nec exercitatos. Integra concilia, & eruditissimi Pastores ac Doctores ad sudorem & vel usque ad sanguinem laborantes, in λοξίοις & Proteis Arrianis aliisque hæresiarchis in lucem protrahendis, vix tanto negotio sufficere potuerunt. Quo monemur, ne tantum de nobis præsumamus, ut ex tempore aut in jactu oculi, Satanæ profunda penetrari posse putemus. Scientia si neminem inflare debet, multo minus ἀπειρία & ignorantia: Quam symbolo suo in controversis quinquarticulanis, aliisque materiis theologicis, non obscurè profitebatur Joh. Oldenbarneveldius in istâ tragœdiâ choragus & *Roscius*, vir alioquin in sæculari politicâ exercitatissimus & oculatissimus (utinam semper scientiâ illâ & perspicacitate bene usus fuisset!): *Nil scire tutissima fides.* Sic ille in *manifesto* seu *apologia* suâ a. 1617. editâ. Hæc occasione agitatæ hujus causæ Anabaptisto-Socinianæ, ad abundantem cautelam, quę nunquam nocet, hic monenda duxi.

CAP. X.

De Remonstrantium Belgicorum libertate, & tolerantiâ tum politicâ tum ecclesiasticâ.

HActenus de libertate exercitii Anabaptisto-Socinianis non concedendâ: restat aliquid addamus de Socinizantibus aut nunc per sæcularem seu πρόσκαιρον ἐπανόρθωσιν Arrianizantibus in Belgio Remonstrantibus. Qui quales sint, quis ortus, quis progressus, quis occasus, quæ ex ruinis affectata suscitatio, alibi fortè ὡς ἐν τύπῳ exhiberi poterit. §. 1.

In præsenti ista solummodo de illis præcognoscenda & præsupponenda. 1. *præcogn.* Quod ultra quinque articulos in *collatione Hagiensi anno* 1610. explicatos & defensos, plures heterodoxias à formula doctrinę reformatæ recedentes primum tectè foverint, sparserint, postea palam professi sint. Quarum periodus erat ab anno 1610. usque ad 1618. inclusè: quarumque indicium factum fuit in Orthodoxorum *secundâ contra-remonstrantiâ* Ordinibus Hollandiæ exhibitâ, secundę Remonstrantium remonstrantię oppositâ, & anno 1617. latinè editâ. Sed crescentibus eorum libellis & ex-

pecto-

pectorationibus, haut paulo excrevit errorum & paradoxorum catalogus quem sub finem anni 1618. in gratiam poriſſimum exterorum latinè confectum edebat *Feſtus Hommius* tit. *Specimen*, &c. Poſt habitam Synodum Dordracenam & omni ſpe victoriæ decollante, magis ſe prodiderunt in variis ſcriptis vernaculis imprimis in ſuâ *Apologia*: ubi heterodoxias ſuas liberius aperiendo, eique tanquam appendices & gloſſas ad textum ſubmittendo *Reſponſum ad excerpta Profeſſor. Leidenſium*, & *Vindicias* ſeu *Vedelium Rhapſodum*, videntur ſciographiam theologiæ ſuæ crypto-Socinianæ & Libertinicæ delineaſſe.

Quod oſtendere cœperant theologi Leidenſes in *cenſurâ confeſſionis Remonſtranticæ a.* 1626. & in *præfat. Walæi ad cenſuram* ex latino in noſtrum idioma à ſe converſam, anno 1627. in *Excerptis eorundem profeſſorum ex apologeâ Remonſtrantium* & *præfatione iiſdem præmiſſâ.* Hos ſecutus *Vedelius*, qui ex profeſſo Socinizantem & Libertinizantem ipſorum theologiam in lucem protrahebat editâ anno 1631. *primâ parte Arcanorum Arminianiſmi: cum publicâ theologorum Leidenſium Polyandri, Riveti, Walei, Thyſii approbatione.* Huic primæ parti poſt editum à Remonſtrantibus *Vedelium Rhapſodum a.* 1633. adjunxit *partem 2. anno* 1633. *& partem* 3. *anno* 1634. denique *partem* 4. *anno eodem.* Ex his quatuor partibus idem *Vedelius* anno 1636. principales aſſertiones extractas libello gallico (ſed nomine ſuppreſſo) quaſi in tabellâ exhibebat; hunc libellum in noſtrum idioma traductum, & facultatis theologicæ Ultrajectinæ (quam *D. Meinardus Schotanus* ὁ μακαρίτης, mecum tunc conſtituebat) teſtimonio atque approbatione munitum, hic excudi curabam anno 1637. Cui libello Remonſtrantes per *Simonem Epiſcopium* ſocietatis Remonſtranticæ Amſtelodami tunc communem Doctorem ac theologiæ profeſſorem, anno 1638. opponebant *Genuinum Remonſtranticum theologum* belgicè, & intortam in ipſos haſtam Vedelianam profundius adigebant. Hic terminus eſto: nihil enim aliud, quod ſciam, contra arcanorum detectorem moliti ſunt. Quo enim plura pro *Apologia* ſcribebant, eo pluribus arcana ſua prodebant: uti ego in doctrinâ de trinitate & perſonâ Chriſti, indicatis locis *Genuini Theologi Remonſtrantici præſertim pag.* 86. 87. ad oculum hoc demonſtravi in *diſp. de Neceſſitate & utilitate doctrinæ de Trinitate anno* 1639. quę poſtea inſertâ fuit 1. *part. ſelectar. diſpp.*) Et *in præfat. ad Catechizationem Catechiſmi Remonſtrantici*, & in ipsâ catechizatione ad quæſt. 11. & 12. Poſtquam Remonſtrantes editâ catecheſi ſuâ anno 1639. de novo arcana ſua, quomodocunque velata, prodidiſſent, data fuit orthodoxis occaſio, de novo dogmata eorum examinandi & detegendi. Veneranda *Provinciæ Ultrajectinæ Synodus* cum intellexiſſet me privatim diſcipulis meis examinis alicujus ſceleton dictaſſe,

dictasse, *anno* 1640. *mense Septembr. sess.* 8. *artic.* 4. decernebat per quosdam suos deputatos à me petendum esse, ut catechesios Remonstranticæ *& similium scriptorum, quæ magis magisque ostendunt, quomodo ad Socinismum prolabantur*, aliquod examen instituerem. Huic postulato morem gerens, catechizationem anno 1641. edidi, eâ methodo, quam putabam heterodoxiis eorum detegendis apud nostrates, rerum hactenus gestarum non ignaros, sufficere: ubi una tum idiotis tum literatis antidota errorum in reformatis aliisque præstantibus scriptoribus partim belgicè partim latinè editis, indicavi.

Eodem anno ejusdem catechesios examen & refutationem dedit *Abrah. Heidanus* theologus Leidensis. Cui cum defensionem, sed satis virulentam ac petulantem pro more gentis, opposuissent Remonstrantes, peremtoriè ipsis ab *Heidano* responsum fuit justo tractatu tit. *Causa Dei*, &c. Et hic itidem terminus fuit. Postremo editis jam scriptis *Episcopii* & successoris in eâdem cathedrâ theologicâ *Curcellei*, nec non volumine *selectarum epistolarum*, *impuram*, & die diem docente impuriorem theologiam Remonstrantium nobis anno 1661. libello quodam delineavit *Leonardus Ryssen* Theologiæ Doctor, locis in Scriptis eorum diligenter annotatis: contra quem nondum ab illis exceptum video. Tali ergo in statu theologia ac societas Remonstrantica considerari debet, ac de eâ quæri, *an ecclesiasticè aut politicè libertas prophetandi ipsis magis, quam Socinianis aut Arrianis concedenda sit.* De libertate & tolerantiâ ecclesiasticâ satis superque determinatum fuit in *Synodo Dordracenâ* anno 1619. & *Synodis Zuytbollandicis anno* 1623. 1627. 1628. Quibus insistens synedrium Ultrajectinum anno 1656. declaravit modum tolerantiæ, moderationis, & oblatæ receptionis tum privatorum cœtus Remonstrantici membrorum ad nostram communionem; tum ministrorum ad publicum ministerium. Acta hæc cum typis edita prostent, omnium ecclesiarum Belgicarum & extranearum examini & judicio libenter subjicimus: non dubitantes, quin veritati ecclesiæ nostræ & aliarum in eâdem unione, nec non Christianæ paci, moderationi, tolerantiæ, pro viribus σὺν θεῷ consuluerimus. De tolerantiâ politicâ in Belgio nostro, quę hic propriè spectatur, haut necesse est, denuò mulis disceptari: cum contra Socinismi & Arrianismi libertatem supra conclusum sit. Atqui ipsorum societatem & cœtus esse hęresiων & hæreticorum istorum receptacula ac latibula, res ipsa clamat, & Ill. Hollandiæ Ordinibus anno 1653. hoc significatum à theologis Leidensibus his verbis: *Constat eos* (Socinianos) *semper quæsivisse recipi apud reformatos; & apud Mennonitas & Remonstrantes eis janua patet.* Hæc vide apud *Cl. D. Cocceium in apologiâ Equitis Poloni examinatâ.* Post illud tempus, usque in hunc diem (hæc

 scribo

scribo 21. Januarii 1665.) strenuè laborârunt Anabaptistæ ut cœtus suos à Socinizantibus expurgârent, aut si per temporum injuriam alicubi hoc asseQui nequirent, ab illis se separarent. Sed Remonstrantes hactenus nihil tale tentârunt, ne quidem hoc agendi desiderium publico societatis aut alicujus particularis cœtus nomine declarârunt: cum tamen sciant se suspicionibus per tot annos gravari non tantum, sed etiam publicè ac privatim ejus culpę accusari. Tandem liberent ecclesias nostras ab hoc metu, Rempublicam nostram ab hâc molestiâ & infamiâ apud exteros; ne unquam quarumvis, pręsertim damnatarum ejusmodi, hęresion sentina & novorum monstrorum Africa audiat. Ipsi audiant *Parei* verba quibus *Conr. Vorstium in epistolâ* 7. Novembr. 1612. compellabat: „ Quid ni igitur hoc tandem „ agis ne tot *exegesibus*, *apologiis*, *defensionibus* tibi sit opus, ut vel candi„ dè & palam in castra illa, unde armaturam tuam habes, transeas: vel can„ didè & palam illis renunties. Vide brevem quidem sed nervosam hanc epistolam subjunctam *part.* 1. *scholasticæ disceptationis Math. Sladi cum Vorstio* a. 1612. Audiant prophetam 1. Reg. 18. v. 21. *Usquequo claudicatis in duas cogitationes. Si Dominus est Deus; ite post illum: & si Baal, ite post eum.*

Probationes cur talibus, quamvis sub alieno schemate & titulo indulgenter Socinizantibus aut Arrianizantibus, libertas in Belgio nostro concedenda non sit, ex superioribus, & ex 1. *part. dispp. tit. de necessitate*, &c. *dogmatis de Trinitate.* & ex 3. *part. dispp. tit. Notitia latentis & serpentis hæres. antitrinit.* hic repetendæ sunt. In disp. posteriori suggero methodum, Socinismum è latebris protrahendi. Annis his postremis cœperant aliqui Remonstrantes in publica templa restitutionem sperare, per moderationem & syncretismum ecclesiis nostris à brachio sæculari obtrudendum. Vir eruditus ex cœtu Remonstrantico Ultrajectino, quem tamen ab hæresi antrinitariâ alienum esse confido, Ill. hujus Provinciæ Ordines *in præfat. dedicatoriâ ad historiam ecclesiasticam* anno 1659. hortabatur ut pacem ecclesiæ restituerent (hoc est ut præsentes hujus Provinciæ ecclesias & ministros cum societate & cœtibus Remonstrantium, & vice versa unirent), exemplo prædecessorum suorum anno 1612. qui in ἀκμῃ dominantis tunc Remonstrantismi sub nomine suo edebant constitutiones ecclesiasticas, & ad subscriptionem earundem ministros volentes nolentes compellebant; uti anno 1618., affulgente libertate, aliqui ex ministris apertè profitebantur, se illa moderatione & cum Remonstrantibus communione, diutius nolle teneri.

Idem a. 1614. Ill. Ordd. Hollandiæ (potioribus scil. suffragiis) intendebant, edito decreto pro pace ecclesiarum. Decretum hoc ab eodem autore *part. 2. historiæ eccles. pag.* 560.- 597. cum aliis quibusdam excerptis, potestatem &

& usum regiminis ecclesiastici tangentibus, exhibentur. Sed quidquid excerpta illa dicant aut dicere videantur, nulla tamen istic aut alibi comparet ex patrum & conciliorum consensu (cui historiæ *autor in præf. pag.* *** tantum tribuit) demonstratio, pacem & unionem ecclesiasticam catholicorum cum Arrianis, Photinianis, Samosatenianis, Monochelitis, Nestorianis, Eutychianis, Pelagianis, eorumque similibus, solorum Principum aut Magistratuum οἰκείῳ, ἡγεμονικῷ, peremtorio judicio definiendam & ecclesiis, ministris, conciliis volentibus nolentibus, præscribendam atque imponendam. Hoc ni fiat, multa dicendo nihil dicitur, præsertim communia illa, *quæ dici ex utrâque parte possunt; quamvis veraciter dici ex utraque parte non possint*: ut loquitur *Augustinus lib.* I. *c. Julian. cap.* I. De hodiernis Remonstrantium cœtibus & pastoribus cum ecclesiis reformatis Belgii in unum corpus compingendis, & quidem ad majorem veritatis, pacis, pietatis, εὐταξίας in dictis ecclesiis promotionem, non magis consuli potest; quam de Socini, Arii, Pelagii placitis eodem fine in ecclesias nostrates hactenus unius fidei professionem, & pacem Christi, per Dei gratiam, tum inter se tum cum omnibus ecclesiis reformatis, servantes, introducendis. Excipi non potest, Remonstrantium cœtus & ministros ab hæresibus illis immunes esse: ipsi enim hactenus, quamvis & hic & in universo orbe Christiano ac reformato suspecti, & publicis multorum scriptis accusati, minimè se purgârunt, & ipse eruditus hujus historiæ scriptor nobis hoc spondere nollet; quem tamen ab hæresibus antitrinitariis, alienum credimus, & experti novimus. Meræ confusionis esset de talium unione ecclesiasticâ deliberare, de quorum theologiâ aut hæreticâ, aut dubiâ, an quod ad fundamentalia, sit Christiana, nobis in antecessum non constaret. Aliqui inter ipsos, quorum conscientia forte melioribus imbuta ab hæresibus Antitrinitariis & Pelagianis abhorret, non magis cum societate & cœtibus Remonstrantium unionem nobis suadere possent; quam *Erasmi*, *Cassandri*, *Modrevii*, *Contareni*, *Pauli Scharpi* aliorumque sub Papatu & in communione ejusdem viventium orthodoxia in multis, unionem cum Papatu aut ecclesiâ Romanâ. Sequestra Procerum nostrorum autoritas, ad quam *Grotius supra cit.* & eruditus hujus historiæ scriptor confugit, frustra & minus decorè huc advocatur. Ipsi enim meminerunt se reformatam religionem in communione ecclesiæ nostræ constanter profiteri; insuper amplissimi consules, Senatores, Scabini hujus urbis, se in susceptione muneris sui, ad religionis reformatæ, prout in *Synodo Dordrac.* a. 1619. cum heterodoxiarum Remonstranticarum rejectione, de novo explicata ac stabilita fuit, defensionem juramenti religione obstrictos esse; præterea renovata Hagæ-comitis a. 1651. solenni omnium fœderatarum Provinciarum unione, religionis reformatæ in *Synodo Dordracenâ* 1619. explicatæ

ac

ac stabilitæ defensionem fuisse promissam ac decretam: Denique ab Ill. Hollandiæ Ordinibus a. 1663. conservationem & defensionem veræ religionis reformatæ (prout ea a. 1619. in *Synodo Dordrac.* explicata, stabilita, recepta & hactenus in ecclesiis Belgicis communiter tradita fuit) cum protestatione contra quorundam susurros, decretam ac promissam fuisse. Qui contra tales protestationes, confœderationes, promissiones, ab Illustr. ipsorum dominationibus exspectare & publicè iisdem consulere auderet, *Synodi Nationalis Dordracenæ* abrogationem, omniumque decretorum, promissionum, protestationum revocationem, & propriæ fidei ac professionis suæ, cum quâ ad communionem ecclesię nostræ recepti sunt, insuper juramenti sui rescissionem: næ is parum honorificè de iis sentire videretur.

Ut revertamur ad exemplum Ill. hujus Provincię Ordinibus ab erudito scriptore commendatum, hypothesios explicandæ gratiâ, his sequentibus historiam factorum illustramus; atque una *Synodi Nationalis* salutarem medicationem, ejusdemque per summas Belgii, & hujus Provinciæ potestates, confirmationem ac defensionem hactenus vi pacti & fœderationis a. 1651. continuatam, defendimus.

Erant anno 1612. Ill. hujus Provinciæ Ordines, & Senatus urbis, quorum exemplum instar cynosuræ proponitur, profundę rerum istarum, ut & artium hęreticarum ignorantiæ immersi; & subdoli factionis Remonstranticę ædificatoris, promotoris, directoris *Joh. Wtenbogardi* olim Ultrajectini tunc concionatoris Hagæ-comitani constitutionum istarum ecclesiasticarum fabri, & in *Synodo Ultrajectinâ* constitutiones illas per compulsoriam Ill. Ordd. autoritatem recipiente (quamvis non deessent à Remonstranticâ theologiâ alieni uti a. 1618. patebat) præsidis χειροτονίᾳ, partim immediatè, partim mediatè per unum atque alterum ipsorum ministrum seu munerarium (e. gr. advocatum & secretarium Ordinum) Remonstrantismo addictos, miserè seducti. Erant glaucomata præjudiciorum & calumniarum contra reformatam doctrinam, & simulacra seu spectra politica de publicâ potestate atque autoritate sartâ tectâ conservandâ oculis eorum ab eorum *Wtenbogardo*, & ministris Remonstranticis, tunc rerum in ecclesiâ potientibus, objecta: uti ego ex nobilissimo & insigni politico maximæ tunc in Illustri Ordinum panegyri autoritatis, & in infelicis illius temporis gestis primipilo, *Adolpho van Wael* toparchâ Moersbergensi, satis percipere potui: cum anno 1636 & seqq. partem ædium, quas à fratre ipsius conduxeram, quoties ex agro huc diverteret, inhabitaret, quotidianis non raro ad horas aliquot protractis colloquiis me dignaretur, & ut plurimum ad ea & ad familiaritatem suam me invitaret. Ubi cum frequenter de status sui præsentis & præteriti per rerum in hâc Provinciâ anno 1618. mutationem, ini-

qui-

quitate; deque molestiis & periculis quæ sibi hac occasione obtigerant, dissereret, inter alia referebat: *Joh. Witenbogardum à se aliquando post convivium aliquod reprehensum, quod novâ suâ doctrinâ Arminianâ tantas concitaret turbas:* tribuebat autem Arminianis sententiam illam, quam illi reformatis per calumniam affingebant, de prædestinatione scil. absolutâ & immutabili, quæ Deum faceret autorem peccati, queque homines absolveret à bonis operibus; ita ut sive quid boni sive quid mali facerent aut facturi essent, nihil referret; cum alii ad salutem alii ad damnationem necessario pervenire deberent. Tunc à *Joh. Witenbogardo* hanc sententiam ab Arminianis remotam fuisse, & ostensum, nostram sententiam esse eam, quæ tam enormia & absurda assereret, aut ex quâ illa necessario sequerentur. *Ita ego*, ajebat, *uno illo pomeridiano colloquio, primum factus sum Arminianus; & exinde pro causâ illâ steti & egi quæ hic acta sunt; atque ita tandem, mutato hic anno 1618. rerum statu, omnibus illis molestiis & miseriis* (quas mihi sæpe narraverat) *implicatus fui.* Hęc, Deo teste, ita gesta esse affirmo. Hinc colligere licet, si nobiliss. hic vir literatus, & in juris scientiâ haut vulgariter versatus, prudentiâ insuper, fortitudine, dexteritate, constantiâ in agendis politicis excellens; & inde inter alios sui ordinis Proceres maximâ pollens autoritate; præterea religionis reformatæ à puero consecraneus: si, inquam, in cognitione reformatæ religionis, ille tam puer fuerit, (quod etiam coram in ipso sępe expertus sum) & tam cereus in aliam religionem flecti, ut uno illo post convivali colloquio, absque ulteriori deliberatione aut veritatis ex scripturis inquisitione, aut cum aliis quibus hæc sententia imputabatur, collatione, aut utriusque partis auditione, ex tempore ad cantum dulcis fistulæ Wttenbogardicæ, Arminianismum amplexus sit, & contra reformatos pro Arminianis omnium malè hic actorum quasi architectum & ducem se præbuerit: quid de reliquis cogitandum erit? Accedebat, quod ab anno 1588. usque ad annum 1608. ecclesia reformata à Jacobeis neutralibus hic dissipatâ & pressâ, plerique Proceres in dubio illo & vacillante religionis statu educati aut adulti erant, aut eidem longo usu assueverant; & quod hujus urbis ac Provinciæ ecclesiæ ab aliis fœderati Belgii ecclesiis separatæ absque omni mutuâ per jus adæquationis dependentiâ & correspondentiâ perpetuò manerent: ut jam non dicam de ministris quibusdam heterodoxis quales, *Blockhoven*, & *Bergerius*. Ita ut vix solidâ aliquâ religionis reformatæ cognitione imbui potuerint: & multo minus id fieri potuerit, postquam ab a. 1608. deformatio Remonstrantismi priori superaddi aut eidem substitui cœpisset, uti olim vitulinę Jeroboami, Baalitica Achabi. Quid ergo boni ab ejusmodi mixturâ, an neutralitate, verè reformatę religioni atque ecclesiæ exspectandum

dum erat? Et quâ prudentiâ præsentes Proceres ab exoptatissimâ à anno 1619. harum ecclesiarum & religionis in iis reformatione, & ordinatione politicè & hic & in universo Belgio comprobatâ atque hactenus defensâ, pacificè possessâ, apud Principes & populos fœderatos ostentatâ, & in præliminaribus ad Monasteriensem pacis tractatum presuppositâ, denique per solennem unionis & confœderationis Belgicæ renovationem anno 1651. ad abundantem cautelam, denuo stabilitâ; ad miseras illas in hâc & Hollandiâ anno 1612. & 1614. quassationes revocarentur? quasi quis à certâ pace ad civile bellum aut ad dubiam & insidiosam pacem, à sanitate ad morbum, à tutissimâ statione ad capharea saxa, revocaretur. *O navis referent in mare te novi fluctus, ô quid agis*, &c. Connexa & admixta erant tunc temporis controversiis religioni reformatæ per Remonstrantes motis, considerationes & agitationes politicæ; quibus Proceres quippe ad forum suum pertinentibus, in hâc & viciniâ Provinciâ tunc potissimum impellebantur ad Remonstrantismi patrocinium, & orthodoxæ doctrinæ atque ecclesiæ & ordinis ecclesiastici depressionem; & quidem specioso moderationis, mutuæ tolerantiæ, & pacis ecclesiasticæ (de quâ alibi nobis agendum) pretextu. Nos politica illa controversa, à causâ veritatis, pietatis, reformationis, & εὐταξίας ecclesiasticæ semper distinguenda dicimus: & hoc nobilissimo ac & modo laudato illi Toparchæ, aliisque pro virili inculcare studebamus, ac etiamnum studemus. Dicant, agant, consulant de illis, ad quos hoc spectat: modo per turpissimam μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, terram cœlo, placita jura & gesta politica simplicitati fidei, regnum Christi regno hujus mundi, εὐταξίᾳ ecclesiasticæ dignitates & catalogos gloriæ mundi, ministeriali & spirituali clavium potestati jurisdictionem cum imperio & jus gladii non substituant, aut heterogenea illa misceant. Ut regnum Christi non est de hoc mundo *Joh.* 18. sic regnum mundi non est de regno Christi mediatoris unici regis spiritualis: quamvis Christi sit in hoc mundo tanquam continente, & ecclesia in Republicâ: ut rectè *Optatus Milevitanus.* Quod cum eruditus historię ecclesiasticæ scriptor *part.* 2. *in appendice* non satis observaverit & à nonnullis aliis hodie minus observetur, fieri non potest quin, instar frigoris in his sublunaribus, congregent heterogenea, & ex admissâ hâc confusione magni fiant errores in fine. Nos supra *lib.* 1. *tract.* 2. errorem hunc deteximus. Hæc hactenus à nobis dicta & testata de gestis nostri temporis, nemo ægrè feret, nisi manifestus aut clancularius religionis reformatæ & *Synodi Nationalis* 1619. (ubi orthodoxia contra Remonstrantium heterodoxias de novo stabilita est,) adversarius. Ex dictis collige, quo judicio factum prædecessorum, a. 1612. 1614. posterioribus curis a. 1619. hic & in Hollandiâ emendatum

datum aut potius annullatum (ita loquar) nunc scriptoris hujus præconio imitandum commendetur: quod sine magnis in hac ecclesiâ & politiâ & in communi provinciarum unione ac confœderatione anno 1651. renovatâ, mutationibus fieri non posset.

Fateor equidem fieri posse, ut quis animo & intentione non malâ ex mero pacis Christianæ studio, & profundo super religionem contentionum tædio ad vota & consilia pacis se converteret. Sed animo in solius finis obtutu defixo absque mediis, hoc agitari, suaderi, tentari non debet. Nemo turrim ædificare, nemo prœlium capessere debet, ut prius non computet, &c. aut consultet, &c. uti monet servator *Luc.* 14. *v.* 28. 31.

Soli Remonstrantes imminutionem errorum & sectarum sive extra sive intra Christianismum, & consequenter quorumvis salutem non desiderant. Idem desiderarunt Apostoli, & Patres; primi reformationis Doctores, martyres, confessores; idem perpetuo desiderat ecclesia Christiana, cum publicè orat pro *conversione infidelium, & confirmatione fidelium* (uti *Augustinus in argumento pro causâ gratiæ contra Pelagianos*, loquitur): idem desiderant omnes, quotquot orare didicerunt, *sanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum.* Qui tamen nôrunt hæc ubique & semper & de omnibus facilius optari, quam sperari posse; quod necesse sit sectas & scandala esse 1 *Cor.* 11. *Math.* 18., & quod sacer chorus Apostolorum, & ecclesia Apostolica, & post-apostolica, illud ab omni parte beatum assequi nequiverint, ut omnes Christiano nomine gloriantes unum essent ovile sub uno Principe pastorum Christo. Medium ergo conveniens pacis intentioni ac zelo non est, unio ecclesiastica cum Gentilibus, Judæis, Muhammedistis, infidelitati suæ inhærentibus; ut illud celebris hoc seculo Poëtæ, olim in Acad. Leidensi commilitionis & amici nostri, obtineat?

Et fidei pietas disparis ista placet:

Loquitur de dispari fide, Remonstrantis, & Doctoris Judæi. Quod excussum vide in *Vedelii* Deo synagogæ. Nec medium conveniens est unio & syncretismus cum hodiernis Socinianis, quem Remonstrantes haut obscurè probare clamat *Genuinus Remonstranticus theologus:* aut cum Romanâ ecclesiâ, ut nunc est; quem *Grotius* postremis quibusdam scriptis agitabat, ab *Andreâ Riveto* refutatus: aut cum Francisco Davidicis: aut cum Cornhertistis, aliisque neutralibus & Libertinis, qui quasi solius interni: hominis & pacis studio nulli externæ professioni & ecclesiæ se adjungunt. Si Remonstrantes retineant suum quasi quarto modo proprium, mutuam scil. tolerantiam & moderationem, & si hypothesibus in *Apologiâ, Vedelio Rhapsodo,* &c. dictatis inhæreant; deberent non tantum Socinianos, sed & alias sectas ad communionem suam admittere, & cum novis illis hospitibus

lætum

lætum in publicas ecclesias (quæ nunc sunt reformatæ), procurante & compellente sequestrâ Magistratuum autoritate, aliquando serius aut citius parare. Non posset non esse paradoxus, qui ista vel de solis Socinizantibus, Ill.Ordd. suadere, eos ad opus hoc excitare, sollicitare; eorumque autoritatem implorare satageret: non obstante, quod dominationes eorum ecclesiæ reformatæ membra, nutritii, defensores & sint & audire velint; ac de hoc in domino glorientur: non vero membra & nutritii sint, Papismi aut Socinismi, aut neutralismi, aut Remonstrantismi, aut cujusque alterius sectæ hic stabilitæ, quæ reformationi nostræ adversatur. Grata fuerit Proceribus nostris libri dedicatio ob laudabilem in digerendâ historiâ Ecclesiasticâ collocatam operam: sed consilium de procurandâ hic unione ecclesiasticâ, ad exemplum prædecessorum anno 1612., idque ad majorem veritatis, pacis, & εὐταξίας in ecclesiâ & tranquillitatis in Republicâ promotionem, iisdem Proceribus tot vinculis & præjudiciis modo memoratis pro præsenti religionis & Reipublicæ statu & quidem contra adversantem Remonstrantismum, in conscientiâ obligatis, non magis gratum esse posset; quam si quis consilium iisdem suggereret, de imitandis prædecessoribus suis, qui anno 1576. celsiss. Principem Arausoniensem Wilhelmum I. ad præfecturam hujus Provinciæ non admittebant, nisi cum exclusione reformationis, & omnium concionatorum reformatorum, etiam ab ipsius Principis reformationem jam profitentis, comitatu & familiâ: uti habent *acta publica*, & ex iis refert *Petrus Bor*, laudatus Belgarum historicus, domo Ultrajectinus. Ista de præsumtâ sectarum, etiam Socinizantis, cum reformatis ecclesiis Belgicis unione hoc loco monenda duxi: ne exteri rerum nostrarum ignari ex historiæ hujus *part.2. supra cit.* & epistolæ dedicatoriæ lectione occasionem sumant de Ill. hujus Provinciæ, & Hollandiœ Ordinibus: aut de synedriis, classibus ac synodis Belgicis, sinistrè suspicandi: quasi illi suæ professionis fidei, suæ confœderationis, suorum decretorum, & isti suę subscriptionis, & tot suarum contra Remonstrantismi audaciam, querelarum oblivisci inciperent. Dico, de Illustr. Ordinibus, deque synedriis, classibus, synodis. Nam si forte unus atque alter in tanto Procerum, senatorum, munerariorum, concionatorum, seniorum Belgicorum, aut Hollandicorum numero intercurreret Remonstrantismo, aut Papismo, aut Socinismo, aut Libertinismo, aut neutralismo, sive in totum sive ex parte clam addictus: is numerum non facere censendus, nec hoc tam illustri panegyri aut inclyto senatui, aut venerandæ classi aut synodo imputandum esset. Ne nunc dicam, de occultis non judicare ecclesiam, & tamdiu quem præsumi bonum, donec probetur malus.

Hanc spem admissionis in publica templa, aut in publicas ecclesias à Remon-

monstrantibus nonnullis ob nonnulla, quæ alicubi minus grata acciderunt, nimis facile conceptam, nunc prudentiores inter ipsos ex propiori consideratione eorum, quæ secuta sunt, decollasse vident. Quamvis enim amantes haut raro sibi somnia fingant: quid tamen de Illustribus Hollandiæ, & hujus Provinciæ Ordinibus, deque ampliss. hujus urbis senatu, hâc tempestate, verisimiliter polliceri sibi poterunt? Cum Ill. Hollandiæ Ordines a. 1663. non sine protestatione contra omnes in contrarium suspiciones & susurros, de novo & ex abundanti decisionem *Synodi Dordracenæ* a. 1619. contra Remonstrantismum, & stabilitam ibidem publicæ doctrinæ formulam confirmârint: & omnes ac singuli hujus urbis Consules, Senatores; Scabini, in eandem formulam jurati sint, nullique de novo in senatum adoptentur, nisi ad similis juramenti præstationem parati. Hoc ergo spei ostio apud Ill. Ordines & Magistratus præcluso, nihil ipsis restare videtur, quam cogitationes inanes.

Quod prudentiores inter ipsos jam sibi videntur videre. Et hinc versa a. 1664. velificatione, à primo refugio (quod à primis Remonstrantismi incunabulis fuit brachium sæculare) ad secundum, id est, ad ecclesias & theologos Belgicos se contulerunt: si quo modo ipsis præsumtam pacem & unionem persuadere possent. Ab aliquo eorum concionatore, sed de facie & nomine mihi ignoto, initio anni 1664 privatim super hoc negotio compellatus, inter alia & post alia respondebam, me quæcunque consilia pacis audire & expendere velle, à quocunque mihi proponantur: juxta vulgare nostratium proverbium, *Malum est, non posse aut non velle audire.* Addebam de modo receptionis & unionis Remonstrantium in hâc urbe, synedrii nostri declarationem typis descriptam exstare. De unione aut syncretismo ecclesiarum Belgicarum, cum universâ societate Remonstranticâ, non debere à synedrio nostro, ne quidem à classe aut synodo nostrate quidquam concludi. Reponebat tam salutares deliberationes à nobis pro nostrâ parte inchoari posse, & apud alios idem negotium promoveri. Respondebam, ubi conditiones unionis aut saltem syncretismi, ministris, & theologis Ultrajectinis proponi contingeret, iis lectis & expensis omnia collaturos & acturos & me cum ipsis, quæcunque per conscientiam Dei conferri & agi possent. Ita discessum. Nuper rumore, an certo nescio, ad me delatum, eodem anno 1664. per aliquem aut aliquos alibi quosdam ex nostris tentari atque invitari ad eandem aut similem cum Remonstrantibus unionem ac pacem. Sed quia *fama tam certi pravique tenax, quam nuntia veri*, lubrico isti fundamento vix aliquid inædificari potest. Accedo ergo ad literam scriptam, quæ dicitur manere; ad libelllum scil. anonymi Remonstrantis a. 1664. nostrate „ linguâ editum in 4. hoc titulo: *Judicium multorum præstantium theologo-*

 rum,

" *rum, ecclesiarum, & Academiarum de controversis religionis inter*
" *Remonstrantes & Contra Remonstrantes*
" *Quo declarant,* dicta controversa *non esse fundamentalia, nec lædere salu-*
" *tem, & consequenter non debere scisma excitare*
" *Impressum Ultraiecti*
" *apud* **Liebe de Vrede** *sub intersignio columbæ cum ramo olivæ.*

In ipso libello pag. 12. 13. titulus uberius explicatur, hæc judicia esse *Ecclesiarum & Academiarum immo omnium reformatorum & Protestanticorum regnorum, Principum, Rerumpublicarum.* Non examinabo singula κατὰ πόδας sed solummodo Remonstrantibus, & omnibus piis ac prudentibus lectoribus à studio partium alienis, hæc consideranda suggero:

I. An fraternitatem pacem, unionem, & explicitam ac perfectam cum ecclesiis nostris communionem, aut saltem syncretismum (ad exemplum syncretismi reformatorum cum Lutheranis, in *concordato Sendomirensi* anno 1570.) petant atque offerant, qualitate quâ, hoc est, ut nunc sunt Remonstrantes, eorumque societas; & quales à Belgicis, aliisque omnibus ecclesiis reformatis extra Belgium haberi se sciunt. Quod si hac qualitate, & salvâ ac servatâ præsenti: Remonstranticâ theologiâ, sine ullâ præcedente emendatione & meliori professione, pacem prętendant: considerandum, quâ fide, quâ conscientiâ, quâ prudentiâ, quo pacis studio & conservatione ecclesiæ nostræ hoc agere possent, ut eo ipso omnibus in orbe ecclesiis reformatis, repudium pacis non mitterent: quin etiam ab ecclesiis Lutheranis & Pontificiis longius non abirent: cum quibus alioquin hactenus in fundamentalibus de trinitate, de personâ & satisfactione Christi, de resurrectione carnis hujus, &c. ipsis contra Arrianos & Socinianos convenit; queque ideo nobiscum, à generali nomine Christianorum Socinianos excludunt? An consultum esset, ut tanti emeremus dictam pacem Remonstranticam? Si exciperent à Remonstrantibus damnata Arriana ac Sociniana procul haberi: responderemus, ipsos jamdudum religionis & doctrinę reformatæ naufragium passos esse in pertinaci defensione quinque articulorum *Synodo Dordracenæ* anno 1619. exhibitâ, nec Reformatis, nec Lutheranis, nec Pontificiis probandâ: in adoptatione theomachię Vorstianæ ab reformatis, Lutheranis, Pontificiis proscriptæ & tandem in *Synodo Dordracenâ sess.* 152. unanimi provincialium & exterorum consensu rejectę ac damnatæ; in variis Remonstranto-Socinianis & scepticis theologematis, quæ apologiæ & subsecutis scriptis Latinis, ac pluribus libellis Belgicis insparsa comparent, & à *Vedelio* aliisque supra laudatis indicata. In quibus ullam mutationem, aut profectum in melius, aut δευτέρας φροντίδας σωφωτέρας quocunque tubo optico adhibito nemo hactenus videre potuit. An *oliva* nostra pin-

pinguedinem suam, hoc est communem doctrinam reformatam ex se & suâ naturâ omni solidâ consolatione, & amoris divini ac genuinæ pietatis stimulis exuberantem desereret, aut manifesto periculo, & infamiæ exponeret, sentibus & spinis illis se immittendo? *Pax optima, quæ pax Christi*, juxta *Hilarium*. Apostolicum est, *Ephes.* 4. *v.* 15. ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ. Pacem cum hostes Romano-Hispani (ut in *tract. Bredano, Coloniensi, Bourburgico*) ostentare viderentur: symbola ista inter Belgas jactata, *pax patet insidiis*: &, *bellum tutius pace dubiâ*.

II. *Insuper considerandum* de ipsis Remonstrantibus, an & quomodo pacem, fraternitatem, & unionem colere possint, cum reformatis præsertim Belgicis; quorum doctrinam tanquam Manichaicam, Turcicam, diabolicam, omni veræ consolationi ac pietati inimicam, & quorum *Synodum Nationalem*, anno 1619. ordinem, regimen, communionem, catechesim, confessionem, liturgiam, & ipsum nomen jamdudum apertè rejecerunt: uti videre est in eorum scriptis post annum 1619. partim vernaculo partim latino sermone editis, & supra indicatis: inter quæ excellunt *Episcopii* tum proprio tum communi societatis nomine edita; & *Danieli Tileni præfatio notis in canones Synodi Dordracenæ* præmissa; ejusdemque libellus ex Gallico in nostrum idioma à Remonstrantibus traductus, & à me eodem idiomate a. 1628. refutatus. De quo in *disp. de Trinitate* 1. *part. select. dispp.* insertâ, & in præfat. ad catechizationem catechismi Remonstr. & supra pag. 464. Hęc profunda Remonstrantismi, hæc tam malè dictata, si eruditus & diligens historiæ ecclesiasticæ scriptor penetrasset: non arbitror eum præsumtam hanc pacem tanto cum zelo Proceribus nostris commendaturum, & tot politica & ecclesiastica decreta ac dicta, ad præsentem causam nihil facientia, congestaturum fuisse. Quamvis enim à reformatorum sententiâ quinquarticulanâ se planè alienum & sexto (uti in Hollandiâ à ministris appellari solet) articulo Remonstrantium de ecclesiasticâ potestate in Magistratum translatâ, inhęrere se ostendat: syrma tamen illud, omnium aliorum dogmatum, extra sex illos articulos, ab illo minime probandum credo: si modo historicam de statu inficiali cognitionem capessere dignaretur. Quod si illi hactenus, & nos mutati non sumus; quę pacis Christianę via hic excogitari? quâ conscientiâ, quâ sinceritate, quo judicio, quâ justorum prudentiâ, quo ecclesiæ ædificandæ studio, quo fidei, pietatis, caritatis, εὐταξίας profectu tractatus pacis inchoari, promoveri, concludi posset? De hoc serio cogitandum & nobis proponendum, ab illis, qui pacem cum Remonstrantibus petunt aut offerunt. Si verè & in conscientiâ sentiunt, theologiam & ecclesiam, ejusque politiam, regimen, disciplinam reformatam in Belgio esse talem, qualem publicis scriptis, præsertim communi societatis nomine

 editis,

editis, proclamârunt, quâ conſcientiâ cum tam peſtiferâ, tam impiâ, tam intolerandâ doctrinâ & eccleſiâ malignantium fraternitatem, & unionem colerent?

III. *Conſiderandum* ergo, & in anteceſſum declarandum, an velint, ut reformatæ eccleſiæ ſe & doctrinam ac regimen ſuum prius transforment atque ita in unum corpus cum ipſis coëant. Si negent; jam rurſus cogitent, quâ fide & conſcientiâ, ſocietas eccleſiam reformatam, quam ſciſmaticam & Calviniſticam vocant, (haut aliter ac apoſtatica eccleſia Romana proteſtantes & reformatos apoſtaſiæ & ſchiſmatis accuſat; & Arriani olim orthodoxos ſeu catholicos *Athanaſianos* & *homoouſianos* appellabant) in ſuam communionem reciperet, aut ipſa communioni noſtræ ſeſe incorporaret? *Sin affirment*, ultra declarent, an reformata eccleſia in τύπον doctrinæ, profeſſionis, & politiæ Remonſtranticæ, ut nunc eſt, ſe tradere debeat; an vero in τύπον aliquem medium ſive participationis ſive negationis. In τύπον Remonſtrantiſmi eccleſias & miniſtros reformatos transfundendos, & in eo formandos, non dicent ut opinor: quia tunc prætenſæ eorum tolerantiæ, moderationi, libertati prophetandi, tanquam mediis ad unionem & pacem ſervandam unicè neceſſariis (ſecundum ipſos), quod ad reformatos in Belgio poſſidentes, nullus daretur locus. Et talis pax non pax, nunquam apud reformatos, ſat ſcio, in deliberationem ventura eſt. *Si medium negationis* intelligant, jam quæro, quænam ex totâ theologiâ Chriſtianâ fundamentalia, reſidua ſint futura, uno animo uno ore in novâ unitâ illâ eccleſiâ publicè privatimque tradenda. Hæc prius accuratè & candidè deſignanda eſſent; & ſola eorum neceſſitas ex verbo Dei, reliquorum omnium non neceſſitas ex eodem perſpicuè demonſtranda. Hoc verè eſſet θεολογεῖν. Sed tale quid Remonſtrantes non tantum hactenus non effecerunt, ſed ne quidem tentârunt. Nos contra ex verbo Dei generales eorum hypotheſes de paucis articulis neceſſariis, deque pleriſque problematicis in theologiâ, de uno atque altero termino ſimplici (Deo ſcil., Chriſto, ſcripturâ & ſimilibus) retinendo, abſque ſcripturâ ex propriâ affirmatione dictatas, profligare conati ſumus in 2. *part. ſel. diſpp. tit. de articulis & erroribus fundamentalibus.* Sed quid de iſto medio negationis in ſolâ doctrinâ quinquarticulanâ, quod antehac anno 1612. & 1614. miniſtris in Hollandiâ, Tranſiſulaniâ & hâc Provinciâ, cœptum imponi, eccleſiæ reformatę ſentiant, ex *hiſtoriâ eccleſiaſticâ Triglandii*, aliiſque eruditis ſcriptis cognoſci poteſt. Et certè nihil eſt iniquius quam miniſtris reformatis ſilentium à brachio ſæculari imponi, aut ab eccleſiaſtico aliquo tanquam neceſſariam pacis ſervandæ conditionem ilico poſtulari: ſimulac alicui aut aliquibus miniſtris viſum fuerit à doctrinâ hactenus communiter, etiam ab ipſis cothurnis, habitâ

&

& traditâ, ad aliam opinionem aut alias opiniones ſive in dogmaticis ſive in practicis per ἀπαιδευσίαν & in ſtabilitatem (*2 Petr.* 3. *v.* 16.) aut per ſophiſticam aliorum ſeductionem, aut per rationes de hoc ſæculo tranſire, aut eandem ſaltem ſimulare ac præ ſe ferre. Sed dices, niſi hoc fiat: non poterit concordia & pax inter miniſtros & in eccleſiâ ſervari. Itane? Ergone in cothurni, aut ſimulatoris, aut ἀνθρωπαρέσκȣ, aut curioſi ſophiſtæ cujuſvis poteſtate erit, doctrinas, theſes, hypotheſes hactenus in eccleſiâ ſonantes, facere problematicas, aut quodlibeticas ſive perpetuo ſive προσκαίρῳ ſilentio involvendas: dum Ecebolii, cothurni, Protei, ἀνθρωπαρεσκοι, novatores, antiquum limitem moventes interim opiniones ſuas clam ſuſurrare, aut ſcriptis anonymis ſpargere, aut etiam publicè, arreptâ occaſione, protrudere non verentur? Veritatem ergo vendent, aut ſupprimentfideles miniſtri, qui ex conſcientiâ vocationis ſuæ conſcientias ſuorum eâdem informare tenentur, juxta *Actor.* 20. *v.* 27. Hoc ſi fieret, non potior, ſed longè deterior eſſet conditio poſſidentis orthodoxiæ, quam irrepentis aut irrumpentis paradoxiæ. Paradoxo potius, aut dubitare occipienti aut fluctuanti, ſuum illud ἥττημα ſilentio premendum eſſet: cui etiam ſatis eſſe deberet, ſi ipſe ignorans, aut indoctus aut inſtabilis tantiſper toleretur *Hebr.* 5. *v.* 2. cum *Philipp.* 3. *v.* 15. 16. Sed orthodoxus poſſidens, & hâc in parte perfectio, ſecundum eandem regulam pergere debet, *Gal.* 6. *v.* 16. *Philipp.* 3. *v.* 16. *Galat.* 3. *v.* 1. 3. *Sin medium participationis* intelligant, juxta commendatam à *Vorſtio in præfat. Antibellarmini* & paſſim à Remonſtrantibus prophetandi libertatem: jam ab omnibus pacis & concordiæ eccleſiaſticæ amatoribus, penitius conſiderari velim, an hoc eſſet ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, & auditores in fide, pietate, concordiâ promovere, ſi concionatores Sociniani aut Arriani, aut Cornherti, Serveti, Franciſci-Davidis, Davidis Georgii, Sebaſtiani Francki, Weigelii, ſectatores (quales inter proteſtantes & reformatos aliquando ex ſurrexiſſe novimus) unâ in eccleſiâ, uno die, etiam eâdem horâ (ubi in pluribus templis conciones habentur) ſuam doctrinam, & reformati ſuam anaſceuaſticè & cataſceuaſticè, pro libertate prophetandi proponerent. An hæc Babylonica linguarum confuſio, unionem in ædificatione eccleſiæ, an potius diſparſionem ab ædificatione & ex eccleſiâ paritura eſſet? Si alius dicat ego ſum Socini, alius ego ſum Arii, alius ego ſum Franciſci Davidis, an non eſſet Aſdodica aut Babylonica linguarum diviſio? Vide 1 *Corinth.* 1. 11.

Dicent forte tantum de Remonſtrantibus uniendis cum reformatis ſive per ſilentium, ſive per liberam utriuſque partis prophetiam hic agi. Reſpondeo, prętenſam & poſtulatam pacem & unionem eâdem conſequentiâ ab Remonſtrantibus aliiſque pacis tubam eorum intuitu inflantibus pariter de-

bere postulari atque urgeri, pro Socinianis, Arrianis, Cornhertistis, Francisco Davidicis. Sunt enim, ex ipsorum sententiâ; pars dissecti Christianismi; cujus unio ab ipsis prætenditur. Illorum controversiæ sub nomine Christiano agitantur, (neque enim inter Judæos, aut Gentiles, aut Muhammedistas abipsis numerantur), & consequenter non sunt fundamentales, seu problematicæ; in quibus mutuam tolerantiam, libertatem prophetandi, & unionem ac syncretismum locum habere contendunt, in *Responso ad excerpta profess. Leidens.*, in *Vedelio Rhapsodo*, in *genuino Remonstrantico theologo.* Quod si Franciscum Davidis à Socino rejectum hinc excludere velint; jam probent, illum aut ipsius sectatores absolutè esse damnatos, & à salute exclusos, extra Christianismum & nomen Christianismi positos, tanquam ab omni fide Christianâ alienos. Nôrunt suas hypotheses, & rationes pro Socinianis adductas: eas ergo Francisco Davidi applicent.

IV. *Considerandum*, An si de pace & unione agendum esset, omnes in Belgio ministri, Doctores, seniores, diaconi, Rectores scholarum, hypodidascali, Ludimagistri, proponentes prius rasæ tabulæ fieri deberent; revocatâ, aut saltem pro illo tempore, sequestratâ aut depositâ tantisper promissione & subscriptione suâ ad ingressum muneris præstitâ. Quale quid requirere videbantur Remonstrantes in Synodalibus Dordracenis, quos ad solius moderationis & tolerantiæ consultationem, non ad controversiarum ex scripturis decisionem convocatos aut saltem convocari debuisse præsupponebant. De quo eorum commento, vide judicia theologorum exterorum in *actis synodi sess.* 26. - 30.

V. *Considerandum*, *an Synodus Dordracena*, ejusque circa controversiam Remonstranticam decreta, pacis conciliandæ causâ prius sint tollenda, & à „paucis piis, eruditis, pacificis, &c. ad hoc evocatis canones synodales, ex „scripturis *revidendi*, & quantum fieri posset, lenissimè (seu mollissimè) „secundum veritatem formandi, omnibus offensivis inde sublatis; per quæ „multi inquietantur & animæ eorum redduntur vacillantes, &c. Tale consilium anno 1626. Celsiss. Principi Arausoniensi, Ill. Ordd. Generalibus, & Ill. Provinciæ Ultrajectinæ Ordinibus Remonstrantiâ aliquâ suggerebatur ab *Ant. Hoornhovio* ministro in hâc Provinciâ prius Remonstrantico, sed post annorum aliquot ab omni ministerio cessatione ad ministerium reformatum positis ponendis, denuo admisso & jam aliquamdiu eodem functo in pago *Emen-es* Provinciæ Ultrajectinæ. Inconsultum hoc consilium quomodo à theologis & politicis acceptum sit, discet lector ex *judicio theologorum Leidensium* (*Polyandri, Riveti, Walei, Thysii*;) de mandato Ill. DD. Ordinum Generalium 24. Maji 1626. conscripto, & paulo post typis descripto: nec non ex *epistolâ* eodem anno 1626. & alterâ anno sequenti 1627. ab

ab Ill. Hollandiæ Ordinibus, ad civitates, toparchas, præfectos, satrapas missâ: quibus edictorum contra Remonstrantium conventicula perennitas, observantia, & executio sanciebatur: adhęc ex præliminaribus ad tract. pacis Monasteriensis, & ex actis renovatę Provinciarum unionis & confœderationis anno 1651., denique ex decreto Ill. Ordinum Hollandiæ a. 1663. quibus omnibus inviolabilis doctrinæ in *Synodo Dordracenâ* anno 1619. ecclesiasticè stabilitæ conservatio & defensio promittitur. Unde patet viam pacis per Synodi Dordracenę abrogationem, & qualemcunque *revisionem* aut mutationem tum ecclesiis tum Reipublicę visam tunc fuisse periculosam, immo & pernitiosam. Qui harum rerum curiosi sunt, aut quorum interest, consulant *acta synodorum Hollandicarum & Ultrajectinarum* a. 1626. & 1627. 1628. Celsissimi Principis, Ill. DD. Ordinum Generalium & Ill. Ordinum Hollandiæ judicia exhibent acta & scripta modo indicata: quæ omnia in latinum translata, prolixitatis vitandę causâ, hic non insero, contentus indicium eorum fecisse. Quibus addo decreta pręliminaria Ill. Hollandię Ordinum ad colloquia de pace, *artic.* 2. 3. 4. 5. in 2. *part. historiarum L. Aitzema pag.* 93. legenda.

VI. *Considerandum*, an de solis quinquarticulanis Remonstrantibus ad unionem cum ecclesiâ reformatâ, à quâ separati sunt, reducendis deliberationem hoc tempore institui necesse sit, aut deliberatio institui possit. Nos nullam necessitatem, nullam potentiam videmus. Quandoquidem nulli hodie, quod sciam, supersunt, ministri qui ministerio in ecclesiis Belgicis ante a. 1619. functi, & inde post habitam Synodum Dordracenam aut sponte discesserunt, aut inviti sunt depositi. Ministri qui hodie cœtibus eorum præsunt, & societatem repræsentant, catechesi & doctrinâ reformatâ nunquam fuerunt imbuti, aut in eâ à teneris educati; sed solâ corruptâ, miscellâ & dubiâ theologiâ Remonstranticâ; quam à communibus præceptoribus *Episcopio*, ejusque successore *Curcelleo*, in privato *Gymnasio* theologico Amstelodamensi hauserunt. Tales autem, uti ex nobis non exiverunt, quia nunquam nostri nec realiter aut nominaliter fuerunt; sic ad nos reduci, & ex separatione suâ quasi postliminio priori unioni & incorporationi restitui non possunt: non entis enim nulla est affectio. Dicent forte se esse successores eorum, qui cathedras publicas in ecclesiis reformatis tenuerant, quique ob solum in doctrinâ quinquarticulanâ dissensum, cętera tamen reformati, aut easdem deseruerant, aut per synodos Provinciales proximè post synodum Dordracenam habitas depositi erant. Respondendum est, dato aliquos fuisse tales (uti fuisse concedo, sed admodum paucos), jam nomine societatis prius declarandum esse, se non omnium sed solum paucorum istorum successores audire velle: quorum aliqui ad gremium ecclesiæ postea redierunt,

&

& ministerium in eâ partim susceperunt, partim ad susceptionem paratos se ostenderunt; aliqui abstinentia à ministerio per subscriptionem formulæ ab Ill. DD. Ordinibus præscriptæ, promisâ, ad alias vitę occupationes se converterunt; & societati Remonstranticæ quod ad missiones ad prætensa sive aperta sive clancularia ministeria renuntiârunt. Præcognoscendum hic, vocem successionis esse ambiguam: notare enim posse successionem aut localem & personalem, aut realem. Quam distinctionem nos exposuimus in *Desperatâ causâ Papatus*. Hodierna apostatica ecclesia Romana, cum episcopis, presbyteris, doctoribus suis succedere se dicit ecclesiæ apostolicæ cum apostolis eorumque euangelistis; & postapostolicę cum patribus græcis & latinis: Sed & acetum succedit vino, & tenebræ luci & tyrannis monarchiæ, & morbus sanitati, & hęresis integritati fidei, & bellum paci, & mors vitæ, & mala bonis, & pseudoprophetæ prophetis Dei, Papismus catholicismo, Antichristianismus Christianismo, Remonstrantismus, ut hodie est, succedit proximè quinquarticulano in Synodo Nationali proposito, propinquè quinquarticulano in *collatione Hagiensi* exposito, remotè quinquarticulano Remonstrantiâ anno 1610. Ill. Hollandiæ Ordinibus exhibito, remotissimè doctrinæ reformatæ confessione & catechesi contentæ. Ita dies diem docuit. Solymannus Turcarum Imperator dixisse fertur: se esse successorem Constantini Magni, ideoque suum esse Imperium Occidentis. De ministris purè quinquarticulanis, cætera reformatis, ad unionem nostram & ministerium denuo recipiendis, antehac in Synodis Hollandicis (pręsertim *Brielanâ* anno 1623.) satis superque determinatum fuit. Quæ ad pręsentes ministros sed analogicè applicanda sunt: hi enim nunquam fuerunt nostri, nunquam ex nobis exiverunt.

Quod ad privatos auditores cœtus Remonstranticum frequentantes, ex vicenis aut tricenis vix unus superstes est, qui ante annum 1619. in communione ecclesiæ fuerit; & ab eâ se separârit. Propter unum atque alterum in plerisque cœtibus superstitem, tantæ molis tractatum de pace & syncretismo, ad sanationem scil. scismatis, & coalitionem corporis divisi (uti loquuntur) instituere, haut necesse est. Privatim quilibet auditorum ex verbo Dei informari possunt, ac debent, & ab errore viæ ad veritatem, ejusque in ecclesiâ reformatâ professionem converti. Et fideles quique pastores hic & alibi occasionem non negligunt, Deo ipsorum laboribus benedicente. De corpore societatis in ecclesias nostras traducendo in generali, vix statui potest, nec etiam conducit: cum omnes non sint unius ingenii, nec sensus, nec paris à reformatione discessus, aut elongationis. Si tota ministrorum societas ad communionem nostram, & ministerium in eâ, per legitimam vocationem, se offerret (quod magis optari, quam sperari posse arbitror), jam

ilico

ilico audienda esset: & expendendum nostris, quali fidei suæ confessione, qualique apologiæ & sequentium scriptorum (*Responsi ad excerpta*, *Vedelii Rhapsodi*, *Genuini Remonstrantici theologi*) sive rejectione, sive *revisione*, ecclesiis satisfacturi essent: ut vel ad communionem, vel insuper ad ministerium tutò admitti possent. Diversa enim requisita sunt privati membri, & publici ministri: sæpe in illo ἡττήματα toleranda sunt, quæ in isto non toleranda. Quomodo autem privatos auditores ad unionem nostram admitti conducat, ut & ipsorum conscientiæ ac saluti, & totius ecclesiæ ædificationi, & doctrinæ secundum pietatem communiter receptæ atque obtinentis conservationi ac propagationi, quam optimè & tutissimè consulatur, à synedrio nostro accommodatè ad nostrates declaratum fuit. Quod aliæ ecclesiæ, sed accommodatè ad populi sui & Remonstrantium istic viventium statum imitari poterunt. Præter eruditionem, & zelum domus Dei, ac salutis animarum, prudentiâ hic opus est, quæ versatur circa τὰ ἔκαστα. Singularia autem & facta sunt infinita: quæ transiri non possunt. Sufficit in genere apud omnes determinatum esse, τὸ minimum quod non: hoc est, ne cum publicâ & formali doctrinæ quinquarticulanæ, uti à Remonstrantibus explicatur, professione, ejusdemque professionis stipulatione, ad communionem nostram invitentur aut recipiantur: sed prius probè in viâ domini instituantur, & tanquam oves Christi, vocem ejus audiant. Hęc optima & tutissima via à synodis Hollandicis post diligentem ac seriam discussionem & *collationem* a. 1619. 1626. 1627. 1628. complanata, & ipsâ praxi probata. Fuerunt pauculi aliquot in Hollandiâ ministri secus sentientes qui astu quorundam imprudentes circumventi erant: aut non satis animadvertebant distinctionem inter peremtoriam errantium & profitentium errores quinquarticulanos, cętera tamen reformatorum, exclusionem ab omni spe salutis; & inter immediatam ac promtam eorundem illo rerum statu non receptionem, ad communionem suæ cujusque ecclesiæ in Hollandiâ, à quâ aliquamdiu se separârant, & contra quam non pauci eorum dictis, consiliis, factis suis ea perpetrârant, quæ ecclesiæ filiis minimè conveniebant.

Sed Capys, & quorum melior sententia menti odorabantur motivæ isti ortæ ex non satis intellectâ distinctione (quam nos in 2. *part. sel. dispp. tit. de articulis & erroribus fundamentalibus*, explicare studuimus) ad non negandam petentibus receptionem, aliud quid subesse stratagema: ut scil. tali receptione semel admissâ & datis exemplis, omnes aut plerique professi Remonstrantes, aut illis pejores, qui ex curiis & muneribus publicis anno 1618. ob rationes status dimissi erant; decorè magis ex suâ separatione primum unioni ecclesiasticæ, sub stipulatione professionis quinquarticulanæ restituerentur; deinde etiam cathedræ in curiâ: atque ita

 pau-

paulatim & quavis occasione, clam palamve novas in ecclesiâ dividias cum reliquis Remonstrantibus eodem modo receptis, molirentur: & tandem aliquando suffragiis superiores facti *acta Synodi Dordracenæ* anno 1619. omniaque secundum ea in ecclesiis jam bene posita interverterent; atque ut recidiva priori morbo, & novissima prioribus deteriora evaderent. De his & similibus apud prudentiores quosque tum politicos tum ecclesiasticos non vanum tunc temporis fuisse metum, nec iniquas de dimissis senatoribus & munerariis conceptas suspiciones, nôrant illi; qui viros illos sexto Remonstrantium articulo de *Hierarchia Politica* impactos, & Contra-Remonstrantibus (uti tunc appellabant) tantoperè infestos, adhæc vindictæ studio usque ad rupturam turgentes, ob ea, quę ipsis in politiâ a. 1618. acciderant; qui insuper nonnullorum (quales *Psal.* 17. *v.* 14. describuntur) προσκαίρων religionis & ecclesiæ juxta cum collegis tunc defensorum vacillationes; qui denique clandestinas variorum molitiones, & dicta ac facta subinde erumpentia, aliaque hic non memoranda haut ignorabant. Et quamvis viris illis tantum animi ad tantæ molis mutationem capessendam non fuisset, an nefas esset præsumere, eos à Remonstranticis concionatoribus opportunè importunè ad *Israëlis restitutionem* ex stimulandos? ut omnia fierent ad exemplar & modulum in *Nullitatibus synodi*, in *Achabi jejunio*, in *Remonstrantium libero religionis exercitio*, aliique istius facinæ libellis commonstratum. Quo de politiâ & rectoribus ejus post annum 1618. æstimio *Henricus Slatius*, aliique ipsius in eadem causâ commilitones ad tam nefaria ausa devenerint, ex actis judicum, & historiis cognosci potest.

Sed missis nunc illis politicis, an si soli privati cives, ex tempore & quasi per saltum, sub oblatione & stipulatione liberæ professionis quinquarticu lanæ, cum superpondio Hierarchiæ Politicæ (juxta *Joh. Wtenbogardi*, *Corvini*, *Grotii*, *Barlei* novellam, & causæ novatorum convenientem theologiam) tunc ad communionem nostram admissi fuissent: an putandum est hoc ad majorem concordiam, pacem, mutuum amorem, & ad cognitionis spiritualis, ac pietatis in ecclesiâ incrementum, futurum fuisse? Rationes aut experientiam hactenus non vidi, quæ hoc suadeant. Facile est viris istarum rerum inexpertis sub umbrâ & quasi in Republica Platonis in ideâ de talibus philosophari aut declamare: sed non tam facile hoc agere, ut per Pelagianas multorum pravitates in ecclesiam admissas, plurimi per contagium, non inficiantur, aut non turbentur, aut non scandalizentur. Ergone studio quorundam foris recipiendorum alios fortè longè plures ex domesticis fidei periculo seductionis, aut scandalizationis exponemus? Comparetur præsumtum ecclesiæ lucrum, cum damno hoc emergente, aut metuendo. Cogitetur non minorem, sed majorem rationem habendam orbis quam urbis,

urbis; unitatis quam unius; communitatis, quam aliquorum. Insuper ἥττημα ac retrocessionem non exiguam esse, si in ecclesiam aliquam, ubi omnes sunt labii unius, ubi multitudinis unum est cor una anima, quod ad hanc cœlestem veritatem; divisio animorum & labiorum introducatur. Præterea ipsum illum unum, aut illos aliquos ad perfectam salutaris doctrinæ de omnimodâ Dei gratiâ cognitionem ac sensum, consequenter ad solidæ & ineffabilis consolationis (*catechesi nostrâ quæst.* 1. 25. 54. propositæ,) & ad uberioris ac fortioris divini amoris (juxta *Luc.* 7. *v.* 47.) praxin, non ita excitari ac promoveri; constituto generali decreto, & secundum illud concessâ per intercedentem stipulationem libertate, Remonstrantium doctrinam quinquarticulanam coram *Synodo Dordracenâ* explicatam retinendi ac profitendi. Non esset profectus, sed insignis defectus ecclesiæ, si à tam salutari multitudinis credentium ὁμονοίᾳ ad dissensum, & ad sectas prolaberetur; si alii dicerent, nos sumus ecclesiarum reformatarum & Synodi Dordracenæ, omniumque Provincialium Belgicarum; alii dicerent, nos sumus in sententiâ Remonstrantium à theologis exteris, ab ecclesiis Belgicis in synodo illâ anno 1619., & à sequentibus synodis Provincialibus, omnibusque classibus, synedriis, verbi ministris, senioribus, &c. ad ingressum ministerii solenni subscriptione rejectâ, & condemnatâ. Ne dicam de periculo, cui posteriores exponerentur; quippe qui à quinquarticulanis ad alios vicinos & pejores errores sensim prolabi possent: uti experientiâ in Remonstrantibus tum ministris tum auditoribus abundè edocti sumus. Ut enim quivis error plerumque errorem trahit: sic in erroribus quinquarticulanis omnimodæ gratiæ divinæ inimicis animo profundè infixis vix subsistitur; ut veritates de gratiâ novi fœderis & justificationis, de Christi satisfactione & meritis, de certitudine salutis, de peccato originali, & totali hominis extra Dei gratiam corruptione, cum tempore non quassentur aut sollicitentur. Nemo repente factus est pessimus. Sed dices, Ergone nulli tolerantiæ, συγκαταβάσει, moderationi, circa ignorantes, infirmas, laborantes conscientias, tunc anno 1619. & seqq. & hodie locus in ecclesiis reformatis? Absit. Contrarium enim in dictis synodis, & communi praxi, ab Hollandicis ecclesiis, synedriis, classibus Remonstranticæ contentioni obnoxiis, abundè ostensum est; ubi maximâ cum ędificatione tanta multitudo ad communionem nostram successivè reducta fuit, & quotidie non pauci adhuc reducuntur. Plerique per plenam & perfectam veritatis, in *Synodo Dordracenâ* stabilitæ convictionem ac susceptionem; aliqui etiam communionem ecclesiæ nostræ serio petentes, & usum cœnæ ad animæ suæ consolationem, ac fidei confirmationem desiderantes; modo à reliquis Remonstrantium heterodoxiis alienos se ostendant, doctrinæ reformatæ ca-

techesi nostrâ contentæ assentiantur, & quod ad controversias quinquarticulanas summam doctrinę de omnimodâ Dei gratiâ amplectantur; & si in hoc aut illo puncto adhuc dubitent, aut vacillent, aut dissentiant, illud tantisper sibi servaturos & se dociles fore promittant; donec per Dei gratiam ad plenum ac perfectum consensum adducantur. Hæc summa decreti *Synodi Hollandicæ Leidensis* anno 1619.; quod idem occasione novæ motionis & molitionis quorundam, confirmatum fuit in *synodo Delfensi* anno 1628. utrobique paribus suffragiis, ne uno quidem, quod sciam, (utrique enim synodo interfui) dissentiente. Huic tam piæ & sapienti sententiæ inter extremas mediæ, post non exiguam disquisitionem & sententiarum collationem anno 1619. conceptæ, & anno 1628. & seqq. confirmatæ, tantoque cum applausu à synedriis, classibus, ministris, piis quibusque, & Ill. Hollandiæ Ordinibus tunc acceptæ; synedrium nostrum Ultrajectinum ante annos aliquot datâ occasione bene & prudenter instituisse, eamque conformiter explicatam, ad Remonstrantes in hâc urbe applicasse mihi videtur. Lector qui Belgica attingit, *decretum synedrii* typis editum inspiciat, & judicet. De purè ignorantibus aut dubitantibus aliter statuendum: illi enim cum similes sint rasæ tabulæ, cui inscribi potest, in viâ domini prius instituendi sunt. Aliter etiam de illis statuendum, qui in actuali communione ecclesiæ existentes & etiamnum in eâdem permanere cupientes à ministro deprehenduntur ad errores quinquarticulanos inclinare, aut iisdem infecti esse: nihilominus silentium ac docilitatem promittunt; nec aliis, saltem vulgo, hoc ita notum sit, consequenter absit periculum scandali. Tales putarem tantisper spiritu lenitatis tolerandos esse, non neglectâ interim fideli monitione & institutione; donec ab erroribus liberentur. In istis & similibus casibus particularibus, consilia prudentiæ à quovis capi & dari poterunt, qui dogmata de fundamentalibus, de moderatione & tolerantiâ, de officiis caritatis erga proximum peccantem, de correptione fraternâ ritè perceperit. Nos prima in 2. *part. sel. dispp.* secunda in *disp. de moderatione* & tolerantiâ infra politicæ ecclesiasticæ, si Deus velit, inferendâ; tertia in *exercitiis pietatis* distinctè pro modulo explicata dedimus. Absque illis distinctionibus, frustra de unione, communione, pace ecclesiasticâ, moderatione, tolerantiâ, in genere & confusè disseritur: quia per perpetuam fallaciæ ἑτεροζητήσεως commissionem, multa dicendo nihili dicitur.

VII. *Considerandum*, an serio & bonâ intentione pax atque unio cum ecclesiâ reformatâ nuperis libellis partim anonymis partim sub nomine civis cujusdam Leidensis *J. de Bye* Remonstrantismum profitentis prætendatur. Deo cordium inspectori fateor judicium de intentione relinquendum:

dum: interim ex factis, dictis, ſcriptis, & ipſiſſimis illis Irenicis, non variè præſumitur, aliud quid iſtis ſtratagematis quæri. Dum enim Sociniani per *Zwickerum medicum Irenico Irenicorum* cum ſequentibus libellis Amſtelodami editis verum Deum, Deum Chriſtianorum blaſphemare, & exercitui Dei viventis, omnibuſque eccleſiis & Doctoribus Chriſtianis inſultare non deſinunt; & Remonſtrantes in ſuis libellis *Irenicis* ne verbulo quidem indicant, ſe ab iſtorum hęreticorum aliorumque θεομαχούντων ſententiâ & fraternitate quam longiſſimè recedere velle; & aliam ſibi nunc eſſe mentem, quam cum *apologiam, Vedelium Rhapſodum, Genuinum Remonſtrantium theologum* ſcriberent: quid animi nobis eſſe credunt? Ad quid ultra tinnientibus pacis verbis aliiſque inaniis miſeras chartas conſcribillant? An non utrique ſectæ verbis Jehu analogicè huc applicatis merito reſponderi deberet; *Quæ pax? Adhuc fornicationes Izebel matris tuæ, & veneficia ejus multa* 2 Reg. 9. v. 22. Apage pacem illam, omneſque ejus tractatus; à quibus nihil præter doloſas circumventiones, ſiniſtras ſuſpiciones, judiciorum diviſiones, infelices contentiones, animorum alienationes bene conſtitutis, & in unâ fide & profeſſione conſpirantibus ac per ſingularem Dei gratiam confirmatis eccleſiis, exſpectari poſſet. Prætenſa contra veritatem pax cum eccleſiâ Romanâ vix unquam fuit agitata, ſine novis turbellis, & aliquâ eccleſiæ jacturâ. Inductione exemplorum hoc ſuo loco tit. de ſyncretiſmo, me probaturum confido. Ut aliis præteritis, de Remonſtrantibus dicam; probè meminimus quæ difficultates eccleſiis & miniſtris per Remonſtrantium in noſtras eccleſias cum ſtipulatione, &c. (de quâ ſupra) admiſſionem, objectæ fuerint. Nimis metuebant prudentiores, qui profunda iſtorum dierum criticorum propius inſpexerant, de ſumma rei agi, hoc eſt, de annis 1612. & ſeqq. uſque ad 1617. incluſè reſtituendis. Alii omnia tuta timebant, ne propriis quidem orthodoxis paſtoribus fidentes. Ita ut annus unus atque alter jam inde a. 1626. multis conſultationibus, ambigentibus diſſertationibus, non ſine ſuſpicionibus, contentionibus, diſtractionibus, tranſigeretur, ab illis, quos in Hollandiâ imprimis hæc cura tangebat. Quas moleſtias, curas, & difficultates in immenſum augebant aliqui ardeliones, de Diotrephis familiâ domi ſuæ nihil aut parum agentes, foris ſatagentes & alienis ſe immiſcentes, aut per turpiſſimum ambitum ac prenſationem qualicunque mandato ac titulo obtento, malorum per mala, ſi non longè deteriora, curationem capeſſentes. Per quos à ſacrâ illâ vigiliâ ſubmovebantur, qui ſolidâ ſcripturarum eruditione, pietate, fidelitate, candore, prudentiâ, agendi & diſſerendi dexteritate, forti caritate, errantes convincendos ac reducendos, veritatem fugientem retinendam, eccleſiam turbatam tranquillendam, luxatam reſtituendam arbitrabantur: non Diotrephicis garritibus & imperiis, non ſermo-

nibus otiosis, non ridiculis & nugationibus, non pravis artibus, quibus artes malorum deludantur, non rumusculis & susurris, quibus detrahatur viris se melioribus & ad operas illas instructioribus.

Novæ istæ motiones atque agitationes in ecclesiis primum sui ortum non debebant ministris, sed viris quibusdam politicis; quorum alii anno 1618. ex publicis muneribus & dignitatibus dimissi erant, alii adhuc politici in herbâ ostium sibi clausum putabant, non sine præambulâ clave ecclesiasticâ aperiendum: ut tunc erat sensus & zelus promotorum, qui Rempublicam viris à religione & ecclesiâ alienis committi nolebant. Per illos politicos, aut eorum instinctu per alios ministri aliqui sollicitati & in hanc scenam protrusi; plerique tamen, ut arbitror πρόφασιν solius ecclesiasticæ gnari, intentionis politicę ignari. Nolo dicere omnes politicos illos intendisse Ecclesiarum & ministrorum molestias, distractiones, divisiones, scismata; per quæ major ecclesiarum ædificatio, & plurium ex Remonstrantismo liberatio & ad ecclesiam aggregatio impediretur. A plerisque intenta fuisse arbitror τὰ ἴδια, restitutionem scil. in senatum, in priorem dignitatem, & aditum ad publica munera; cui restitutionem in communionem ecclesiæ tanquam medium seu causam sine quâ non (ut tunc erant tempora) subservire posse putabant. Hanc adhibendam moderationem aliqui ex politicis reformatam religionem professis, politicæ coalitionis & concordiæ studio non improbabant: aliqui forte ex privato erga cognatos, amicos, necessarios jam extra dignitates & munera constitutos studio optabant: Politicis in civitatibus quibusdam ἐν ἀρχῇ a. 1618. relictis, sed Remonstrantismo quinquarticulano etiamnum addictis eadem perplacebat. Reliqui vero politici reformatæ religionis zelotæ omnino improbabant; tanquam præsenti ecclesiæ, & politiæ statui ac paci nimis periculosam. Concionatores plerique in unâ Zuydhollandiæ classe, à Remonstrantismo semper intactâ, atque adeo difficultatum & periculorum inexperte, cum nonnullis aliis sed numero paucioribus in duabus classibus insigniter à Remonstrantismo exercitatis ab animo suo impetrare non poterant, ut talem moderationem repudiarent: non per rationes politicas sibi ignotas aut in medio relictas ad hoc inducti, sed per hanc unicam, quod communio nostra petentibus illis hic & nunc negari non posset, quin eosdem ob errores quinquarticulanos ab omni spe salutis exclusissimos statuerent. In quâ connexione & consequentiâ gravissimè errabant: uti multis coram mecum conferentibus, nonnullis per literas me consulentibus ad oculum tunc demonstrabam. Omnes alii in decem Zuyd-Hollandiæ, & in sex Noort-Hollandiæ classibus contrariam sententiam sollicitè & fortiter tuebantur. Sed cum aliqui ex illis privato suo judicio indistinctè contenderent, quinque articulos coram *Synodo Dordracenâ* explicatos

tos per ſe abſque annexis & conſequentibus eſſe fundamentales; alii eſſe fundamentales *prout jacent*, hoc eſt, ut tum accipiebamus, prout in *Remonſtrantiâ ad Ill. Hollandiæ Ordines a.* 1610. propoſiti erant: multæque inter fratres (uti *Actor.* 15. *v.* 7.) diſceptationes orirentur: metuendę erant majores in eccleſiis turbæ & animorum abalienationes, ſi non ſchiſmata; dum Moderatores, uti tunc appellabantur, hypotheſi ſuæ malè fabricatæ malè applicatæ inhærerent, de abſolutè negatâ omni ſpe ſalutis non tantum dictis Remonſtrantibus cætera piis & profeſſione reformatis, quibus in præſenti communionem negarent; ſed & aliis omnibus, qui extra communionem eccleſiarum reformatarum hic aut alibi doctrinam quinquarticulanam canonibus *Synodi Dordracenæ* propoſitam non amplecterentur. Ex adversâ parte quidam, ſed pauci agitatores de dictis moderatoribus ex albo orthodoxorum expungendis, iiſdemque præcipitandis, aut ad miniſterium alicubi non recipiendis, conſilia agitabant. Hinc factum, ut claſſes Zuydhollandicæ ſuis ad inſtantem *Synodum Delſenſem* delegatis de tempeſtivâ hujus negotii compoſitione mandata darent. Inter eas *claſſis Gorinchemenſis*, cujus tunc partem faciebam, paribus ſuffragiis prætenſam erga Remonſtrantes moderationem rejiciebat, & illi reductionis modo inſiſtendum decernebat, qui in iſtâ claſſe, imprimis in meâ eccleſiâ (quæ morbo illi maximè infeſta fuerat) tanto cum fructu per Dei gratiam, obſervatus fuiſſet. Inſuper injungebat, ut omni modo ageremus, ne fratres qui aliam à noſtrâ ſententiam de moderatione antehac prodidiſſent, aut etiamnum foverent, ideo à ſynodo tanquam bonæ cauſæ deſertores & inutiles ſervi judicarentur; atque ita plebe ab illis alienatâ, exturbarentur (de quo unius atque alterius Diotrephis ſuſurri audiri erant); neve indiſcreto aliquo rigore, occaſio novi ſciſmatis daretur, & duabus partibus, reformatorum ſcil. & Remonſtrantium, accederet tertia, dicta neutralium ſeu moderatorum: ſciſsâ ſcil. parte reformatorum Remonſtranticis erroribus adverſantium in duas. Mandabat denique, ut ſi præter mentem claſſis aliquid tentari contingeret, ne in ſuffragia iremus, ſed limitatum hâc in parte mandatum obtenderemus, & ad claſſem referremus. Rationibus communibus tunc in claſſe allatis, accedebat hæc particularis, quod inter ſecus ac nos de hâc moderatione ſentientes viri eſſent, quorum præclara de eccleſiis merita; & plurima pro causâ Dei contra Remonſtrantium machinationes præſtita officia, & hinc æſtimatio atque autoritas in eccleſiis tanta eſſent; ut minimè dubitandum, quin hæc peculiaris ipſorum opinio in iis toleranda ſit: modo eam ſibi habeant, nec pro eâ contendant, aut contra communia ſynodorum judicia in praxin deducant. Hęc cum in ſynodo fideliter exequeremur, in eum finem privatim delegatos plerarumque claſſium obeundo, & ſi qui in aliquo diſſentientes

repe-

reperirentur, iis fontes dissensus aperiendo; ab unâ parte paucorum, qui sibi agitatores esse videbantur, satis infelicem & indoctè confusam bonæ causę defensionem; ab alterâ parte, dictam hypothesim occasione tam infelicis quorundam defensionis malè conceptam, & præsenti causæ applicatam. Tandem post multas disquisitiones & anxias deliberationes synodales, decretum fuit conditum, in quod omnes consentiebant: atque ita à contentionibus, & metuenda divisione, (quæ res passim ecclesiastícos, & Ill. Hollandiæ Ordines tunc temporis comitia celebrantes, non parum sollicitos habebat,) ecclesia & Respublica liberata fuit: omnibus classibus, ad quas decretum hoc relatum, acquiescentibus, ut & Ill. Hollandiæ Ordd. admodum hoc probantibus, cum delegati aliquot à synodo in illustri ipsorum consessu hoc referremus; & accuratè inquirentibus, an delegati unius atque alterius classis consensissent, responderemus omnes & singulos, & τὸν δεῖνα consensisse. Hæc prolixius hic referre visum, ut cogitent difficultatum & laborum istorum inexperti, in halcyoniis nati, educati, promoti, non esse hæc post varios casus post tot discrimina rerum bene posita tam facile animi causâ & quasi sub umbrâ loco movenda, si non ridenda; nec patens ostium Remonstrantibus cum armaturâ quinquarticulana, commonstrandum: Nec tam facile ad consilia, conceptus, tractatus ostentatæ aut oblatæ pacis attendendum, aut talia intentione pacis temerè capessenda, quæ bellis novis & dissidiis inter ipsos veritatis promachos in visceribus ecclesiæ occasionem præberent: nec terminos illos à pręcedentibus synodis positos, ad illicias hujus aut illius removendos; nec alicubi Remonstrantes, aut qui illorum doctrinæ favent, ad communionem admittendos, quos alibi ecclesia non admittit. Quid hoc aliud esset, quam unionem, ordinem, & disciplinam ecclesiarum, & communem pacem prætextu pacis turbare: haut aliter ac olim appellantes trans mare, & appellationem illam admittentes. De quibus *historia ecclesiastica*, & *Concilium Carthaginense*.

Hoc insuper cogitent ecclesiarum ministri, non esse unius aut alterius de pace & unione cum Remonstrantium societate, deque modo Remonstrantes ad unionem admittendi, novas deliberationes, communicationes, novos tractatus cum domesticis aut alienis instituere; multo minus desultorios suos conceptus chartis illinere. Huic temeritati *Synodi Hollandicæ*, & reliquæ provinciales, nominatim hæc nostra Ultrajectina a. 1627. 1628. 1629. pessulum obdebant: etiam formulis conscriptis, quibus aut secundum quas omnes ministri à temerariis istiusmodi ausis constringerentur abstinere. Ita in herbâ oppressa periculosa illa consilia à Politicis Remonstrantismo implicitis concepta & quibusdam tum politicis tum ecclesiasticis, sed orthodoxis in ecclesiæ communione constitutis inspirata, primum erumpentia in Provinciâ Ultra-

Ultrajectina, non longè post initium anni 1626. & inde in Hollandiam eodem anno & seqq. promoveri cœpta: quamvis ex Hollandiâ in hanc provinciam inde prius injecta; juxta methodum non tantum tempora, sed & loca ad agendum maximè opportuna captandi, à Remonstrantibus ab anno 1608. usque 1618. inclusè observatam. Non enim omnis fert omnia tellus. Hic segetes alibi veniunt felicius uvæ. De Socinianis unionem reformatorum pariter petentibus, non est deliberandum: Illi enim extra omnem Christianismum apertè saltârunt; & vix unicam post naufragium tabulam, ne quidem scripturę autoritatem intactam reliquerunt: uti tum ex aliis tum imprimis ex *responso* eorum dato anno 1607. in *colloquio Racoviensi*, ubi ad objectum locum *Luc.* 16. pro statu animarum post mortem, respondent, Christum se accommodare ad vulgi opinionem; qui statuebant animas defunctorum superesse & vivere sive in loco gaudii sive pœnarum. Similem compendiosam (uti metuendum est) ad scepticismum, aut Libertinismum viam hodierni quidam terrę rotatores ingredi videntur, cum ad loca *Jos.* 10. *Psal.* 19. *Eccles.* 1. de motu solis & quiete terræ, excipiunt, spiritum S. in locis illis scripturæ loqui secundum errorem aut opinionem vulgi. De Remonstrantium & Socinianorum symbolizatione in dogmate de autoritate scripturę vide indicium factum à Doctore *Riissenio* in *synopsi Impuræ theologiæ Remonstrantium cap.* 2. & in reliquis doctrinæ Christianæ corruptelis ab eodem *Rissenio* per totum, & *Festo Hommio*, Professor. Leidensibus, *Vedelio*, &c. supra cit. Quibus adde *Johannis Hoornbeeck apparatum tom.* 1. *contra Socinianos* præmissum coll. cum *tom.* 3. *lib.* 5. *cap. ult. pag.* 637. ejusdemque *Summam controversiarum lib.* 8.

Addamus nunc aliquid de libello *anonymi Remonstrantis* anno 1664. ubi §. 2.

I. *Notandum*, non satis candidè in titulo scribi, esse *Judicia*, &c. *de controversis inter Remonstrantes & Contra-Remonstrantes controversis inter Remonstrantes & Contra-Remonstrantes*: cum nulla eorum meminerint Remonstrantium, exceptis *Molinei* & *Josephi Halli pag.* 45; qui cum ista scriberent, explicationem quinque articulorum Synodo Dordracenæ à Remonstrantibus exhibitorum non viderant, multo minus *confessionem Remonstranticam cum apologiâ*. Ostendant, vel istorum vel aliorum testium, qui in libello adducuntur, de tali theologiâ quinquarticulanâ sic judicasse.

II. *Notandum*, nec in titulo nec in toto libello candidè & distinctè explicari, an per controversa illa, sola quinquarticulana, an vero omnia alia, quæ in *secundâ Contra-Remonstrantiâ*, in *Festi Hommii specimine*, in *excerptis professorum Leidensium*, in *meâ catechizatione super catechismo Remonstrantico*, in *Vedelii quatuor partibus arcanorum* notantur. Et si tantum controversa quinquarticulana intelligant, an ea prout jacent in quinque articulis, quos Ill.

Hollandiæ Ordinibus anno 1610. exhibebant: an prout 1611. ab illis explicata sunt in *collatione Hagiensi*: an prout à *Nicolao Grevinckhovio*, aliisque istius temporis scriptis defenduntur: an denique, prout coram *Synodo Dordracenâ* eadem explicata a. 1619. & scriptis Anti synodalibus, ita dictis, anno 1620. tit. *Acta & scripta Synodalia Dordracena Ministrorum Remonstrantium in fœderato Belgio*, universo orbi Christiano communicata sunt.

III. *Notandum*, falsò *pag.* 5. accusari Synodum Dordracenam, quod Synodus Dordracena *rejecerit antiquissimam sententiam*, quinquarticulanam scil. Contrarium docent *Augustinus in scriptis Anti-Pelagianis*; *Bradwardinus de causâ Dei*, *Johannes Latius de Pelagianis*, *Vossius* de iisdem, *Usherus* de iisdem, & in eccles. Britannicarum antiquitatibus, *Corn. Jansenius in suo Augustino*, *Chamierus* aliique controversiarum scriptores.

IV. *Notandum*, absurdè asseri, Synodum Dordracenam potuisse aut debuisse suam sententiam simpliciter declarasse, & tanquam indifferentem potuisse, aut euangelicæ veritati propiorem; & alteram sententiam (Remonstrantium scil.) non tam temere seu inconsulto (belg. **soo onbedacht**) rejecisse. Hypothesi hâc ad thesin translatâ, quæstio erit, *An concilia aut synodi, motâ ecclesiis ab aliquo, aut aliquibus contra receptam veritatis doctrinam controversiâ, non possint aut debeant ex scripturis veram sententiam explicare, determinare, stabilire, & errores & hæreses oppositas rejicere.* Quod paradoxum ex solâ propriâ affirmatione dictatum, non probatum, satis superque refutari poterit, ex inspectis scriptoribus de conciliis; & nos infra *part.* 3. *tit. de synodis* idem perstringemus. Unam tantum quæstionem ipsis considerandam offerimus, *An solius supremi Magistratus sit religionis controversias decidere, & quidem judicio antecessorio, peremtorio, & supremo, in suis terris.* Si negent, jam sibi contradicunt, & constantem doctrinam suam ab *Episcopio, Wttenbogardo, Grotio*, &c. tanto cum strepitu assertam, funditus tollunt. Sint affirment, rursum quæro, *An Magistratui illi liceat aut competat, præter veræ sententiæ declarationem, oppositam falsam rejicere.* Sin negent, jam quæro, *An rectè factum, quod Ill. Hollandiæ Ordines Remonstrantibus tunc apprimè faventes, anno* 1611. 3. *Decembr. decreto suo haut obscurè rejicerent, omnes sententias, doctrinæ in ecclesiis Belgicis receptæ de peccato originis, de justificatione, de satisfactione Christi*, &c. *easque in ecclesiis moveri ac doceri prohiberent.* Hæc sane *Anonymi* hujus judicio, si secum consentiat & extra prosopolepsiam sit, *malè consulta rejectio* deberet dici. Nulla restat exceptio, quam ista, Magistratui politico hæresiωn aut errorum rejectiones competere, non synodis ecclesiasticis; quæ convocatæ & rogatæ à Magistratu solummodo consilia suggerunt. Regero, dato hoc non concesso, debuisse ergo & potuisse declarationi veritatis, rejectiones oppo-

sitæ

sitæ sententiæ à *Synodo Dordracenâ*, exemplo synodi Apostolicæ & omnium antiquarum subjici; si non per modum judicii decisivi, saltem per modum indicii & consilii. Jam vero indicium illud & consilium synodi (loquar nunc stylo, & ex hypothesi Remonstrantium) ab Ill. & præpotentibus Ordd. Generalibus approbatum in decisionem abiit. Quid ergo restat? Declaravit & rejecit Synodus; & Ill. DD. Ordines Generales (à quibus tanquam *summis suis Magistratibus*, plenam totius causæ suæ cognitionem Remonstrantes petebant, in *actis & scriptis synodalibus pag.* 448.) judicium & consilium synodicum approbando deciderunt, decidendo approbârunt, jure majestatis circa sacra ipsis (juxta Remonstrantes) competente.

V. *Notandum pag.* 15. malè consequentiam duci à syncretismo cum Lutheranis, quem probant omnia illa in dicto libello ostentata testimonia, ad unionem & fraternitatem reformatorum Belgicorum cum Remonstrantibus. Lutherani omnia βδελύγματα Neo Arrianorum & Socinianorum, semper detestati sunt, & etiamnum detestantur: uti patet ex libro concordiæ, & tot scriptis Doctorum contra hæreses illas editis. Remonstrantes nihil tale hactenus fecerunt; nec quomodocunque suspecti, accusati, provocati adduci potuerunt, ut se purgarent: quin contra societas editis successivè ab *Episcopio*, & *Curcelleo*, posterioribus scriptis haut melioribus, profundius luto illi impactam se ostendit. Compendio se liberare posset, si rejectionibus illis à me in 3 *part. sel. disp tit. Notitia latentis & serpentis hæresios antitrinitariæ*, propositis, cum universo Christianismo calculum adjiceret. Sed hoc hactenus obtineri non potuit. Necesse est, præcognoscatur doctrina eorum & omnia dissensus ac consensus capita, de quorum unione, communione aut syncretismo consultatio admittenda & instituenda esset. Illi totum hoc susque deque habent, quasi de harâ Scepticâ & Pyrrhoniâ ædificandâ ageretur. Vide *Ryssenii syno sin cap.* 2. & 11. Cum Antitrinitariis, Neo Arrianis, Socinianis, si conspirent Remonstrantes, aut ab iis in antecessum se non separent, jam nulla petitio eorum, aut consiliorum de unione communicatio admittenda: non magis quam in *Colloquio Thoruniensi* 1644. (vide *acta colloquii*) Pontificii, Lutherani, reformati eam admiserunt; & soli reformati in Poloniâ anno 1612. de quo vide compendium historiæ universalis *Johannis Læti pag.* 713.

VI. *Notandum*, antecedentis probationem institui ibidem à minori ad majus: Si reformatorum syncretismus cum Lutheranis ab exhibitis illis testimoniis, inter ea facultatis theologicæ Ultrajectinę, probatur; ergo multo magis unio & communio cum Remonstrantibus & eorum societate probanda. Ratio est, quia reformati in tribus capitibus aut articulis à Lutheranis dissentiunt: sed in uno solummodo dissentiunt à Remonstrantibus.

Ad quod respondeo *Resp.* 1. aut dolosâ æquivocatione hoc ita referri, aut apertâ falsitate. Per unum illud caput aut unum articulum, si intelligant unum συνιδίσμῳ seu aggregatum & collectivum, concedo: prout una est *Institutio theologica Episcopii*, una *catechesis Racoviana*, una *Moscorovii*, unum *syntagma Polani*, una *Doctoris Ryssenii synopsis impuræ theologiæ Remonstrantium*, una *confessio*, una *apologia Remonstrantium*, unum *systema theologiæ Keckermanni*, unum *Essenii*, una synopsis Leidensis, &c. quia unum illud extenditur & pervadit per totam confessionis Belgicæ ab articulo primo usque ad 37. seu ultimum inclusivè. Si negent se æquivocatione simplicioribus aut historiæ Remonstrantismi plane ignaris illudere: jam aut falsitatis aut crassissimæ ignorantiæ manifesti sunt. De simplici ignorantiâ non ausim suspicari: neque enim quenquam ignorare arbitror primos professi dissensus ab ecclesiis Belgicis articulos numerari quinque; quibus ilico accessit sextus, de hierarchiâ politica, hoc est de suprema Magistratus potestate ecclesiasticâ ordinationis, regiminis, jurisdictionis: qua illi tribuitur, quod in Papatu, Episcopis, Archiepiscopis, primatibus, Patriarchis. Nôrunt etiam peculiari suâ confessione cum Apologiâ, & catechesi cum liturgiâ plura se explicuisse in quibus à reformatis dissentiunt, quam quinque illos præmissos velites πεντάθλους, cum protectore dicto sexto, de hierarchia politicâ. *Resp.* 2. præter veritatem dici, Remonstrantes in uno illo, in quo à nobis se dissentire profitentur, consentire cum Lutheranis. Nos negamus, & negant Lutherani. Vide supra *cap.* 2. *pag.* 392. Sed, ut compendio hæc quæstio historica decidatur, mittant explicationem quinque articulorum Synodo Dordracenæ exhibitam ad unam solummodo facultatem theologicam Wittebergensem, aut Jenensem, aut Helmstadianam, aut Tubingensem, aut Rintelensem, &c. & responsum suis ac nostris communicent.

CAP. XI.

De libertate exemptionis seu immunitatis ecclesiasticæ.

§. 1. HActenus de libertate securitatis. Restat paucula addamus de libertate immunitatis: quæ in genere dicit res liberas & ab omni onere atque obligatione vacuas. Strictius notat exemptionem & vacationem munerum atque onerum publicorum. Consideratur vel communiter in omnibus fidelibus seu ecclesiæ membris, vel specialiter in ecclesiæ ministris: & in utrisque vel ratione personarum suarum, vel ratione bonorum mobilium & immobilium. Nos strictim præcipua hic notanda sequentibus problematis expedimus.

I. Probl.

I. Probl. *An & quæ exemtio fidelibus seorsim consideratis, competat. Resp.* 1. A jurisdictione Magistratus tum in civilibus tum in criminalibus nemo jure divino aut naturali, vi fidei & libertatis Christianæ exemtus est. *Rom.* 13. *v.* 1.; non magis quam liberi à potestate patriâ, aut uxor à potestate mariti. Quod est contra errorem Anabaptistarum; qui potestatem & munus Magistratus sub N.T. inter ea,quę in foro conscientiæ illicita, numerant. 2. *Concl.* Nec etiam à muneribus & oneribus publicis, quæ à Magistratu imponuntur *Rom.* 13. *v.*6. 7. coll. cum *Matth.*22. *v.*21. Nisi aliqui excusentur per privilegium & beneficium Principis, idque ex justa causa, & ad tempus: de quo videndi Jureconsulti. Sed hoc ipsis communiter cum quibusvis aliis civibus contingere potest: ita ut ipsis non sit proprium, jure divino, aut civili, quâ fidelibus. Quamvis caritas, æquitas, & prudentia Christiana postulet, ut Princeps fidelis, ejusdem fidei consortibus subditis, aliquam exemptionem præ aliis concedat; ubi scil. pauci sunt & admodum contemti. 3. *Concl.* Dubium est, an à servitute ejusque officiis & oneribus, ad quam jure belli redacti, aut per justam Magistratus sententiam condemnati, aut etiam in quâ nati sunt fideles, jure divino, & in foro conscientiæ se eximere, & sic invitis aut insciis dominis se subtrahere possint? *Resp.* Ex exemplo Onesimi in *epist.* ad *Philemonem*, quem ad herum remittit Paulus, & ex ejusdem præcepto 1 *Cor.*7. *v.*20. 21. in genere videtur negandum. Sed regeri posset, apostolum patientiam illam in servitute præcipere *tum* propter scandalum (ne scil. malè audiret religio Christiana, quasi servos contra dominos concitaret): *tum*, ne liberationis jus aut factum in fide & gratiâ Christi fundaretur: *tum* denique propter periculum, quod tunc fugâ majus malum sibi accersivissent secundum mores & leges Græcorum & Romanorum, per quæ dominis jus vitæ & necis in servos competebat. Dici ergo posset, servum injuste ad servitutem condemnatum; aut injusto bello, immo & justo ad servitutem redactum, sicut prece aut precio, sic etiam fugâ libertatem suam rectè repetere: sed hoc non facere ex vi fidei, aut spiritualis libertatis in Christo (quo respectu talem liberationem improbat apostolus), sed ex vi communis juris naturalis. Altioris indagationis est, de fuga licita servorum, qui tales nati sunt; & an fidelis ab hostibus, & quidem infidelibus injustè captus & ad servitutem abreptus, herum suum à quo emtus est, siquidem aliter evasio nulla daretur, occidere posset, non minus quam injustum bellatorem aut bellatores (e.gr. prædonem & latrunculatorem, aut quem Tartarum) manus ipsi injicientem, aut eum in captivitatem abducentem, Turcicis mercatoribus ad perpetuam servitutem venditurum. Sed istę alięque istius generis quæstiones, non sunt præsentis considerationis: ut nec illæ, an Christiani debeant omnes Christianos servos manumittere, & An

promiſcuè quoſvis ſervos ære ſuo mercari poſſint, aut jure belli integras nationes, provincias, &c. ſervituti ſubjicere, Aut in vernas jus civile Romanum, aut jus Gentium (quod vocant) exercere, &c. De quibus ad quintum Decalogi præceptum ex profeſſo agendum. Sufficit hic tenere, ut dominia rerum inanimatarum, ſic & ſervorum non fundari in fide & gratia Chriſti; conſequenter nec exemptiones aut libertates ſervorum, quas debitè ſibi procurare poſſunt: ſed in lege & jure quodam fidelibus & infidelibus communi.

II. Probl. *An Perſona eccleſiaſtica, ſeu clerici (qui ita vocantur) cum familiaribus & domeſticis ſuis, & cum bonis & prædiis omnibus eccleſiaſticis omnibuſque aliis piis (quas vocant) domibus, pauperum, leproſorum, &c. à juriſdictione politica, item muneribus & oneribus publicis ſint exemti, jure divino? Reſp. Neg.* contra Pontificios apud Bellarminum in controverſ. de Clericis. In *Concil. Trident. ſeſſ 25. cap. 20. Extrav. de immunitate eccleſiæ.* Et apud *Zypæum Jur. Cananonico lib.* 3. & Caſuiſtas in voce, Immunitas; imprimis *Choquier in tract.* de libertate eccleſiaſtica, hoc aſſerentes. Quamvis non deſint, qui diſputent, An exemtiones clericorum, quod ad forum, ſint juris humani an divini. Vide autores indicatos in *Remiſſionibus Auguſtini Barboſæ ad Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 20. Quod ad exemtiones quaſdam à muneribus quibuſdam ſive honorariis ſive vilibus, item ab oneribus quibuſdam ex privilegio reali aut perſonali peculiariter conceſſas, aut concedendas; eas extra limites cujuſque politiæ ſe non extendere, credendum eſt. Hinc ſequitur politiæ alicui ab alterius cujuſcunque politiæ liberalitate atque indulgentiâ non præjudicari; nec exemtiones & immunitates clericis conferendas illi præſcribi, quæ ob inſtantem neceſſitatem, aut ob alias rationes bonum & ſtatum Reipublicæ concernentes, idem nec poteſt nec vult præſtare.

III. Probl. *Quid de privilegiis ſtudioſorum (de quibus tract. Rebuffi & Horatii Lucii) quos in Papatu promiſcuè clericos antehac appellare ſolent. Reſp.* Illa à ſummis poteſtatibus concedi ſtudioſis quibuſvis, non qua fidelibus, aut eccleſiaſticis, aut qua ad eccleſiaſtica miniſteria præparandis; ſed qua rerum divinarum aut humanarum ſtudioſis, & in luce Academiarum verſantibus.

IV. Probl. *An totum corpus ſeu collegium eccleſiaſticum inter infideles aut hæreticos, à Principe fideli, ſupra omnia alia collegia civica, privilegiis & exemtionibus quibuſdam, ornari poſſit? Reſp. Aff.* Sic tamen, ne putetur hoc eſſe juris perpetui, & immutabilis, immo & divini. Tales enim poſſint incidere mutationes, ut bono publico hæc aut illa exemtio minimè conveniret. Et hâc ſub diſtinctione cauſas fidelium in Imperio Romano olim Gen-

Gentilibus judicibus ſubductas, & Epiſcoporum audientiam introductam, forte & poteſtatem temporalem à Carolo Magno, aliiſque Principibus in Germania, & Belgio Epiſcopis tributam, excuſare poſſumus. De quo ſupra *cap.* 1. §. 2. *Probl.* 3. Pari ratione Valentinianus, & Valens eximebant pauperes Chriſtianos, ne plus æquo frumenti, & cogerentur emere, aut ne immodico pretio. L. negotiatores C. De epiſcop. audientia. Cujus legis genuinum ſenſum à ſe primo apertum putat *Duarenus lib. diſpp. anniverſ. cap.* 57. Unde tamen perpetua poteſtas Epiſcoporum coactiva, & jura ac libertates clericorum accerſi non debent: quod faciunt Pontificii. Si quis decreta, quæſita, controverſa de clericorum tum ſæcularium tum regularium *libertatibus exemtionum* atque *immunitatum*, *indultorum*, *conceſſionum*, *privilegiorum* (hæc ipſorum technologemata) luſtrare cupiat, is adeat *Auguſtini Barboſæ collectanea bullarii*, & deciſionum SS. congreg. Cardinal. per totum ubi exemtiones ab epiſcopi juriſdictione, ab ejuſdem viſitatione, à proceſſione, item exemtio prædiorum, &c. *Privilegia* canonicis conceſſa vacandi æſtivo tempore ab eccleſiâ, &c. Vide imprimis voces *Exemptio*, *privilegium.*

Monachalium privilegiorum collectio vocatur ibid. *mare magnum*. *Emanuel Rodericus* novam collectionem privilegiorum & immunitatum anno 1623. dedit 2. *tomis* diſtinctam; ubi Pontificum bullæ, brevia, oracula vivæ vocis exhibentur. Infinitum eſſet recenſere particularium quorumcunque Ordinum religioſorum, eccleſiarum, epiſcopatuum, & ſedium epiſcopalium, templorum, monaſteriorum, abbatiarum, altarium, reliquiarum, Confraternitatum, Equitum ſeu militum ſacrorum, Academiarum & ſcholarum, domuum piarum (ut vocant), &c. exemtiones, indulta, privilegia: de quibus alibi. Quæ in bullario, deciſionibus SS. congr. Cardinalium, in hiſtoriis ſingulorum luſtrari poterunt; ab iis, quibus vacat, aut quorum oblatâ occaſione, aliquid aut aliqua iſtorum ſcire intereſt.

Unum atque alterum in tranſitu hic indico, Privilegia eccleſiæ & *epiſcopi Cantuarienſis ab anonymo collecta*, Hanovię a. 1605. excuſa in fol. *Johannes Chenu in chronologiâ hiſtoricâ*, Epiſcopatuum Galliæ pag. 25. notat Anicenſis ſive Avicenſis (*le Peu*, vulgo *le Puys*) exemtionem & immediatam ſubjectionem ad Pontificem, ejuſdemque privilegium dignitatis & præcedentiæ. Super ejuſmodi privilegiis motas controverſias inter Turonenſem & Dolenſem; ab eodem indicatur *pag.* 172. *Zypeus lib.* 3. *Juris canonici novi pag.* 132. ſingulare privilegium refert clero Ultrajectino ab Imperatore & Papa conceſſum, ut liceret natis ex concubinâ quantum haberet relinquere: & ſimilia cleri Namurcenſis quondam fuiſſe privilegia.

CAP.

CAP. XII.

De dignitate Ecclesiæ.

Temporalia Ecclesiæ strictè accepta revocavimus ad hac tria, Libertatem, Dignitatem: Peculium. De Libertate actum est: proximè sequitur agendum de Dignitate.

§. 1. DIgnitas Ecclesiæ est, quę ex ipsius relatione ad Christum & mutuâ confœderatione spirituali, nec non ex rebus & agendis sacris, & ex scopo ac consequente effectu beatitudinis exurgit. Dignitas hęc spiritualis est, quippe fundata in bono spirituali; non ex aut de hoc mundo, nec fundata in bonis animi naturalibus & civilibus, multò minus in bonis corporis aut fortunę: quamvis sit in hoc sæculo & mundo; ubi Ecclesia militat. Ut enim pulchritudo Ecclesiæ est interna, *Psal.*45. *v.*14. & regnum Christi non est de hoc mundo, *Joh.* 18. *v.*36. & πολίτευμα nostrum in cœlis est, *Philipp.*3. sic gloria ejus spiritualis, splendor cœlestis, & laus apud Deum, *Rom.*2. *v.*29. Sed distinguenda est dignitas seu honorabilitas in se spectata, quę intrinsecè & necessariò ex excellentiâ rerum aut personarum fluit: à dignitate ab aliis actu internè agnitâ, aut æstimatâ, & externè verbis, signis, operibus testatâ. *Illa* est verè fidelibus, & veræ Ecclesiæ fidelium propria quarto modo: quia sunt ἀπαρχὴ creaturarum, Dei primogeniti, gens sancta, genus electum, pupilla oculi Dei, Prophetæ, Reges, Sacerdotes. *Ista* respectu Dei itidem inseparabilis est, quia Deus genuinos filios suos diligit, commendat, honorat, juxta illud 1 Sam.2. v.30. *honorantes me honorabo*, &c. sic tamen ut pro sapientissimo suo beneplacito dispenset externa signa, effecta, & opera amoris & honoris, erga eos, ad suam gloriam, & ipsorum salutem. *Eadem* respectu Ecclesiarum & partium ac membrorum inter se itidem actualis est secundum legem communionis Sanctorum: sed magnâ cum distinctione. *Primo*, quia Deus perfectè videt interiora & exteriora hominis, & infallibiliter judicat, æstimat, ponderat corda, *Psal.*26. *v.*2. *Prov.*16. *v.*2. Fideles autem vident aliorum exteriora, & ex iis morali certitudine & judicio caritatis colligunt interiorem excellentiam. *Secundo*, Deus perfectè cognoscit excellentiam fidelium ut est in se, & sic justè laudat atque honorat eam: sed fidelium æstimatio admodum imperfecta est, quod ad partes, gradus, durationem. Ut enim fideles imperfectè in hâc vitâ cognoscunt & credunt, sic diligunt ac honorant tum Deum, tum fratres. *Respectu* corrupti mundi, quamvis esse debebat, ordinario tamen aut nulla est, aut non est sin-

cera & constans : sed loco ejus plerumque odium, & contemtus. Vide 1 *Cor.*4. *v.*9. *Joh.*15.*v.*19. 1 *Joh.*3. *v.*2. Et ratio est, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, 1 *Cor.*2.*v.*14. Et nemo novit nomen illud novum, nisi qui accepit, *Apocal.*2. *v.*17. Porro dignitas ecclesiæ considerari potest, vel *absolutè*, vel *comparatè* cum aliis. Comparatio illa est vel homogeneorum, vel heterogeniorum. *Illa* est ecclesiæ cum ecclesiâ; ut veteris testamenti cum novo testamento; Ecclesiæ novi testamenti cum aliâ, antiquæ cum nova; orientalis cum occidentali; orientalis Constantinopolitanæ cum orientali Nicenâ, aut Antiochenâ, &c. Compatatio hodiernæ reformatæ ecclesiæ Genevensis cum Heidelbergensi, Amstelodamensis cum Middelburgensi,&c. Comparatio heterogeniorum fit, cum quæritur, utrum sit major dignitas hujus politiæ, an hujus ecclesiæ. In Papatu peculiari quâdam ratione & appellatione episcopatus & episcopi, ut istic à presbyteris & parochis distinguuntur, dicuntur *dignitates*; & supra illos Archiepiscopi, Patriarchæ seu Primates, Cardinales: quo titulo omnes etiam ecclesiastici *gubernantes* vocantur, oppositè ad *ministrantes*, *adjuvantes*, *supererogantes*. In capitulis canonicorum archidiaconi, primicerii seu præcentores, thesaurarii specialiter contradistinctè ad alios canonicos & ad munerarios seu officium habentes canonicos dicuntur dignitates.

Quæstiones aliquot, ad uberiorem hujus rei explicationem, subjicimus. §.2.

I. *Quæst. An dignitas spiritualis Ecclesiæ, sit politica seu mundana; & vice versâ?* *Resp.* Neg. Non magis quam Ecclesia & potestas Ecclesiastica quâ talis, est politia, & politica, & bona ac dona spiritualia sunt naturalia & civilia; aut vice versâ.

II. *Quæst. An ecclesiæ cujusque particularis sub* N. T. *major sit præstantia, beatitudo, dignitas; quam cujusque synagogæ sub V.T.* *Resp. Aff.* Idque analogicè colligitur ex *Math.*11.*v.*11. ubi minimus in regno cœlorum major dicitur Johanne Baptistâ omnibus prophetis majore. Et ex *Haggei* 2.*v.*10. Ubi major dicitur gloria templi posterioris, quam prioris: quod ad illud venerit dominus templi Christus.

III. *Quæst. An ratione solius antiquitatis aut prioritatis temporis, aut dignitatis & excellentiæ loci in quo est ecclesia, aut amplitudinis, ecclesia aliqua dignior aliâ aut aliis haberi & dici possit?* *Resp.* minimè. Hæc peristatica & extrinseca sunt: in quibus dignitas aut dignitatis gradus fundari nequit. Redolet ergo typhum sæculi, cum in Papatu ecclesias aut sedes episcopales ob externa illa accidentalia *insignes* appellant. Nos dignitatem ex insigni cognitione spirituali, fidei professione ac confessione, exercitiorum sacrorum frequentiâ, zelo pietatis, doctrinæ puritate, morum integritate, regiminis & disciplinæ curâ atque ἀκρίβεια, antecessorum excellentiâ æstimandam di-

 cimus.

cimus. Sic e. gr. tempore dominantis corruptionis Papalis, *insignes* & sacrâ seu ecclesiasticâ dignitate præfulgentes erant ecclesiæ Waldenses, Bohemicæ, Pedemontanæ. De illis vide historiam *Joh. Pauli Perrini de Albigens. & Albigensibus*; & de *Merindolensi*, & vicinis ecclesiis *martyrologium Gallicum, Thuani historiam ad annum* 1550. De Bohemicis, Moravicis, & Polonicis ejusdem unitatis & confessionis, *Joach Camerarii historicam narrationem*, &c. a. 1605. à Philippo Camerario editam; *Johannes Lasicium* equitem Polonum de iisdem; Pręfationem ad confessionem fratrum unitatis Bohemicæ a. 1612. *Johannis Amosi Comenii præfationem & notas ad disciplinam eorundem fratrum unitatis*. De Pedemontanis occasione persecutionis anno 1655. & 1661. aliquæ notitiæ prodierunt: sed plenior commentarius de earum origine & statu adhuc exspectatur

Ecclesia Genevensis cum *Calvinus*, *Farellus*, *Beza*, &c. in eadem docerent, & disciplina vigeret, erat & poterat dici inter centenas alias *insignis*. Idem ajo de ecclesiâ Londino-Belgicâ, præsidente illic *Joh. A Lasco*. Hodiernarum ecclesiarum comparatio nimis odiosa esset: quamvis Apostolus non veritus fuerit excellentiam & dignitatem ecclesiæ Romanæ deprædicare *Rom.* 1. *v.* 8. Cum his conferri debent, quæ infra *part.* 2. *lib* 2. *tract.* 1. *de dignitate ministerii & ministrorum commentamur.*

IV. *Quæst. An cum in uno subiecto sive distributim sive collectim considerato, hoc est, in cive aliquo, aut in populo, aut in collegio civili utraque dignitas, cum fundamentis concurrit: tertium aliquod inde exurgat, tanquam compositum per se? Resp. Neg.* Per hanc heterogeneorum mixtionem, seu potius monstrosam confusionem, Ecclesia in sæculum paulatim transformata est, & spirituali dignitate exuta gloriam suam posuit in ignominiâ. Exemplo sit Ecclesiæ antiquę per hierarchias Episcopales, Metropoliticas, Patriarchales descensus: unde tandem in præcipitium Antichristiani primatus & hierarchiæ Romanę in partibus occidentalibus deturbata est. Per eandem Spagyricam, orta & stabilitâ jam reformatione, nonnulli ab uno illo præcipitio in alterum nihilo melius, forte longè deterius, miseram Ecclesiam detrusam velint: dum hierarchiam ecclesiasticam, cum politicâ, primatum Ecclesiasticum cum Politico, & Monarchiam spiritualem ac formaliter Ecclesiasticam cum Politicâ Regum & Principum in unum tertium coalitam, aut saltem posteriorem cum priori ἀχωρίστως conjunctam, atque ex eâ immutabili jure divino consequentem ac dependentem, comminiscuntur: ut scil. dicendum sit de quocunque ad potestatem Politicam evecto, quod in naturalibus dici solet: Qui dat formam, dat consequentia formam. Sed fallaciam hanc accidentis & compositionis ac divisionis alibi ex professo deteximus: Est primas, est monarcha in Republicâ, & est in Ecclesiâ (tan-

(tanquam pars ejus aut membrum): ergo eſt primas & Monarcha in Eccleſiâ, & habet ſub Chriſto capite ſupremo, in his terris primatum aut monarchiam formaliter Eccleſiaſticam. Φεῦ τῆς σοφιστικῆς! Vide ſupra *lib. 1. tract. 2.*

V. *Quæſt. An in Eccleſiâ ad imitationem Reipublicæ aut Imperii mundani eminentiæ & dignitates Eccleſiaſticæ, earundemque tituli, ac ritus ſint efformandi. Reſp. Neg.* Non oportet enim nos ſapientiores eſſe Chriſto, qui expertè hoc vetuit, *Matth. 18. v. 14. Luc. 22. v. 25. 26.* Fruſtra ergò hic eccleſiaſtica ſtatuta, aut Principum placita, aut mores antiqui, aut conſervatio unitatis in eccleſiâ, aut ſtatus regiminis Politici, atque utilitas conformandi eccleſiaſtica cum eo prætenditur. Eventus etiam oſtendit in eccleſiâ Romanâ, quam malè cedat prudentia humana in rebus divinis. Ibi nunc veritate & pietate perditâ, præter exuvias mundi, & ſpolia Clericorum nihil ferè relictum. Ibi reſonant, divinæ Majeſtates Pontificum, eminentiæ Cardinalium, Principatus Epiſcoporum, dignitates quorundam in capitulis (e. gr. Archidiaconi, Archipresbyteri, &c.), Prælaturæ Priorum & Abbatum inter Monachos; addo & definitorum, Provincialium, Generalium, quamvis aſcito titulo *Miniſtrorum*, id diſſimulare conentur. Sed hoc tantundem valet, ac titulus quem Papa ſibi tribuere ſolet: *ſervus ſervorum Dei.*

VI. *Quæſt. An dignitas ſpiritualis Eccleſiæ, aut cujuſque fidelis, ut ut diſtinctiſſima à dignitate ſæculari, ſaltem poſſit eſſe motivum Eccleſiæ nutritiis aut fautoribus, propter quod in collatione dignitatum ſæcularium, aliis præferantur, cæteris ſcil. paribus, aut non admodum imparibus? Reſp. Aff.* Ex *Gal. 6. v. 10. Pſal. 16. v. 3.* & *101. v. 4. -- 8.* Accedant exempla piorum Principum ac Magiſtratuum. Ita ut merito hypocriſeos ſuſpecti illi nominales reformati, qui ad dignitates & munera promovere malunt à veræ religionis profeſſione aut à pietate alienos, quam ejuſdem fidei conſortes, cætera ad dignitatem aut munus illud æque, ſi non magis idoneos. Profeſſo vero profanitatis, aut Epicureiſmi, aut hoſtilitatis ergo reformatam religionem & eccleſiam, plus quam ſuſpecti eſſe debent, qui electioni & ſymptioni omnium eorum ob cauſam aut zelum religionis obſiſtunt, quos Libertinicâ aut Epicureâ ſuâ phraſi *nimium eccleſiaſticos*, hoc eſt eccleſiæ addictos & vernaculè **al-te Kercks & Kerck-Dylen**, appellare ſolent. Illis conſulerem ut legant *Pſal. 14.* & *94.* & ubi moveri cœperint, Pſalmos Pœnitentiales.

VII. *Quæſt. An Eccleſia aliqua, aut Collegium eccleſiaſticum, Synedrium ſcil. aut Claſſis, aut Synodus, indignè verbis, aut operibus malignantium excepta, dignitatem & honorem ſuum contra calumnias tueri poſſit, juſtâ Apologiâ, aut vindiciis per opem Magiſtratus à ſe imploratam? Reſp. Aff.* ſervatis ſer-

vandis.

vandis. Conſidera exempla Chriſti, & Pauli provocantis ad Cæſarem, & Apologiam inſtituentis, *Actor.* 26. Adhæc *Apologias* antiquas, *Athenagoræ*, *Juſtini*, *Tertulliani*, & recentiores; Eccleſię Gallicæ *Gentileti*, Anglicanæ *Juelli*. Sed de hoc pluribus ad 9. Decalogi Præceptum. Et infra *part.* 3. *tit. de confeſſionibus & Apologiis.*

VIII. *Quæſt. An immunitates, libertates, poteſtates, privilegia, indulta, ſive à Papis aut hierarchia Romano-Papali antehac rapta & uſurpata, ſive ab Imperatoribus & Principibus ſæcularibus emendicata, aut ſponte & motu proprio ab iiſdem collata, ita relinqui & conſervari debeant à Principibus & politiis, præſertim reformatis; an vero auferri aut minui poſſint? Reſp.* 1. *Concl.* De purè illicitis irrationalibus Antichriſtianis, ſtatus politici & eccleſiaſtici libertati, ac poteſtati directè repugnantibus, aut ſaltem graviter præjudicantibus, abſolute aff. ſi modo præter poteſtatem adſit potentia, mala illa tam diu & tam bene (ita loquar) poſita tollendi, aut ſaltem minuendi. Quod eſt contra diſputationem *Joh. de Choquier in tract. de libertate eccleſiaſticâ.* Mala enim malè & indebitè introducta tolli poſſunt & debent, ab iis, quibus jure divino & naturali poteſtas competit eccleſiam & politiam ab illis malis liberandi. Nullus præſcriptionis prætextus, nulla generalia & doloſa axiomata, de *jure quæſito nemini auferendo*, deque *juſtâ poſſeſſione omnium, quæ volente prætore poſſidentur*, hic quidquam valere debent. Quid ſi Papa ſecundum famoſam donationem Conſtantini, plurima ad Imperium pertinentia, & vel totum Imperium ſibi uſurparet, electionem Imperatoris ſibi tribueret, regnum Anglicanum tanquam feudale aut tributarium (moribus antiquis) ſibi vindicaret, atque adeo alia pleraque regna enumerata in Barchionenſis Cancellariâ Apoſtolicâ, quin & ſupremam poteſtatem in totum orbem terrarum ſive directè juxta Canoniſtas, ſive indirectè juxta theologos, ſibi tribueret? An omnia illa à Principibus & politiis conſervari & defendi deberent? Quid ſi clerici abominandis flagitiis Dei iram in Rempublicam provocent, pacem publicam perturbent; an Magiſtratus, cui jure divino malorum punitio impoſita eſt *Rom.* 13. *v.* 1.-6. ob prętenſam exemtionem clericorum, nudum ſpectatorem ageret? Nota eſt controverſia anno 1605. 1606. 1607. inter ſereniſſ. Rempubl. Venetam, & Paulum V. quomodo excommunicationis fulmen in eam vibratum ſit, inter alia, ob Abbatem & Canonicum infandorum flagitiorum reos carceri commiſſos. Vide Tragicocomœdiam hanc ſeptem libris deſcriptam & editam, *Mirandulæ ſermone Italico*, & ex eo in Gallicum traductam, editam anno 1625. in 8. Quæ his verbis inchoatur: *Papa Paulus* V. *ab adoleſcentiâ* (de ſa jeuneſſe) *ſe dedit ſtudiis, & in iis fuit enutritus; quæ alium ſcopum non habuerunt quam Papæ totius mundi monarchiam ſpiritualem & temporalem acquirere, & per promotionem*

tionem ordinis Clericatus omnibus Principibus potestatem & jurisdictionem subtrahere, usque ad exaltationem ejusdem ordinis supra ipsos Reges, & subjectionem sæcularium ad omnis generis servitutes & commoditates. Addi possunt varia scripta theologorum & Jureconsultorum pro sereniss. Republicâ : inter quæ instar omnium esse possent septem theologorum Venetorum, & *Marsilii* ac *Pauli Scarpi* : quæ potissimum *Bellarminus* oppugnanda sibi sumsit. Hæc una cum *Antonii Quirini* Senatoris Veneti ; & quorundam JCCtorum Venetorum scriptis Latinè excusâ Francofurti per *Conr. Nubenium* anno 1607. in 4. lectu dignissima. Quid si Papa classicum canat, & Principibus cruciatas expeditiones sive extra sive intra orbem Christianum imponat, pacem abroget à Principibus Christianis præsertim Romanæ religionis conclusam (vide bullam *Innocentii* X. qua pacem Germaniæ anno 1648. abrogatum ibat), quid si regna transferat, etiam infidelium terras & regna liberaliter distribuat (uti factum ab *Alexandro* VI.), an *Choquier libertas ecclesiastica*, & *Gretseri Principum* in ecclesiam seu sedem Romanam (*Apostolicam* vocat) munificentia omnium Principum ora, manus, gladios contineret, solâ obediendi gloriâ ipsis relictâ? 2. *Concl.* Si exemtiones, privilegia, indulta antehac ecclesiis, & clericis, ante aut post ἀκμὴν Papatus, per Principes concessa aut collata talia sint, ut ad adiaphora & licita, aut saltem tolerabilia referri possint: nefas tamen non erit Principibus eadem tollere, aut imminuere; necessitate aut bono publico ita postulante, ipsâ insuper meliori ecclesiæ ædificatione. Regula est notissima, per eandem potestatem quid destrui posse, per quam constitutum est. Inconditi isti theologorum & Canonistarum Papalium clamores de libertatibus, privilegiis, exemtionibus, indultis Imperatorum, Regum, Principum facilè comprimi possunt, ipsius *Concilii Tridentini* decretis de abrogandis aut minuendis privilegiis, indultis, exemtionibus ecclesiasticis, quæ ipsa ecclesia, seu mavis Pontifices & prælati antehac concesserunt, quæque longi temporis præscriptione & consuetudine obtinuerunt. Vide *seß.* 25 *cap.* 18. & s. 24. cap. 11. & s. 5. c. 2. & s. 6. c. 2. 3. 5. & s. 7. c. 7. 8. 10. 14. & s. 14. c. 1. 8. 11. 13. & s. 21. c. 8. & s. 22. c. 4. 9. & s. 23. c. 1. 6. 8. 12. 15. 18. & s. 24. c. 4. 9. 15. 18. & s. 25. c. 6. 8. 9. 13. Privilegia multa ab hoc, aliisque conciliis, aut à Papis abrogata sunt, aut aliquid iis derogatum est; alia post abrogationem suscitata ac restituta, denuo abrogata. Si quæras quo jure, respondebunt, quod ejusdem potestatis sit auferre, cujus est conferre. Quædam, inquit Zypæus lib. 5. tit. *de privilegiis & excessibus privilegiatorum* pag. 363. *Quædam aliquando privilegia apparens ratio extorsit, quæ hodie ecclesiasticæ disciplinæ officiant*, &c. Hæc applica multis privilegiis, exemtionibus, libertatibus cleri per Principes concessis. Nostri qui mare hoc privilegiorum circumnavigare

 nolunt,

nolunt, legant modo ex recentioribus Canonistis *Zypeum loc. cit.* ubi etiam alii scriptores indicantur.

Porro de prætensis exemtionibus & privilegiis personarum seu clericorum, bonorum ecclesiasticorum & clericalium tam mobilium quam immobilium, ut agrorum, templorum, domuum, &c. unus *Zypæus* sufficienter te instruet, *lib. 3. Juris Canonici tit. de Immunitate ecclesiæ p.* 374. Cum quo in casu necessitatis conferri poterunt, *Sylvester in summâ*, aliiqui Casuistę & Canonistæ in vocibus *clericus, privilegium, exemtio, immunitas. Reginaldus in praxi fori pœnitentialis pag.* 179. *&* 709. *Busæus de statibus hominum p.*46. 47. *Claudius Solierius de juridicâ potestate confessariorum. Tholosanus lib.* 3. *politicæ.* Contra exemtiones & privilegia regularium, pro autoritate episcoporum ante annos aliquot acre bellum, sed chartaceum, inter Jesuitas & Sorbonistas gestum meminimus. Ab illorum parte *Daniel à Jesu, Smitheus, Rubisindus, Loemelius*; ab istorum parte *Franciscus Hallier, Nicol. le Maistre, Aurelius* in aciem prodibant. Meminit ejusdem certaminis celeberrimus *Grotius in epistolis ad Gallos, epist.* 146. Ortum illud bellum ex propositionibus regularium in Hiberniâ agitatis, quas Sorbona condemnârat. Contra exemtiones clericorum à jurisdictione Principum sęcularium per jus divinum *Bellarmino lib.* 10. *de Clericis cap.* 28. fatente disputârunt celebres in Papatu Doctores *Medina* & *Covarruvias*: De iisdem & similibus clericorum exemtionibus ac privilegiis plurima dissertata invenies in libris 4. *Petri à Marca, de concordiâ sacerdotii & Imperii*, seu de *libertatibus ecclesiæ Gallicanæ*, edit. anno 1641. & in *Rubardei* Jesuitæ Optato Gallo benignâ manu secto, autore anonymo anno 1641. in 4. Ad clericorum privilegia referri debent casus reservati, Papales scil., Episcopales, Abbatiales: quos peculiaribus tractatibus explicuerunt *Joh. Chapeaville Vicarius Leodiensis*, & *Fr. Coriolanus Capuchinus.*

Nec prætereunda privilegia piæ, quam vocant, causæ; qualia numero 167. tract. aliquo *Tiraquelli* explicata refert (si bene memini) *Joh. Molanus* in libro de piis testamentis.

De privilegiis & immunitatibus, quæ ecclesiis aliisque piis locis data sunt ab Imperatoribus, infra *tract.* 4. *tit.* de Templis dicendum erit.

Ex his ita explicatis, educimus sequentia Consectaria. I. *Consectar.*

§. 3. Transitum fieri εἰς ἄλλο γένος, & comparationem in diverso genere institui, cum dignitas Clericorum in Papatu præfertur dignitatibus in hoc sæculo, Regum scil., Principum, Magistratuum, & quidem in negotiis & gradibus hujus sæculi. II. *Consectar.* Eâdem ineptâ sophisticâ contendi à Clericis, præsertim Episcopis, sibi vi dignitatis Episcopalis ἀρχὴν & potestatem,

 &

& hâc hominibus extortâ, Præcedentiam in rebus, actionibus, negotiis hujus sęculi competere; adeò ut in regimine hujus sæculi, si quam partem humano arbitrio aut indulto obtinuerint, semper velint esse Primi: quamvis non rarò potentia eorum, census, tributa, officia & merita in Rempublicam sint postrema, aut mediocria, aut nulla. Hæc enim eorum perpetua compositionis & accidentis fallacia: Hermachus est primus & antecessor in Ecclesiasticis, aut Prior, aut Abbas in Monachatu, in monasterio: ergo est primus in Republicâ aut in Senatu; ubi aliqua pars ipsi concessa est. III. *Conjectar.* Hinc patere, quo jure Canonistæ Papam soli, Imperatorem lunę in sæculo, seu in Imperio Romano comparârint. Nam ratione aut respectu Ecclesiæ & rerum, negotiorum, causarum, personarum Ecclesiasticarum comparationem illam non instituunt: sed ratione & respectu rerum, negotiorum, causarum, personarum politicarum atque imperialium. In ecclesiasticis enim Imperatori (quippe laico) nullam potestatem, nullum dominium concedunt. Consequenter nulla comparatio hoc respectu inter Imperatorem & Papam institui potest, nulla quęstio moveri, Utri superior gradus & potestas in ecclesiasticis tribui debeat, Papæ an Imperatori. Præterquam quod nemo respectu primatus aut monarchiæ in ecclesiâ, soli comparari possit, nisi Christus, qui est sol justitiæ & fons omnis lucis ac gratiæ salutaris. IV. *Consectar.* Hinc etiam constare, quid censendum de συγκαταβάσει literatiss. & celeberrimi *Grotii, qui lib. 2 de Jure Pacis & Belli cap. 9.* §. 11. electionem Caroli Magni in Imperatorem factam dicit à populo Romano, *ac pronuntiatam voce primi civis, id est, Episcopi sui (quomodo & in Judaicâ Republicâ Rege non existente prima erat summi Pontificis persona)* Paulo post subditur: *Populum Romanum jus approbandæ aut improbandæ electionis sibi reservasse:* quæ *approbatio per Episcopum edici & solenniter testata fieri peculiari coronatione solebat.* Et paulò post: *Unde illud quoque intelligi facile potest, quo jure Episcopus Romanus vacante Imperio investituras tribuat feudorum Imperii Romani, quia scil. in populo Romano tali tempore libero, primas obtinet.* An ergo qui & quia jure humano primas obtinet in Ecclesiâ Romanâ, pariter jure divino, aut humano, aut utroque primus erit in Republicâ, in universo Imperio Romano? An verò hæc vera erit juris usurpatio? Sed quid sub titulo primi civis, præsertim vacante Imperio, latere possit temporalis potestatis Pontificum, viderint Politici & Jurisconsulti Germaniæ, & conferant *Grotii appendicem ad notas in Euangelistas*, quæ est de Antichristo pag. 831. edit. in fol. Nos alibi hæc attigimus *part. 2. select. Dispp. de Translatione Imperii.* V. *Consectar.* Nec vice versâ minori ineptiâ ac sophisticâ, à dignitate sæculari ad spiritualem & ecclesiasticam, & olim & etiamnum hodie à nonnullis transitum est hoc modo.

do. Hermachus est primus in sæculo, divitiis scil., aut potentiâ, aut potestate: ergo est Primus, aut Princeps, aut etiam primas in ecclesiâ & in ecclesiasticis. VI. *Consectar.* Viri de ecclesiâ alienam dignitatem, κοσμικὴν scil., aut ei conformem in ecclesiâ & in spiritualibus maximè quærentes atque affectantes, in verâ spirituali dignitate, ejusque genuino fundamento apud Deum minimi sunt: 1 *Petr.* 5. *v.* 5. VII. *Consectar.* Ecclesiam Romanam, quod ad agenda sua seu res (quas vocant) sacras, personas, actiones tum regiminis, tum jurisdictionis esse transformatam in mundum, hoc est in histrioniam, ostentationem & pompam mundanam; in regnum seu mavis subdolam tyrannidem mundanam: quæ à mundo incipit, per mundum proficit, in mundo desinit. Vide ex nostris *Edwinum Sandis de Statu ecclesiarum in Occidente* Angl. & Gallicè: ex Pontificiis *Isidor. Mosconium de Majestate Ecclesiæ militantis*; *Lælium Zecchum de Republica ecclesiasticâ*; *Barthol. Chassanæum in Catalogo gloriæ mundi*; *Caramuelis Lobkowitz tract. de Præcedentiâ*, &c. *ubi alii plures indicantur*; *Gretserum de munificentiâ Regum ac Principum erga sedem Romanam*; *Joh. à Choquier de Libertate ecclesiasticâ*; *Ceremoniale Romanum*, *Pontificale*, *Episcopale*, aliosque tractatus de Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus, Capitulis & Canonicis, &c. alibi indicatos. Nec prætereundi sunt Monachi (qui mundo mortui dicuntur), ne quidem mendicantes. De quibus *Rodericus in tomis quæstionum de Regularibus*, *& in tract. de privilegiis Regularium* supra cit. & *Barthol. Miranda in Manuali Prælatorum Regularium tom.* 2. *quæst.*41. - 48. *Augustinus Barbosa* in collectione ex Bullis Pontificum & decisionis SS. congregt. VII. *Consectar.* Ut meritò omnes pii dolent typhum sæculi olim in Ecclesias & Episcopales sedes ingressum, tanquam abominationem vastatricem (vide Historias Ecclesiasticas variorum, & *Plessei mysterium sæculo* 2. 3. 4. 5.); & ut detestantur hodiernas carnales ac stolidas de præcedentiis contentiones Ecclesiarum, Capellaniarum, Monasteriorum, Abbatiarum, Capitulorum, Episcoporum, aliorumque Clericorum, tum sæcularium, tum regularium, & domuum piarum ac confraternitatum in Papatu: sic probare non possunt, tacitè serpentes alicubi prætensiones primitatis, aut præcedentiæ, aut exemtionis, aut independentiæ Ecclesiarum, aut Ministrorum quorundam præ aliis. Ex parvis illis initiis olim Episcopatus, Archiepiscopatus, Patriarchię, Ecclesię Cathedrales & Metropolitanę, verè fundi Ecclesiastici calamitates, exortæ sunt. IX. *Consectar.* Ad mundi & carnis typhum, immo & typhonicum referendum esset, si quis Minister magis exemptus, aut in negotiis, causis, & ἐνέργείᾳ ecclesiasticâ magis independens haberetur, aut eidem in functione Ministerii & regimine ecclesię primitas aliqua seu ὑπεροχὴ, si non quasi primatus vindicaretur: quod

ex

ex nobili, aut patriciâ familia, aut honoratiori familiâ civicâ, aut patre notario Cæſareo (quales omnes notarii in Imperio Germanico), aut judice ſeu prætore vicano oriundus ſit, aut lautiori patrimonio gaviſus ſit, aut propriis ſuis parentumve (non publicis eccleſiæ, aut Reipublicæ, aut aliorum Mecænatum) expenſis ſtuduerit. Tales exemtionum & privilegiorum fictiones vanitati & typho ſęculari & ſæcularizato Papatui magis convenirent, quam ſimplicitati Apoſtolicæ *Luc.22.v.25.X.Conſect.* Quod idem dico de miniſtris & eccleſiis, ſi qui in civitate aliquâ majori, aut in metropoli, peculiares exemtiones à viſitatione aliâque ſubjectione & dependentiâ claſſicâ aut ſynodicâ, & peculiares dignitates ac pręcedentias inter & ſupra reliquos miniſtros earumq; eccleſias, ſibi vindicare vellent. Nullus in ſimplici, Apoſtolico, preſbyteriali regimine (quale in noſtro Belgio) locus, nullum veſtigium cathedralibus, aut inſignibus eccleſiis, earumque miniſtris relinqui debet: nulla etiam conformitas, nulla connexio, nulla mixtio, cum politiâ & poteſtate civili inſignis & eminentis civitatis, aut toparchiæ affectanda, introducenda, fovenda, retinenda eſt. Hoc enim eſſet hierarchiæ per reformationem hic abolitę & profligatæ arenoſo fundamento, politiam eccleſiaſticam ad ſęcularis cujuſcunque poteſtatis & eminentię modulum conformandam, denuo inædificare. Qualis abuſus olim Papalem hierarchiam, & Papæ monarchiam eccleſiaſticam infelici partu edidit. Nobis ſtare debet illud Belgicarum eccleſiarum ſapientiſſimum decretum: *Nulla eccleſia ſupra aliam eccleſiam, nullus verbi miniſter, nullus ſenior, nullus diaconus alter ſupra alterum dominium geret: ſed quiſque ab omni ſuſpicione, & illicio ad dominandum ſibi cavebit. Conſtit. Synodi Embdanæ* 1571. *artic.* 1. Quod idem repetitum in ſeqq. ſynodis Nationalibus, uſque ad *Hagienſem* anno 1586. & *Dordracenam* 1619. *artic.* 84. cui adde *artic.* 36. *Eadem poteſtas claſſis ſupra ſynedrium ſeu conſiſtorium, quæ Synodi particularis ſupra claſſem, & Synodi generalis ſupra particularem.* Secundum iſta tam bene conſtituta, & in ac cum primâ Belgii noſtri reformatione ab eccleſiis & theologis crucis introducta, hortor omnes & ſingulos, ut verbis *Concilii Niceni can.* 6. perpetuò contra omnes inſidiantes Diotrephicos conſtanter proteſtentur: τὰ ἤθη ἀρχαῖα κρατείτω, id eſt, *Mores antiqui obtineant.* XI. *Conſectar.* Peſſimè facere illos, qui ut imaginarias illas dignitates, prærogativas, præcedentias ſibi de novo acquirere, aut ſi antehac uſurpatæ ſint, invitis eccleſiis, & receptis canonibus conſervare queant, ad brachium ſæculare confugere, eique hierarchiam politicam & vel Pontificatum politicum ſive apertè & theoreticè ſive tacitè, & practicè non verentur tribuere. Aureum enim hoc victoriæ compendium, ſubſtituere ſibi illos, qui habent arma realia; eoſque cum fratribus ſuis armis verbalibus & cla-

ve spirituali ac precatoriâ solummodo instructis committere; eosque in oves Christi immittere. Tales momentaneo triumpho exultantes sentient aliquando, *Malum consilium consultori esse pessimum.* Christus Rex & vindex ecclesiæ suæ non irridetur. Atque hactenus de dignitate ecclesię: quæ uberius amplificari & extendi potest, ex Cantico Canticorum, *Psal.*45. & 87. & 122. 1 *Timoth.*3.*v.*15. *Ephes.*4.*v.*16. 1 *Cor.*3.*v.*9. *Galat.*4.*v.*26.27. 1 *Cor.* 12. Est civitas, est domus, est palatium Regis Regum, est pupilla oculi ejus, Israël est primogenitus, *Exod.*4. *v.*22. cum *Jac.*1.*v.* 18. Est pretiosissimus ejus thesaurus (Hebr. סגלה) *Exod.* 19. *v.* 5. Est mysticum corpus ejus, est amor & deliciæ ejus, est sponsa & uxor ejusdem. Quæ omnia per præcipua attributa sua in sæcularibus explicata, per comparationem analogicè ecclesiæ applicari possunt. Ut verbo dicam, uxor in hoc sæculo fulget radiis mariti. Omnes filii ecclesiæ sint gens sancta, sunt prophetę, sacerdotes, reges, castrorum acies ordinata. Ministri & antecessores ejus sunt viri Dei, sunt amici & paranymphi cœlestis sponsi, sunt legati Regis Regum, sunt sal mundi, currus Israëlis & equites ejus, &c. Confer infra *part.* 2. *lib.*2. *de ministerii dignitate.* De immunitate, privilegiis, dignitate ecclesiarum nostri ex professo non agunt; nisi forte in titulo de ministris ecclesiarum, de eorum exemtione, privilegiis, dignitate aliqua attingant. Nos infra *part.*2. *lib.*2. *tract.*1. opportunè de iis aliquid disquisituri sumus.

De ministrorum politicorum usque ad apparitores, cursores, curiæ aut tribunalis janitores, caminopurgos, focarios, &c. adhæc gregariorum quorumvis militum & tyronum dignitate & pręcedentiâ in sæculo, præ verbi ministrorum & theologorum dignitate civicâ & sæculari, quęstio & comparatio commodè vix institui potest. Quia ministri verbi nec munerarii nec ministri sęculares sunt: ideoque cum & re & nomine destituantur, non debet quæri an gradum excellentiorem & digniorem in muneribus & ministeriis sęcularibus aut politicis obtineant. Qui ergo & quales sunt in hoc sæculo? sunt cives privati secundum censum, aut annos, aut hæreditarias dignitates, aut potestates, juxta cum aliis ejusdem qualitatis comparandi atque æstimandi. Ut enim gratia non tollit jura naturæ aut civica; sic nec ministerium sacrum. Quod autem minister jure possidens, temperamentum aliquod adhibet in usu jurium & privilegiorum sæcularium, id prudentiæ & caritati ejus in usu adiaphorum tribuendum.

LIBRI

LIBRI QUARTI

TRACTATUS SECUNDUS.

DE

Peculio Ecclesiæ, seu de bonis Ecclesiasticis.

Tractatus hic continet sex quæstiones principales.

- I. *Quid & quotuplicia sint bona Ecclesiastica.*
- II. *An sint, & possint esse.*
- III. *De origine, fundatione, & acquisitione eorum.*
- IV. *De eorum administratione, & custodiâ.*
- V. *De eorum usu, erogatione, & dispensatione.*
- VI. *De eorum alienatione, sæcularizatione, vindiciis, restitutione.*

CAP. I.

De nomine, definitione, & divisione bonorum Ecclesiasticorum.



Ona Ecclesiastica, seu bona Ecclesiarum, à scriptoribus §. 1.
vocantur bona sacra, peculium sacrum seu Ecclesiæ, patrimonium sacrum seu Ecclesiæ, patrimonium Christi, aut Dei. Vox patrimonii *strictius* aut *latius* apud Jureconsultos accipitur; qui iidem peculium distinguunt in profectitium & adventitium, paganum & castrense, paternum & dominicum, &c. Sed hæ distinctiones ad rem nostram non faciunt. Nos per patrimonium, peculium, uti ab aliis bona illa appellantur, intelligimus quæcunque bona & possessiones ecclesiarum, eorumque fructus seu reditus. Quomodo recentior Theologus Sorbonicus libri sui a. 1636. editi titulum facit, *Illustratio sacri patrimonii, seu de bonis & possessionibus Ecclesiarum.*

Quæstiones de appellationibus istis audivi à nonnullis moveri: non quod circa verba, quæ usu valent, alias tam morosi sint critici: sed ut abusus bonorum istorum, si non in totum, saltem in tantum excusare & palliare possint.

I. Quæst. *An bona ecclesiastica sive mobilia sive immobilia cultui divino acquisita & dicata propriè & formaliter sint ac dicantur sacra? Resp.* Nos appellationem illam non introduximus, nec eam usurpare solemus: sed ab antiquis & recentioribus adhibitam referimus. Quod ad propositam quæstionem, *resp.* de bonis & utensilibus V. T. qualia templum, altare, vasa sacra, vestes sacræ, &c. *Aff.* De bonis, utensilibus, & vasis sub N.T. *Neg.* uti antehac in 3. *part. sel. dispp. tit. de benedictionibus & sacramentalibus* explicuimus, & infra *tract.* 4. *tit. de templis* repetemus. Quod autem patres, theologi, ac Jureconsulti antiqui & recentiores vasa & quævis bona ecclesiæ appellant *sacra*, accipiendum est non formaliter, sed objectivè & finaliter: quia in exercitium & promotionem sacrorum seu cultus divini impenduntur, & impendi debent, atque in hunc usum acquisita, dicata, & ordinata sunt. Quod si templa, vasa, &c. sub N. T. non nisi objectivè, & per extrinsecam denominationem *sacra* dici debent; quanto magis ecclesiarum agri, nummi, census, &c. non nisi sub hâc distinctione *sacri* dicendi sunt. Hæc tamen distinctio non absolvit eos à furto, nec à specie illâ furti, quæ *sacrilegium* dicitur, si qui vasa, utensilia, bona templorum nostrorum, aut utensilia & pecunias pauperum, Orphano-trophei, nosocomii, &c. fraudulenter contrectarent. Quousque enim & quo sensu distinctionis causâ ab objecto & fine appellantur *sacra* & *pia*, eousque & eodem sensu harpax quis aliqua istorum rapiens dicitur sacrilegium committere: sicuti peculatum committere dicitur, qui bona civitatis, aut ærarii publici in privatos suos, aut aliorum quorumcunque usus convertit: cum tantum in usus publicos fundata, acquisita, dicata, ordinata sint.

Rationes quæ pro justitiâ conservationis & legitimi usus bonorum istorum contra abusus & sacrilegia apud Jureconsultos & theologos passim adferri solent desumtæ à sacris vasis, à gazophylacio, à templo, à primitiis, à decimis, à censu seu siclo sanctuarii, à *cherem*, id est, anathemate: tanquam analogicè & quod ad genus, solidè tamen concludentes, accipiendæ sunt. Haut aliter ac argumenta ab usu ignis peregrini, & altaris contra altare, pro tuendâ integritate & puritate divini cultus sub N. T. à theologis adferri solent. Pariter intelligenda sunt argumenta quæ pro officio pastorum sub N. T. contra vitia eorundem adferuntur ex regulis & probatis exemplis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, sacerdotum & Levitarum V.T. Ignavum pecus contra argumenta illa excipere non potest; illa se & ordinarios N.T. ministros non tangere non movere; quod non sit Patriarcha, Propheta, Apostolus, Euangelista, Sacerdos sacrificans, Levita. *Eâdem*, immo multo majori ratione, ipsi non tantum, sed & quivis homines rejicere possent argumenta ab exemplo Dei aut Christi ad debitum cujusque offi-

officium compellentia dicendo, *hoc me non tangit, alia ratio est Christi, Ego non sum Christus* mediator, nec teneor ad officii prophetici, sacerdotalis, regii (qualia erant Christi) diligentem & fidelem executionem. Quasi scil. locum nullum apud nos haberet, illud Apostoli: *Imitatores mei estote sicut ego sum Christi.* 1 Cor. 11. v. 1. De quo in 4. *part. selectar. dispp. tit. de Exemplo bono, ejusque imitatione,* &c. & infra ad sextam principalem quęstionem, in vindiciis argumenti ex exemplo Achani *Jos.* 7. contra sacrilegos passim deduci soliti.

II. Quęst. *An bona Ecclesiastica sub* N. T. *aliqua ratione ab antiquis & recentioribus dici potuerint bona Dei aut Christi, patrimonium Christi. Resp.* Scriptor theologi paradoxi anno 1649. in me emissi pag. 184. acerbè hoc insectatur, & odiosis nonnullis fabricatis consequentiis refutare conatur. Quo judicio, & quo cum antiquorum ac nostrorum consensu, infra videbitur. Quod ad appellationem patrimonii, ego eam non excogitavi, nec tanquam meam, eandem præstare teneor. Citavi in scripto vernaculo tit. **Theologisch Advijs** Jus civile, & Canonicum, & Jureconsultos Protestantes & reformatos, etiam theologos, à successoribus minimè hoc nomine traductos & infamatos? Autoritates illas ad hominem contra usurpationem & abusum bonorum istorum potissimum allegare volui: ut illi, qui inter utriusque juris Doctores, conquisitis quibusdam ex jure & Jureconsultis allegationibus, de justâ possessione, quæ fiat volente prætore, & de crimine sacrilegii cum disputatur de principali potestate, deque bonis Gentilium sacrorum in fiscum redactis, hodiernos bonorum ecclesiasticorum abusus excusare solent; οἰκείοις & propriis suis contra se adductis, aliquo modo sufflaminari possent. Ista tamen & omnia alia autorum dicta, scripta, consilia, facta allegavi, cum protestatione (in 12. *dispp. de selectis problem. disp.* 9. *& in præfat. ad* 2. *part. consilii theolog.*); me nolle omnibus & singulis, rationibus, exceptionibus, responsionibus, sententiis, phrasibus, autorum istorum teneri: sufficere quod abusum bonorum istorum communi consensu improbârunt; ita ut nihil novi aut paradoxi à nobis prolatum fuisse dici possit, cum anno 1645. judicium ab inclyto hujus urbis senatu rogati, in eandem sententiam determinaremus. Quod autem phrasi in consilio nostro usurpatâ *bona ecclesiastica*, (inter quæ juxta receptam in antiquâ ecclesiâ & à nobis ibidem admissam divisionem) numerantur bona pauperum, fabricæ templorum, parochorum, lectorum, æditof uorum, theologiæ Doctorum, &c,) Autor Theologi paradoxi substituit, *bona pseudo-ecclesiastica*; quasi patres, & theologi cum Jureconsultis reformatis, à nobis cit. bona pseudo-ecclesiastica contenderent esse *bona Dei, & patrimonium Christi*: id ipsi relinquendum est.

Si candidè dixisset, suo judicio esse bona pseudo-ecclesiastica: hoc longe aliud esset. Nos robur istius consequentiæ non videmus, nec viderunt omnes theologi, politici, Jureconsulti, qui jam inde ab initio reformationis de bonorum ecclesiasticorum usu & abusu scripserunt, in consilio nostro citati. Sed de hoc infra *cap.* 2. proximè sequ. Quam iniquè reformatæ religioni & ecclesiæ sententias adscribant adversarii, quas pro suis non agnoscunt, sed ipsis per fabricatas consequentias impinguntur, piè & eruditè monuerunt Theologi Heidelbergenses in scripto quodam Germanico tit. Außführlich bericht / was die reformirte in Deütschlant gleüben oder nicht gleüben / &c. anno 1607. Ejusque appendice anno 1609. Et passim antagonistę Remonstrantium in Belgio eos simili arte & candore sententias reformatorum referentes detexerunt: inter quos *Triglandius in defensione doctrinæ & honoris ecclesiarum*, &c. belgicè.

Malam ergo fidem ostendit scriptor Theologi paradoxi cum ait, *me disertè ac sæpius monere, maximè ex autoritate juris canonici, id est, Papalis, illa bona pseudo-ecclesiastica Papatus patrimonium Christi constituere*: & citat ibidem meum M. S. (hoc est, *consilii theol. part.* 1.) in secundâ ratione secundi membri. *Falsum* est, me loco cit. asserere bona pseudo-ecclesiastica Papatus constituere patrimonium Christi. Refero solummodo quid dictum sit à Jureconsultis Protestantibus *Carpzovio, Mathia Stephani*, &c. quos sciebam variis Jureconsultis nostratibus in manibus esse & æstimari: refero inquam, hoc ab illis dictum de bonis, non pseudo-ecclesiasticis Papatus, sed de bonis ecclesiasticis à Papatu injusta possessione, per Reges, Principes, Magistratus reformatos & Protestantes in Europâ passim liberatis. Qualia omnia esse pseudo-ecclesiastica, tantum per horrendam idololatriam sub Papatu partim ante, partim post annum millesimum fundata, & consequenter specie & forma usibus ecclesiasticis destinata, citati Jureconsulti, & cum illis alii omnes theologi, politici, Jureconsulti à nobis adducti ignorârunt: quippe qui semper ea appellant bona ecclesiastica; & contra eorum tanquam talium rapinas & abusus pugnant, adversus declamationes, quarum fumo lux veritatis imperitis forte obfuscari videretur. Quod ad ineptas & odiosas censoris amplificationes, dico *Falsum* esse me id de patrimonio Christi monere, *maximè ex autoritate juris canonici*. Refero solum, hodiernos quosdam Jureconsultos illa bona *patrimonium Christi* appellantes loqui cum jure canonico in textibus per eosdem annotatis. Quanta vero apud me sit autoritas juris canonici, abunde ostendi supra *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 14. Quod aliqui doctores, etiam ex iis, qui pro bonorum ecclesiasticorum alienatione, sæcularizatione, & in privatos œconomico-seculares usus conversione contendunt, autoritatem aliquam juri canonico tribuunt; id ipsis relinquendum est.

est. Cum ante annos aliquot Nobiliss. ordo equestris & inclytus hujus urbis Senatus, junctim super casu alienationis aliquot bonorum ecclesiastic. per capitulum seu capitulares quosdam, suffragium & consilium suum scripto comprehensum exhiberent, non abstinebant à frequentibus juris canonici allegationibus: Proculdubio, quod in capitulis circa præbendarum acquisitionem, resignationem, emolumenta, turnos, &c. bonorumque & redituum capitularium curam, conservationem, dispensationem, denique circa dignitates & munera capitularia multæ leges juris canonici adhuc observentur ac vigeant. Nervos earum, si qui esse putentur, incidi in *Consil. Theolog. part.* 2. & infra locus erit de iisdem denuo aliquid dicendi.

Hic solummodo in transitu defendendos mihi sumam theologos nostros, qui cum phrasi illâ de patrimonio Christi usi sunt, odiosis & iniquis illis consequentiis ac dicteriis per meum latus feriuntur.

Inter eos occurrunt *Bucerus* in defensione reformationis Coloniensis nomine Archiepiscopi *Hermanni* contra antididagma Coloniense conscripta, de bonis ecclesiasticis in genere & in specie de bonis quæ a. 1542. erant in diœcesi Coloniensi, sic loquitur cap. 122. Omnia bona ecclesiastica sunt „ Domini Jesu Christi, unde etiam *patrimonium crucifixi* appellantur. Qua„ re cum constituimus, ex mandato Christi, ut communia *bona ecclesiasti*„ *ca* collegiorum & monasteriorum in nostrâ diœcesi, &c. Quę nostro tem„ pore magnâ ex parte ad falsum cultum, vel alioquin inutiliter absumun„ tur, ad juventutem piè & Christianè erudiendam impendantur, jam non „ de alienis bonis largitionem facimus, sed administramus ac dispensamus „ *bona Jesu Christi*, juxta placitum ac voluntatem ejus. In quo nec faci„ mus malum, ut aliquid boni sequatur: sed bonum facimus, & quod à „ Domino præceptum est, ut mala tollantur & annihilentur. Neque ullum „ altare Christi nudamus, ad operiendum alterum: sed operimenta, quæ „ propriè ad altaria Christi pertinent, ab altaribus Antichristi auferimus, „ quibus contra jus & fas operta fuerunt, iisque rursus Christi, *cui soli de*„ *dicata & sanctificata fuerant*, operimus.

Ibid. paulo post pag. 407. ait Monachorum collegia (quod idem de canonicorum collegiis cap. 129. asseritur) multas ecclesias parochiales incorporasse, earum decimas aliaque bona & quidem contra canones, possidere: debere itaque ecclesiis Christi sua bona, quæ illi contra Christum & ecclesiam ejus *absumunt ac dilapidant*, *merito ab episcopis & aliis magistratibus, restitui.* Idem Bucerus lib. 2. de Regno Christi ubi leges quasdam concipit, juxta quas regnum Christi restitui possit cap. 13. pag. 74. quintę legis hunc facit titulum: *De vindicandis Christo Domino bonis ecclesiasticis, ac pio illorum usu.* Intelligit autem bona ecclesiastica, quæ in Angliâ tunc erant

rant sub Eduardo VI. *Salvianus lib. 4. de avaritiâ* disertâ & suavi oratione ostendit quomodo Christus hominum munificentiâ indigeat, mendicet, assistat morientibus ac testantibus, accipiat ab hominibus, quę ipsis commodavit; & homo Christum in miseris atque egentibus *faciat hæredem*, cum illis bona sua derelinquit. Verba ipsa, quia multa, hic non exhibeo. Ad hunc Salviani locum notat *Rittershusius* præclarè à Chrysosto-
„mo dictum, paupertatem esse quandam personam seu larvam, sub quâ la-
„titet Deus ipse atque occultetur, & dum mendicus manum extendit,
„Deum ipsum accipere eleemosynam. *In Novellâ Manuelis Commeni* (apud Photium in Nomocan. tit. 1.), quod nonnulli homines in extremis suis
„dispositionibus procuratores sive executores eorum quæ præscripserunt,
„relinquunt, iisque Christi dulci illo ac mundo salutari nomine, hærede
„scripto, rerum suarum dispensationem atque administrationem injungunt.
„*Et mox subjungitur:* hoc autem videntur facere, quum pauperibus sub-
„stantias suas dividi præcipiunt. Quum enim mendicans accipit, astat
„Christus, ac una cum illo manum vacuat. Lutherus commentar. in Genes. 47. v. 22. dicit bona ecclesiastica *Deo & Christo dari*, & Christum ea *tollere*, aut *accipere*. Ante eos Tertullianus apologet. cap. 39. vocat *deposita pietatis*: ubi notat Desider. Heraldus: *Deposita pietatis appellat Tertullianus elegantissimè, pecunias in pietatis usus repositas, & veluti ecclesiæ sanctius ærarium.* Et Salvianus lib. 4. contra avaritiam: *si substantiam tuam miseris atque egentibus derelinquens, Christum in illis facies hæredem.* Et post: *Das res tuas cuicunque fortaße perdito, & negas Christo?* Ne autem hæc istorum temporum fuisse dicantur, indico autores, qui in ἀκμῇ reformationis testati sunt. Notæ Belgicæ in *Apocal. 9. v. 21.* furtum commissum à clericis Papalibus interpretantur, de possessione & abusu bonorum ecclesiasticorum.

Robertus Abotus in defensione catholici reformati Perkinsi, ad epistol. dedicator. Bishopi §. 9. 31. 36. dicit bona ecclesiastica à Papistis in Angliâ injustè usurpata, à reformatis *ex donatione divina* justè possideri secundum intentionem donatorum. *Gualterus in cap. 2. Roman. homil.* 12. dicit tum Papistas tum Euangelicos suo tempore spoliantes bona ecclesiastica *spoliare sanctuarium.* Idem in *Malach.* 3. dicit, *Christum spoliari*, cum in profanos aut superstitiosos usus convertitur, quod inservire deberet sustentationi ministrorum & pauperum. Calvinus in lib. de scandalis, sub finem, vocat *bona sacra:* & alienationem aut abusum eorum *sacrilegium.* Et in epistolâ 285. ad Knoxum, vocat *sacros reditus* ecclesiarum. Et de necessitate reformandæ ecclesiæ pag. 67. edit. opusculorum in fol. anno 1617. bona ecclesiastica à Papatu possessa & eidem à Principibus & Magistratibus erepta, vocat *patrimonium Christi & pauperum.* Daneus lib. 3. politic. Christianæ tract. 1. cap. 2. pag. 176.

pag. 176. 177. edit. in 8. dicit hodiernos Principes & Respublicas bona ecclesiastica sibi vindicantes, aut in alium usum convertentes. *Christi bona fraudare, intervertere, & ipsi Christo eripere.* Et quod sint *Christi ipsius, non jam hominum bona.*

Abrah. Scultetus in annalibus Euangelii renovati ad ann. 1525. pag. 331. bona monasteriorum in Anglia ab Henrico VIII. in ipsius aliosque sæculares usus conversa, vocat *res Deo consecratas.*

Lavaterus in Josuæ 7. argenteas & aureas imagines, capsas, pateras, cruces, &c. vocat *opes sacras*; & Principes ac Magistratus, qui ista in suos usus converterunt, à sacrilegio, cujus à Papatu accusantur, excusare non vult.

Nunc videndum an & quomodo appellatio illa Jureconsultorum & Theologorum contra criminationem adversarii defendi possit.

Præsupponimus eos per bona Dei & patrimonium Christi nihil aliud intelligere, quam bona ecclesiæ Christi propria, quæ intuitu Christi ac piæ causæ eidem collata atque acquisita sunt.

1. *Rat.* Defensionis est, quia in scripturâ exsertè dicuntur δῶρα τοῦ θεοῦ *dona Dei*, Luc. 22. v. 4. *quæ Deo data & appropriata* (aut dedicata) *sunt, & in gazophylacio custodiuntur*: uti explicant notæ Belgicæ. Math. 22. v. 22. de iisdem bonis dicitur, quod Deo dentur, & Dei sint: *reddite ergo Deo, quæ Dei sunt.* Malach. 3. v. 8. 9. sacrilegi dicuntur, & non tantum Levitis & sacerdotibus eripere portiones suas (uti vocantur *Nehem.* 13. *v.* 10.) sed & ipsi Deo. *Quia oportuit Deo servari quasi proprium, quidquid ad eum colendum spectabat*; ut loquitur Calvinus in commentar. *Rapiunt ad se decimas & oblationes quæ mihi debebantur, & ad profanos usus transferuntur, quæ mihi consecranda erant*: ait Polanus ibid.

Unde hunc usum elicit: sceleratum sacrilegium est nihil offerre Deo, de opibus suis &c. sceleratius sacrilegium est, quum bona ecclesiæ dicata, à Magistratibus politicis rapiuntur & in profanos usus convertuntur: *quia qui ecclesiastica bona rapit, Deum ipsum, cui fuerant sacrata, spoliat.*

Dicuntur ergo bona Dei & patrimonium Christi, quia juxta scripturam peculiari ratione Dei sunt propria; (non tantum generali ratione uti omnis plenitudo terræ est Dei *Psal.* 24. *v.* 1.) ob specialem usum & finem. Dei enim cultui & spirituali regno Christi in terris promovendo, dicata, appropriata & acquisita sunt.

2. *Ratio* defensionis est, quia fideles sunt membra Christi, & sunt unum cum illo corpus mysticum. *Eph.* 1. *v.* 11. cum 1 *Cor.* 12. *v.* 12. *sicut corpus unum est, & membra habet multa: ita Christus.* Christus ergo & Ecclesia constituunt *unam personam mysticam*: ut loquitur Thomas ad *Coloss.* 1. *v.* 24.

Et hinc est quod bona ecclesiæ aut membris Christi collata, Christo collata dicantur Matth. 25. v. 40. *quatenus id fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Sicuti contra mala fidelibus & ecclesiæ illata. Christo illata dicantur Actor. 9. v. 4. *Quid persequeris me?* Coloss. 1. v. 24. *reliquias afflictionum Christi adimpleo:* non quas Christus sustinuit in *corpore proprio; quia nihil ibi restat implendum: sed quas ad finem usque sæculi patietur in corpore mystico; & sic restant multarum passionum reliquiæ adimplendæ:* ut exponit Lyranus ad loc. cit.

§. 2. Quid rei sint bona ecclesiastica, ex hâc eorum descriptione patebit: *Sunt bona externa mobilia aut immobilia ecclesiæ institutæ ex Dei mandato collata, acquisita, appropriata, ad explicitæ communionis ecclesiasticæ, & divini cultus in eâ conservationem, exercitium, promotionem.*

I. Dicuntur bona externa &c. ut distinguantur à bonis & donis ecclesiæ, in genuinis suis membris, internis ac spiritualibus: & ab externis ac necessariis bonis organicis, qualia verbum & sacramenta: ut & à bonis, sine quibus non, qualia libertas tum securitatis, tum immunitatis. Quarum illa ad esse, ista ad bene esse communionis & exercitiorum ecclesiæ institutæ pertinet.

II. *Objectum* cui istorum bonorum est ecclesia, & quidem visibilis, instituta, particularis. Ecclesiæ enim invisibili & mysticæ bona illa directè conferri & acquiri non possunt: ut nec visibili œcumenicæ quam vocant. Quæ eadem *subjectum cujus* eorundem dici potest. Quia sunt bona ecclesiæ, eorumque possessio & proprietas pertinet ad ecclesiam: non ad privatum quemvis hominem, qui sit intra aut extra ecclesiam; nec ad alia collegia civica, nec ad ęrarium politicum. Quomodo autem dici possint, esse Dei aut Christi bona, præcedenti §. explicatum est.

III. *Causa* efficiens prima est Deus, qui voluit ut ecclesiæ prospectum sit de necessariis bonis ac reditibus. *Causa* secunda est legitima acquisitio, collatio, & fundatio bonorum. De cujus speciebus & modis infra *cap. sequ.* agemus.

IV. *Finis* est, ut explicita communio ecclesiastica, & cultus divinus in eà conservari, exerceri, & promoveri possit. Quod quomodo fiat, infra pluribus explicabitur: ubi de usu & erogatione istorum bonorum.

§. 3. *Sequitur* nunc quæstio. *An sit*: An scil. *ecclesia possideat, aut acquirere, accipere, possidere possit bona externa.* Nos affirmamus: idque ex jure divino & naturali. *Jus* divinum elucet primo ex decimis, primitiis, spontaneis oblationibus, anathematis, gazophylaciis sub V. T. de quibus cognosci potest ex *Gen.* 15. & 28. *Exod.* 13. *Levitic.* 27. 2. *Paralip.* 24. *Nehem.* 13. *Luc.* 21. Compendiosâ manuductione si quis uti velit adeat *Menochii de Republ. Hebræorum librum* 2.

Se-

Secundo ex oblationibus, contributionibus, & collectis in ecclesiâ apostolicâ. *Actor.* 2. & 4. 1 *Cor.* 9. 2 *Cor.* 8. *Galat.* 6. *Philipp.* 4. Confer *tract.* 3. proximè sequentem, qui est de *stipendiis ministrorum.*

Tertio jus divinum & naturale probatur: Quia ecclesiarum Concilia, Legationes, Missiones extraordinariò; & ministeria prædicationis cum appendicibus & accessoriis ordinariò, ut & cura pauperum, afflictorum, fratrum captivorum, aut exulantium, sunt necessaria: atqui illa requirunt expensas. Sequitur ergo debere suppetere ecclesiæ, unde expensæ faciendæ sint. Sed quæri & excipi subinde audias ab absurdis & αὐτοκατακρίτοις hominibus.

I. *Quæst. An sub* N. T. *æque ac sub V.* T. *Ecclesia bona externa acquirere, accipere, possidere possit? Resp. Aff.* nec probari potest sub N. T. sine cibo, potu, medicamentis, vestibus, domibus, viatico in profectionibus, &c. homines magis posse vivere quam sub V. Test.; adhęc pauperes, ministros vacantes sacris magis posse sustentari, oratoria ædificari, conventus institui, correspondentias & Synodos haberi, legationes & missiones Euangelicas, Ecclesiarum plantationes, instaurationes, reformationes curari, vexas & libertatem ac pacem externam (ubi necessitas ita postulaverit) redimi magis posse, sine ullis reditibus sub N. T., quam sub. V. T. Pluribus absurdissimum & desperatissimum hoc commentum non persequar. Audivi virum aliquem, qui tale quid effutierat, effugium postea captasse in distinctione inter nummos & bona mobilia, & inter immobilia. Sed videre velim, quomodo ex theologiâ & jurisprudentiâ probaturus sit, ecclesiam aut eleemosynarios, aut pias domos minus possidere posse agros, quam nummos aut mobilia nummis æquivalentia. Huc scil. adiguntur homines, qui abusus bonorum ecclesiasticorum palliare conantur. Vide quæst. proximè sequ.

II. *Quæst. An Ecclesia sub* N. T. *possit habere bona immobilia, & statos ac certos reditus, uti sub V.* T.? *Resp. Aff.* quamvis in specie per agros certos ac designatos Levitarum, per urbes refugii, per primitias, decimas, dimidium siclum Sanctuarii, partes Sacrificiorum pro peccatis, & pacificorum, bona & reditus jure divino consecratos non habeat: habet tamen & habere potest, quod ad genus & analogicè, bona temporalia, idque ex designatione & dedicatione sive per tributum justitiæ, sive per spontaneam oblationem, sive pecuniis & reditibus per contributionem & donationem collectis, mediante legitimâ emtione acquisita. Jam verò bona temporalia, unde & privati quilibet, & communitates reditus suos recipiunt, & necessarias expensas faciunt, sunt vel mobilia vel immobilia; nec in acquisitione, possessione, & usu eorum ullum discrimen

 est;

eſt : modo ſint legitima. Sic tempore N. T. donabant pretium agrorum venditorum *Actor.* 2. & 4. quod illo rerum ſtatu paratâ pecuniâ eccleſiæ opus eſſet. Aliàs potuiſſent ęque agrum aut domum donare, ac pretium eorum. Ars œconomica docet, utrum abſolutè, aut hoc vel illo rerum ſtatu, ſive privato ſive communitati magis conveniat, agros aut cenſus, aut paratos nummos poſſidere. Ita ut terque quaterque futilis ſit per talem diſtinctionem exceptio; quod poſſit habere ac tenere pecunias indies in gazophylacium immiſſas aut collectas: non vero agros, aut ſtatos ac recurrentes reditus eorum, aut decimarum, &c. quaſi omnes N. T. eccleſiæ ad peculiare & arbitrarium inſtitutum Rechabitarum (*Jerem.* 35. *verſ.* 9.) redigendę ſint : aut quaſi votum ex quotidie emendicatis eleemoſynis in diem vivendi cum Capucinis feciſſent, aut facere tenerentur.

III. *Quæſt. An ubi Magiſtratus ſit Chriſtianus, & conſequenter Eccleſiæ nutritius, patronus, tutor, Eccleſiaſtici reditus per piorum ſpontaneas oblationes amplius fundari, aut antehac fundati retineri poſſint : an potius tali in caſu omnes ilico alienari, & dominium aut uſusfructus eorum primis occupantibus cedere ac permitti, aut ſaltem in ærarium Reipublicæ inferri, & ſic diſcrimen omne inter bona publici ærarii aut fiſci, & inter peculium Eccleſiæ tolli debeat. Reſp.* Aff. pr. Neg. poſter. *Quia* jus quæſitum nemini auferendum, ut habet axioma Juriſconſultorum. Sed ſuum cuique tribuendum. Ergò etiam Collegiis licitis, non minus quam civibus quibuſque privatis, & collegiis artificum aliiſque in Republicâ permiſſis. & quidni Eccleſiæ? 2. *Quia* tantam viciſſitudinem nemo admitteret in partem illam patrimonii Eccleſiaſtici, quæ pauperibus alendis, aut oratoriis ædificandis peculiariter deſtinata eſt: & cur magis in reliquas partes? 3. *Quia* ſub Magiſtratu religionem amplectente & patrocinium ac tutelam Eccleſię capeſſente, certius & ſecurius bona & jura Eccleſiæ collocata eſſe debebant, quam ſub Magiſtratu Ethnico, aut religionis adverſario. Imprimis caritas Chriſti, conſortium unius fidei, communio Sanctorum, officium tutoris ac patroni fortius conſcientiam ejus, ad uſum ſupremi ſui dominii & ad exercitium juſtitiæ in ſuo quibuſque (etiam Eccleſię, Eccleſiaſticis, pauperibus) jure conſervando ac tribuendo conſtringere deberet. 4. *Quia* ut Eccleſia & Politia, poteſtas & regimen hujus & illius manent diſtincta ſub quocunque Magiſtratu fideli aut infideli: ſic etiam publica bona Eccleſiaſtica & Politica, quæ nullius in bonis; ita ut illa non magis in iſta (caſus exceptos infrà explicamus) otioſè transformanda ſeu ſæculariſanda (uti dici ſolet), quam iſta in illa transformanda, ſeu eccleſiaſtizanda ſint. 5. *Quia* hodie Magiſtratu aut Principe, Ecebolii exemplo, religionem amplectente & cras abnegante, aut

aut infideli in principatum succedente, qui nutritioni Ecclesiæ renuntiaret, non restituerentur bona ablata; & sic Ecclesia omnibus destituta esset. Quod incommodum sponte malè feriatis ejusmodi disputationibus Ecclesiæ accersendum non est. Nam si fideli Principi ipso jure dominii supremi seu superioritatis & jurisdictionis super homines & bona omnia tum collegiorum, tum privatorum, dominium utile aut proprietatis tribuitur: quomodo id infideli negari poterit; cum secundum Theologiam reformatam Papisticæ oppositam dominium non fundetur in gratiâ? & cur æque dominium proprietatis in omnia bona quorumcumque collegiorum, familiarum, privatorum sive civium sive advenarum ipsi non tribuitur?

IV. *Quæst. An bona Ecclesiastica, sive mobilia sive immobilia, cultui divino dicata, imprimis vasa* (quę vocant) *sacra, & templa cum utensilibus, propriè ac formaliter sint sacra, ab aliis omnibus bonis & utensilibus communibus ac sæcularibus distincta? Resp.* Distingue cultum œconomicum Vet. Test. à cultu N. Test. Hujus respectu tale sacrum, & talis consecratio Neg. Quod autem à Patribus & reformatis Theologis sacra & consecrata dicuntur, id objectivè non formaliter accipiendum est: quod scil. donata aut tributa sint ad usum cultus divini, ejusque requisitorum; h. est ad usum sacrorum & sacrum: non ad alium quem usum, quamvis cætera non illicitum. Sicuti bona ærarii publici fundata sunt ad usus Reipublicæ; non ad usus privatorum privatos; & bona senum & pauperum quorumvis, ut & ęgrotorum, orphanorum, exposititiorum, &c. quæque ad usus suos peculiares. Rationes autem & amplificationes quæ pro justitiâ conservationis & usus bonorum ecclesiasticorum apud antiquos & recentiores, à sacris vasis, primitiis, decimis, dimidio siclo, cherem seu anathemate, desumuntur; tanquam analogicè & quod ad genus concludentes accipiendæ sunt. Haut aliter ac argumenta desumta ab igni peregrino, ab altari contra altare, &c. pro tuendâ integritate & puritate cultus sub N. T. ab iisdem adferri solent. Accedit, quod stylo juris Romani partim sub Ethnicismo partim sub Christianismi τυράννῳ in Imperio Romano compositi, in hâc materiâ usi sunt. Vide *Institut. lib. 2. tit. 1. §. sacræ.* Sed de explicatione & distinctione *sacri*, ex professo egimus in 3. *part. select. dispp. tit. de Benedictionibus & sacramentalibus*; & infra *tract 4 tit. de Templis.*

Quæritur *An & quomodo bona ecclesiastica, ab aliis quibuscunque bonis distinguantur? Resp.* 1. *fine*, & *cujus* & *cui. Ille* est spiritualis regni Christi, quod non est de hoc mundo, seu ecclesiæ ejus & cultus divini promotio ac propagatio. Jam vero finis in ejusmodi relativis est quasi forma seu ratio formalis; quâ posita res ponitur; & per quam ab aliis sub eodem genere constitutis specifice distinguitur. §. 4.

Iste, seu finis cui, est tota ecclesia; aut proximè & distinctè pars aliqua ecclesiæ ut ministri, aut Doctores, catechistæ, lectores, pauperes. 2. *Subjecto*: quod hic cum fine cui coincidit; acquiruntur enim, offeruntur, donantur, appropriantur, soli ecclesiæ, sive toti, sive distinctæ & designatæ alicui in ecclesiâ parti: non Principi aut Magistratui sive fideli sive infideli, ejusve fisco; non politiæ aut civitati in quâ est ecclesiâ, ejusve ærario; non bonorum istorum curatoribus aut administratoribus e. gr. diaconis, ædilibus, præfectis nosocomii, orphanotrophæi, &c. eorumve questoribus.

Ita ut penes nullum sit dominium particulare seu proprietatis seu utilitatis (quocunque termino illud appelletur); non penes privatum quodvis ecclesiæ membrum, aut penes episcopum, aut penes bonorum curatores, inspectores, administratores, aut penes Principem aliumve supremum Magistratum: cui tamen dominium supremum & directivum, haut aliter ac in omnia bona civium, nobilium, dynastarum, collegiorum, domuum piarum, pauperum, tribuendum est. 3. *Opposito*: quia bonorum ecclesiasticorum fraudulentia contrectatio est & specificè dicitur *sacrilegium*: bonorum fisci aut ærarii publici defraudatio, *peculatus*. Per sacrilegium ipse Deus dicitur spoliari. *Me spoliatis. Malach.* 3. *v*. 8. 9. *Mea rapitis Malach.* 3. *v*.8. 9. ut transfert *Pagninus*. in Hebr. est אתי, id est, *me*. Sed de aliorum bonorum spoliatione tale quid non dicitur. 4. *Actuali separatione* aliorum quorumcunque bonorum sive privatorum, sive publicorum, à bonis ecclesiasticis; fisci aut ærarii Reipublicæ, à gazophylacio; per distinctam administrationem, diversos ministros, quæstores, &c. 5. Appellatione distinctâ, qua omnes confitentur bona illa esse distincta, ab omnibus privatorum, collegiorum civicorum, fisci aut ærarii publici bonis. Vocantur enim bona ecclesiastica, spiritualia, sacra in genere; aut juxta appropriationem partium aliquarum ad templa, scholas, domos pias particulares, curas pastorales, in specie vocantur bona templorum, scholarum seu Academiarum, orphanorum, leprosorum, pastorum, æedituorum, &c. Sed alia quæcunque bona nec in genere nec in specie sic vocantur.

§. 5. *Quæritur* de divisione bonorum. Dividuntur I. Ut totum universale, speciei in individua. II. ut totum integrale in partes. III. ut subjectum per adjuncta, objecta, fines & usus proprios ac proximos. IV. ut subjectum per circumstantias locorum. V. ut subjectum per circumstantias temporum. VI. ut effectum per causas efficientes.

I. *Divisio* est, in bona ecclesiæ veteris, & in bona ecclesiæ novi Testamenti. Et hæc rursum, in bona ecclesiæ particularis sive topicæ, ut Hiero-

solymitanæ, Antiochenæ, Ephesinæ, &c. sive regionariæ aut nationales, ut Judaicæ, Macedonicæ, Galaticæ, &c. De quibus *quæritur*, *an bona V. & N. T. formâ, essentiâ & specie sint eadem: an vero essentialiter & prædicatis essentialibus differant? Resp. Aff. pr. Neg. post.* Quia utrobique specificatio est ex uno fine & uno genere objecto; Quod est vel *cui* ecclesia; vel *cujus*, cultus divinus institutus. Circumstantiæ temporis, & loci, aut cultus ceremonialis œconomicus, aut distincta causa efficiens, seu distincta ratio fundationis, non facit distinctam rei essentiam, formam, speciem: utrobique enim sunt eadem prædicata essentialia. Sicuti diversitas efficiendi & producendi Adamum, Evam, Christum, quosvis alios homines, non infert specificam, aut ullam attributorum essentialium distinctionem. Sic vinum in Canâ Galileæ *Joh.* 2. miraculosè & immediatè ex aqua productum erat verum vinum, formâ, specie, essentiâ idem cum alio. *Sed objicis*: bona V. T. erant & dicebantur sacra: quod pleraque immediatè à Deo designata & data essent ecclesiæ & ministris ad cultum Dei seu ad usus sacros. *Resp.* Si ab hac Dei immediatâ donatione & ordinatione bona V. T. denominas sacra, non repugnamus: quamvis inde potius divina dicerentur. Sed talis diversitas producendi, fundandi, & conferendi bona, nullam facit distinctionem specificam. Sicuti vinum in Canâ miraculosè productum (quod forte quis illo respectu divinum diceret, fere ut manna dicitur frumentum seu triticum cœlorum seu cœleste *Ps.* 78. *v.* 24.); & vinum naturaliter in Judęâ productum & ex uvis expressum essentialiter non differunt. Utrumque rectè dicitur verum & essentiale vinum, habens omnia vini essentialia. Sic diversus modus producendi & fundandi bona, non facit istorum bonorum essentialem & specificam distinctionem: quæ ab objecto & fine *cujus* & *cui* petenda est. Jam vero essentialiter & specificè unum est objectum & finis *cui*, ecclesia; & unum objectum ac finis *cujus*, cultus Dei institutus. Præsuppono hic contra heterodoxos, unum utrobique cultum fuisse, unam fidem, unam legem, unum Euangelium, unam viam salutis substantialiter: quamvis modaliter & circumstantialiter differant. Non desunt inter reformatos præstantissimi theologi qui cum Pontificiis Canonistis & theologis, statuunt, decimas jure divino, naturali, immutabili immediatè pertinere ad ecclesiam. De quâ quæstione, infra tract. proxime sequ. (qui est hujus libri tertius) videbitur.

II. *Divisio* est, in cujusque ecclesiæ particularis & topicæ, bonorum partem eam, quam vocant bona immobilia; qualia fundi, domus, templa: & in partem eam, quam vocant bona immobilia; qualia nummi, supellex templorum, &c.

III. *Divisio* est, 1. *In* bona fabricæ & sustentationi templi, & rerum inde de-

dependentium propriè destinata ac dicata. 2. *In* bona ecclesiasticis ministris, studiosis, scholis, seminariis sustentandis, synodis celebrandis, missionibus ad fidei propagationem & ecclesiarum plantationem, legationibus ecclesiasticis, & correspondentiis curandis, &c. dicata. 3 *In* bona pauperibus alendis, & captivis, exulibus, & quacunque aliâ ratione afflictis juvandis, dicata. Communiter dividi solent in quatuor partes, juxta juris canonici c. 27. *Quatuor* 12. qu. 2. *Quatuor autem tam de reditu, quam de oblatione fidelium, prout cuilibet ecclesiæ facultas permittit (sicut dudum rationabiliter est decretum), convenit fieri portiones: quarum una sit Pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda.* Partes illæ rursum pro arbitrio ecclesiæ cujusque particularis, bona sua possidentis, in alias partes subdividi; & acquisitio, custodia, administratio, & erogatio quarumcunque portionum communiter aut seorsim institui & haberi potest.

IV. *Divisio* ratione locorum & continentium est, 1. *In* ea, quæ sunt ecclesiæ in politiâ Christianâ & ejusdem religionis. Ubi ecclesiæ in omnibus rebus, negotiis, & causis maximâ libertate & securitate (supra præcedenti tractatu descriptis) frui semper debebant: juxta illud, *Erunt reges nutritii tui, & reginæ eorum nutrices tuæ.* Jesa. 49. v. 22. Sed contrarium sæpè; si non plerumque evenire, docet nos historia & communis experientia. 2. *Quæ* sunt ecclesię, quam politia à religione aliena certo ordine & quasi lege, permittit. 3. *Quæ* sunt ecclesiæ magis minusve clandestinæ. Quo in statu ut tota administratio verbi, sacramentorum, regiminis, disciplinæ, sic etiam bonorum acquisitio, custodia, administratio, erogatio clam habetur, & habenda est. Quod præsertim locum habet in iis ecclesiis, contra quas persecutio exercetur. Celebre est factum Laurentii ecclesiæ Romanæ diaconi (de quo *Baronius*, aliique historici ecclesiastici *ad ann.* 261.) negantis pręfecto thesauros ecclesiæ indicare. De quo forte infra per occasionem quærendum erit.

V. *Divisio* ratione temporum, 1. *In* ea quæ acquisita, & possessa sunt ab ecclesiis apostolicis in Judeâ, Samariâ, reliquisque universi orbis partibus; quę scil. erant viventibus & ministrantibus Apostolis, eorumque Euangelistis & adjutoribus, qui per immediatam missionem & directionem Apostolorum, aut alicujus ex Apostolis ministrabant. Quam primam periodum anno Christi 79. finiri arbitror. II. *In* ea quæ acquisita & possessa sunt in ecclesiâ post-Apostolica, usque ad Constantinum Magnum; seu usque ad *Concilium Nicenum*, annum Christi 325. III. *In* ea, quæ jam inde à *Concilio Niceno* usque ad *Augustini* ætatem inclusè, seu usque ad annum Christi 500. acquisita & possessa sunt. IV. In ea quæ inde usque ad Carolum M. & post eum usque ad annum Christi 800. & deinceps usque ad annum

annum 900. acquisita & possessa sunt. Per Carolum, ejusque filium Ludovicum, & nepotem Carolum Calvum magna eorum accessio facta est, præsertim in Gallia, Germania, Belgio: uti constat ex vitis eorum, aliisque historicis, & exemplis donationum. Nec segnius hoc agebant multi Reges, Principes, Proceres Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Daniæ, Sueciæ, Polonię, ad fidem Christianam conversi. V. *In* ea quæ ab anno 800. usque ad 1000. acquisita & possessa sunt. VI. *In* ea, quæ post annum 1000. & deinceps usque ad annum 1200. in Ecclesiis sive Occidentalibus, sive Orientalibus Græcis, Armenicis, Ibericis, Syriacis, Ægyptiacis, Abassinis, Russicis acquisita & possessa sunt. VII. *In* ea quæ in ecclesiis Christianis per orbem universum acquisita & possessa sunt ab anno 1200. usque ad annum 1517. Eaque aut in ecclesiis tunc publicis tum Orientalibus tum Occidentalibus; aut in ecclesiis separatis Waldensibus, & Hussiticis.

VI. *Divisio*, est secundum causas efficientes seu modos acquirendi: Ita ut alia sint acquisita per spontaneas oblationes seu donationes: alia per tributum justitiæ. De quo infra dicendum.

Subjiciamus nunc aliquot quæstiones.

I. Quęst. *An bona pauperum sint & rectè dici possint ecclesiastica? Resp.* Distinguo bona à fidelibus data, & acquisita ecclesiæ in usus pauperum istius ecclesiæ: à bonis datis & acquisitis communitati alicui politicæ, (regioni scil., civitati, oppido, vico,) in usus pauperum istic degentium aut advenarum istic peregrinantium. De illis affirmatur: de istis negatur. Ibi enim politia aliena est à religione, bona donata pro pauperibus istius loci incolis, cujuscunque religionis, non possunt dici ecclesiastica; quamvis ecclesiæ civibus ibidem habitantibus pari cum reliquis incolis jure, ex intentione fundatorum, ex bonis illis succurri debeat. Sicuti ex bonis in alimoniam & subsidium solorum pauperum ecclesiæ fundatis, vicissim occasione & necessitate ita ferente, succurritur pauperibus ab ecclesiâ alienis.

II. Quęst. *An omnia bona ecclesiastica à tempore apostolorum, usque in hunc diem in usum pauperum fidelium à fidelibus donata; sint primum sæcularizata aut sæcularizanda, deinde in usus communes & sæculares convertenda; aut sive volente, sive permittente, sive connivente Magistratu, à divite aliquo, saltem non indigo aut paupere, multo minus paupere eleëmosynario, in usus suos proprios convertenda? Resp.* Esse sæcularizata, & ab usibus pauperum in usus prophanos quosvis conversa, aut æquo animo à Principibus & Magistratibus permissa converti, Negatur. Si qui tamen abominando hoc sacrilegio alicubi se polluisse, deprehendantur: saltem talem conversionem faciendam aut permittendam, juri divino & naturali repugnare certissimum est.

Sed objicitur. I. *Object.* Princeps aut Magiſtratus habet poteſtatem in omnes ſubditos, & omnia bona ſive ſubditorum ſive extraneorum, quæ in Republicâ aut territorio ipſius reperiuntur. Sequitur ergo, poſſe eum de bonis pauperum diſponere pro arbitrio; eaque in totum aut ex parte auferre, transferre, & in ſuos ſuorumve uſus proprios; aut aliorum quorumcunque uſus convertere. *Reſp.* Memini ſimile portentum montes aliquando peperiſſe: ut laboranti cauſę & conſcientiæ de abliguriendis bonis eccleſiaſticis ſeu de fruitione beneficii eccleſiaſtici ſub ementito & abuſivo titulo clericatus & officii Romano eccleſiaſtici, abſque opere abſque officio ſive reformato-eccleſiaſtico ſive Romano-eccleſiaſtico, quâcunque curâ palliativâ ſubveniretur. Verè hic evenit illud: *Uno abſurdo dato, multa ſequantur.* Neceſſe eſt omnes, in has abſurdorum anguſtias cogi, quicumque in gratiam hominum, qui nocere aut prodeſſe poſſunt, contra univerſalem Chriſtianiſmi conſenſum, in foro poli & conſcientiæ licitum faciunt abuſum bonorum eccleſiaſticorum & fœnus ab attenuatis & pauperibus pro mutuo exigendum: modo ſcil. prætor velit, aut magiſtratus concedat, aut permittat. Sed de hoc & de jure utriuſque fori, (poli & ſoli) alibi egimus, & denuo propediem cum Deo agemus. Quod ad præſentem objectionem, Antecedens negamus: neque enim ſubditi omnes, ſaltem non hujus liberæ noſtræ fœderatorum Belgarum Reipublicę ſunt ſervi aut proprii homines. Opponentes ipſi conſenſum ſuum nobiſcum non diſſimularent, ſi modo Magiſtratus omnia ipſorum bona mobilia & immobilia fiſco addiceret, aut pro abſolutâ poteſtate & arbitrio ſuo ſibi ſuæve familiæ vindicaret, aut nepotulis & favoritis ſuis bona illa rapienda concederet; modo debitam fiſco aut ærario publico portionem inde exſolverent. Dato antecedenti, non conceſſo, conſequentia nihilominus neganda eſt. *Cur enim non facimus diſcrimen inter res divinas & humanas? & quare non competens prærogativa cœleſti favori conſervetur?* ait imperator L. 18. *Sancimus. Ut inter divinum publicumque jus & privata commoda competens diſcretio ſit: ſancimus*, &c. Ibid. L. 19. C. *de ſacroſ. eccleſ.* Diſcant ſic ratiocinantes à Jureconſultis quęnam & quanta pię cauſæ, nominatim pauperum privilegia ſint. Diſcant ex iiſdem quantum crimen ſit ſacrilegium, à Deo punitum ac juxta humanas leges puniendum. Compendium & indicium hic præſtabit *Tholoſanus lib.* 33. *capp.* 13. -- 17. Sed quidquid ſit, ſtolida nec minus ſcandaloſa ejuſmodi ratiocinatio, pro τῷ arbitrario Magiſtratuum hâc in parte, ſi fidem & locum apud populum inveniret, non putarem notarios poſthac piis legatis inter reformatos ſcribendis occupandos.

II. *Object.* Bona pauperum non ſunt vera bona eccleſiaſtica, & divina (de

(de qualibus Imperator *tit. cit.*) quia cum respectu & conscientiâ idoli atque idololatriæ aut abominandę hæresios de satisfactionibus & meritis humanis, deque purgatorio & liberatione ex illo per suffragia viventium, bona pauperum non in ecclesiâ Christi, sed in apostatico grege Antichristi, antehac fundata sunt. Ergo absque ullo peccato, multo magis absque ullo crimine sacrilegii, Principes & Magistratus ea in alios usus publicos aut privatos, convertere, aut ut ab aliis convertantur, bonâ conscientiâ statuere aut concedere possunt. *Resp.* Sic dictare si quem audias, eum ad theologos sine bibliis, Jureconsultos sine codice, philosophos sine ratione, historicos sine historiis, absque ullo alio responso ablegare ne dubites. Ex quo quæso jure naturali, divino, civili tum Romano tum municipali, ex quâ factorum luce, ex quibus historiis probant, quod intendunt?

III. Quæst. *An bona fabricæ templorum & stipendiis pastorum, aliorumque minorum (uti vocant) clericorum, h. e. lectorum, præcentorum, janitorum, ædituorum*, &c. *dicata sint & rectè dicantur ecclesiastica? Resp.* Aff. Quia ipsis competit descriptio supra posita. Unde sequitur, bona illa absque sacrilegio ecclesiis eripi non posse, & in privatos usus converti.

Sed forte quis excipiat 1. *Except.* pastorales reditus alicubi tam opimi possent esse, ut dimidia aut etiam tertia eorum pars sufficeret ad honestam pastoris & familię pastoralis sustentationem. Ergo licet alicui privato, illud superfluum immo & totum assumto pastoris, aut parochi, aut curati seu curionis titulo (absque re & opere pastorali) sive palam sive clam in suos usus convertere: volente pręsertim aut permittente ecclesię patrono, aut domino loci, aut quovis Magistratu, cujus ditioni bona illa subjecta sunt. *Resp.* Idem si dicatur de reditibus quæstorum, & quorumcunque aliorum munerariorum politicorum ac militarium, deque reditibus orphanotrophei, nosocomii, gerontodochei, xenodochei, diaconiæ ecclesiasticæ: quid responderent, quorum interest?

Instantia 1. Atqui si ipse Princeps, aut Toparcha, aut consul quis, aut senator permittentibus collegis, sibi aut alicui ex filiis aut nepotibus sub assumto titulo pastoris, Rectoris, parochi, curati ecclesiæ N. aut sub titulo vicarii seu vicecurati (absque tamen opere & curâ pastorali, aut vicepastorali), reditus illos pastorales, aut saltem partem illam superfluam vindicaret: an theologi absque crimine seditionis, rebellionis, sacrilegii, turbatæ pacis publicę hoc illicitum esse judicarent, in foro poli & conscientiæ, quod νόμῳ καὶ χώρᾳ in foro soli & politico non tantum licitum, sed & Reipublicæ perquam utile, immo & pro pręsenti rerum statu, necessarium esse judicaret? *Resp.* Tali schemate si titulares Abbates, Priores, Sacerdotes missifici, vicarii, Decani christianitatis, Archiepiscopi, Episcopi

ſcopi in politiis reformatis haberentur qui abſque re & opere, ſub illo titulo reditibus gauderent; quibus Sacerdotes, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores tempore Papatus illic gaudebant: quem tandem eccleſiæ & politię reformatę faciem haberemus? Pari autem jure tales titulares ſeu nominales quod ad officium, ſed reales quod ad beneficium, à Principibus aut Magiſtratibus conſtitui aut approbari & confirmari poſſe certum eſt; ac Canonicos, Decanos, Scholaſticos, Archidiaconos, Præpoſitos, Sacerdotes Vicarios, Sacerdotes animarum, cum reliquis capitulorum appendicibus *Reſp.* 2. Toparcharum, Prætorum, Magiſtratuum, voluntas ſive ordinans ſive permittens non eſt regula conſcientiæ; & conſequenter non poſſunt illi de jure contra jus diſpenſare, nec ex peccato quodammodo facere non-peccatum, nec cum ſeipſis circa aſſumtionem tituli paſtoralis, & ſub illo titulo fruitionem redituum paſtoralium, diſpenſare. Oppoſita theologia curiæ Romanæ paraſitis, & Canoniſtis ac theologis Papiſticis relinquitur. Si quis Toparcha, Præfectus, conſul, ſenator ſit, dignitas & poteſtas non faceret eum ἀναμάρτητον: non magis quam ſi filiam alicujus ex ſubditis ſtupraret, aut ſe inebriaret, aut pugno civem quem cęderet, aut honeſtum virum convitiis & calumniis peteret, aut mordentibus uſuris tenuiores & pauperes exſugeret, aut ærarium publicum ſpoliaret, aut in prœliatoris pro ſacrilegiis & uſuris mordentibus bona, indictâ causâ, involaret.

2. *Except.* Reditus paſtorales cujuſque eccleſiæ parochialis, fundati ſunt in eccleſiâ Anti-Chriſtianâ, ad miſſarum celebrationes (in quibus tunc potior pars muneris paſtoralis conſiſtebat), ad fovendas & exercendas hæreſes ac ſuperſtitiones orationum pro defunctis, ſatisfactionum humanarum, &c. Ergo non ſunt bona eccleſiaſtica ſed pſeudo-eccleſiaſtica; & poterit quis abſque ullo ſcrupulo in foro poli & conſcientiæ, (aſſumto eo modo titulo paſtoris & volente prætore) eos omnes aut ſaltem partem eorum in proprios uſus convertere. *Reſp.* Antecedens quam verum ſit, infra ſuo loco videbitur. Conſequentiam falſam eſſe, vel inde patet, quod terminus à quo & terminus ad quem in hac bonorum paſtoralium tranſlatione non coincidant, nec reciprocentur. Detur huic aut illi paſtorali curæ, parochiæ, eccleſiæ, bona quæ dominante Papatu poſſedit, ob cauſas memoratas auferenda aut non relinquenda eſſe: inde tamen non ſequitur Titium aut Mævium ſub aſſumto & ementito titulo paſtoris eccleſię N. (volente aut permittente toparchâ, prætore, conſule) bonâ conſcientiâ frui poſſe reditibus paſtoralibus.

3. *Except.* Bona paſtoralia non tantum malè fundata fuerunt ſub Papatu,; ſed iis quamvis in totum aut magnâ ex parte legitimè fundatis abuſi ſunt parochi ſive non reſidentiâ ſuâ, ſive ignavo otio non docendo ſcil., ſive

ſive malè docendo, ſive cultu idololatrico. Adeo ut ſacrilegio ſuo (de quo notæ Belgicæ ad *Apoc.9.v.ult.*) bonâ illa profanârint; & quidni ex eccleſiaſticârint. Ergo poterunt Principes, Toparchæ, Magiſtratus illa pro arbitrio ſuo vel in publicos & ſæculares vel in ſuos proprios & domeſticos uſus convertere, vel aliis concedere ut aſſumto & uſurpato paſtoralis curæ illius, ad quam bona illa pertinebant, titulo iiſdem utantur fruantur ad vitam; & ſi nolint, aliis volente prętore commendam eorundem & titulum paſtoralem numerato pretio vendere. *Reſp.* Quo jure probabitur per abuſum & crimina eorum, qui bona ejuſmodi commendata poſſederunt, aut adminiſtrârunt, bona illa legitimè abalienari: ut non pari conſequentiâ probaretur, bona pauperum eccleſiaſtica, quibus diaconi aut viventes ex eleëmoſynis abuſi eſſent, bona quarumcunque piarum domuum (e. gr. noſocomii, gerontodochei, orphano-trophei, &c.) bona quorumcunque collegiorum civicorum, immo & bona ærarii publici eſſe auferenda, diſpargenda, & in privatos uſus dominorum & Senatorum urbis aut provinciæ illius convertenda. An non potius ſublato abuſu & remotis aut impeditis abutentibus, legitimus uſus eſſet revocandus? Hoc certè eſſet reformare, non tollere, aut deformationem deformationi addere.

4. *Except.* Poſſet Magiſtratus pro arbitrio ſuo bona paſtoralia prius ſæcularizare: & ſic quilibet ſine ſacrilegii vel minima ſpecie, eorum poſſeſſionem (volente ſcil. prætore) & uſum ſibi vindicaret: ſaltem Magiſtratui jus & fas eſſet ea inter ſe partiri; aut, ſi cui ipſorum vices ſuas in adeundâ commendâ paſtorali ſub aſſumto titulo paſtorali eccleſiæ N. ſervare non placeret, eandem commendam cum titulo & juribus ac privilegiis annexis alicui paratâ pecuniâ, vendere. *Reſp.* Siquidem ipſo jure Magiſtratus hoc competat omnibus & ſingulis in ordinem illum adſumtis: utique idem de bonis collegiorum civicorum, de bonis templaribus, de bonis piarum domuum; de omnibus bonis eleemoſynariis tum diaconorum tum menſæ ſpiritus ſ. (uti in Papatu appellant), tum diſtributionum quarumcunque hebdomadalium, menſtruarum, annuarum; & nominatim de præbendis Buchelii, concludendum eſſet. Si hæ conſequentiæ, te non terrent, addam duas alias. Poſſet Magiſtratus bona Ploni Almoni pro abominando bonorum & titulorum eccleſiaſticorum abuſu contra orbis Chriſtiani conſenſum diſputantis, prius exploniz are, & cuilibet pro beneplacito poſſidenda concedere aut permittere: qui tunc abſque ullâ furti, injuriæ, ſcandali ſpecie in foro poli & conſcientię, eorum poſſeſſionem ac uſum adiret. Poſſet Magiſtratus Aligerienſis aut Tunetanus, volente Imperatore Turcico, omnia bona Chriſtianorum in mari deprehenſa prius exChriſtianizare, ut ita pyratæ Aligerenſes cum dominis & patronis ſuis

absque ullâ pyraticæ labe aut specie, in foro conscientiæ, justè in eorum possessionem & usum mittantur: juxta regulam, *Qui volente prætore possidet, justè possidet.* Venit mihi aliquando in mentem narrationis, de monachis quibusdam Carthusianis; qui cum per conscientiam Carthusianam carnibus vesci non possent, ad omnem scrupulum eximendum lutram amphibion prius baptizabant, hac vel simili formulâ, *fiat piscis:* atque ita serenâ conscientiâ, pisce vescebantur. *Suetonius* in Tiberio *cap.* 61. refert: immaturas puellas, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatas prius à carnifice, deinde strangulatas. Similiter bonis ecclesiastico pastoralibus, si prius profanata & sæcularizata sint, absque ullâ sanctionis in sacrilegos violatione frui & gaudere poterunt; quibus id datum aut permissum.

5. *Except.* Posset Magistratus omnia bona pastoralia in fiscum redigere, aut aliquo in casu in publicos & necessarios usus impendere: Ergò possunt ea pro arbitrio sæcularizare, & sibi aut suis, aut aliis quibuscunque otiosis hominibus sub titulo pastorali, commendare & utenda concedere. *Resp.* Antecedentis membrum prius absolutè nego, cum Jureconsultis, in *Jure Orientali*, seu *Græco-Romano tom.* 1 *pag.* 147. 149. 160. *edit. Leunclavii* in fol. & apud *Anton. Peregrinum lib.* 5. *de Jure fisci pag.* 481. & *lib.* 4. *pag.* 335. *edit. in* 8. *Tholosan. lib.* 31. *syntagm. c.* 31. §. 8. 17. 18. 19. *Besoldum de Majestate cap.* 7. §. 3. *Althusium lib.* 2. *dicaiologiæ cap.* 8. §. 33. Posterius membrum concedo in casu extremæ necessitatis; cum Respublica, ecclesia, bona privatorum, aliter præsenti periculo eximi non possunt hâc tamen conditione, ut ad eorum restitutionem aut aliam quamcunque æquivalentem compensationem Respublica obligetur. Et quod hic de bonis pastoralibus cum distinctione concedo, pariter de bonis piarum domuum & pauperum, & privatorum quorumvis, præsertim bene nummatorum, statuendum est. Sed consequentiam nego: & similem negaret quilibet abusus bonorum ecclesiasticorum patronus, si ab ipso à patrimonio & nummis inter concives suos melius instructo inciperent Magistratus, hoc argumento: Magistratus potest in casu necessitatis, Titii agros effodere aut inundare, domos & villas diruere aut incendere, omnes nummos ex arcâ ipsius aut ex arcâ trapezitæ ad exolvenda militum stipendia, & coëmenda arma bellica, tollere: ergo possunt pro arbitrio extra casum necessitatis, absque ullo crimine & merito Titii aut trapezitæ, omnia ipsius bona in fiscum redigere, aut sibi & suis vindicare, aut aliorum usurpationi & prædæ exponere. Quid ad hoc argumentum responderet Titius, aut larvatus trapezita, ut de principali potestate disputando crimen sacrilegii non incurreret?

6. Ex-

6. *Except.* Bona ecclesiastico-pastoralia, assumto titulo pastoris aut parochi ecclesiæ N., possidet Mævius (volente prætore); si modo vice-pastorem in ecclesiâ illâ constituat: aut pastori constituto & verè ecclesiam curanti stipendiolum aliquod ex bonis illis persolvat, aut ad justi stipendii supplementum ex iisdem bonis contribuat. *Resp.* De vicariis, & pastoribus non-residentibus, hoc est, mutis canibus, Asdodicus & peregrinus sermo est in ecclesiis reformatis. De offâ aliquâ ex bonis pastoralibus genuino pastori tanquam mendico stipem petenti objiciendâ, nescio quid aliud dicendum sit, quam de manipulis prædonum mercatori ex propriis nummis vi ablatis, aliquod viaticum restituentibus; aut de pyratis Aligeriensibus, navem exspoliatam, quam avehere tunc ipsis haut commodum, uni aut alteri vectori relinquentibus; aut de militari illo heroë, quem ajunt opulentissimo alicui rustico potiorem bonorum partem abstulisse, relictâ tali portione, quam dicebat rustico pro statu suo sufficere. Ergone volente prætore justè possident; & quidem in foro poli? Dices, tali in casu non fuit voluntas prætoris: Regero, fuisse. Quia potestas superior, si quam agnoscunt, hæc probat aut permittit: Quin & ipsi qui hoc agunt, & penes quos tunc summa istic potestas, & potentia, sunt prætor, sunt omnia: breviter sunt id, quod Buchananus de Beza canebat quem suorum carminum censorem constituerat:

Beza est curia, censor, & Quirites.

Quam promtè autem, quam libenter, quam largè stipendium genuinis & ipso officio atque opere pastoribus ex proprio beneficio exoluturi essent, pastoralium redituum harpages, expositum est Ill. provinciæ alicujus Belgicæ Ordinibus, & Illustri ejusdem Provinciæ præfecto à *Synodo Groning-Omlandica* & *Drentanâ*, libello supplice anno 1605. Groningæ typis edito, & annis aliquot post in dialectum Belgicam transfuso, ac Middelburgi denuo edito. Quidquid autem ex non suo se largiri aut largituros prætendant, nunquam tamen efficient, ut bonâ conscientiâ residuo fruantur. Minus malum esset (malum tamen) si pastor possidens bona pastoralia tanquam commendata ex iisdem vulturi alicui non-pastori sive re sive titulo, *præstimonium* aut *pensionem* aliquam (utor terminis Canonisticis, de quibus infra *tract. sequ.*) exolvere cogeretur. Imperator Turcarum patriarchæ cuilibet Constantinopoli inthronizando satis ingentem summam extorquet: dictum *charatsium* & thespesium (de quo infra *part.2.lib.3.tit. de vocatione & jure patronatus*): sed reditus partriarchales ipsi, & reditus ecclesiasticos Græcis ecclesiis relinquit.

III. Quæst. *An bona scholarum vulgarium & literatarum, majorum & minorum, stipendiis docentium & subsidiis discentium dicata, sint ecclesiastica.* *Resp.* Distinguo, si ab ecclesiis aut à fidelibus in ecclesiis hunc in finem

ap-

appropriatè ecclesiis sive mediatè, sive immediatè data sint aut alio quocunque modo legitimè acquisita: aff. Ita verè sunt & dicuntur bona ecclesiastica, quæ in ecclesiis Belgicis extra Belgium, & in Wallonicis seu Gallo-Belgicis in ipso Belgio colliguntur, & antehac legata sunt aut legantur ad studiosorum sustentationem. Sin vero absque speciali intuitu ecclesiæ, aut tradendæ & propagandæ religionis, ipsis scholis immediatè sint data, aut sæcularibus & politicis scholarum præfectis & curatoribus, ad communes scientias atque artes tradendas, Neg. Prioris generis bona si quis subtrahat & in privatos usus convertat, committit *sacrilegium* Posterioris generis bona si quis fraudulenter contrectat, reduci posset ad illam furti speciem, quam *peculatum* appellant

Exceptiones & objectiones, quæ pro justificatione sacrilegii ab Achanibus & Ananiis bona scholarum, & stipendia Magistrorum hic intervertentibus, & quidem volente prætore, hic forte adferri possent, magistris quorum interest, refutandas relinquo: qui rerum divinarum & humanarum peritissimi, sibi & scholis suis non deerunt.

IV. Quæst. *An bona Episcoporum & Archiepiscoporum sint ecclesiastica?* *Resp.* pręmissâ distinctione Lutheri inter Episcopum purè ecclesiasticum & Episcopum Principem: dicimus bona episcopatui ecclesiastico dicata esse ecclesiastica; tum ea quæ in primâ antiquitate Episcopo solâ ordinis primitate & præsidentia à reliquis ejusdem ecclesię presbyteris distincto, collata sunt: tum ea, quæ postea Episcopo supra reliquos presbyteros jure & more humano ecclesiastico, majori & extunsiori potestate utenti tributa. Quod ad Episcopi Principis bona, quę principatui temporali sustentando & exequendo, collata sunt, quamvis communiter dicantur ecclesiastica, per concomitantiam scil.: propriè tamen non sunt ecclesiastica; Ideoque bona illa, ut & ipsa munera ecclesiastica accuratè semper distinguenda sunt. Et quod illa etiam, vel ipso Papatus tempore, separari potuerint, docuit exemplum Episcopatus Ultrajectini, cujus sola ecclesiastica potestas & jurisdictio jam inde ab Henrico Bavaro (Episcopo 58.) remansit, temporalitate in Carolum V. anno 1528. à dicto Henrico Bavaro, approbante Pontifice Clemente VII. translatâ. Quo jure ab Episcopo & Pontifice translatio hæc facta sit, alibi & ab aliis disquiri potest.

Historiam translationis & de eâ judicium nostratis historici Lamb. Hortensii vide lib. 7. rerum Ultrajectinarum pag. 172.-280. Ubi ad finem exhibetur bulla Clementis VII. quam miror in Laertii Cherubini bullario non inveniri.

Forte quis excipiat, bona quorundam purè episcopatuum tanta fuisse, ut succedentibus aut substitutis protestantibus aut reformatis sive Episcopi,

sive

sive superintendentis, sive pastoris titulo, decorè relinqui, ac commendari non possent, nec ab illis recipi: ne in reformationem aliquando quadret antiquum dicterium: Religio peperit divitias, & filia devoravit matrem. *Resp.* Grotius in annotatis ad Cassandri consultationem cap. 16. „ Pessimè „ autem officium faciunt Principes, qui ea quæ olim Deo, id est, piis usi- „ bus data sunt; ad suos & quidem profanissimos sæpe usus vertunt hoc „ obtentu, quod nimis multa possideant Episcopi. Si nimium multa ha- „ bent Episcopi, detur quod superest presbyteris, & diaconis: detur eccle- „ siis ædificandis, aut instaurandis: detur pauperibus popularibus: &, si „ desint, externis, sicut olim ab Achajâ & Macedoniâ missæ sunt in Judæ- „ am pecuniæ: redimantur qui apud Barbaros sunt captivi; quam ob cau- „ sam multi Episcopi vasa ecclesiæ, etiam jam consecrata vendidere quidam „ semetipsos dedere pignori. Hoc consilium si audiant usurpantes sibi bona ecclesiastica, non amplius de metamorphosi eorum per sæcularizationem in Parnasso suo somniarent, nec pro perpetuando & justificando bonorum istorum scandaloso & turpi in mediâ reformatione abusu, per interrogationem objicerent. *Quid ergo de bonis illis fieret, in quos usus impenderentur?* Si non sufficiunt illa quæ *Grotius* indicavit, addam ego, tot Belgii ecclesiis in pagis & vicis, de pastoribus prospiciendum esse, quæ proprio pastore destitutæ aliquas vicini pastoris conciones subinde audiunt: plerisque ludimagistris ibidem augenda stipendia: plures pastores in civitatibus constituendos: missiones ad Euangelii inter Gentiles, Muhamedistas, Judæos, errantes Christianos plantationem & propagationem certatim instituendos. Et si omnibus illis pro rato curatis, adhuc nimium superesse videbitur, necessitati Reipublicæ, & ærarii publici egestati aut tenuitati inde potius succurrendum esse; quam concedendum aut permittendum ut sub ementito titulo aliquo ecclesiastico, sive reformato sive Romano, homines otiosi, præsertim divites, saltem non-pauperes, sine opere aut curâ ecclesiasticâ, bona illa in privatos usus impendant: eaque dicta beneficia cum titulis & imaginariis officiis, gradibus, dignitatibus pseudo-ecclesiasticis emant & vendant.

V. Quæst. *An bona canonicorum & capitulorum sive cathedralium sive minorum sint ecclesiastica? Resp.* Aff. Quia collegia illa primum fuerunt presbyterorum & ministerii candidatorum in pietatis & studiorum exercitiis sub inspectione & directione Episcopi operantium: unde ad curas pastorales in populo Dei obeundas, & ad plantandas ac colligendas inter extraneos ecclesias mittebantur. Ergo bona sustentandis illis collegiis collata ecclesiæ & religioni Christianæ conservandæ ac propagandæ, data, dicata, acquisita fuerunt; & consequenter sunt ecclesiastica. Augustini ętate

 dicti

dicti antea & post canonici, etiam *monachi* vocabantur: ut & tempore Pipini & sequ. Vide diploma donationis apud Hedam pag. 34. ubi in *stipendia seu in luminaria monachorum vel canonicorum* bona aliqua donari dicuntur. *Quia* collegia illa cum Episcopo, dicta fuerunt *ecclesia* & *casæ Dei*, (per repræsentationem scil.), Ibid. in eodem diplomate.

Et quamvis collegia illa ut & Episcopi, aliique extra cœnobia & collegia clerici minores (uti vocabant), imprimis etiam parochi, in παροικιῶν ecclesiarum in occidente magis ac magis in eruditione, theologiæ Christianæ puritate, vitæ sanctitate deficerent: non desierunt tamen Christiani Principes, aliique Principes, & opulenti benefactores, ecclesiastica bona in capitulis illis tanquam scholis theologicis & ecclesię seminariis, ac ministrorum seu presbyterornm collegiis fundare: uti patet ex donationibus Belgicis *Auberti Miræi*, Ejusdemque *tract. de Canonicis*. Et quamvis diplomatum, donationum, historiarum fidei à nemine ex proprio ingenio detrahi debeat, adducimus testes aliquot ex nostris. *David Cythræus* in oratione de scholarum in ecclesiâ Dei necessitate & successione perpetuâ habitâ 1574. pag 329.

„ Publicis enim legibus quæ in Ansegisi volumine adhuc extant, Carolus „ pater & Ludovicus pius filius, scholas in omnibus Galliæ, & Germaniæ „ provinciis, à provincialibus, ad suos filios & ministros Ecclesię erudien„ dos & educandos, in congruis regni locis, ad multorum utilitatem & „ profectum (hæc enim verba legis sunt) institui sanxerunt. Singulari „ etiam consilio, natos in nobilibus familiis, Carolus & Ludovicus pius, „ in collegiis Canonicorum, partim in vera pietate & literis institui, par„ tim ad officia & ministeria beneficiis adjuncta adhiberi voluerunt, ut mi„ nisterii Euangelici & studiorum doctrinę existimationem & authorita„ tem apud rude vulgus augerent, & feram eo tempore nobilitatem Ger„ manicam, ad amorem pietatis & reverentiam erga Ecclesiam & ministe„ rium Euangelii adsuefacerent: ac ut Nobiles Reip. gubernaculis destina„ ti exculti in collegiis doctrina & literis, majori usui & ornamento esse „ Reip. possent. Sicut in Leodiensi collegio, Caroli magni ætate, 24. Prin„ cipum & Regum filios in studiis pietatis & literarum vixisse in historiis „ memoratur, & Henricum II Imperatorem in collegio Hildesiensi educa„ tum & eruditum esse legimus. Cum autem opes collegiorum & vete„ rum D. Benedicti monasteriorum, posterioribus seculis studiorum cau„ sa potissimum, ex Regum ac Principum donationibus auctę, in immen„ sum crevissent: accidit, quod Bernardus inquit: Religio peperit divi„ tias, & filia devoravit matrem. Nam Canonici & Monachi opulenti, „ regiæ dominationi, luxui & ocio dediti, studia doctrinarum & alios la„ bores Ecclesiæ necessarios prorsus abjecerunt.

Bucerus in defensione reformationis in diœcesi Coloniensi per Hermannum Archiepiscopum intentâ *cap. 125. pag.* 426. 427. probat omnia collegiorum seu capitulorum membra ex primo instituto & canonum pręscripto, presbyteros quidem ad animarum curam, verbi prædicationem, sacramentorum administrationem; diaconos vero & subdiaconos & ad eleemosynarum dispensationem teneri. Capitulum Coloniense in suo antididagmate, quod Archiepiscopi sui Hermanni deliberationi de reformatione tunc opponebant, novitatem & morem Papatus defensuri, ajebant proprium seu peculiare presbyterorum canonicorum in capitulis cathedrali-„bus officium esse, sacras scripturas diligenter pervestigare, & in Syno-„dis una cum Episcopo easdem (dissensione aliquâ dogmatum incidente) „explicare; & aliàs etiam cum Episcopo in causis synodalibus, velut asses-„sores decernere. Presbyterorum vero minorum ecclesiarum (h. e. capitu-„larum non cathedralium) aut scripturas sacras in collegiis suis profiteri „& docere, aut in eis assiduo exercitio aliter versari: sed & Episcopum „eorum operâ in prædicationibus nonnunquam uti posse; quanquam non „sit istud proprium eorum officium.

Unde videmus, qualiacunque collegia illa fuerint in initio, in progressu, in declinante ecclesiarum occidentalium ætate, in novitate Papatus, in novissima post exortam reformationem novitate Papatus, semper fuisse collegia ecclesiastica, aut theologica seu scholastica, aut utraque: & consequenter bona capitularia esse ecclesiastica.

Idem Bucerus in scriptis Anglicanis tit. *de reformatione collegii canonici* (Argentinensis scil.) pag. 192. „ Reformatio alicujus rei, est ejus ad pri-„stinam suam formam & rationem restitutio. Cum ergo agendum sit de „reformatione Collegii clericalis, ante omnia perspiciendum est, quę „sit ejusmodi Collegii primæva, vera, & nativa forma & ratio: & dein-„de via ostendenda, qua Collegium tale cum ab illa sua vera ac propria „forma demutatum & vitiatum est, quam commodissimè, quoad ejus „fieri queat, restitui valeat.

„ Constat vero Collegium nostrum clericorum Canonicorum esse debe-„re, hoc, Clericorum viventium secundum canones. Horum *est servire „Ecclesiæ ad pascendum oves Christi, ad curam animarum. Et in eo differt „à monacho Clericus*, teste Hieronymo, ut hujus sit pascere oves Christi, „illius pasci, Vide Hieronymum ad Heliodorum & Nepotianum.

„ Collegium itaque Clericorum, si Canonicum sit, est ejusmodi cœtus „& congregatio Clericorum, qui sub certis prælatis, & Canonica disci-„plina, atque societate, qua à prælatis & à se invicem ad officia Clerico-„rum, instituantur, excitentur, regantur & urgeantur. Hæc est natura &

 ratio

„ ratio hujuſmodi Canonici Collegii clericorum. Nihil enim aliud eſt hu-
„ juſmodi Collegium, quam parva & præſtantior eccleſia ſacro miniſterio
„ peculiariter conſecrata. Quare quæcunque eccleſię ſunt, eas in hiſce
„ Collegiis exiſtere oportet, & excellentiore quadam ratione.

„ Hujuſmodi igitur Collegiis Canonicis proprium eſt, primum, ne quis
„ in ea admittatur niſi probè examinatus & probatus. Neminem enim in
„ ordinem Clericorum Canones admittunt, niſi examinatum & explora-
„ tum, & tanquam idoneum comprobatum: hoc eſt, ejuſmodi, qui ec-
„ cleſiæ, hoc eſt, toti congregationi fidelium gratum & frugiferum valeat
„ præbere famulatum, idque recidiat ſe ſtudioſè curaturum, & perfectu-
„ rum. Nam & in eccleſiam Catholicam nemo adultus recipitur, niſi ex-
„ ploratus, & qui ſe in obedientiam eccleſię Chriſto conſecret.

„ *Et pag.* 196. Jam ut de ratione & viâ conſtet, collegium noſtrum S.
„ Thomæ reformandi, hoc eſt, ad hanc primævam & veram formam ca-
„ nonici Collegii revocandi, primum omnium de eo convenire inter nos
„ oportet, ut velimus illud eſſe Collegium clericorum, qui curam ani-
„ marum, & ædificationem eccleſiæ per miniſterium doctrinæ & ſacræ di-
„ ſciplinæ propoſitam habeamus, & univerſi & ſinguli, quiſque pro ſua
„ ſacri miniſterii parte; totaqué collegii ſocietas, diſciplina & emolumen-
„ ta, ad hoc unum ſpectent, & adhibeantur, quo quiſque injunctum ſibi
„ munus bona fide, ad certam eccleſiæ Chriſti utilitatem, & maximè hu-
„ jus noſtræ Argentoratenſis Eccleſiæ perficiat, & vita inculpata atque ve-
„ rè religioſa ornet & fructuoſius reddat.

Johannis Schwebelius ex primis in Ducatu Bipontino reformatoribus, in *epiſtolis*, epiſt. 36. ad canonicos Hornbacenſes. „ Miniſtros Chriſti vos
„ gloriamini, Chriſti agatis negotium, ſat ſervitum eſt Antichriſto, &c.
„ Primum officii veſtri vos meminiſſe convenit 1. *Cor.* 4. Paulus ait,
„ ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſterio-
„ rum Dei, hoc quid aliud eſt, quam euangelii prædicatione Chriſti glo-
„ riam animarumque ſalutem quærere; idque in mandatis acceperunt Apo-
„ ſtoli, quibus *Marci* 16. ait euntes in mundum, &c.

Melanthon & Academia Wittebergenſis in reſponſo ad articulos ab Il-
luſtriſſ. Principe Electore propoſitos (apud *Melanth. part.* 1. *conſil. pag.*
„ 15.) Itaque vetera collegia, cœnobia, & diœceſes fuerunt ſcholę juve-
„ num Chriſtianorum, uſque ad Auguſtini, imo Bernhardi ætatem. Ad
„ hunc finem omnia bona, facultateſque eccleſiaſticæ legatæ & donatæ
„ fuerunt, ut inde ſtipendia, & quaſi præmia laborum darentur paſtori-
„ bus doctoribuſque eccleſiarum; & ſuſtentarentur tenues ſcholaſtici,
„ aliique pauperes: quod veterum hiſtoriarum monumenta perſpicuè in-
dicant.

„ dicant. Recentes vero fundationes collegiorum aut cœnobiorum ab „ annis 400. aut 500. fere omnes missarum & cantionem usitatarum causâ constitutæ, Magnificèque (quod apparet) auctæ sunt.

„ *Idem ibid. p.* 427. Magistratus politicus efficere debet, ut quisque „ suum teneat. Jam hi reditus non impiorum canonicorum: sed sunt veræ „ ecclesiæ. Quare & Magistratus reddere eas ecclesiis veris debet & pœnam sumere ab impiis tanquam prædonibus. Magna certe necessitas est, „ acerrimè hanc causam agi. Nisi enim facultates restituantur ecclesiæ, „ boni pastores & pauperes scholastici fame peribunt, studia exstinguentur, „ deerunt ecclesiæ & Reipublicæ literati. Ideo opitulari & juvare studia „ honestorum adolescentum debent Magistratus. Nam præterquam quod „ Deus eos facere hoc jubet, etiam canones ipsi hoc flagitant.

Pezelius argum. & resp. theologic. parte 7. pag. 318. „ Certum est à piis „ Regibus & Principibus initio donatas esse ecclesiis has opes, quas nunc „ tenent propter hanc causam, ut ad sustentationem docentium ac discentium stipendia conferrentur. Nec fuerunt collegia canonicorum, immo „ & monasteria olim aliud, &c. postea tanti abusus accesserunt, &c.

Similiter fere *Cythræus* in oratione habitâ in funere Henrici Ducis Megapolensis anno 1551. pag. 110. „ Hoc consilio collegia sacerdotum „ initio ecclesiis Episcoporum adjuncta fuerunt, ut quasi in schola veræ „ doctrinæ custodiam sibi commendatam tuerentur. Cumque nunc multorum Collegiorum & Monasteriorum opes injustè teneantur, & devorentur à fucis, ignavis, & indoctis & hostibus euangelii: transferendæ „ erant à gubernatoribus ad conservationem studiorum doctrinæ: ad alendos pios pastores & Diaconos, ne cum conjugibus & liberis fame pereant: ad danda stipendia docentibus in scholis: ad præbendum mediocrem victum pauperibus scholasticis, qui cum recte didicerint cœlestem „ doctrinam, postea Ecclesiis præficiantur. Hæc summa beneficia, quæ „ ab impiis Monachis & sacrificulis negliguntur, cum Principes nostri sua „ liberalitate, harum regionum ecclesiis præstare instituerint, omnium „ piorum & posterorum voce & judiciis celebrabuntur.

Chemnitius in consilio de reformatione canonicorum (apud *Himmelium tract. de Canonicatu, &c. cap.* 10. *p.* 438.) „ Quod si vero canonici hodierni nullam reformationem, & ad pristinum usum reductionem suorum collegiorum admittere voluerint, sed usui abusum præponere perrexerint, cogitent quâ conscientiâ reditus illos amplissimos possideant, „ & quid aliquando judici justissimo responsuri sint.

Calvinus lib. 4. Institut. cap. 5. §. 10. Quod si *canonici*, *decani*, *capellani*, *præpositi* in Papatu, tam duram legem ferre nequeunt, ut se

„ Christi regulæ subjiciant, patiantur saltem hanc causam ex authoritate „ primæ ecclesiæ decidi. At nihilo melior erit ipsorum conditio, si ex ve- „ tustis canonibus de eorum statu judicetur. Qui in Canonicos degenera- „ runt, *presbyteri esse debuerunt*, *ut fuerunt olim qui* ecclesiam cum Epi- „ scopo in commune regerent, & veluti collegæ ejus essent in munere „ pastorali.

Confessio Helvetica artic 28. „ Opes habet Ecclesia Christi ex munifi- „ centiâ Principum, ac liberalitate fidelium, qui facultates suas ecclesiæ „ donârunt. Opus enim habet ecclesia facultatibus, & habuit ab antiquo „ facultates, ad res ecclesiæ necessarias sustinendas. Ac verus usus opum „ ecclesiæ quondam fuit, & nunc est, conservare doctrinam in scholis & „ cœtibus sacris, cum universo cultu, ritibus, & ædificio sacro, conser- „ vare denique doctores discipulos atque ministros, cum rebus aliis ne- „ cessariis, & imprimis pauperibus juvandis atque alendis, &c. Doce- „ mus itaque reformandas esse scholas, & collegia (capitula scil.) corrupta, „ in doctrinâ, in cultu, & in moribus, ordinandamque esse piè, bonâ fide, „ atque prudenter pauperum subventionem.

Liber statutorum & privilegiorum Ecclesiæ Trajectensis (qui M.S. in curiâ aut bibliothecâ asservatur & quem Gisbertus Lappius JC. ejus tunc possessor, mihi aliquamdiu utendum dederat) fol. 16. „ In ecclesiâ nostrâ esse de- „ bent novem canonici sacerdotes, & decem Canonici diaconi, & de- „ cem subdiaconi, & novem acolythi. Et si contingat istum numerum „ minui, proximus ordinis inferioris senior promotione tenetur ad supe- „ riorem ordinem, in quo defectus est, promoveri: & ad hoc decanus & „ capitulum possunt illum per substractionem beneficii compellere.

Adde quæ de reformatione Canonicorum statuta sunt in *Concil. Trident. sess.* 24.*cap.* 12.& 15.Et quæ habet Jesuita *Adamus Contzen lib.* 6.*politicæ cap.* 18.& *Joh.Molanus* in tract. de Canonicis, de capitulorum potestate, jurisdictione, munere, opere ecclesiastico: unde constat non tantum antiquitatis institutione, sed & mediæ ætatis ac declinantis ecclesiæ, immo & novitatis Papisticæ postremis ante reformationem sæculis, & post stabilitam in *Concil. Trident.* deformationem, sensu, canonicos fuisse ecclesiasticos, & clericos sive majores sive minores, & consequenter bona capitulorum esse ecclesiastica.

VI. Quæst. *An bona monachorum, qui hodiè à Canonicis distinguuntur, sint ecclesiastica? Resp. Aff.* Quia non sunt sæcularia; nec monachorum collegia à prima eorum origine, (de quâ infra *part.* 2. *lib.* 4. agendum) per succedentia antiqua, media, nova sæcula pro civilibus aut sæcularibus collegiis habita sunt. Fatemur, primo ascetas, & proximè succedentes

titulo monachorum, inter laicos fuiſſe deputatos, & à clericis ſeu miniſtris eccleſiaſticis diſtinctos: ſed non diu hoc duravit; nec quorumvis ordinum monachi ac cœnobitæ tanquam privati & laici ſibi tantum vivebant ac ſerviebant, abſque curâ ſtudiorum & eccleſiarum. Quod imprimis deprehendes in illis monachis ſeu cœnobitis, qui canonici regulares dicuntur; quales Benedictini, Auguſtiniani (qui ab Eremitis Auguſtinianis, ex genere mendicantium diſtinguuntur), Præmonſtratenſes ſeu Nortbertini, Ciſterienſes ſeu Bernardini. Quos imitati ſunt Dominicani, Franciſcani, aliique mendicantes. Quorum omnium monaſteria dicta ſunt *ſtudia regularia*; ut à generalibus ſtudiis, hoc eſt, univerſitatibus ſeu Academiis diſtinguerentur. Quæ ſupra ex *Melanthone*, *Bucero*, *Cythræo*, &c. viris antiquitatum iſtarum & hiſtoriarum peritiſſimis de ordine & collegio canonicorum citavimus, monachis & monaſteriis eorumque bonis applicanda ſunt, & ab iiſdem ibidem applicantur. Ne dicam tempore Auguſtini, & diu poſt, tempore Willebrordi (quem primum Epiſcopum Ultrajectinum indigitant) canonicos tunc adhuc cœnobitas, hoc eſt, presbyteros, qui in converſione Gentilium laborabant, dictos fuiſſe monachos, & domus eorum monaſteria: uti ſupra ex diplomate Pipini oſtenſum eſt. Imprimis obſervandum, cum *Bucero in Defenſione Reformat. Colonienſis cap.* 122. monaſteriis varias eccleſias & curas parochiales, cum reditibus ſuis incorporatas & decimas paſtorales ab iis poſſeſſas; & monachos, præter primorum & antiquorum monachorum purè talium & propriè ſic dictorum inſtitutum ac morem, eccleſiaſticis & ſcholaſticis quibuſcunque miniſteriis certatim defunctos fuiſſe, ac etiamnum defungi: Adeo ut illam bonorum monaſterialium portionem, quæ curæ animarum & ſcholarum dicata eſt, eccleſiaſticis bonis annumerandam, utrinque in confeſſo ſit. Et dato, aliquod fuiſſe monaſterium, quod nullas parochiales curas impratonaſſet, aut incorporaſſet, & cujus monachi nullam miniſterii eccleſiaſtici partem obiiſſent: inde tamen non ſequeretur bona illa non eſſe eccleſiaſtica: quod eccleſiæ & religionis intuitu monachis illis, tanquam nobili eccleſiæ parti, & exercitio pietatis atque officio divino peculiariter vacantibus, & conſequenter tanquam eccleſiaſticis ſupererogantibus (uti eos appellat *Poſſevinus in Biblioth. ſel.*) reditus illi ſint donati: non autem hominibus aut collegiis ſæcularibus, ad uſum quem ſæcularem. *In hiſtor. Eccleſiarum Slavonicarum lib.* 2. *cap.* 15. *pag.* 229. refertur *Nicol. Oleſnicium* coram Rege & ſenatu regio accuſatum, quod monachis Pinczovienſibus propter flagitia inde dilapſis reditus & monaſterium non reſtitueret; reſpondiſſe: „ Se ſcire majores ſuos clauſtrum in oppido Pinczo-„ viâ, non ad libidines deſidioſorum hominum, ſed in pios ſolius Dei

vero-

„ verorum cultorum usus erexisse, annuisque vectigalibus donasse. Ecce bona ecclesiastica.

Basilius M., (teste *Nazianzeno* in ejus vitâ) in cœnobium secessit, ut contentionibus & turbis se subduceret: & ibidem fit mentio Ascetarum & Nazareorum. Augustinus (apud *Possidonium in ejus vitâ cap.* 5. & 11.) itidem in collegio seu monasterio fuit, ex quo ecclesiis rogantibus idoneos Presbyteros & Episcopos dabant. Post turbata studia doctrinarum per irruptionem Gothorum in Italiam, Benedictus post ann. 500. collegia, asceteria, & monasteria erigere cœpit; quas eruditionis, exercitiorum, & theologiæ Christianæ officinas fuisse, non tantum omnium temporum historici, sed & nostri tum historici tum theologi agnoscunt. Vide *Micrælium in syntagm. histor. Ecclesiæ pag.* 540. *Hospinianum lib.* 3. *de templis cap.* 4. & *lib.* 4. *de Monachis cap.* 22. & *Melanthonem*, *Cythræum supra cit.* Quod subinde collegia theologorum, & capitula clericorum in monasteria, & vicissim transformata sint; quodque nævi quidam huic instituto & his institutoribus adhæserint, quodque sequioribus sæculis collegia canonicorum & monachorum paulatim mutata sunt; & tandem ignorantię, otii, improbitatis, heterodoxiæ, superstitionis asyla iisdem successerint; id omnem bonum & antiquum ipsorum usum non tollit: Non magis quam Episcopatus seu Presbyteratus, à collegia Academica & Academiæ per & propter supervenientes corruptelas tolluntur, & reditus ipsorum exscholastizati & tanquam profani ac polluti, privatorum quorumvis otio, arbitrio & abusui relinquuntur; qui iis absque ullo opere aut munere scholastico, titulo scholastici, aut professoris, aut gymnasiarchæ, serenâ conscientiâ & justè justissime in foro poli utantur fruantur: sed volente aut permittente prętore. Lutherus in colloquiis mensalibus ab Henrico Petro Rebenstock Ministro Escherheimensi collectis in voce *monasteria, monachi*, *fol.* 70. b. *Monasteria*, inquit, *bonam habuerunt originem, quia fuerunt scholæ, sed superstitia & fiducia operum est index omnium malorum.* Ita ut applicari illis possit illud Augustini epistol. 137. sub finem. *Quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasteriis profecerunt; ita non sum expertus pejores, quam qui in illis ceciderunt.* Hic autem notari velim antiqua monasteria & collegia in Occidente admodum differre, ab illis, quæ excitata sunt sæculo undecimo, quod ferreum appellant: cujus descriptionem vide in *Clariss. Hottingeri Histor. Eccles. part.* 1. *cap. XI.* Quamvis autem in doctrinâ, ritibus, regimine, moribus Episcoporum, presbyterorum, monachorum, canonicorum, theologiæ & ministerii candidatorum, eorumque collegiis, cœtibus, cœnobiis, conventibus, non exigua esset mutatio, si tempora Augustini cum temporibus Gregorii

Gregorii Magni, & hæc rursum cum temporibus Caroli Magni, ejusque filiorum comparemus; absit tamen ut ἀκμῇ Antichristi & sæculum ferreum in ista incidisse, & nullam tunc ecclesiam in Occidente, nullum sacrum ministerium, nullam religionem Christianam fuisse dicamus; omniaque bona tunc ecclesiis, episcopatibus, ministeriis, pastoralibus curis, collegiis dictorum canonicorum & monachorum collata; idolis, dæmonibus, Antichristo collata esse.

Longè aliter senserunt *Illyricus*, *Plessæus*, *Usherus* & quotquot successionem ecclesiarum ante ἀκμῇ Papatus, & sub eâ demonstrârunt. De bonis quamplurimis fundatis, (de quo *Eginhartus* in ejus vitâ) facile judicium fieri potest ex religione Caroli M. & consequenter religiosâ in illis fundationibus intentione. De ejus religione, quamvis non esset sine defectibus, non tamen Antichristianâ aut formaliter Papisticâ, videri poterit *Gul. Stuckii* comparatio inter Carolum M. & Henricum IV. Galliæ Regem tum reformatæ religionis consortem ac fortissimum ejusdem defensorem; & *Goldasti replica pro Imperio c. Jesuitam Gretserum capp. 12.-19.* Nos compendiosè ostendimus Carolum M. non fuisse Papistam, *in 2. part. sel. dispp. tit. methodus elidendi antiquitatem, catholicismum, successionem*, &c. De bonis sæculi 10. quamvis longè discedentis à sæculo Caroli M., per Imperatorum ac Principum quorundam liberalitatem collatis, operæ pretium est audire *Illyricum* in catalogo testium lib. XI. in principio p. 1160. „Memorabile autem est, quod in hoc seculo propagationes doctrinæ divinæ factæ sunt, in Suetiam, Poloniam, Sclavoniæ partes, & „in Ungariam. Episcopatus constituti sunt illustres, Magdeburgensis, „Misnensis, & alii non pauci: ut ex istis veluti scholis, vox divina in „vicinas gentes personaret. Flagrarunt enim Imperatores Germani eximio „zelo promovendi gloriam Dei. Quod autem in sumptuosa ædificia & „largas profusiones in monasteria (quæ tum temporis erant studiosorum „Theologiæ Collegia, non inertium hominum latibula) nimium impenderunt ex eodem zeli fonte promanavit: licet aliud cogitaverint Romani Pontifices, nempe ut his rationibus sibi commodius prospicerent. „Minimè dubium est tamen, quin Deus per sacrorum librorum lectionem „& explicationem, tum in templis, tum in Canonicorum & Monachorum collegiis, in illa quantumlibet magna & operosa confusione rituum „& superstitionum, aliquas sibi elegerit & sanctificarit credentium in „Christum Ecclesias, à quibus vera fide agnitus & celebratus est, licet „numerosissima pars hominum quasi spinis superstitionum sit suffocata.

De Carolo Magno reformationem rei Christianæ & ecclesiæ ab abusibus intendente ac moliente testatur *Plessiacus in Mysterio*; sed pervicacia

abutentium, & politicarum ac propriarum rerum reſpectus ſucceſſum impediverunt. *Micrælius in ſyntagm. hiſtor. eccleſ.* quamvis corruptelas iſtius temporis agnoſcat, non veretur tamen magnum *in optimo imperatore zelum pietatis* prędicare, pag. 633. & quod in variis ſynodis de ipſius mandato celebratis, hoc intenderit atque egerit, ut *diſſolutos eccleſiaſticorum mores corrigeret, & quantum potuit, ſanitati doctrinæ ſubveniret, quam obſcurare cœperant Pontificii. pag.* 73. Diplomata donationum & fundationum collegiis ac monaſteriis jam inde à Carolo M. & deinceps per aliquot ſęcula, minime indicant, idololatricas, vitioſas, Antichriſtianas eſſe fundationes. Sed de hoc pluribus *cap ſequ.* Finem faciet judicium Principum Proteſtantium de bonis capitulorum & monaſteriorum, in reſponſo anno 1540. dato delegatis Imperatoris, conceptum à Melanthone, & Conſiliis ejuſdem part. 1. pag. 376. inſertum. „ Quare de his facultatibus capitulorum „ & monaſteriorum, quæ reliquæ ſunt, offerimus nos, ſi in aliqua pia Sy„nodo aut conventu concordia conſtituatur, nos ea bona ad Eccleſiæ, „ſcholarum, & cæteras publicas utilitates in noſtris territoriis non gra„vatim tranſlaturos eſſe, ut tunc Synodus aut conventus conſtituet. Nam „facultates Eccleſiarum præcipuè pertinent ad conſervationem miniſterii „Euangelii, ſcholarum, & alios uſus Eccleſiaſticos, ut teſtantur dicta ju„ris, & vetuſtæ Synodi, ac veteres Canones.

VI. Quęſt. *An bona confraternitatum ſint eccleſiaſtica ? Reſp.* Diſtinguimus confraternitates in ſacras ſeu religioſas, & in formaliter civiles ſeu ſæculares. De illarum bonis Aff. De iſtarum bonis, Neg. De hâc diſtinctione, & de religioſarum fraternitatum origine, naturâ, proprietatibus, ex profeſſo agetur *part. 2. lib.* 4.

VII. Quæſt. *An bona ſacrorum* (quos vocant) *militum ſeu equitum, ſint eccleſiaſtica ? Reſp.* Talia habentur & dicuntur ſub Papatu. Nos negamus propriè talia eſſe: ut & ipſos ordines equitum ſeu militum eccleſię. De quo antehac peculiari diaſcepſi infra 2. *part. lib.* 4. inſerendâ actum eſt.

VIII. Quæſt. *An bona monacharum, præſertim nobilium, & dictarum canonicarum, tertiarum, beguinarum, &c. ſint eccleſiaſtica ? Reſp.* Si in eccleſiâ à fidelibus eccleſię donata ſint, ut filiæ nobilium illic alantur & piè inſtituantur, aut ut pluribus liberis gravatæ familiæ per ea ſubleventur, ad ſpeciem illam ſeu partem bonorum, quæ juvandis pauperibus, aut ſuſtentandis ſcholis (puellarum ſcil.) dicata ſunt, referri poſſunt.

Articuli conventus Smalcaldici anno 1537. *part.* 2. *artic.* 3. „ Collegia „ canonicorum & cœnobia olim optimâ intentione majorum fundata ad „ educandos viros doctos, & caſtas ac modeſtas fæminas, debebant rurſum

,, ſum converti in talem uſum, ut paſtores, concionatores, & alii eccleſia-
,, rum miniſtri haberi poſſent, &c. hunc uſum non retineant, conſultum
,, eſt ut vaſta deſerantur, aut diruantur potius, &c. Contentum hujus articuli fusè explicat *Zepperus lib. 2. polit. eccleſ. cap. 13. de reformatione monaſteriorum.*

CAP. II.

An bona eccleſiaſtica poſt pertendentem in Eccleſiis Europeis reformationem ſuperiori & hoc noſtro ſæculo reperta, ſint bona eccleſiaſtica?

HAnc quæſtionem movent in genere, ſacrilegii & abuſus bonorum eccleſiaſticorum patroni, atque in negantem partem determinant. Nos communi Proteſtantium & reformatorum theologorum & Jureconſultorum conſenſui inhęrentes, de bonis in genere, & de bonorum ſpeciebus ac partibus, *præced. cap.* deſignatis, affirmamus. Conſenſum docebit nubes teſtium ex parte *ſupra præced. cap.* adductorum, & plurium infra adducendorum: qui omnes vocant bona eccleſiaſtica, & tanquam talia in pios uſus reſervanda atque impendenda contendunt: & oppoſitos abuſus graviter inceſſunt. Addimus nubi teſtium antehac in noſtro conſilio theologiæ exhibitæ, *confeſſ. Helveticam cap.* 28. Sententiam & praxin Philippi Haſſiæ Lantgravii, apud *Conradum Matheum J. C. Acad. Marpurgenſis Syndicum in oratione funebri*; alioſque complures infra ſuo loco nominandos.

Probamus aſſertionem noſtram.

I. *Quia* per tributa aut per ſpontaneas oblationes acquiſita ſunt eccleſiæ Chriſtianæ in quoſcunque uſus ſuos eccleſiaſticos generaliter & communiter; aut in ſpeciales uſus ſive pauperum & piarum domuum; ſive fabricæ templorum; ſive collegiorum theologicorum & ſcholaſticorum; ſive epiſcoporum; ſive parochorum, & paſtorum, ſive presbyterorum, diaconorum, lectorum, aliorumque majorum & minorum (ut vocant) clericorum. Minor probari poterit per partes ex hiſtoriis, monumentis & regiſtris, ipſiſque donationum inſtrumentis, per totum Chriſtianiſmum. Recludantur modo piarum quarumcunque domuum, templorum & ſacellorum, eleemoſynariorum & menſarum ſpiritus ſ., ſedium epiſcopalium, parochiarum & curarum paſtoralium, Capellaniarum, vicariarum ſeu vicecuratuum, ædituorum, collegiorum quorumcunque ſive eccleſiaſticorum ſive ſcholaſticorum, ſive mixtorum, archiva: & nullum reperies diſſimile exemplum; nec ullum hactenus prolatum eſt, nec pro-

ferri potuit nec in æternum poterit, ab abusus bonorum ecclesiasticorum patronis. Quod ad Belgium nostrum, quamvis nunc collegia aliqua titulo & specie ecclesiastica, sed absque munere & opere ecclesiastico, archiva sua quam arctissimè quasi observata custodiant, nec extraneos ullos sacrorum suorum epoptas admittant, nec quidquam istorum revelare velint, quippe juramento constricti: sero tamen sapiunt Phryges. Qui historias episcopatuum, abbatiarum, capitulorum, ordinum monasticorum scribunt, jampridem ista detexerunt. Si quis, quod ad Belgium nostrum compendio uti velit, is perlustret modo *Aubertum Miræum* Canonicum Antwerpianum, qui instrumenta fundationum undique conquisita & communicata edidit anno 1628. titulo diplomatum Belgicorum, & anno 1629. tit. Donationum Belgicarum, & anno 1630. tit. Notitiæ Ecclesiarum Belgicarum. Quod ad Episcopatum Ultrajectinum, quæcunque in eo aut intuitu ejus, jam inde à tempore Willebrordi acquisita & donata sunt ex historiis *Beka & Heda* (quas jussu capitulorum ex eorundem archivis & chartis olim conscripserant) facillimè cognosci possunt: accedente præsertim notarum eximii antiquarii & JC. *Arnoldi Buchelii* illustratione; cui diplomata aliæque chartæ (quamvis, nunc inclusę) ante complures annos communicata & lecta erant, ut ipse mihi retulit. Contra hanc probationem nihil excipi potest, quam vitiosè illa bona fundata esse, & consequenter esse pseudo-ecclesiastica. Quod mox examinaturi, dicimus saltem conclusum esse, nullam fundationem istorum bonorum factam ad privatos & profanos usus hominum titulo & specie ecclesiasticorum, sed absque reali munere & opere ecclesiastico; idque volente aut permittente prætore.

II. *Quia* saltem omnia bona, quę primis sex sæculis per tributa & spontaneas oblationes in Christianismo fundata & acquisita sunt, agnoscent abusuum patroni esse ecclesiastica. Inter quæ etiam numeranda bona collegiorum ecclesiasticorum seu theologicorum; quorum incolæ titulo clericorum, aut presbyterorum, aut cœnobitarum, aut canonicorum, aut monachorum appellabantur. Illa ergo assumto aut ementito aliquo titulo ecclesiastico, sed sine reali munere & opere, possidere, retinere, usurpare non possunt; ex propriæ hypothesios & conscientiæ dictamine. Quid ergo cessant ea separare, & ad veros usus ecclesiasticos restituere tum communes, tum speciales (supra explicatos) justè restituere; eo modo, quo privato cuique agros, aut domos, aut census aut quoscunque alios reditus, injustè hactenus possessos & usurpatos, restituere deberent.

III. *Quia* saltem bona specialiter piis domibus, pauperibus, templorum & sacellorum fabricę, parochiis & pastoralibus curis, & adjutoribus pasto-

pastorum (diaconis scil., vicariis, lectoribus, præcentoribus, æditUis) dicata & acquisita, post sæculum sextum, etiam post sæculum decimum (non negantibus quibusdam abusuum patronis), sunt habenda & dicenda bona ecclesiastica. Illa ergo separanda sunt, & usibus illis, quibus dicata, justè restituenda: haut aliter ac privato alicui privatus quis bona usurpata restituere tenetur. Quodsi prætendant incorporationes parochiarum & bonorum parochialium, templarium scil., pastoralium, æditualium, scholasticorum: responderi ipsis posset incorporationes & translationes istorum bonorum non ecclesiasticè sed vitiosè factas, & consequenter non fuisse bona illa ecclesiastica, nec ut talia à prædecessoribus eorum possessa fuisse. Audiamus, quid *Bucerus in defensione Reformationis* nomine Archiepiscopi Coloniensis, dicat de illis incorporationibus *cap.* 122. *pag.* 406.

,, Omnes Canones volunt Monachorum Collegia, non debere, vel Parochias, vel Parochiarum bona possidere. Quare Cistercienses cùm Reformationem suam auspicarentur, quemadmodum Sigebertus Gemblacensis in suo Chronico testatur, omnes Parochias, decimas, aliàque Ecclesiastica bona à se amoverunt; ut quę tantummodo ad sustentationem eorum, qui populo in cura animarum, & salutari doctrina præsunt, egentiumque impendi & erogari debeant. Fatentur Monachos debere ex agris suis & pecoribns, proprio labore manuum victum suum quærere. Hoc est antiquum jus Ecclesiarum, Monasteriorum, quemadmodum etiam in magno Concilio Chalcedonensi decretum est, omnesquè SS. Patres, ut Basilius, Hieronymus, & Augustinus, monasticam vitam descripserunt. Jam ubi non Monachi, sed inutiles, nulliusque frugi homines, qui nullo jure, vel infimum, inter Ecclesiasticas personas, locum tenere possunt, sub nomine Monachorum interdum multarum Ecclesiarum decimas, & alia bona possident, eaque contra Christum Dominum, & Ecclesiam ejus absumunt, ac dilapidant. Ibi meritò debent Episcopi, & alii Magistratus in tempore providere, Ecclesiisque Christi, bona sua restituere. Porrò quod Liber Reformationis hanc ob caussam, Scholam Theologicam meritò aperiendam dicit, quod etiam Apostoli, eorúmque discipuli, apud Ecclesias suas peculiares lectiones, scholasque theologicas habuerunt, quódque tales scholæ, primò Collegia ac Monasteria fuerint, id calumniantur adversarii, primò quod verbis Libri rursus suum (tantum) apponunt, quod in Libro non habetur. Is enim dicit Scholas Theologicas, quas Apostoli, & eorum discipuli, juxta Ecclesias suas habuerunt, fuisse prima Collegia. Ipsi verò dicunt Librum docere, quod Collegia fuerint tantum scholę: ac postea longam narrationem texunt, quomodo olim Ecclesiæ fuerint appellatæ, Do-

„minica, & inde apud Germanos *Thum*, & Canonici *Thumherrnen*. Ve-
„rum Liber non habet quod Collegia quæ nunc ſunt, omnia tantum
„Scholę fuerint.

Videamus nunc, quid pro bonorum eccleſiaſticorum, tempore reformationis repertorum execcleſiaſtizatione adferri ſoleat.

I. *Object.* Quæ fundata fuerunt per fundationes idololatricas & vitioſas, ad animas liberandas ex purgatorio; illa ad pios uſus non ſunt obligata; conſequenter non ſunt bona Eccleſiaſtica.

Sed bona reperta tempore reformationis, ſunt fundata, &c. Ergo.

Reſpondeo 1. *Majoris* Conſequentiam negamus, cum omnibus Proteſtantibus & Reformatis Theologis, Jureconſultis, Politicis, Principibus, infra ſuo loco indicandis: qui omnes contendunt ad pios uſus applicanda tanquam eccleſiaſtica & ſacra; quia ad tales uſus fundata erant. Nemo autem eorum ignorabat multa eorum, (non omnia), non abſque erroneâ & vitioſâ intentione à donatoribus fundata eſſe: præſertim in ἀκμῇ Papatus à ſęculo undecimo uſque decimum quintum. Quod de caſibus quibuſdam conjugalibus jureconſulti dicunt, Aliquid in origine ſuâ vitioſè & ἀτάκτως fieri? quod tamen cum factum eſt tenet: idem in hoc caſu dicendum eſt. Vitium enim quodcunque adhærens in primâ origine, & acquiſitione, non ſemper tollit rei eſſentiam, aut totum effectum. Intentio donatorum fuit dare illa ad pios uſus, ad cultum & honorem Dei: & illa intentio immo & expreſſa ſtipulatio donantium & legantium attendenda eſt. Quod ſi in ſpeciali applicatione ad liberationem ex purgatorio erraverint, putantes hoc etiam pertinere ad honorem ac cultum Dei, animarumque ſalutem, illud tranſiens relinquendum eſt; & ſi alicubi in uſu bonorum ſic fundatorum, aliqua abuſuum iſtorum ſit conſcientia aut praxis, illud per reformationem & expurgationem, tollendum eſt ab illis, penes quos poteſtas & potentia.

Reſp. 2. Si hæc conſequentia teneat, tum pariter de omnibus bonis piarum domuum (gerontodoch. orphanotroph. peſtifer. noſocom. xenodoch. Leproſiar., &c.) adhæc menſæ ſpiritus ſ. aliarum quarumcunque diſtributionum annuarum, menſtruarum, &c. templorum, parochialium & paſtoralium curarum, idem pronuntiandum eſſet.

Reſp. 3. Hoc ſi negare auſint, ilico ad oculum oſtendi poterit multas ejuſmodi donationes ſine additâ conditione liberationis animæ, aut ſatisfactionis alicujus factas eſſe. Sin minorem negando, negent eſſe abſurdum ſi bona omnia in pios uſus modo indicatos fundata ob vitium illud fundationis ſub ementitis, titulis in proprios privatorum, & quidem divitum ſaltem non pauperum, uſus convertantur: verbum non ad-

addam. Vel lapides loquentur conclusionem, Non fieri elenchum: Quia quæstio est, *An aliquis bona illa ecclesiastica in reformatione reperta absque scrupulo aut gravamine conscientiæ, sub assumto titulo sive ecclesiastico sive pseudo-ecclesiastico, sive Romano-ecclesiastico, sed sine reali munere & opere ecclesiastico titulis illis ac beneficiis respondente, in privatos & profanos usus convertere possit.* Hic Rhodus hic saltus. Hic vires intendant patroni: non per sophisticam abductionem & elenchi fugam (non ignorantiam), de miseris majorum erroribus, & defectibus dissertent. Novimus hoc; nec est quod de eo verbum ultra faciant. Sed cum tam manifestos abusus bonorum ad id invitati (nolo dicere, munus à manu, aut à linguâ, aut ab obsequio intervenisse aut secutum fuisse) à viris genere, virtute, eruditione nobilissimis, defendere se glorientur; hoc ergo, quod in quęstione est determinatum ex jure divino, naturali, humano solidè probent: addito ad cumulum communi consensu patrum, conciliorum, Doctorum reformatorum. Si in usus ecclesiasticos non impendenda censeant, ostendant ergo an juri testamentorum, & donationum intuitu pię causę, & voluntati testantium ac donantium satisfiat abusu illo, quem notavimus.

Respondeo ad Minorem: Negamus omnes fundationes & donationes esse idololatricas & vitiosas: ita ut non essent bona ecclesiastica seu pia ad pios usus obligata: & consequenter posse ea sub assumptis & usurpatis ecclesiasticis aut qualibuscunque piis titulis, sine re, sine munere, sine opere, serenâ ac bonâ conscientiâ Dei, à reformato quolibet Christiano in privatos usus converti atque impendi: volente modo, aut permittente pretore. Et instantiam do in bonis templorum, pauperum seu mensæ spiritus s., distributionum præbendarum annuarum, menstruarum, hebdomadalium pauperibus legatarum, pastoralium curarum, æedituorum, piarum quarumcunque domuum, xenodochiorum, orphanotroph., gerontodoch., nosocomior., &c. Hic pedem figant adversarii, & ob vitium fundationibus seu originibus istorum bonorum à donatoribus in intentione commissum, determinent contra universum Christianismum, immo contra honestos quosque Gentiles, Muhammedistas, clarè, inquam, & distinctè determinent ac pronuntient, nulla istorum bonorum esse pia, ad pios usus dicata; aut si ex voluntate, intentione, & exsertâ declaratione à donatoribus dicata sint, immo & à curatoribus pauperum, orphanotrophejorum, nosocomiorum, &c., parochiarum, pastoralium bonorum, scholarum, recepta & longi temporis præscriptione possessa sint, & quidem volente jubente prætore; nullitatem tamen eorum jure divino, naturali, civili ex eo constare, quia intentiones donatorum & donationes

vitio

vitio non caruerunt. An autem illud vitium fuerit elementum in istâ donatione prædominans, aut forma & actus specificans, aut peremerit totam rei essentiam : οὐδὲν μέλει Ἱπποκλείδῃ. Sufficit malæ causæ patronis, si modo aliquid invenire possint adjunctum aut circumstantiale, aut intentionale; quod modulo scripturæ & theologię reformatæ non conveniat.

Resp. 2. De quibuscunque bonis sive communiter alicui ecclesiæ, sive specialiter pauperibus, & piis domibus, templis & scholis, pastoribus & æditius, peregrinis & captivis, per tributa ecclesiastica & liberales donationes acquisitis; ajo ea nec per tria sæcula priora, nec per sequentia sæcula usque ad Augustinum inclusè, ne quidem usque ad Gregorium Magnum seu annum 600 inclusè per idololatriam sic vitiata fuisse, talique ecclesiæ & à talibus & in talem Dei cultum collata; ut nullus, propter obstantes nævos & stipulas, fuisset Christianismus, nulla fides, nulla Dei ecclesia, nullum ministerium ecclesiasticum, nulla salus, nulla ratio & spes salutis. Quasi scil. fideles fuissent, sine Deo, spem non habentes. Hic pedem figant patroni, & clarè ac distinctè hoc determinent ac pronuntient : si causæ suæ desperationem nolint prodere. Quod si tale quid nec audeant, nec per conscientiam possint; alterutrum ipsis dicendum, aut bona ecclesiastica istis sæculis non fuisse fundata; aut si fundata fuerint, omnia periisse. Posterius ipsis probandum est. Quod quomodo ex merâ affirmatione & imaginatione suâ facturi sint, videbimus. Prioris oppositum probamus 1. *Ex* acquisitis & partis in ecclesiis apostolicis : de quo supra ex *Actor.* 2. *&* 4. *&* 5. 2. *Cor.* 8. 1. *Cor.* 16. *Galat.* 6. *Philipp.* 4. 2. *Ex* acquisitis sæculo post-Apostolico, & proximè sequentibus, usque ad Concil. Nicenum; idque per totum orbem. Hic *primum* origines & propagines ecclesiarum ex *Baronii annalibus*, aut ex quâcunque universali historiâ, aut quacunque historiæ epitomâ cognoscendæ sunt : & quia illo tempore caritas magis fervebat; nec deerant pauperes, captivi, exules, aliique afflicti juvandi; nec quicunque ministri ecclesiastici stipendiis decorandi, nec oratoria cum utensilibus curanda; nec legationes euangelicæ, aut communicationes seu correspondentiæ ecclesiasticæ : utique concludendum est, ubicunque principalia ecclesiastica, ibi & accessoria. *Deinde* legendum edictum Constantini apud *Eusebium lib.* 10. *cap.* 5. *pag.* 289. ubi domus conventuum Christianorum, omniaque alia bona antehac ab ecclesiis possessa, sed tempore persecutionis erepta, mandat iisdem restitui : ,, Ac quoniam ipsi Christiani non solum ea loca in quæ conve-
,, nire solent, sed alia etiam habuisse cognoscuntur, quæ non privatim ad
,, singulos, sed ad jus totius ipsorum communitatis, id est, Christianorum specta-

,, ſpectabant: ſingulis qui ea poſſident, mandes velim, ut omnia per legem, ,, quam ſuprà poſuimus, abſque ulla controverſia Chriſtianis, id eſt, ſocie-,, tati ipſorum & conventui reddant: modò ratio ipſa antè demonſtrata ,, ſedulò conſervetur, nimirum ut illi qui ſine repetitione precii, ſicuti an-,, tea diximus, ea reſtituant, ſuas res & facultates abſque damno à noſtra ,, beneficentia compenſatas fore pro certo expectent.

Ibid. pag 289. ,, Eſt hæc noſtræ clementiæ ratio & modus Aniline ho-,, noratiſſime, ut illa quæ ad alienum jus pertinent, non ſolum non pertur-,, bare, ſed etiam cuique reſtituere quam maximè cupiamus. Quare volu-,, mus, ut ſimulac haſce literas à nobis acceperis, ſi quæ ex his poſſeſſi-,, onibus, quæ ad catholicam Chriſtianorum eccleſiam in quibuſque civita-,, tibus aut aliis locis pertinent etiam adhuc à civibus, aut ab aliis quibuſ-,, dam retineantur, eas quàm primum iiſdem Eccleſiis facias reſtitui. Quan-,, doquidem animo inſtituimns, ut ea quæ eccleſiæ antea poſſederunt, ad ,, ipſarum jus denuò revertantur.

Cyprianus epiſt. ad Elorentium Puppianum (quæ eſt 64. in edit. Pamelii & 9. lib. 4. in edit. Manutii, & 66. in editione, quâ *Nic. le Maiſtre* theologus Pariſ. uſus ſe indicat in Illuſtratione ſacri patrimonii lib. 1. pag. 88.) ,, Perſecutio, inquit, me proſcriptionis onere depreſſit, cum publicè le-,, geretur, *Si quis tenet vel poſſidet de bonis Cæcilii Cypriani Chriſtianorum* ,, *epiſcopi*; ut etiam qui non credebant Deo epiſcopum conſtituenti, vel ,, diabolo crederent epiſcopum proſcribenti. Hoc autem intelligendum eſſe non de Cypriani patrimonio, ſed de eccleſiæ Carthaginenſis peculio, cujus cuſtodiæ & diſtributioni præfectus erat Epiſcopus, colligitur ex vitâ Cypriani à Pontio diacono ſcriptâ: ubi legitur, eum, antequam ad baptiſmum perveniſſet, propria prædia ad uſus pauperum diſpenſaſſe.

Præterea ex epiſtola ad presbyteros & diaconos Furnitanos (quæ in edit. *Pamelii* eſt 66.) & in epiſtol. ad Clerum & plebem de Clerino lectore (quæ eſt 34.) colligitur, fuiſſe tunc temporis bona eccleſiaſtica: quia clericis & Presbyteris ſportulæ dividebantur, hoc eſt, certæ penſiones menſtruę; & epiſcopis ſuum obtingebat ſtipendium, ſeu certa & ſatis larga portio ex iiſdem bonis. Jam vero veriſimile non eſt clericorum & epiſcoporum certas penſiones ex incertis & ſpontaneis fidelium oblationibus potuiſſe haberi; & ſimul oratoria exſtrui aut inſtaurari, pauperes, peregrinos, incarceratos ad metalla damnatos juvari; eccleſiaſticas miſſiones curari; vexas perſecutoribus & tyrannis redimi: de quo poſtremo Tertullianus, & nos infra, ubi de uſu bonorum. Non potuiſſe, conſtat ex Tertulliani apologet. cap. 49. ubi ſic loquitur: *modicam unuſquiſque ſtipem menſtruâ die, vel cum velit & ſi modo poſſit, apponit: nam nemo compellitur, ſed ſponte confert.*

Hæc ergo bona non negabunt patroni abuſus bonorum eccleſiaſticorum, eſſe eccleſiaſtica tum communiter eccleſiæ, tum ſpecialiter pauperibus, oratoriis ſive templis, ſtipendiis paſtorum ſeu epiſcoporum, presbyterorum, aliorumque clericorum dicata; atque adeo ad tales uſus obligata: niſi una negare velint Chriſtianos contribuentes & donatores fuiſſe Chriſtianos, religionem & eccleſiam fuiſſe Chriſtianam; atque ullam ſalutis ęternæ, veri Chriſtianiſmi, ſalutaris cultus divini tunc temporis fuiſſe rationem. Hoc ſi nec velint, nec audeant, dicant ergo omnibus in orbe Chriſtiano totam aliquam maſſam bonorum eccleſiaſticorum hodie poſſidentibus, eos juſtè non poſſediſſe, nec poſſidere: quod ad illam partem. Excipient forte nihil ex illis bonis ſupereſſe: ad quod reſpondeo; *primum* eos id certâ ſcientiâ affirmare non poſſe; nec conſequenter in conſcientiâ tutos ac ſecuros eſſe. *Deinde*, dato, certo conſtare, omnia illa eſſe illegitimè alienata, aut dilapidata ſæculis ſequentibus ſive ante ἀκμὴν Papatus in partibus occidentalibus, ſive poſt eam: tenerentur tamen bona illa uſurpantes, aut in ea poſt reformationem quocunque titulo, quocunque aſtu ſuccedentes, & de omnibus illis tanquam bonis ſibi commendatis diſponentes (ſive nolente ſive volente prætore), hanc partem ex æquo & bono æſtimatam ac ſupputatam, ſeparare à totâ maſsâ, & reſtituere aut relinquere illis, quibus ab initio collata & acquiſita ſunt: idque ſecundum patronorum ſuorum nuperrimè ortorum hypotheſin & conſcientiam.

Et certe jus divinum, naturale, civile ita agendum cenſerent in bonis fiſco adjudicatis; quibus admixta eſſent aliqua, nullâ ratione pertinentia ad eos, quorum bona meritò aut immeritò per judices fiſco adjudicantur. Inter alias crudelitates & injuſtitias Ferdinandi de Toledo Ducis Albani Belgicarum Provinciarum nomine Philippi II. præfecti, numerant Belgæ, quod agros, domos, cenſus, bona mobilia ſuſpectorum de religione & tyrannidem ejus fugientium, univerſaliter fiſco addiceret; nullâ ratione habitâ privatorum creditorum, quibus profugi illi debebant, ne quidem orphanorum, pauperum, domuum piarum, &c. quibus agri & domus profugorum jure hypothecario obligata erant.

2. *A* Conſtantino M. uſque ad Gregorium M. (annum ſcil. 600.) aut ſaltem uſque ad conſtitutum corpus juris Romani per Juſtinianum (an. 533.) bona fundata & acquiſita fuerunt eccleſiaſtica: non obſtante, quod plura tunc vitia in ritus & in doctrinam irreperent, quam ante Conſtantinum: inter quæ imprimis numeranda ſuffragia pro defunctis, & ſtatus ac locus animarum tertius, qui nec cœleſtis nec infernalis eſſet; quod tempore Gregorii M. plenius & apertius explicabatur: ut videre eſt in ipſius dialogis. Quod ſi nuperi de bonis eccleſiaſticis tempore reformationis repertis

pertis & Papatui subtractis disputatores, concedant, hæc esse ecclesiastica; ut per vitium errorum & abusum tunc publicè in ecclesiis grassantium, aut per vitium particularis intentionis ac stipulationis donatorum, essentiam & formam piorum bonorum non perdidissent: & consequenter ad usus ecclesiasticos communiter, & specialiter ad usus episcoporum, presbyterorum, parochorum seu pastorum particularium, aliorumque clericorum, aut ad fabricas templorum, aut ad usus pauperum & piarum domuum, aut ad usus scholarum, collegiorum tum scholasticorum tum clericalium obligata essent ac manerent: jam conscientiam suam liberent, & omnes datâ quâcunque occasione publicè & privatim, vivâ voce & scriptis à possessione & usu istorum bonorum dehortentur; atque una ad restitutionem adhortentur: eo modo, quo de bonis ante Constantinum aut ante annum 325. modo dictum est.

Ne autem excipiant talia bona aut non superesse, aut paucula fuisse: Repono *primum* quod modo num. præced. De abolitione aut perditione eorum ne probabiliter quidem constare: contra magis de eorum successivo augmento: ut tunc erat zelus benefactorum in largiendo, & piorum quorumcunque episcoporum vigilantia atque autoritas in custodiendo. Sic noti sunt *Athanasius*, *Hilarius*, *Basilius*, *Nazianzenius*, *Epiphanius*, *Ambrosius*, *Nyssenus*, *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Synesius*, *Cyrillus*, *Alexandrinus*, *Theodoretus*, *Eucherius*, *Chrysologus*, *Prosper*, *Salvianus*, aliique ipsis ὁμόψηφοι, qui ab anno 400. usque 500. floruerunt. Ex quibus conjunctim cum Doctoribus sæculorum præcedentium nostri antiquitatem & Catholicismum suum, & novitatem Papatus demonstrare solent. *Deinde* in memoriam ipsis revoco, quanta bona Constantinus M. & *seqq.* aliqui Imperatores, aliique principes ad fidem conversi donaverint. De Constantino Gentilium templa & bona templaria ac sacerdotalia ad Christianas ecclesias transferente, lege historiam ecclesiasticam: & confer *epistolas Ambrosii ad Valentinianum*: ubi talem translationem defendit.

Nec prætereundum, quod cum Constantinus quibuscunque permisisset bona sua ecclesiis testamento relinquere, *L. 4. C. Theod. de Episcopis & clericis*, *idemque confirmasset Theodosius L. 28. C. Theod. de Episcopis*, & post eum *Marcianus & Justinianus L Generali C. de Episc. & Cleric.* agros ecclesiasticos immunes fecisset à pensitatione tributi: hâc occasione multa liberaliter fuerint donata. Quod etiam patet ex prohibitionibus aliquoties à sequentibus nonnullis Imperatoribus factâ, fatente *Baronio ad ann. 321. §. 17.* Quandoquidem ergo illis temporibus fuit religio & ecclesia Christiana, non obstantibus nævis & vitiis, quæ successive succrescebant, & bona tunc fundata, & quidem amplissima, erant ecclesiastica; serio mo-

neant

neant adversæ causæ patroni suos clientes bonorum istorum usurpatores, non posse conscientias ipsorum exceptione hâc de pseudo-ecclesiasticis tranquillari; ut ergo hæc bona à reliquâ massa separent & usibus ecclesiasticis, pauperum, piarum domuum, pastorum, lectorum, ædituorum, scholarum, collegiorum theologicorum, missionum ecclesiasticarum & conversionis infidelium atque hereticorum, ædificationis & instaurationis templorum, restituantur.

3. *Ab a.*500. usque 600. fundata, fuerunt bona ecclesiastica: erat enim tunc religio atque ecclesia Christiana; quamvis stipulæ opinionum & dubitationum non defuerint, super fundamento ædificatæ; quales e. gr. de signo crucis, de intercessione sanctorum, de statu animarum fidelium post hanc vitam, de orationibus pro defunctis, de altaribus, de imaginibus, &c. Hęc cognosci possunt ex historiis ecclesiasticis, aut compendio ex *Perkinsi problemate catholico.* Non dubium ergo est, quin de bonis illis statuendum sit, quod de aliis *num.* 1. & 2. indicatis. Forte contendat quis propter stipulas modo indicatas, nullam tunc fuisse religionem & ecclesiam Christianam; sed merum Papatum aut Antichristianismum; & bona quæcunque in pios & ecclesiasticos usus fundata dicuntur, fuisse falsæ religioni, & idolorum cultui (consequenter dæmoniis non vero Deo, non Christo) dicata; non esse itaque sacra, aut pia, aut ecclesiastica dicenda; sed pseudo-ecclesiastica, idolica, polluta, vitiosa ab origine & ex particulari intentione donatorum; rectè ergo, justè, piè absque vitio aut peccato, in foro conscientiæ, posse τοὺς τυχόντας sub assumto titulo, sine reali munere aut opere, sacerdotis seu presbyteri, diaconi, lectoris, ostiarii, archidiaconi, prępositi, vicarii, sacerdotis animarum, scholastici (hoc est, lectoris theologi) vicarii, canonici in ecclesiâ cathedrali N. aut N. Canonici in ecclesiâ collegiatâ communi N. aut N. possessionem & usum bonorum ecclesiasticorum à canonicis plerisque otiosis ventribus, collegiis, capitulis sub Papatu ante reformationem injustè & vitiosè possessorum, capessere, adire, continuare. Cui repono, & bona ab anno 325. usque ad annum 450. aut 500. sine stipulis fundata non fuisse: & consequenter idem ferè de illis affirmandum. Videbimus, an patroni hoc concessuri sint.

4. *Ab anno* 600. usque ad annum 790. quo Willebrordus cum sociis ex Angliâ profecti in quibusdam Germaniæ & Belgii partibus euangelium prędicare & propagare cœperunt. De Christianâ religione, & ecclesiarum in Gallia, Anglia, Germania, &c. tunc temporis παρακμῇ, & statu declinante, ex historicis cognosci potest: & compendio ex *Hottingeri part.* 2. *cap.* 7. & 8. Inde tamen hactenus nemo conclusit, bona omnia circa illud tempus

tempus usque ad annum 800. immo usque ad 900. ab hominibus ad fidem conversis, imprimis ab Imperatoribus Regibus, Principibus tam liberaliter collata, diabolo, aut idolis, aut Antichristo, aut meræ superstitioni & idololatriæ, exsertâ aut implicitâ intentione ac stipulatione donatorum data & dicata fuisse: neutiquam vero Deo, aut Christo, aut ecclesiæ Christianæ, ad fidei propagationem, ad conversionem Gentilium, ad alendos ex Gentilismo conversos, ad sustentationem pauperum, ad stipendia episcoporum, parochorum, presbyterorum, diaconorum, lectorum, aliorumque minorum (uti vocant) clericorum, ad sustentationem scholarum, & collegiorum sive theologicorum sive ecclesiasticorum.

Velim videre quinam historici & theologi reformati, asserant hæc bona non esse ecclesiastica, & non peccari in foro conscientiæ, si quis ea sub ementito aliquo titulo ecclesiastico (sine reali munere & opere ecclesiastico) in privatos suos usus, permittente aut volente prætore, convertat; aut ea tanquam commendata possideat; præterea condemnet omnes theologos fratres suos, rebellionis, ἀλλοτριοεπισκοπῆς, perturbatæ pacis publicæ, criminis læsæ majestatis, & cujus non; quod cum communi, uti credunt, Christianismo talem bonorum ecclesiasticorum abusum in foro poli illicitum esse, in conscientiâ sentiunt, & datâ occasione profitentur.

Sed contra bona circa istud tempus usque ad annum 800. aut 850. in his Belgii partibus Deo aut ecclesiæ, intuitu piæ causæ donata, excipitur.

I. *Except.* Quod omnes fundationes fuerint idololatricę, superstitiosę, vitiosæ, pro animabus è purgatorio liberandis; adeo ut pro nullis habendæ sint: hoc est, ut bona illa non sint vere ecclesiastica, nec ad ecclesiasticos aut pios usus obligata. *Resp.* 1. Hoc quidem dicitur: sed eo ipso non probatur, posse ea in foro poli sub assumto titulo eorum ecclesiasticorum quibus tunc donata erant (e.gr. canonicis), à quibusvis otiosis hominibus vel gratis, vel mediantibus illis (volente prætore) possideri & in privatos ac sæculares usus converti. *Resp.* 2. Idem pariter de bonis pastorum, pauperum, piarum domuum, templorum, scholarum, illo tempore fundatis dicendum esset. Categoricè hoc dicant patroni; si ausint. Quin & de omnibus bonis ecclesiasticis sæculo tertio, aut quarto, aut quinto fundatis, idem dici posset. Ecclesia tunc non erat sine vitiis, infesta erat multorum episcoporum hæresibus, aliorum scismatis & contentionibus, populorum superstitionibus, presbyterorum aliorumque clericorum ignorantiæ, morum corruptelis, typho sæculi, potestatis ecclesiasticæ & ὑπεροχῆς affectationi, usurpationi, abusibus: inter hos excellebant Episcopi Romani.

Hiſtoriam compendio cognoſces in *Mornæi Pleſſiaci myſterio*. Quam idololatrica & corrupta ſæpe erat eccleſia Iſraelis ſub Regibus Juda & Iſrael, cum fidelis civitas facta eſſet meretrix, *Jeſa. 1. v. 21.* Quam vitioſa tempore Chriſti! Tantum autem abeſt, ut ideo bona per tributa ſiclorum ſanctuarii, decimarum, primitiarum, votorum atque anathematum, & per ſpontaneas populi oblationes collecta, fundata, acquiſita fuerint profana, & non-eccleſiaſtica, uſurpationibus & abuſibus quorumvis expoſita aut exponenda poſſidenda, utenda, fruenda (adſumto ſcil. titulo eccleſiaſtico, & volente prætore): ut contra Chriſtus ea vocaverit dona Dei *Luc. 21. v. 4.* Et Apoſtolus ſacrilegii accusârit eos, qui in proprios ſuos aut profanos uſus aliquid iſtorum convertiſſent. *Rom. 2. v. 22.* Et tamen fides ac religio ſuperſtitionibus & traditionibus majorum (*Math. 5. & 15. & 23.*) hæreſibus Phariſæorum, & Sadducæorum atheiſmis inſigniter corrupta; ex quibus multi primas in eccleſiâ, aliqui etiam Pontificatum obtinebant.

Compara nunc ſtatum eccleſiæ Judaicæ ſub Regibus Joramo, Achaſo, Menaſſe, & ſub Imperatoribus Romanis, ante adventum Chriſti, & ipſo tempore Chriſti; cum ſtatu eccleſiarum in occidente anno 600. anno 700. uſque ad Carolum Magnum, ejuſque filium & nepotem incluſè, compara pſeudo-prophetas, levitas, ſacerdotes, Principes ſacerdotum; Pontifices nominatim Uriam 2. 2 *Reg.* 16. *v.* 11. Matthanem 2 *Reg.* 11. *v.* 18. poſtremos Pontifices ex Haſmoneis, & Cajapham, Annam, &c.): cum clero, Epiſcopis, Epiſcopis Romanis in occidente, & poſt comparationem inſtitutam juſtè judica, an ratio aliqua religionis, ſalutis, eccleſiæ miniſterii ſacri fuerit in corruptâ & vitiatâ eccleſiâ Judaicâ: in eccleſiâ vero Chriſtianâ iſtorum temporum non fuerit: ita ut de illâ adhuc dici poſſet *ſalus eſt ex Judæis*, Joh 4. v. 22. De iſtâ dici non poſſet, ſalus eſt in aut ex Chriſtianiſmo, aut eccleſiâ Chriſtianâ. Et conſequenter ibi fundata & acquiſita fuerint bona ſacra, bona eccleſiaſtica, ad pios, eccleſiaſticos, ſacros uſus obligata; hic non fuerint: ſed omnia, ob vitium donationibus adhærens, non-eccleſiaſtica, profana, idololatrica, maledicta, ſuperſtitioſa, diabolica ab omni uſu ſacro aut pio removenda, ne contactu ſuo eccleſiam, religionem, ſacra miniſteria reformatorum fœdent: juxta textum ſcil. quem aliquando allegari audivi ex 1 Corinth. 10. v. 20. *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo: nolim autem vos conſortes dæmoniorum eſſe.*

Gaudeant ergo, quicunque bona tunc fundata cum totâ maſſâ bonorum (quamvis prioribus Chriſtianiſmi ſeculis ante ſextum aut ſeptimum fundatis) ſub aſſumto titulo eccleſiaſtico (ſive verè eccleſiaſtico, ſive pſeudo-eccleſiaſtico,

ſtico, ſive Romano-eccleſiaſtico, ſive adiaphoro, ſeu tolerabili) poſſident; permittente, aut volente, quin & partem faciente prætore; nec de bonis meliori ſtatu & ætate eccleſię fundatis, ſeparandis, atque ab iis manus abſtinendo, ſcrupulos non-neceſſarios conſcientiis ſuis à reformatis ſeu Præciſiſticis theologis moveri ſinant; quia facile excogitato hoc quodam commento, conſcientiam ſuam tranquillare poterunt. Quod illa bona quamvis per ſe nec idololatrica, nec diabolica, per concomitantiam tamen talia poſtmodum transformata & facta dici poſſent; præſertim, ſi potior pars ſit idololatrica, aut ſuperſtitioſâ, aut Papalis, aut quâcunque aliâ ratione vitiata aut corrupta. Ut in naturalibus aliquid denominatur ab elemento, qualitate, humore in corpore humano, & complexione prædominante: ſic etiam de his bonis judicandum. Deinde etiam dici poſſet per poſſeſſionem & abuſum pſeudo-cleri in dominante poſt ſæculum duodecimum Antichriſtianiſmo & Papatu ab anno 1200., uſque ad annum 1500. & deinceps, fuiſſe omnia profanata, ex eccleſiaſtizata, deformata, Papizata, dęmonizata, & quid non! Ultimus enim actus ſpecificat. Quod mox examinabimus, Interim tota ſumma ſummarum uſurpantium & abutentium huc rediret: non committere ſe, nec poſſe ſe committere aliquam ſacrilegii ſpeciem; quia non ſunt bona ſacra aut eccleſiaſtica. Ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Tenet argumentum in materiâ & formâ, non minus quam illud Pontificiorum: Clerici non committunt, nec committere poſſunt *crimen læſæ majeſtatis*: quia majeſtati non ſunt ſubjecti.

II. *Except.* Willebrordus & Bonifacius fuerunt Apoſtoli ſedis Romanæ, & fidem ſimplicium Chriſtianorum perverterunt; Papæ tyrannidem, idolomaniam & errores propinando, & Germanos magis ad Antichriſtum quam ad Chriſtum convertendo. *Reſp.* 1. Pariter hoc dici poſſet de Auguſtino à Gregorio M. in Angliam ablegato, deque multis aliis, qui ab anno 600., uſque 750. aut 800. alicubi inter Gentiles eccleſias primum plantârunt, aut plantatas irrigârunt, reſuſcitârunt, propagârunt. Sed jam conclude: Ergo in Angliâ, in Germaniâ, in Belgio, in Daniâ, & alibi tunc temporis, & ab eo tempore nullus fuit Chriſtianiſmus, nulla fides, nulla eccleſia Chriſtiana, nulla miniſteria eccleſiaſtica; & conſequenter nullæ fuerunt fundationes, nulla bona eccleſiaſtica: gaudeant ergo, quotquot ſunt uſurpantes & abutentes. Concluſum eſt adverſus theologos Præciſiſtas, immo & adverſus totum Chriſtianiſmum, nominatim adverſus teſtium Proteſtantium & reformatorum theologorum ac Jureconſultorum infra indicandorum nubem. Quid ſi ærarium & bona civitatis dicat quis pſeudo-politica, & à peculatoribus ea in privatos ſuos uſus converti poſſe concedat, hoc argumento: Quod non ſint bona politica, ſed pſeudo-politica

immo

immo anti-politica: quia magnam partem collecta, fundata, acquisita, & admodum aucta, tempore corrupti status Reipublicæ & dominantis tyrannidis: immo multa ad tyrannum ejusque fautores, satellites, milites contra bonum Reipublicæ, sustentandos, fovendos, & animandos collecta, tributa, & acquisita sunt. *Resp.* 2. Quamvis Doctores tunc passim docuissent purgatorium & animarum liberationem ex eo per preces & eleemosynas viventium; quis dicet omnes donatores hęc ita credidisse, & consequenter non nisi intentione liberandi animas ex purgatorio, ad suffragia & missas pro defunctis has donationes fecisse. Intentio & secundum eam obligatio istorum bonorum ad idololatriam & superstitionem explicita in diplomatis donationum ostendi deberet. In Galliâ, in Britanniâ, in Belgio, &c. tunc hoc obtinuisse, ex diplomatibus, & antiquitatibus istarum ecclesiarum si non probetur; conjecturæ ex ingenio tam facile difflantur, ac adferuntur. Nos quod ad Belgium nostrum, de amplissimis donationibus Caroli M. & filiorum istâ ætate factis contrarium probamus ex confirmatione Pipini apud *Hedam* Historicum Ultrajectinum anno 1643. non sine publicæ autoritatis approbatione hic recusum in fol. ubi pag. 36.

,, Pipinus Rex Francorum vir Illuster, si petitionibus sacerdotum in ,, omnibus non negamus Dominum exinde retributorem habere confidi- ,, mus: Ideóque venerabilis vir Bonifacius Archiepiscopus nobis expetiit, ,, ut confirmationem de rebus Ecclesiæ suæ S. Martini, quæ est extructa in ,, vico, qui dicitur Trajecto, super fluvium Rheni, ea quæ Pipinus dona- ,, vit S. Martino, seu Karolus vel Karolomannus, renovare vellemus. ,, Ideoque quicquid Pipinus Rex Francorum ad casam Dei concessit, vel ad ,, illum Episcopatum, ut omnem decimam de terris seu de mancipiis, aut ,, de teloneis, vel de negotiis, aut undecunque à partibus Fisci census spe- ,, ctare videbatur, sicut diximus, omnem decimam partem ad ipsam ca- ,, sam Dei S. Martini, in qua D. Bonifacium Archiepiscopum custodem ,, præesse concessimus & confirmamus, in *luminaribus seu in stipendiis Mo-* ,, *nachorum vel Canonicorum, qui ibidem gentiles ad Christianitatem conver-* ,, *tunt, & Domini misericordiâ ipsos*, quos habent conversos, docent, juxta ,, quod alii Christiani, eorum Christianitatem conservant, & eorum præ- ,, ceptionibus contineri videtur, quæ antecessores nostri sæpè dicti Pippi- ,, nus & Karolus Karolomannus ad ipsam casam Dei per eorum instrumen- ,, ta condonaverunt justè & rationabiliter nos per nostram confirmatio- ,, nem, ei gratanti animo concessimus vel confirmavimus. Eadem habet confirmatio Caroli M. apud *Hedam* pag. 39.

Quod donationes quædam adhibent formulam, *pro animâ suâ*, (uti & in capitulis Caroli M. apud *Goldastum tom* 3. *constit. Imper. pag.* 145.) id necessario

cessario intelligi non debet de liberatione animæ ex purgatorio: sed de eo, quod Carolus M. in quodam diplomate de donatione Lisidunâ, factâ basilicę seu ecclesiæ Ultrajectinæ dictæ S. Martini apud Hedam pag. 41. *Si enim*, inquit, *quæ divina pietas nobis largiri dignata est, locis venerabilibus concedimus: hoc nobis ad æternam beatitudinem pertinere confidimus.* Breviter synonymum est illi formulæ, *ad animæ salutem.* Et dato non concesso, apud antiquos etiam ante annum 600. orationes factas fuisse pro defunctis; inde tamen purgatorium concludi non potest. Pontificiorum opinio est, preces pro defunctis, & purgatorium tam arctè conjuncta esse, ut uno posito necessario alterum sequatur. Sed hoc negant omnes theologi reformati. Vide *Perkinsum in problemate catholico, Sutclivium, Laurentium* aliosque antagonistas Papatus in controversia de Purgatorio. Imprimis etiam sed vernaculè *Robertum Abotum in defensione Catholici reformati Perkinsi anno* 1611., & *Jac. Usherum in responso ad Jesuitam Hibernum anno* 1631. qui ibi dicit, *Pontificios hic rationes subducere sine hospite.* Idem in discursu de religione quam antiquitus professi sunt Hiberni & Britanni cap. 3. Et quidquid opinati sint multi Doctores: fides tamen & communis sententia ecclesiarum, ne quidem Occidentalium inde non concluditur: multo minus fides & particularis intentio omnium & singulorum donatorum, quotquot in suis donationibus ecclesiasticis illud non exprimunt: sed alios & longè diversos donationum fines: uti Carolovingiorum diplomata modo citata hoc satis probant. Adde & donationes Caroli M. apud Goldastum. Conferantur scriptores de successione ecclesiarum, qui non obstantibus erroribus plerorumque Doctorum, etiam tunc pertendentibus & communiter obtinentibus (quantum ex scriptoribus colligi potest) contendunt fuisse adhuc religionem & ecclesiam Christianam.

Witebergenses delecti ab universitate in responso ad institutionem ex aulâ electoris ablatam longè aliter tempora distinguunt: *Recentes*, inquiunt, *fundationes, collegiorum aut cœnobiorum, ab annis quadringentis aut quingentis ferè omnes missarum & cantionum usitatarum causâ constitutæ, magnificèque (quod apparet) auctæ sunt.* Subscripserant *Justus Jonas, Phil. Melanthon, Nicol. Amsdorff. Joh. Doltz à Veltkirch. In Consil. Melanthonis part.* 1. Quin ipse adversæ causæ hyperaspistes in *apologiâ* pro aliquot reformatæ ecclesię membris, qui ingressi erant & juraverant in confraternitatis cujusdam Marianæ anno 1318. institutæ observationem & defensionem; non veritus fuit asserere pag. 41. „Quin etiam ante furores Mariolatricos (anno „scil. 1318.) fuit instituta; cum nondum insanus ille morbus esset *en acmé*: „ut si primævam ejus originem spectemus, sit longe infra sodalitatem ro„sarii ---- Veteres illius leges nihil habent, quod formaliter famulatum

„ & adorationem sonet B. Virginis. Rusticula adhuc erat superstitio: & te-
„ terrimum hoc idolomaniæ monstrum, vagiebat adhuc in cunis; necdum
„ adultum erat. Istius generis collegia, quo sunt antiquiora, eo etiam sunt
„ minus impura. Id malum vires acquisivit eundo, &c. Quæ quamvis planè ἀνιστόρητα sint, & ἀπίθανα, reformatis Doctoribus & historicis hactenus incognita; ad hominem tamen ipsi obverti possunt, ad probandum, multò magis rusticulam fuisse superstitionem, & idolomaniam vagiisse in cunis, nec insanum illum Papatus morbum fuisse in ἀκμῇ ab anno 600 usque ad 800; quo tempore tam multa bona ecclesiastica, imprimis in his partibus Belgii, specialiter Ecclesiæ & capitulo Ultrajectino donata sunt. Quæ omnes donationes non possunt judicari specie & forma idololatricæ, aut superstitiosæ, aut Antichristianæ & consequenter nullæ; ita ut bona illa nullo modo fuissent ecclesiastica, ad ecclesiasticos & pios usus obligata.

Sed religionis & ecclesiarum statum post annum 600. usque 700. in Britanniâ (unde *Winefridus*, *Willebrordus*, &c. tunc profecti, in Belgio & Germaniâ plantârunt aut irrigârunt) quamvis non-integrum, non tamen formaliter Romano-Papisticum, aut Antichristianum, satis superque ostenderunt. *Wilh. Cowperus in hebdomadali collatione*; *Robertus Abotus in defensione catholici reformati* contra *Bishopum*, *Usherus in tract. de religione antiquorum Hibernorum & Britonum*: qui tres tractatus linguâ vulgari conscripti. Idem *Juellus* contra *Hardingum*; *Usherus in tract. lat. cui tit. de Britannicarum ecclesiarum primordiis*; & *Joh. Forbesius lib. 3. instructionum historico-theologic. cap.* 30. Ex postremo hæc verba exhibeo cap.
„ cit. §. 12. Ex his, inquit, quæ commemoravimus, liquere arbitror, primi-
„ tivam *Scoticanam* ecclesiam per totos quingentos & tredecim annos (sup-
„ putando scil. ab anno Christi 203. ad annum 716; Ibid. § 11. & 14.)
„ fide catholicam, Christianâ pietate florentissimam, & sanctissimorum
„ virorum feracem, multisque laudibus abundantem, & Deo dilectam,
„ & veteres etiam *Britonum Pictorumque* ecclesias, cum Scotis in religio-
„ ne Christianâ consentientes, solas propheticas, euangelicas, & Aposto-
„ licas literas agnovisse pro regulâ fidei vitæque Christianæ: ac in rituum
„ observatione & sacræ scripturæ interpretatione; ignorasse & negasse, abs-
„ que salutis jacturâ, autoritatem & infallibilitatem ecclesiæ Romanæ,
„ neque ejus judicio acquievisse, neque ei subjectas fuisse. Quæ lecta, probata, commendata (uti arbitror) ab ipso excipiente, ejusdem exceptioni opponi possunt. Hæc enim ejus verba in commendatione operi Forbesiano præmissâ: „ Hic enim, inquit, videre est, quantopere ab-
„ horruerit antiquitas catholica (*à quâ absolutè & totaliter excludi non debet*

„*debet juxta Forbesium loc. cit. antiquitas usque ad annum* 700.) ab idololatriâ multiplici. Romanensium, ac eorundem meritis, opere operato, „ transsubstantiatione, purgatorio, Papatu, ac aliis id genus, in quibus „ ne quidquam de veteris ecclesię consensu gloriantur.

Denique, dato Willebrordum & commilitones ipsius nimium tribuisse Episcopo Romano, & orationibus pro defunctis, atque adeo figmento illo de purgatorio occupatos fuisse: non tamen dici potest, ab ecclesiis Britannicis, unde huc missi, & à Gallicis, ibique à Regibus Francorum Carolo Magno, & filiis, aliisque omnibus istorum temporum per Occidentem donatoribus, hæc ita recepta & hausta fuisse, ut omnia fundamentalia fidei in ipsis suffocârint, ipsique formaliter Papistæ & Ecclesia Anti-Christianizata, habendi & dicendi sint; & non aliâ, quam Papalitatis formâ & Papali conscientia, non alio quam Papæ, Antichristi, idololatriæ, superstitionis intuitu, imprimis purgatorii, & liberationis ex eodem per missas, bona illa donasse. Hæc distinctè & perspicuè explicanda, probanda ei, si quis pro abusibus bonorum ecclesiasticorum, isto tempore fundatorum belligerari, non bellum cauponari velit.

III. *Except.* Bona plurima, si non pleraque tunc temporis donata sunt ad sustentandos monachos, ad erigenda monasteria, ad monachatum promovendum: atqui monachatus est malus, non est pium & Ecclesiasticum quid: ergo bona illa ad vere pios & ecclesiasticos usus fundata, & ad eosdem obligata non sunt. *Resp.* 1. Qui & quales fuerint istius temporis monachi, & qualia tunc monasteria, & quanta inter ea, & formaliter Papistica monasteria fuerit differentia, ex historiis & antiquis scriptoribus discendum est; non ex ingenio conjectandum, aut ex proprii cerebri imaginatione hauriendum *Bucerus*, *Melanthon*, *Witebergensis Academia*, *Cythræus supra cit.* in antiquitatibus & historiis minimè hospites aliter sanè de istius temporis monasteriis loquuntur. Adeat, qui hæc, nosse cupit, *Hospinianum de Monachis lib.* 3. *cap.* 13. ubi enumerat errores & abusus, qui in vitam monasticam paulatim irrepserunt. Et *lib.* 4. *cap.* 4. ubi regulam ordinis Benedictini: sub quo ordines 22. aut 23. militare dicit. Et passim, ubi disputat contra Bellarminum. Hinc discant monachos antiquorum non fuisse eosdem cum iis, qui posterioribus sæculis sub novitate Papatus religionem & ecclesiam corruperunt. Adde & antagonistas Bellarmini. Ordines monachorum maximè multiplicati fuerunt, & monasticum vitæ genus corruptionis suæ ἐντελέχειαν, id est, perfecti habeam & formam acquisivit post illa tempora, circa annum 1000. & deinceps. *Resp.* 2. monachi, & clerici seu canonici hoc est presbyteri ab initio distincti fuerunt: postea cum clerici aliqui seu presbyteri ad instar monachorum vitam com-

munem ſub inſpectione epiſcopi amplecterentur, dicti ſunt κοινόβιοι ſeu cœnobitæ, immo & monachi: quod in hoc monachis eſſent ſimiles. Cum vero monachis concederetur ut ex ipſorum ordine presbyteri ordinarentur, qui ſacra in monaſteriis celebrarent, mox etiam aliis eccleſiis ex cœnobiis presbyteri darentur, non raro etiam ad evangelium inter infideles prædicandum aliqui inde mitterentur (quod ante Gregorium M. obtinuiſſe, ex *Gregorio M. & decreto Gratiani oſtendit Hoſpinianus lib. 4. cap. 10.*): facti ſunt paulatim clerici, & monaſteria ipſorum collegia clericorum, quæ presbyteros, & rerum divinarum ſtudioſos continerent; in quo monachi clericis aut dictis canonicis magis magiſque ſimiles evadebant. Adeo at bona circa illa tempora monachis & monaſteriis donata, rectè à noſtris theologis hactenus citatis, & infra citandis dicta fuerint eccleſiaſtica & ſacra, eccleſiaſticis & piis uſibus dicata, & ad eoſdum obligata. Sequentibus ſæculis, cum canonici ita dicti abjectâ communi vitâ, & laxatis regulis ac tepeſcentibus magis ac magis ſtudiis, exercitiis, & miniſteriis, curiſque eccleſiaſticis, admodum degenerarent; & monaſteria paſſim, præſertim Canonicorum regularium ita dictorum ſtudia theologica, & presbyteria ſeu miniſteria eccleſiaſtica capeſſerent: magis evidens & palpabile diſcrimen inter Monachos & Canonicos ſervatum fuit; ut hi dicerentur canonici irregulares, & clerici ſæculares; diſparate à Canonicis regularibus (quales Auguſtiniani, Benedictini, Præmonſtratenſes, Ciſtercienſes,) & ab aliis clericis regularibus, ſeu eccleſiaſticis ſupererogantibus. Unde conſequitur, etiam bona monaſteriis donata, imprimis ab a. 700. uſque ad 900. eſſe eccleſiaſtica (ex hypotheſi opponentis); quippe eccleſię, & collegiis de conſervandâ & propagandâ fide ac ſtudiis doctrinarum, & ſupplendo miniſterio eccleſiaſtico donata; & ſic manere obligata. Quamvis autem monachi æque ac canonici bonis tunc temporis fundatis non bene uſi eſſent: eo tamen non tollitur intentio donatorum & inde orta obligatio; non magis quam bonorum ad paſtorales curas parochorum, epiſcoporum, lectorum; aut ad alendos pauperes, ad fabricam templorum ad ſcholas & ſtudia, &c. donatorum. Opponens ſaltem de illis bonis hoc negare non poterit, quæ abſque intentione & ſtipulatione ſuffragiorum pro mortuis, aut liberationis animarum ex purgatorio, donata legimus. Doceantur ergo ii qui totam maſſam bonorum capitularium aut monachalium ab anno 400. aut 500. uſque ad an. 1000. fundatorum ſub titulo pſeudepigrapho, ementitorum ſive monachorum ſive canonicorum ſibi vindicant, & de iis in proprios uſus diſponunt; ut de emendatione, reſtitutione, reformatione, conſcientię ſuæ liberatione in tempore cogitent; dum hodie nominatur. Deus non irridetur; nec ficulnea ſubligacula, quæ ab

uno atque altero ipsis parantur, contra ictus & plagas in perpetuum eos munire poterunt.

Instantia: Quidquid boni post annum 600. usque 800. monachi aut canonici retinuerint aut in propaganda fide Christianâ egerint: manet tamen bona illis temporibus data & fundata esse pseudo-ecclesiastica, idque ex vitiosâ intentione donatorum, qui specialiter & tantum ad animas suas ex purgatorio per suffragia monachorum & canonicorum liberandas, bona illa donârunt. *Resp.* 1. Transeat hac vice consequentia majoris; quæ talis est, ubicunque tale vitium de opinione purgatorii in donationibus, intercurrit; ibi nihil bonæ, Christianæ, piæ, ecclesiasticę intentionis, donationis, dedicationis adesse potest, nullusque ejusdem effectus; ut bona scil. illa sint aut dicantur, si non absolutè, propriè, univocè, saltem quodammodo, & analogicè sacra atque ecclesiastica, ad pios usus obligata. *Resp.* 2. minor negatur. De maximis ab anno 600. usque 800. & ultra, donationibus monachatui & canonicatui factis, contrarium supra evicimus, ex diplomate.

Adde nunc diploma Imperatoris Lotharii fil. Ludovici (apud *Hedam pag.* 52.) in quo nullius purgatorii, nullius liberationis ex eo, nullius sacrificii propitiatorii missatici pro defunctis, nullius monarchiæ Papalis, inter causas donationis, fit mentio: sed *amoris cultus divini*; & ut *in perpetuo tempore ad peragendum Dei servitium, augmentum & supplementum fiat*; Ut episcopus Ultrajectinus, *pro incolumitate nostrâ, conjugis, ac prolis, seu etiam imperii à Deo nobis collati, & clementissimâ miseratione per immensum conservandâ una cum clero & populo sibi subjecto domini misericordiam exorare* posset. In donatione Ludovici Pii anno 818. factâ Canonicis Tornacensibus (apud *Mireum in donat. Belgic.* pag. 7. in *dilatandis & ampliandis claustris canonicorum*, in *suâ eleemosyna, concedere* se dicit terras aliquot, *pro mercedis suæ augmento, & reverentiâ ipsius sancti loci.* Ibid. pag. 10. Lotharius in confirmatione donationum ecclesiæ Aquisgranensi factarum anno 844. dicit, oportere ut Imperialis sublimitas *ecclesiarum ac sacerdotum utilitatibus benignitatis suæ munere faveat*, &c. & talibus semper negotiis studentem credit *proculdubio & temporalem gloriosius transiturum vitam, & æternam felicius obtenturum.*

Ibid. pag. 22. in donatione anno 918. factâ monasterio S. Gerardi Benedictinorum in agro Namurcensi. „Ego in Dei nomine Gerardus cogitans „de Dei timore, & æternâ retributione, dono, &c. aliquas res meas ad ec„clesiam, ubi cupio construere monasterium, ac meipsum in servitio omni„potentis Dei militaturum, &c.

Ibid. pag. 23. donatio Othonis 2. anno 968. facta Metensi episcopo, nihil de liberatione animæ ex purgatorio.

Pag. 34. Confirmatio donationum Imperatoris Henrici, facta anno 1003. monasterio Bavonis Gandensis, nullas causas allegat, nisi *ob amorem Dei, & præmium æternæ retributionis*: &, *spe beatitudinis æternæ, ut ad salutem animæ meæ in æternâ quiete proveniat.* Et, *quatenus ipsos servos Dei ibidem famulantes, pro me atque statu regni à Deo mihi concessi, jugiter misericordiam Dei exorare delectet.*

Idem *Mireus* in notitiâ ecclesiarum Belgii pag. 3. ex testamento Remigii Remorum archiepiscopi (qui anno 525. obiit) exhibet, donationem duarum villarum, factam à Ludovico Rege Francorum (Clodoveo Magno fil. Childerici) ecclesiæ Atrebatensi, *in alimoniis clericorum.*

Ibid. pag. 5. (ut & in Fastis Belgicis & Burgundicis pag. 104.) exhibet donationem Chilperici I. Francorum Regis factam anno 575. ecclesiæ cathedrali Tornacensi: in quâ nulla purgatorii, idoli, idololatriæ, fit mentio: *Quanto alios*, inquit, *regiâ celsitudine præcellimus, tanto Christum honorare & ejus ecclesiam impensius volumus. Et in Christi repensionibus sacerdotum & Pontificum, vel servorum Dei, quæ pro eorum utilitatibus pertinent, libenter præstamus, vel concedimus.* Et postea: *in stipendiis canonicorum nostrâ gratiâ plenè visi sumus concessisse.*

Ibid. pag. 7. exhibet Dagoberti Francorum Regis donationem a. 639. ad ædificandum monasterium, quod hodie S. Amandi vocatur: ubi dicitur Amandus episcopus Tungrensis *quasdam ecclesias seu monasteria ad augmentum divini cultus construxisse ac bene disposuisse.*

Ibid. pag. 9. Clotarii 3. Regis Francorum donatio anno 662. facta monasterio Corbejensi; dicit *se præcepisse* illud monasterium *ædificari pro æterni numinis intuitu.* Et, *quod ad mercedem suam in Dei nomine crederet pertinere, quidquid pro animæ salute locis sanctorum conferret, nec ibidem perenniter proficiat, & gloriam auxiliante Deo habere mereatur.*

Nota in his aliisque donationibus vocabula *mercedis* & *meriti*, *mereri*, non significare meritum Papistarum de condigno; sed nihil aliud quam *consequi, acquirere, obtinere* gr. τυγχάνειν. Patres, apud quos eædem aut synonymæ voces leguntur, sic accipiendos esse, docuerunt antagonistæ Bellarmini, & *Mortonus in tract. peculiari de Merito cap.* 3., qui in epist. nuncupatoriâ pronuntiat *eos in hâc controversiâ nostros esse*, & *ipsissimos patronos nostros esse*, usque ad Gregorium M. inclusè, quem dicit *totum nostrum esse.* Quibus auctarii vice adjicit Bernardum, Bedam, Anselmum. Nos alios insuper post sæculum ferreum XI. sub ἀκμῇ antichristianismi & novitate Papismi gementes veritatis testes indicavimus in 2. *part. select. disp. tit. Vis veritatis*, &c.

Idem *Mireus* in libris diplomatum Belgicorum pag. 248. exhibet Chil-

deberti Regis Francorum donationem factam anno 705. monasterio S. Dionysiii; ubi dicit, quod quæ *ad loca sanctorum seu monasteria, præstaret vel concederet, hoc sibi ad laudem & æternam retributionem, in Dei nomine profuturum consideret.*

Mireus ibid. pag. 250. exhibet donationem Caroli M. Regis Francorum, quâ anno 780. donabat ecclesiæ cathedrali Ultrajectinæ Lindiniam Bataviæ villam absque ullâ mentione liberationis ex purgatorio, aut idolorum, aut idololatriæ, &c. Tantum, quod si de suis bonis *locis venerabilibus concederet, hoc sibi ad æternam beatitudinem proculdubio pertinere confideret.*

Ibid. pag. 285. Fretehaldus in donatione anno 993. factâ Ultrajectino cathedrali canonicorum collegio nullius alterius intentionis aut stipulationis meminit, quam *quod amore Dei salubriter instigatus, nil dubitans cum transitoriis acquirere perennis vitæ gaudia, omnem sui juris hæreditatem*, &c. *ad stipendialem videlicet usum fratribus in Trajecto commorantibus.*

Ibid. pag. 287. magna illa donatio Othonis 3. Imperat. facta anno 999. ecclesiæ cathedrali Ultrajectinæ, sic loquitur: *Si locis cultui divino mancipatis alicujus honoris seu proprietatis supplementum præbere studuerimus, in nostræ animæ &* (hic lacuna est in Mirei libro, quam manu suâ in exemplari suo, quo comparato in auctione nunc utor, eximius antiquarius Arn. Buchelius suppleverat *carnis*) *felicitate nobis divinitus remunerari proculdubio credimus.*

Ibid. pag. 288. In Radulphi viri nobilis donatione anno 1036. Aicuriensi canonicorum collegio factâ, nulla alia causa memoratur, quam *ut facerent sibi amicos de transitoriis, qui eos in æterna tabernacula recipiant; & servos Christi, immo ipsum Christum Dominum nostrum hæredem suum designarent.*

Idem *Mireus* in notitiâ ecclesiarum Belgii pag. 26. habet epistolam Bonifacii archiepiscopi Ultrajectini & Moguntini, ad Zachariam episcopum Romanum anno 750. scriptam, in quâ de monasterio Fuldensi à se fundato sic scribit: *monachos constituimus sub regula sancti patris Benedicti viventes, viros strictæ abstinentiæ, absque carne & vino, absque sic erâ & servis, proprio manuum suarum labore contentos.*

Ibid. pag. 29. Pipinus brevis Rex Francorum in dotatione Epternacensis monasterii anno 752. causam & intentionem donationis hanc indicat: *quatenus inibi Deo famulantes pro nostrâ succedentiumque regum salute jugiter Deo delectet supplicare.*

Idem *Mireus* fastis Belgicis & Burgundicis pag. 81. inserit testamentum Amandi anno 621. conditum: in quo refert, *se longè latèque per universas* pro-

provincias seu gentes, propter amorem Christi, seu verbum Dei annuntiare, vel baptismum tradere volentem, discursum habuisse.

Ex his aliisque quamplurimis donationibus ab anno 600. usque 800. immo 900. factis apparet omnia monasteria & capitula, omnes dictos presbyteros, episcopos, clericos, monachos, canonicos, non propagasse aut tenuisse doctrinam, regulas, religionem, quales hodierni in Papatu: nec omnes donatores (quamvis sine erroribus & vitiis non essent) dedisse tunc sua idolo, aut dæmoniis, aut Antichristo ad meræ idololatriæ & falsæ religionis exercitium & propagationem. Similia quamplurima adferri possent: sed hæc sufficiunt ad instantiam contra prætensam universalem ministrorum, collegiorum, ecclesiarum, & donationum in orbe Europeo, nominatim in Belgio anno 700. & duobus sæculis proxime sequentibus, factarum, condemnationem, idolizationem, Antichristianizationem: atque una ad Buceri, Melanthonis, Cythræi, &c. supra cit. longè aliter de bonis capitulorum & monasteriorum illo tempore fundatis judicantium, defensionem.

IV. *Except.* Bona post ann. 600. usque ad 800. aut 900. in partibus Occidentalibus, & in Belgio data episcopis cum presbyteris, capitulis seu collegiis dictorum monachorum aut canonicorum; non sunt data ad curas animarum: Ergo non sunt ecclesiastica, & ad ecclesiasticos aliosque pios usus obligata. *Resp.* 1. Quiquid comminiscantur, non tamen inde concludere poterunt; uti etiam vix unquam concludere audent, Ergo possunt οἱ τυχόντες reformatam religionem professi, (permittente scil. aut volente prætore) in foro poli seu conscientiæ bona illa ab anno 600. usque ad ann. 800. aut 900. tam liberaliter, si non profusè, (integra scil. telonia, integras agri aut territorii alicujus decimas, immo & integra quasi territoria, aut integras provincias) donata, in privatos & sæculares suos usus convertere, sub assumtis titulis canonicorum, decanorum, archidiaconorum, præpositorum, scholasticorum, vicariorum, sacerdotum animarum: sed absque ullo reali munere aut opere ecclesiastico, sive Romano-Papali, sive reformato, sive tali, quale obtinebat, cum bona illa post annum 600. usque 800. & ultra donarentur. Hoc concludendum erat; hic enim est casus conscientiæ, theologis propositus, & semper ita proponendus. Hoc ipsum est quod perpetuo jam à primâ reformatione, usque in hunc diem in Belgio nostro fuit materia scandali tum Pontificiis tum reformatis. Hoc ipsum est, in quo genuini & pii reformati ibi locorum, ubi talis negotiatio etiamnum viget, tantum semper invenerunt scrupulum: ut maluerint ipsi cum liberis suis in re tenui manere, quam hoc modo rem familiarem augere, aut inde vitæ hujus subsidia accipere. Sed frustra hoc ostium pulto:

non

non desinent, ut opinor, hujus causę patroni ad instar Posthumi de perjurii Barbari furoris, de idolomaniâ & superstitione Papatus, de corruptâ religione, de oblationibus dæmoniorum, &c. declamare: ut tenebras aut fumos lectorum oculis objiciant. *Resp.* 2. Donationum diplomata & historiæ testatur, bona illa data esse ad Christianæ fidei prædicationem & propagationem, ad ecclesiarum & collegiorum ecclesiasticorum, candidatorum ministerii & ministrorum (dictorum scil. episcoporum, presbyterorum, canonicorum, seu monachorum, aliorumque minorum clericorum) sustentationem; ad templa ædificanda & instauranda, ad omnis generis pauperes, exules, captivos, afflictos in corporalibus necessitatibus juvandos. Ergo data sunt ad curas animarum. In istos usus data, & impensa fuisse bona ecclesiastica, non tantum in antiquâ ecclesiâ, sed etiam ab anno 600. usque 800. & paulo ulterius, quamvis à priori puritate & integritate haut parum tunc recessisset ecclesia, communis nostrorum sententia est: quam præstantissimi theologi, & communes quasi reformatorum præceptores, *Lutherus*, *Melanthon*, *Bucerus*, *Bullingerus*, *Calvinus*, *Beza*, *Martyr*, &c. eorumque successores infra citandi, tenuerunt.

Instantia: Atqui distinguuntur in jure canonico, & hodierno Papatu beneficia in curata, & non-curata, hoc est, quæ curam animarum annexa non habent: ergo etiam bona ecclesiastica distingui deberent, in ea quæ ad curam animarum, sic dictam, fundata & obligata sunt; & in ea quę absque tali intuitu donata, & consequenter ad talem curam obligata non sunt. *Resp.* 1. Imperitus est Theologus & antiquarius ecclesiasticus, qui res & terminos in ecclesiâ primorum trium aut quatuor sæculorum, cum rebus & terminis sequentium sæculorum (septimi, octavi, noni) confundit. Sed longè imperitior, qui res & terminos in ecclesiâ sub novitate Papatus & Antichristianismi ἀκμῇ pressâ (ab anno scil. 1100. & 1200. usque ad reformationem, & inde usque in hunc diem) confundit, cum rebus & terminis in ecclesiâ primorum sæculorum, usque ann. 400. aut 500., & rursum inde usque ann. 800. Imperitissimus, qui res & terminos sub novitate Papatus usitatos, applicat rebus & terminis in antiquâ ecclesiâ, aut in mediæ ætatis ecclesiâ (ab anno 600. usque 800. aut usque 900. annum) usitatis; & ex posterioribus illis priores exponit, aut priores obtorto collo ad posteriores tractos, novâ illâ formâ induere conatur. Ut si e. gr. monacho, presbytero, episcopo, pastori, parocho, sacerdoti, canonico, diacono, sacrificio seu oblationi, altari, merito, satisfactioni, missæ, memoriæ seu commemorationi defunctorum, honori sanctorum, Papæ, imaginibus sacris, &c. quæ in antiquâ aut mediæ ætatis ecclesiâ sonabant, definitiones nominis & rei,

ex novitate Papatus desumtas, aptare velint. Quo nihil imperitius & absurdius fieri posset: uti ex illis, qui controversias Pontificias, tractârunt (*Bucero, Martyre, Juello, Chemnitio, Plesseo, Usserio, Blondello, Aubertino, Witakero, Raynoldo, Mortono, Sutclivio, Molineo, Forbesio, Johanne Gerardo, Chamiero, Hospiniano, Jacobo Laurentio*, &c.) abunde cognoscent, quos hoc tangit; & juniores compendio ac quasi in tabella ex *Perkinsi Problemate Catholico*; & nostrates ex *Apostasiâ Papatus* nuper vernaculo sermone conscriptâ ab eruditiss. *M. Andreâ Lansman* ecclesiaste Amstelodamensi. *Resp.* 2. Episcopis, Presbyteris seu sacerdotibus, dictis clericis monachis & canonicis, ad fidei & ecclesiarum ædificationem, & curas animarum data & fundata esse bona primis sex sæculis non negabunt, uti opinor, adversarii. Illa ergo pars bonorum sunt ecclesiastica, & ad tales usus obligata; consequenter à massâ, quæ vitiosa, idololatrica, Antichristiana, ad destructionem fidei & ecclesiæ (quorundam opinione aut potius fictione & prætextu) fundatâ, ilico secundum conscientiam Dei separanda, & restituenda est. Qui enim possidet & detinet aliena, restituere tenetur: juxta vulgatum illud Augustini Juri canonico insertum: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Idem dico, de bonis amplissimis, quæ Episcopis, cum Presbyteris seu sacerdotibus, canonicis seu monachis (quippe tunc cœnobitis & in commune sub inspectione & præsidio episcopi viventibus) passim in Europâ, & in Belgio nostro donata sunt. Diplomata donationum sonant peractionem & incrementum cultus divini, conversionem Gentilium, fidei propagationem, &c. Atqui ista nihil aliud dicunt, quam curam animarum. Hic nullum restat effugium, quam ut intuentes μόρφωσιν plerorumque, fere omnium, episcoporum, parochorum, presbyterorum seu sacerdotum, canonicorum sub novitate Papatus; dicant animas curare, pascere oves Christi, prædicare euangelium, convertere Gentiles, conversos sustentare, inque eum finem legere & meditari scripturam, exercitiis pietatis incumbere, & in collegiis sive scholasticis sive ecclesiasticis ad ministerii functionem præparari, reipsâ nihil aliud fuisse anno 600. 700. 800. & paulo ulterius (quando largissimæ illæ, & regales donationes in Germaniæ & in his Belgii partibus factæ sunt): quam titulos sine re, Episcopos sine opere verè ecclesiastico; sacerdotes sine prædicatione euangelii, ædificatione ecclesiæ, & curâ animarum; canonicos sine iisdem. Quia tales scil. fuerant sub novitate Papatus, & tales candidè describit *Isidorus Clarius* „ in notis ad 1 *Timoth.* 3. *v.* 1. Manifestè, inquit, significat, se non de digni- „ tate Episcopi verba facere sed de labore, &c. Quum vero episcopatum „ cogitas, ne referas animam ad hæc tempora, quibus episcopi nihil minus „ nôrunt, quam eas partes, quæ illis à Paulo assignantur; neque quidquam aliud

„ aliud nunc intelligitur appellatione episcopi, quam fructus & vectigalia, „ & immanes honores. Memini me in *commentar. Didaci Stellæ in Lucam* aliquando legisse, scopticè perstringi episcopos in *Concilio Tridentino*, tanquam judices illic controversias determinaturos, qui theologos suos adduxerant. Quales & quam idonei fuerint iidem episcopi, ex *Andr. Dudithii* episcopi Quinqueecclesiensis, ex *Concil. Trid.* (cujus partem fecerat) reducis, epistolâ ad Maximilianum II. quæ *histor. concil. Tridentini* jam quintò Latinè apud *Paulum Vinck* bibliopolam Gorinchemensem excusæ præmissa, legi potest. *Presbyter seu sacerdos* in novitate Papatus sacerdotium affectans, *otium* Erasmo, (in colloquio tit. *Echo*) affectare dicitur. Et sane essentiale ipsius munus consistebat, in officio missę per se aut vicarium celebrandæ, in administrandis baptismi, pœnitentiæ, extremæ unctionis, matrimonii sacramentis. Prædicatio euangelii nullum illic faciebat requisitum, nullam partem necessariam aut integralem. *Canonicus* sive cathedralis sive alterius collegiatæ (uti vocant) ecclesiæ, constituitur, per duo essentialia, stallum scil. in choro & vocem in capitulo: docente celebri canonistâ Augustino *Barbosa in tr. de canonicis*. Quorum *illud* dicit obligationem ad horas canonicas seu officium divinum in choro recitandum ac peragendum. Quid & quale sit illud officium, explicuimus *in 3. part. sel. dispp. tit. de Rosariis, Litaniis*, &c. *Istud* dicit comparitionem in ordinariis & extraordinariis capituli conventibus, ad deliberandum & suffragandum super negotiis capituli, quæ tam spiritualia sunt, ac negotia episcopalia, de quibus modo *Isid. Clarium* ad 1. *Tim.* 3. audivimus. Prius necessarium & essentiale opus, quas dispensationes, per non-residentias, per pluralitates beneficiorum seu canonicatuum, per vicariatus, aliasque inventiones admittat, docet experientia; nec ignorare nos sinunt ipsorum Casuistę. De *scholasticorum* inter capitulares, deque curatorum seu parochorum pinguis & bene dotatæ curæ officiis & laboribus ecclesiasticis tantundem credendum est. Probent nunc, si possint, episcopos si non omnes, saltem plerosque, nominatim Willebrordum, Bonifacium, aliosque eorum socios, & proximos eorum successores, tales fuisse episcopos, presbyteros seu sacerdotes, canonicos seu clericos irregulares, scholasticos, parochos seu Curatos aut curiones, ecclesiarum parochialium rectores & pastores. Et dato, non concesso, aut omnes, aut plerosque, aut saltem multos, fuisse tales titulares & sæcularizatos, absque reali labore & opere ecclesiastico titulis illis respondente: probent ut talibus, ex speciali intentione Regum, Principum, Procerum, quorumvis benefactorum, bona illa fundata & liberaliter donata esse; consequenter non esse ecclesiastica, ad ecclesiasticos & pios usus obligata. Nos ex abundanti probare possumus, ne quidem talem omnium donato-

rum intentionem, nec talem dictorum ministeriorum conditionem ac legem fuisse sub ipsâ corruptissimâ corruptione Papatus: quamvis plerumque facta, & tyrannica consuetudo à lege divortium facerent. Remanserunt semper in ipsis publicis agendariis aliqua, quę convincere eos possint unde discessum sit, & quænam reformationem postularent. In Pontificali tit. de ordinatione presbyteri, adhuc comparent verba antiquiti instituti, ordinis, & moris vestigia exprimens, quibus utebatur episcopus in ordinatione sacerdotum: oportet *sacerdotem offerre: benedicere: præesse: prædicare, & baptizare. Resp.* 3. Si ex corruptione officii sub novitate Papatus, de beneficiis & bonis ecclesiasticis olim ad pios usus & talia officia fundatis concludendum esset, bona illa aut initio fuisse, aut postmodum sub Papatu per transformationem facta esse non-ecclesiastica, profana, vitiosa, idololatrica, diabolica: jam non minus hoc dicendum esset de bonis omnibus pastoralibus seu parochialibus, templaribus, scholasticis seu collegialibus (qualia quam amplissima sunt in Academiis Anglię, Scotiæ, & alibi), episcopalibus. *Resp.* 4. Distinctio illa Papistarum inter beneficia curata & non curata, nullo modo tollit ab officio aut beneficio aliquo τὸ ecclesiasticum, sacrum, clericale; aut religionis, fidei, cultus divini impletionem, promotionem; aut ecclesiæ ædificationem, conservationem. Sed tantum ostendit, esse ecclesiasticos, qui comparati cum aliis, peculiari aliquo ordine, modo, & gradu, proximè & immediatè magis, ecclesiæ in fide & pietate instructionem, ædificationem, regimen, consequenter animarum salutem curant. Et tales hodie sunt ac dicuntur in Papatu Episcopi, & parochi seu pastores parochiarum, & capitulum cathedrale suo modo: quia regit ecclesiam cum episcopo, imprimis in suo archidiacono; cui dignitas (non officium, uti distinguitur apud *Barbosam de canonicis*) & jurisdictio spiritualis tribuitur. Quodnam vero regimen, & quæ jurisdictio capitulo in totum competat, tempore vacantis sedis episcopalis, ex eodem *Barbosâ* cognoscendum. Sed ex novitatibus illis sive juris sive praxios Papalis, non est judicandum de ordine & praxi sæculi sexti, aut septimi, aut octavi. Neque enim episcopi, Willebrordus, Bonifacius, &c. & presbyteri sive cœnobitæ sive non-cœnobitæ, specialiter ex Angliâ huc profecti, aliique juxta aut post illos ab episcopis tunc ordinati, erant tales, quales tempore triumphantis novitatis Papalis; qui vel non-residentes, vel localiter residentes sed inscitiâ, aut ignaviâ, aut utrâque torpentes maximam partem per vicarios episcoporum in sacris, & per parochorum vice-curatos, & vicarios capitulorum, contra jus divinum, contra antiquas, etiam istius temporis, leges ecclesiasticas (quas exhibent capitularia Caroli M., Ludovici, Caroli Calvi) quique onera & opera mune-
ris

tris ſui exequebantur. Et dato tunc temporis tales aliquos fuiſſe epiſcopos, parochos, presbyteros, clericos ſeu canonicos regulares, immediatè animas non curantes, eccleſiam non paſcentes, verbi & ſacramentorum adminiſtrationem non obeuntes: nunquam tamen probabitur, opimas iſtorum temporum donationes à Regibus, Principibus, proceribus, ditioribus, ut talibus factas, ad eoſdem in otio, abſque labore ſacro & eccleſiaſtico alendos. Diſtingui enim debet intentio donatorum eorumque fundatio (quæ hic ſpectanda) à facto, ab uſu hominum bonis illis abutentium. Illud dat ſpeciem & formam bonis ſacris, ſeu eccleſiaſticis: non iſtud. Alioquin omnia bona paſtoralia ſeu parochialia, presbyteralia, epiſcopalia (intelligo ea, quæ ad epiſcopatum eccleſiaſticum, non ad temporalitatem data), item æditorum, lectorum, &c. deberent dici non-eccleſiaſtica; quia omnes aut plerique ſub novitate Papatus, illis abuſi ſunt.

V. *Except.* Propagatio fidei tunc temporis fiebat, per arma, & copias militares: in illos ergo uſus, ampla illa bona fundata ac donata ſunt; conſequenter non ſunt eccleſiaſtica, nec ad uſus pios & eccleſiaſticos obligata. *Reſp.* 1. Conceptuales ſane hiſtorici, nec vulgares critici, qui ex ingenio, abſque hiſtoriis, abſque teſtibus, abſque archivis, hæc ita conjectant. Quæ tamen tam facile rejicienda ſunt, ac ab illis adferuntur. Contrarium ex hiſtoriis; & diplomatis ſupra indicatis oſtenſum eſt: fuiſſe ſcil. tam immenſa (ita loquar) bona à Carolovingiis fundata non in ſtipendia militum pro Republicâ & incolumitate populi Chriſtiani contra Gentiles pugnantium; ſed in ſtipendia presbyterorum & clericorum (qui canonici & monachi vocantur) Gentiles convertentium, & converſos docentium. *Reſp.* 2. dato hæc ita fundata eſſe (uti revera non ſunt); an idem dicent de bonis eccleſiaſticis jam inde ab Apoſtolorum exceſſu uſque ad annum 700. aut 800. per orbem, præcipuè Europeum, & per Galliam, Germaniam, Belgium, Angliam fundatis! Non arbitror. Videant ergo ut conſcientias rectè informent & ſerio hortentur, cogitandum eſſe de juſtâ bonorum tunc fundatorum ſeparatione & ad pios uſus reſtitutione.

VI. *Except.* Opimis, & regalibus quaſi bonis, circa ann. 700. & 800. per orbem, ſpeciatim in Belgio, & hic Ultrajecti fundatis immixtus fuit politicę juriſdictionis & dignitatis ſplendor; qui uſus prædominabatur: conſequenter non ſunt bona eccleſiaſtica, nec ad pios atque eccleſiaſticos uſus obligata. *Reſp.* 1. Unde factum probant excipientes: ex hiſtoriis iſtorum temporum? an ex donationum diplomatis? An vero ex propriâ affirmatione, & cerebri ſui commento? Quia ſcil. hoc ita velint, & quia volunt, cogitant? Dent hiſtorias; dent tabulas donationum. Hoc facient, ut opinor, ad Kal. Græcas. Nos, quamvis non teneamur, ex temporum

hiſtoriis, & diplomatibus contrarium probare poſſumus. Quo ſplendore, quâ poteſtate & potentiâ ſæculari Willebrordus, Bonifacius, cum ſociis emicuerunt; qui fidem Chriſtianam & eccleſiam in Gentiliſmo plantantes aut rigantes, periculis & perſecutionibus caput ſuum objecerunt, quidam etiam martyrio affecti ſunt?

Probent canonicos in Belgio, ſive ſimul ſive ſeorſim tunc inſtructos & uſos fuiſſe dominio, poteſtate, ſplendore ſæculari. Et nominatim illud probent, de Willebrordo cum ſociis & proximis ſucceſſoribus, quorum opera & labores donationum iſtarum potiſſimam dedere occaſionem. *Reſp.* 2. & dato ab initio unâ cum eccleſiaſticâ poteſtate ſæcularem canonicis & clericis tunc cœnobitis fuiſſe collatam, poſſeſſam, & uſurpatam (uti revera non fuit): unde probabunt, ſęcularem poteſtatem fuiſſe formam aut elementum prędominans, atque inde formam ac complexionem bonorum temporalium, non vero eccleſiaſticorum, ex intentione donatorum fuiſſe inditam. Quaſi ἐξοχὴ & poteſtas, ſi quæ tunc acceſſiſſet eccleſiaſticis presbyteris & canonicis, fuiſſet eſſentiale aut principale: munus vero & miniſterium eccleſiaſticum fuiſſet accidentale aut acceſſorium: & intuitu prioris, ut talis, bona illa donata fuiſſent; non vero intuitu poſterioris, hoc eſt eccleſiaſtici & ſacri. Quidquid hic mixturæ incidiſſet, vident ſibi neceſſitatem impoſitam conſcientias informandi, & ſtimulandi, ut juſtam ſeparationem & reſtitutionem capeſſant, dum hodie nominatur. Dandum eſt Deo quod Dei eſt, & Cæſari quod Cæſaris. *Nunquid homo rapiet, quæ ſunt Dei?* Malach. 3. v. 8. *Maledictione maledicti eſtis, & mea rapitis gens omnis.* Ibid v. 9. Quid dicemus de conſcientiâ eorum, qui tanquam pſeudo-clerici & titulares canonici (ſine ullo reali munere & opere eccleſiaſtico ſive Romano ſive reformato) tot eccleſiarum parochialium decimas capitulo ſuo incorporatas, tot annis poſt exactos parochos Romanos, in proprios ſuos uſus ſine reſtitutione converterunt: eccleſiis illis interim miniſterio verbi carentibus, aut paſtoribus reformatis ſine ſtipendio cum paupertate conflictantibus. Conquirant ſibi alicubi patronum, qui hæc tanquam in foro poli licita defendat. *Reſp.* 3. Negamus poteſtatem ac juriſdictionem temporalem Epiſcopis, Præſertim Germanis circa illa tempora collatam, fuiſſe penes capitula ſive in totum ſive majori ex parte. Epiſcopi ſequentibus ſæculis vocati ſunt principes imperii: non tamen capitulum. Negamus bona Epiſcopalia fuiſſe canonicalia, & vice verſa. Multò magis diſtincta ſemper fuerunt bona eccleſiaſtica canonicorum, à bonis temporalibus epiſcopi, tanquam domini temporalis.

VII. *Except.* Bona capitulorum fundata & donata ſunt à Regibus & Principibus, ut eſſent in libero commercio: ergo non ſunt eccleſiaſtica, nec

nec ad ecclesiasticos usus obligata. Antecedens memini in libello quodam supplice ad Senatum N. à quodam titulari, aut potius pseudo-titulari canonico, propositum fuisse: cum Senatus ille ad summam aliquam in sustentationem ministerii ecclesiastici in suâ urbe quotannis tribuendam, capitula compelleret. *Resp.* 1. Antecedens ubi ex historiis & diplomatis donationum probaverint, videbimus quid respondendum sit. Hactenus in historiis, aut donationum & diplomatum collectaneis à *Miræo* editis, nihil occurrit, quod chimericæ ejusmodi fundationis indicium faceret. Contra horrendæ execrationes, in variis donationibus inveniuntur, in illos evibratę, qui bona illa alienare aut in alios usus convertere præsumerent. *Resp.* 2. dato aliquam donationem sic factam (quod tamen in æternum non probabitur): inde tamen non sequeretur fundata esse, ut quivis officium cum beneficio, hoc est titularem canonicatum (sine ullo reali munere & opere ecclesiastico), & sub illo titulo proprietatem annuæ præbendæ ac distributionum quotidianarum, sibi emere posset; atque ita per successionem collegia canonicorum à Willebrordo, & proximis successoribus instituta, constituere ac perpetuare.

VIII. *Except.* Bona capitulis donata & fundata sunt, ad depauperatas nobilium familias juvandas & sustentandas: Ergo non sunt bona ecclesiastica ad usus ecclesiasticos obligata. *Resp.* 1. ubi ex donationibus probatum fuerit antecedens; tum demum partem illam bonorum (omnia enim ubique & semper sic fundata esse non dicent) ad tales usus separandam esse concedemus, & suum cuique tribuendum, ac restituendum. Illa ergo bona sic fundata, ex intentione donatorum & tenore istarum donationum, quæ prætenduntur, neutiquam in libero commercio esse debebant, ut quibusvis pretium solvere valentibus ac volentibus venalia sint. Nec debebant cum massâ totâ capitularium bonorum à canonicis sub ascito titulo Romano-capitulari (sine ullo reali munere atque opere ecclesiastico Romano, & sine ullo munere & opere ecclesiastico-reformato; quod Romano substitutum dici posset) prædecessoribus suis canonicis Romanis, in capitulum succedentibus, illudque constituentibus, possideri: sed omnia illa in subsidia attenuatorum aut depauperatorum nobilium, & quidem primo istius districtus civium atque incolarum nobilium, ubi fundatio talis facta esset, impendenda essent. Nam si promiscuè quivis bene nummati nobiles, cives, advenæ, incolæ, extranei; aut bene nummati milites, aut rustici, aut mercatores, aut medici, aut advocati, aut tabelliones, aut quæstores, sive cives, sive incolæ, sive extranei, præbendas illas mercari possunt (cum per institores in foro seu bursâ mercatorum, in ἐγκυκλίοις, in tabernis, venales exponuntur): quid spei & subsidii hinc aliquando

quando capiendi restaret depauperatis nobilibus? qui cum nummatis illis certare non possent; aut per conscientiam verę & reformatæ religionis subsidia ejusmodi vi fundationis (uti fertur) sibi debita, titulo ac modo nunc recepto, subsidia quærere, & capitulum cum reliquis canonicis nominalibus sub prętito juramento, constituere nollent. *Resp.* 2. dato tales esse fundationes: per illas tamen reliqua bona canonicalia sic non fundata, ex-ecclesiasticari & eorum abusus hodierni sanctificari non possent. Frustra ergo hic effugium quæritur, in subsidiis depauperatorum nobilium. Videant, si qui nobilium attenuatorum fulcimenta ex chimæricis quibusdam fundationibus, suæ negotiationi atque abusui bonorum prætexunt, dum interim nulla debita subsidia iisdem inde conferri nôrunt; ne ipsis in judicio Dei & conscientię applicari possit illud Johann. 12. v. 6. *Dixit autem hoc, non quod pauperum ipsi cura esset*, &c. *Resp.* 3. Quod si omnia, aut pleraque, aut aliqua bona clericalia, & canonicalia sæculo septimo & octavo sic fundata essent, uti prætenditur: hinc tamen de bonis ante illa tempora, melioribus ecclesię sæculis, per orbem fundatis hoc concludi non posset: multò minus, eorundem & omnium bonorum ante ac post fundatorum, & in unam massam hujus aut istius capitali coagmentatorum, usus & possessio hodierna.

IX. *Except.* Donationes donatorum æstimandæ sunt, non ex generali naturâ donationis, & generali intentione donatoris: sed ex ejusdem speciali intentione & determinatione ad superstitionem: quia ultimus actus specificat. Probatur, quia eadem ratio est donationum & intentionum istarum; quæ est votorum Deo factorum: & utraque æstimanda sunt ex particulari & proximo fine, objecto, & opere, ad quod, & medium quo Deo dantur. Atqui vota Deo facta, quibus persona aliqua se obligat in cultu superstitioso, non valent, & irrita habentur apud reformatos. Par ratio est intentionis & votorum, quibus bona ad cultum superstitiosum Deo dicantur. *Resp.* hic peremtorius discursus ex petitionibus principii, ex pseudographematis ex propriis affirmationibus, ex falsis hypothesibus contra universalem Protestantium & reformatorum consensum conflatus. Nos eum in partes secabimus, & nudas hypotheses ac theses ab opponente probandas, lectorum oculis solummodo hic exponemus: siquidem talia detegere, est refutare.

1. Omnia bona ecclesiastica, quorum massa post inchoatam reformationem, à nostris superiori sæculo reperta est; & quorum massa etiamnum sub potestate Papatus detinetur, ex vitiosâ superstitiosâ, aut idololatricâ, Antichristiana seu Papisticâ tum donatione, tum speciali ac particulari donatorum intentione; esse vitiosa, idololatrica, superstitiosa.

2. Consequenter talia neutiquam Deo, aut Christo, aut ecclesię Christianæ donata esse: sed diabolo, aut Antichristo, aut ecclesiæ Papisticæ.

3. Non esse itaque bona ecclesiastica, ad ecclesiasticos & pios usus obligata: sed pseudo-ecclesiastica.

4. Quæcunque quis donat ex amore Dei & proximi, ad Christianæ religionis, aut pietatis promotionem & incrementum; aut ad vitiorum exstirpationem; aut ad Gentilium, Judæorum, Muhammedistarum, Arrianorum, aliorumque hæreticorum conversionem; aut ad pauperum, captivorum, ægrotorum, peregrinorum, viduarum, pupillorum, solamen; ea omnia donata & eas donationes, esse toto genere vitiosas, immo nullas; ideoque bona illa juxta donationem inter vivos aut causâ mortis factam, non esse bona ad dictos usus obligata: ob adjunctum scil. vitium, superstitionis, particulari intentione & determinatione donatoris expressum.

5. Parem rationem esse voventis Deo superstitiosum aut idololatricum cultum, e. gr. tot preces pro defunctis, aut tot missas suis expensis celebrandas: cum eo qui donat bona, ad alendos pauperes: ad templum hic aut alibi ædificandum, ad pastoralem curam & ministerium pastoris hic aut alibi instituendum; si scil. in ipsa donatione, meritum beatitudinis cœlestis, aut satisfactionem pro peccatis suis, aut preces pro defunctis, secundum errorem suum particularem, aut secundum communem & currentem sui temporis errorem, immiscuerit.

6. Sicuti ergo in votis & promissis illicitis fides rescindenda est: sic etjam à donatoribus, donationes ejusmodi revocandæ; aut si hoc non fecerint post decursum tot sæculorum, à præsentibus magistratibus, rescindendę sunt & pro arbitrio ipsorum omnia illa bona templaria, canonicalia, pastoralia, scholasticalia, æditualia; & orphanorum, leprosorum, pestiferorum, senum, captivorum, peregrinorum seu hospitalia, otiosis hominibus sub assumto seu ementito aliquo pastoris, æditui, captivi, peregrini, leprosi alteriusve morbidi titulo in particulares ipsorum usus relinquenda, permittenda, concedenda.

7. Intentio quæcunque donationis & donatorum sive principalis, sive minus principalis, hic non respicienda; sed solum vitii particularis, adjunctum seu accessorium, quod in donatione aut donatore fuisse probari potest: hoc enim solum est ultimus actus, qui rem specificat.

8. Ab omnibus donatoribus, proprii qualiscunque meriti, aut propriæ satisfactionis pro pœnâ peccati, aut liberationis animæ ex purgatorio, aut alterius superstitionis, in donando intentionem per omnia sæcula quibus bona ecclesiis donata sunt, particulariter & explicitè intentam, ac declaratam fuisse.

9. Aut si explicitè donatores illud non declaraverint aut stipulati sint;

ſaltem implicitè illud intendiſſe, & in donationibus contineri, eaſque ſic debere intelligi: quia pertendens iſtorum temporum doctrina, non erat ſine ſtipulis precum pro defunctis; ſine opinionibus aut dubitationibus de ſtatu animarum poſt hanc vitam nondum plenè beato, de efficaciâ ſacramentorum, de nimio honore ſanctorum, templorum, reliquiarum, de ἐξοχῇ Epiſcopi Romani præ aliis, &c.

10. Eſſe ergo in foro poli & ſoli nullas donationes pauperibus; piis domibus, parochiis & parochis, templis, ſcholis factas; nullaque iſtarum donationum effecta, nulla ſcil. bona eccleſiaſtica, eccleſiis & piis domibus, quibus ea donatores dedicârant, obligata.

X. *Except.* Canonicorum munus, inventum, inſtitutum totum eſt Papiſticum & Antichriſtianum: Ergo bona canonicis aut capitulis donata ac dicata, non ſunt eccleſiaſtica; & conſequenter poſſunt ſine ullo conſcientię ſcrupulo, eo modo poſſideri & uſurpari, quo illud hodie alicubi fieri videmus. *Reſp.* diſtinguenda ſunt tempora. Presbyteri, clerici, Monachi, canonici tempore Auguſtini ſub præſidio & inſpectione epiſcopi in commune viventes, & in ſacris ſe exercentes; ut inde ad miniſteria ſacra & curas eccleſiarum mitterentur: non ſunt iidem cum monachis & canonicis ſub ἀκμῇ Papatus. Ne quidem illi qui anno 700. & 800. cum magnæ illæ fundationes à Carolo M. & Carolovingiis in Germania & Belgio factæ dicuntur. Ita diſtinxerunt antagoniſtæ Papatus in controverſiis de monachis, clericis, ſacerdotibus, & in quæſt. de ſucceſſione eccleſiarum; imprimis *Bucerus*, *Melanthon*, *Cythræus*, aliique antiquarii ſupra cit. & *infra citandi.* Ne procul abeam quamvis inter canonicos dictus *ſcholaſticus*, nomine in ſcripturâ ignotus ſit, rem tamen ipſam ſcripturario termino *Doctoris* (*Epheſ.* 4. *v.* 11.) deſignatam, omnino non evanuiſſe inchoato infelici illo ſęculo, quo floruit Berengarius, hoc eſt, anno 1035. ex noſtris concedunt.

Uſſerius de Eccleſiarum ſucceſſione cap. 7. §. 24. 25. *pag.* 196. „Fuit autem Berengarius *Andegavenſis Archidiaconus*, *Theſaurarius*, *Scholaſticus*: „*qui honores gravibus duntaxat doctiſque viris olim deferebantur.* ut in 3. libro „Annalium Francorum confirmat Papirius Maſſonus. *In maximis* enim *Eccleſiis* (ut addit idem) *Scholaſtici munus erat clerum docere*: idque *nomen in* „*Eccleſiâ Andegavenſi* adhuc *retinetur*; *quem honorem quiſquis habet Academiæ* „*Cancellarius eſt.*

„ 25. Et eâ certè tempeſtate Berengarii *nomen inter ſectatores divinæ philoſophiæ celeberrimum habebatur*: quemadmodum ex Floriacenſis hiſtorię „fragmento (quod cum aliis Francorum hiſtoricis à Pithæo eſt editum) in-„telligimus. Platina inter *viros ſanctitate & doctrinâ inſignes*, eum connumerat.

„ merat. Andreas Thevetus ex vetere codice Ms ſcientiâ excelluiſſe & „ *Grammaticum* cognominatum eſſe notat. Sigebertus, *liberalium artium*, „ *& amplius Dialecticæ peritiâ inſignem* fuiſſe aſſerit. De eodem Hildebertus „ Cenomanenſis:

„ *Quicquid Philoſophi, quicquid cecinere Poëtæ,*
„ *Ingenio ceſſit eloquioqué ſuo.*
„ *Sanctior & major ſapientia majus adorta*
„ *Implevit ſacrum pectus & ora Deo.*

Ipſe opponens extra has partes & hujus diſputationis fervorem, alio in fervore conſtitutus in *Exegeſi confeſſionis Belgicæ ad artic.* ſimile quid habet, de Berengario canonico, & inter canonicos ſcholaſtico, archidiacono, theſaurario Andegavenſi; ejuſque munus ſcholaſticum analogum facit muneri Doctoris & profeſſoris theologi.

XI. *Except.* Magiſtratus poteſtatem habet de bonis omnibus, dictis eccleſiaſticis, nominatim canonicalibus, tempore reformationis repertis pro arbitrio ſuo diſponendi: hoc eſt, ea vel fiſco addicendi; vel in privatos ſuos uſus convertendi; vel liberis & nepotibus ſuis, aut aliis ex civium & ſubditorum numero diſtribuendi; vel relinquendi ea, quibus viſum fuerit hominibus tum extraneis, tum civibus, tum incolis cujuſcunque ſortis, ordinis, ſtatus, conditionis, nobilibus ignobilibus, literatis illiteratis, militibus, advocatis, mercatoribus, ſenatoribus ſeu conſiliatiis, quęſtoribus, nummulariis, fœneratoribus, aut fœneratorum filiis, &c. qui vel prece vel precio per donationem aut emptionem, titulum & locum alicujus gradus, ſeu officii aut dignitatis Romano eccleſiaſticæ (canonici ſcil. communis aut cathedralis, præpoſiti & archidiaconi, ſcholaſtici, theſaurarii, &c.), & cum ac ſub eo poſſeſſionem iſtorum bonorum ſeu beneficiorum ſibi acquirunt. *Reſp.* 1. In Magiſtratus factum & poteſtatem ultima prudentioribus totius cauſæ eſt analyſis: nam quidquid aliunde huc adfertur, dicendo nihil dici ſciunt, nec ipſi iis fidunt. In quo haut abſimiles videntur diſputatoribus Pontificiis, qui magnâ prius factâ multorum oſtentatione cum *Campiano*, unicum ſuum ſupremum & infallibilem judicem Papam tantiſper diſſimulant Quaſi ſcil. 1. ſacræ literæ. 2. earum ſententia. 3. natura eccleſię. 4. concilia. 5. patres. 6. firmamentum patrum. 7. hiſtoria. 8. paradoxa. 9. ſophiſmata. 10. Omne genus teſtium per ſe rationes fuiſſent *Campiano*, aut ipſi certitudinem fidei contuliſſent: & non ſolus Papa Romanus; ſine quo reliqua omnia ſunt inſtar corporis ſine animâ. Ubi autem ad triarios res rediit, unum Papam commonſtrant. Minus ſimulatè egiſſe videtur *Toletus*, qui *lib.4. de Inſtruct.ſacerdotum cap.*1. apertè quidem nominat Papam, ſed juxta eum, ſcripturam, Patres, Con-

cilia, traditionem, omnia ea, quæ per argum. infallib. ex uno eorum deducuntur. Candidè hic egit *Gregorius de Valentiâ in Analysi fidei catholicæ*, qui *part.8.pag.*308.& seqq.eam in solidum tribuit Papę.Et hoc deberet ab omnibus Pontificiis fieri, si hypothesibus suis consona dicere vellent. Disputatores pro abusu istorum bonorum, simili compendio & candore uti deberent: ut pietatis, justitiæ, honestatis (omissis reliquis phaleris) causam & fundamentum ponerent in solâ Magistratus voluntate sive ordinante sive permittente: juxta purum putum illud, sine Brocardicis, axioma ex jure Romano ad forum poli & conscientiæ translatum, *Justè possidet, qui volente prætore possidet.* Ita tacite substituere sibi in hoc certamine videntur Dominos sæculares; quibus longæ manus, & arma realia, qui leges figere & decreta condere possunt: ut adversarii ipsorum cum illis committantur, & in illos incurrere, ac consequenter crimen lęsæ majestatis committere dicantur. An hoc sit cauponari bellum rationarium, an belligerare; judicent sapientes.

Variant autem in effugio hoc, dubitantibus aut αὐτοκατακρίτοις usurpatorum atque abutentium conscientiis, paradoxæ suæ opinioni prætexendo. Sunt qui fiscum & potestatem fisco adjudicandi huc advocârunt. De facto, qui per somnium quid narrasse videbantur, postea evigilantes deprehenderunt fuisse somnium. Nusquam enim in Belgio tale quid factum, nusquam tale quid decretum.

Nec etiam iidem causæ hujus hyperaspistæ pro justè continuatâ post ejectum Papatum massæ bonorum χρήσει & κλήσει dicere poterunt, eo quod ex acquisitis per donationem, aut emtionem, aut successionem de novo præbendis aliquid inferatur in ęrarium publicum (e. gr. quadragesimus nummus), ideo rectè dici fisco addictas, & in eum illatas fuisse. Quia pariter hoc dici deberet de bonis privatorum per venditionem, aut donationem in alium translatis, non sine quadragesimi nummi solutione. Quod absurdum est.

Absolutam potestatem pro arbitrio, fisco adjudicandi, bona privatorum, aut licitorum collegiorum, aut piarum domuum, aut eleemosynariorum & diaconorum; sine justâ ratione: non arbitror à quoquam sano & sobrio defensum iri. Si quis hoc ausit, is ad Jureconsultos & politicos ablegandus esset.

Alii potestatem absolutam, non quidem de bonis privatorum, aut licitorum collegiorum; sed de bonis omnibus, piis, sacris, ecclesiasticis (ita dictis) pro arbitrio disponendi, Magistratui asserunt: specialiter etiam de omnibus bonis pauperum. Tale quid in disceptatione de usurpatione & abusu bonorum ecclesiasticorum concessum fuisse, hisce auribus audivi. Quod quam scandalosum sit, & quantus obex omnibus in posterum dona-

donationibus & piis legatis positus esset (si Magistratus hoc crederet & potestatem hanc sibi tribueret) vident proculdubio misericordes, & Christi imitatores. Cedant ergo & sileant, sacræ literæ, omnes leges divinę & humanæ, omnes rationes, omnia consulta prudentum, omnes historię, omnia exempla justorum: & ex facto aut arbitrio (si quod alicubi sit, aut concipiatur) solius Principis aut Magistratus alicubi ἄρχοντος, ratum, determinatum, fixum sit τὸ licitum, honestum, pium, & quidem in foro poli, & conscientię. Quid ergo restat veritatis, pietatis & justitiæ assertoribus, quam ut ad Christi capitis ecclesiæ & judicis omnia judicaturi, tribunal provocent. Posset hic dubium moveri, An soli Papæ à Canonistis ad *dist.* 40. *c.* 6. *Si Papa* peremtorium & irrefragabile judicium in casibus & causis conscientiæ tributum; & de solo Papa (apud *Bellarminum c. Barclayum*) credendum proponatur, Quod *quodammodo ex peccato possit facere non peccatum.* Certè, ut video à quibusdam, ad casuum in foro poli & conscientię determinationem trahi decantatum illud *qui volente prætore possidet, justè possidet*; & exsufflari omnem distinctionem inter forum poli & soli: metuendum est ne tandem, quarumcunque potestatum sæcularium sensa, dictata, consilia, facta, concessiones, permissiones fiant suprema & adæquata conscientiæ regula; & omnia tandem in Ethnicam aut Romano civilem honestatem, si non in Machiavellicum aut Libertinicum neutralismum, in Republicâ desinant. Prodiit nuper a. 1664. liber anonymus à pseudo Jureconsulto quo malarum causarum patrono conscriptus, quem nonnulli in hâc urbe excusum putant, tit. Considerationes super Remonstrantiâ synedrii Hornani, &c. ubi pag. 38. hæc verba leguntur: ,, Nihi-,, lominus verum est, nullum concionatorem, aut alium quem incolam, ,, quâcunque occasione unquam posse Magistratum ut magistratum taxare, ,, reprehendere, aut iis contradicere super concessionibus & decretis sive ,, ęquis sive iniquis, *non magis quam creatura se opponere potest creatori suo*, &c. Quam blasphemiam alibi in *tract. de Exercitiis pietatis*, datâ illic occasione *cap.* 24. *à pag.* 760. - 770. penitius excussimus: ubi legat cui vacat.

Exceptionem hanc in Magistratuum potestate, arbitrio, facto fundatam supra *cap.* 1. *pag.* 613. 614. etiam attigimus.

Restant ergo duæ postremę hujus exceptionis, instantiæ denuo examinandæ.

I. *Instantia.* Magistratus Reformatus, & quidem perfectè reformatus, talem usum bonorum ecclesiasticorum viris sub assumto & ementito titulo Romano - ecclesiastico, per donationem aut venditionem in monasteria aut capitula succedentibus, & eadem sine reali aliquo

munere aut opere ecclesiastico constituentibus permittit, aut concedit. Ergo in foro poli & conscientiæ licet viris tales titulos & sub illis tales prębendas affectare, & sive per donationem, sive per emtionem acquirere. *Resp.* 1. Majoris consequentia non valet. Imperii Principes Protestantes poterant a. 1555. in foro poli & conscientię, pacem religionis inire, & secundum eam, libertatem & exercitium Papisticæ religionis cum appendicibus non tantum permittere aut concedere, sed insuper permissionem & concessionem illam tueri: ergone poterunt Pontificii episcopi, clerici, populus in Bavariâ, diocœsibus Coloniensi, Moguntino, &c. in foro poli & conscientię Papisticam religionem tenere & exercere? Non sequitur. *Resp.* 2. Accurata religionis reformatio, ejusque professio & defensio, non laxat conscientias magistratuum, sed magis astringit ad virtutem, pietatem, ἀκρίβειαν (*Ephes.* 5. *v.* 15.) in omnibus actionibus & consiliis suis sectandam; & vel omnem mali occasionem & speciem sollicitè evitandam. Nôrunt aut nosse debent Magistratus tum Protestantici seu Euangelici tum reformati strictè & propriè ita dicti, quo nomine à Pontificiis traducantur, Quod religiônem non quæsiverint aut quærunt, sed regionem: non reformationem, sed bona ecclesiastica. De quo vide apud *Sleidanum* gravissimam præsumtionem, si non accusationem Caroli V. per Granvellianum. Et *Melanthonis consilia part.* 1. *pag.* 378. ubi Principes Protestantes se sollicitè excusant, & si quid in tantâ rerum mutatione peccatum esset, emendationem promittunt. *Resp.* 3. In Papatu à Papisticis episcopis, canonicis, presbyteris, pastoribus seu parochis, abbatibus & monachis, nihil ferè ecclesiastici agentibus aut malè & perversè agentibus ad destructionem magis, quam ad ædificationem, furtum commissum censent interpretes Belgici in notis ad *Apocal.* 9. *v. ult.* Reformatio talem abusum bonorum tollere debet; non bona: sicuti religionem & ecclesiam Christianam non sustulit; sed purgavit & emendavit. Si abusus bonorum sub corruptione Papatus, in alium quem æque malum aut longè pejorem mutaretur (qualis ille, quem jam sæpe descripsimus), non esset reformatio. Magistratus reformatæ religionis consors & defensor, ex reformatione, secundum reformatam conscientiam, non habet privilegium supra Magistratus Papismum, aut doctrinam Protestanticam, sed non tam perfectè reformatam, profitentes, bona ecclesiastica pro arbitrio in proprios & privatos suos usus convertendi, aut filiis & consanguineis suis donandi, aut quibuscunque maximum pretium offerentibus vendendi, & pretium illud in privatos & proprios suos usus convertendi. Nec ex professione & defensione perfectæ reformationis privilegium habent supra alios magistratus sive Pontificiam religionem, sive reformatam sed minus perfecte, professos, tales abusus bonorum sub assumto titulo, &

salsâ

falsâ imagine, & μορφώσει clericali prædecessorum suorum sub Papatu, in Republicâ suâ permittendi aut concedendi: siquidem potestas & potentia ipsis adsit ea tollendi aut emendandi.

Aliter judicabat Melanthon in consilio ministris anno 1540. dato, quod totum ex Consil. part. 1. pag. 427. hic exhibeo.

„ *Utrùm reditus donati Ecclesiis ad Euangelii ministros alendos, & ad studia conservanda eripiendi sint otiosis, impiis & oppugnantibus Euangelium? Anno* 1540.

„ Primùm ne id fiat, grave argumentum est: *Non licet ministris Euangelii, quenquam vi cogere, juxta illud: Arma vestra non sunt carnalia. Impii non possunt sine vi excuti ex possessionibus. Non sunt ergò eis eripiendi Ecclesiarum reditus, quos tenent.* Sed diversum Augustini tempore factum est. „ Imperator jussit reditus, quos habuerunt Ecclesiæ Donatistarum, transferre ad orthodoxos. Idque defendit Augustinus rectè factum: Nam etsi ad ministros Ecclesiæ Euangelicæ non pertinet gubernatio Imperii mundani, tamen Magistratus politicus efficere debet, ut quisque suum teneat. „ Jam hi reditus sunt non impiorum Canonicorum, sed sunt veræ Ecclesię. „ Quare & Magistratus reddere eas Ecclesiis veris debet, & pœnam sumere „ ab impiis tanquam prædonibus.

„ Magna profectò necessitas est, acerrimè hanc caussam agi. Nisi enim „ facultates restituantur Ecclesiæ, boni pastores & pauperes scholastici fame „ peribunt, studia extinguentur, deërunt Ecclesiæ & Reipublicæ literati. „ Ideò opitulari & juvare studia honestorum adolescentum debent Magistratus. Nam præterquam, quòd Deus eos facere hoc jubet, etiam Canones ipsi hoc flagitant, videlicet eis opem ferre ex Ecclesiarum opibus.

Instantia 2. Posset alicubi Magistratus impediri à tali mutatione & emendatione circa usum istorum bonorum. *Resp.* Rectè: sed inde non sequitur in foro poli & conscientiæ licitum esse, aut senatori aut privato sive civi sive advenæ, & quidem religionem perfectè reformatam (ita loquar cum opponente) professo, sub assumtis Romano-clericalibus titulis bonorum istorum possessionem & usum capessere, & una cum sociis collegium titulo & imagine Romano-clericale, absque reali munere & opere ecclesiastico ac clericali, constituere, ac perpetuare. In Germaniâ Principes & Status Protestantici non habent potestatem juxta conventionem & pacem religionis anno 1555. hierarchiam Papisticam cum toto clericatu, eorumque annexis dignitatibus, immunitatibus, bonis ecclesiasticis mutandi, emendandi, mutandi. Inde tamen non sequitur, in foro conscientiæ licitum esse sacer-

ſacerdotibus, parochis, monachis, abbatibus, epiſcopis Papalibus, in Imperio Germanico talem ſtatum ſubire, & annexis bonis ac beneficiis frui. Si excipias, ſed ſi reformati ſint aut Expapizati quod ad religionem ejuſque profeſſionem & exercitium, liceret illis profeſſione, officio, opere ſæcularibus, & Eccleſiæ reformatæ membris, titulo quovis Romano-eccleſiaſtico adſumto poſſidere & uſurpare bona, antehac ſub Papatu, clericatui illi (e.gr. ſacerdotio, aut curæ paſtorali ſeu parochiali) annexa. *Reſp. Neg.* Quidni pariter reformati, (ſi modo prætor, hoc eſt, Reges, Principes, Magiſtratus permittere, aut ordinare, aut defendere velint) ſub aſſumtis titulis Papæ, Cardinalis, Patriarchæ, Generalis aut Provincialis ordinis alicujus monaſtici, inquiſitoris, monachi canonici regularis, monachi eremitæ, monachi mendicantis, Franciſcani, Dominicani, &c. confeſſarii regii, pœnitentiarii Romani, &c. bonis, dignitatibus, privilegiis, emolumentis cuique muneri antehac annexis, ſerenâ conſcientiâ uti frui poſſint. Et hoc ſi concedatur, quomodo ſolidè refutari poterunt dicti Nicodemitæ, omniſque idololatria & ſuperſtitio indirecta? de qua nos in 3. *part. ſelect. diſpp.*, & infra *part.* 2. *lib.* 1. *tit. de confeſſione & martyrio.* De dictis Nicodemitis videantur judicia *Calvini, Buceri, Martyris, Tigurinorum, in Calvini opuſculis.*

Inſtantia 3. Nemo debet votum illicitum implere, ſed illud reſcindere: Ergo, donata Deo & Eccleſiæ ad ſuperſtitionis & idololatriæ exercitia, ſunt ἀδῶρα δῶρα; & conſequenter non debet donatio illa rata eſſe, ſed reſcindi & revocari. *Reſp.* Longè diſpar ratio eſt voti illiciti e. gr. monachatus, aut idololatrici cultus: & donationis pollutæ aut peccato inquinatæ, uti prætenditur. 1. *Quia* votum eſt tantum promiſſio Deo facta: donatio autem eſt actualis impletio & præſtatio. De illo nunquam dici poteſt, quamvis vitiosè promiſſum; tamen promiſſio tenet: de hoc aliquando dici poteſt, quamvis vitiosè factum; tamen cum factum eſt, tenet. 2. *Quia* illud quod promittitur, ſeu objectum malæ promiſſionis eſt malum, quod nunquam eligi, promitti, fieri debet: ſed objectum donationis non eſt in ſe & per ſe malum; e. gr. ager aut domus, quam quis juſto titulo poſſidet, & quam legitimè donare poteſt. 3. *Quia* votum tale eſt in ſe & per ſe malum: ſed donatio facta Deo & Eccleſiæ, non eſt in ſe, per ſe, & objectivè mala; ſed aut ſubjectivè, aut per accidens, ob particularem aliquam malam diſpoſitionem & intentionem in donante: Quæ malitia non tranſit in effectum donationis, ſeu in ipſum donum, nec tollit generalem & ultimam intentionem donantis. 4. *Quia* vota illa neceſſariò reſcindi debent, nec unquam impleri: ſed donationes vitio tali pollutæ, non debent neceſſario reſcindi, nec bona collata repeti, nec eccleſiæ bene & piè, abſque malo ſuperſtitionis & idololatriæ, iiſdem utentes, privari; multo minus ea uſur-

usurpationi & abusui titularium clericorum, sub umbrâ & fictione illius tituli, bona illa realiter possidentium, eamque cum titulis & titulari jure ementium, vendentium, per turnos (uti vocant) aut per donationes acquirentium. 5. *Quia* si par est ratio effectus malarum promissionum, & vitiosarum donationum Deo factarum: tum omnia bona pauperibus donata, à donatoribus generalem rationem salutis animarum, & honoris Dei, ut & misericordię erga pauperes & afflictos in diplomatis donationum præferentibus; deberent necessariò rescindi, & bona illa pauperibus auferri: quod donationes vitiatæ fuissent, stipulatione precum pro animabus donatorum à pauperibus & in piis domibus habendarum. Aut quod innotuerit, tempore istius donationis, donatorem aliquem fuisse Epicureum, aut hæreticum Arrianum, aut scismaticum Donatistam, aut adoratorem sanctorum, aut cultorem imaginum; aut generali & bonæ intentioni donationis, junxisse particularem intentionem placendi hominibus, aut placendi Arrianis, aliisve hæreticis.

Velim scire, an patroni abusuum istorum, de donationibus Regum Persicorum religione Gentilium (*Ezræ* 1. *v*.4. 7. & 6. *v*.4. 8 - 11.) judicent eas fuisse vitiosas, ideoque nullum earum effectum; & consequenter bona illa non fuisse sacra, nec ad sacros usus ex intentione donatorum obligata, neque in eosdem impendenda.

CAP. III.

Secunda quæstio generalis est, de origine & acquisitione bonorum ecclesiasticorum. Ubi hæc sex puncta distinctè consideranda 1. qui & quibus acquirant. 2. Apud quos. 3. per quod, seu quomodo. 4. quale. 5. quantum. 6. quo fine & effectu.

ACquirunt bona ecclesiastica, Ecclesiæ sive communitates ecclesiasticæ: sive immediatè integer cœtus alicujus Ecclesiæ aut ecclesiolæ particularis hoc agat; sive antecessores aut synedrium illius Ecclesiæ; sive variarum Ecclesiarum per correspondentiam propius unitarum collegium repræsentativum; sive unus quis præses aut præfectus antecessorum, jure & mandato humano aut delegatione ecclesiasticâ ad id constitutus, (Patriarcha scil. Episcopus, superintendens, inspector, &c.) sive Magistratus Ecclesiæ patronus ejusdemque fidei consors; sive denique Magistratus à fide alienus, qui tamen Ecclesiæ libertatem conventuum & exercitiorum, prece aut pretio inductus, permittit ac tolerat, & hanc suam permissionem ac concessionem autoritate suâ defendit. Per §.1.

 quos-

quoſcunque autem, & quocunque modo (per petitionem, commendationem, collectam, ſponte oblati receptionem, tributi impoſitionem atque exactionem) hoc fiat; ſaltem quidquid acquiritur, nulli privato aut in privatos uſus acquiritur, ſed communitati Eccleſiaſticæ, & in publicos ejuſdem uſus ſive communiter & quod ad totum ſui; ſive ſpecialiter & appropriatè, quod ad partem ſui: ſicuti e.gr. in V.T. primitiæ & primogenita tantum tribuebantur & cedebant ſacerdotibus, non Levitis. Haut aliter ac bona Reipublicæ ſeu communitatis politicæ & licitorum quorumcunque collegiorum in Republicâ acquiruntur. Adeo ut nullum Eccleſiæ membrum, nullus anteceſſor, nullus curator, nullus patronus & protector, aliquid inde palam aut clam ſine injuſtitiâ abalienare, decerpere, ſubtrahere, & in privatos ſuos ſuorumve uſus convertere queat: non magis quam privatus civis aut ſenator quivis ærarii publicos reditus ſine peculatu, aut curatores pauperum (ut eleemoſynarii civitatis, diaconi Eccleſiæ, curatores & præfecti noſocomiorum, brephotrophiorum, gerontodochiorum, &c.) ſine ſacrilegio reditus pauperum intervertere, aut æquis oculis videre poſſunt, ut ab aliis intervertantur. Problemata ad puncti hujus majorem elucidationem hæc ſunto.

1. *An Eccleſiæ, aut anteceſſores, aut ad illud delegati ab Eccleſiis, aut quicunque alii Eccleſiarum filii & fautores, nomine earum & pro iis poſſint petere donationes, ſeu ad eas extimulare ac cohortari quoſcunque? Reſp. Aff.* Indigentiâ Eccleſiæ illud poſtulante. Secus indecorè & avarè petitur: cum tantum ad opes accumulandas, & potentiam temporalem augendam petitur. Vide quid de πλεονεξίᾳ pronuntiet Apoſtolus 1. *Timoth.* 6. *v.* 6-12. Et paſſim ſcriptores Ethici & Theologi in titulis de avaritiâ, de divitiis earumque contemptu, de αὐταρκείᾳ. Nec immunes ſunt ab avaritiâ, ſi dicant ſe pro Eccleſiâ, pro Chriſto ejuſque Regno hoc petere. Immo tanto excellentius hoc peccatum peccant, quod regnum ſpirituale, quantum in ſe eſt, transformare videantur in temporale, & nervos ac robur hujus ad hoc velle transferre, illudque huic mundo conforme reddere, aut à mundo & mundanis ſuſpendere.

2. *An, quidquid à quibuſcunque donatur, Eccleſiæ acceptare poſſint, aut debeant? Reſp.* Neg. Uti mox infra §. 4. explicabitur.

3. *An bona ſpecialiter & appropriatè fundata, atque acquiſita pauperibus eccleſiæ, aut fabricæ templi, aut filiis prophetarum, aut ſcholarum magiſtris, aut ſtipendiis miniſtrorum, aut ſtipendiis lectorum, cantorum, æditorum, aut cuicunque ſpeciali ſtatui & uſui in eccleſiâ, poſſint in commune ærarium eccleſiaſticum conjici, aut ab uno ſtatu atque uſu ſpeciali ad alium transferri. Reſp.* Quidni! rebus Eccleſiæ ſic exigentibus; aut urgente aliquâ neceſſitate.

4. *An quis in foro poli aut soli aut utroque possit decimas non solvere, aut quocunque modo de reditibus ecclesiasticis subtrahere, aut in privatos usus eosdem non vertere; eo quod ecclesia aut antecessores ejus per avaritiam, aut impudentem mendicationem, aut quascunque alias blanditias & fallacias eos acquisiverint? Resp.* Neg. hoc enim non esset emendare aut abusus reformare: sed peccata præterita, aliis peccatis præsentibus & futuris compensare; aut peccata peccatis addere, aliorumque peccata in eodem aut in diverso genere imitari. Quasi licitum esset furari bona fœneratorum, aut quorumcunque divitum, quorum aliqua bona à majoribus ipsorum malè parta essent aut dicerentur.

Acquiri possunt reditus ecclesiastici, & colligi apud homines cujuscunque ordinis, & status. Sunt enim 1. *divites*, mediocres, tenuiores: à quibus acquiritur sive per tributum justitiæ: sive per liberalem donationem. Ita in V. T. census capitalis (dimidius scil. siclus sanctuarii), decimæ, primitiæ, primogenita, anathemata pendebantur à tenuioribus non minus, quam à divitibus. Similiter spontaneæ oblationes aut liberales quæque donationes quorumvis, etiam tenuiorum acceptabantur, *Exod.* 35. *vers.* 24. 25. 2 *Paralip.* 24. vers. 10. cum *Luc.* 21. *vers.* 1. 2. Idem dici potest de tenuioribus in N. T. quos verisimile non est in collectis Apostolicis (2 *Corinth.* 8. & *Philipp.* 4.) preteritos fuisse; aut dona eorum non fuisse acceptata. 2. *sunt homines* vel solitariè considerati, vel in societate politicâ, collegiali, ecclesiasticâ. Bona ecclesiastica tribui aut donari possunt à privato quovis, à civitate aliqua, aut provinciâ, aut à quâvis Republicâ, cujuscunque formæ regiminis, aut ab aliâ quavis ecclesiâ, aut à civili quovis collegio. 3. *sunt religionis* & ecclesiasticæ communionis consortes, & exsortes. De illis indubium est. De istis constat ex *Ezræ* 1. & 6. Ubi de donationibus regum Persicorum. Conferri potest *Josephus lib.* 12. *antiquit. cap.* 3. 4. *Sunt probi atque* improbi. Ab utrisque legitime tribui & donari potest. Problemata sunt. §. 2.

1. *An per donationes infidelium, & idololatrarum (quales reges Persici), item Pontificiorum, Arrianorum, Anabaptistarum, &c. ab Ecclesiis bona acquiri possint? Resp.* Quidni? servatis servandis, ne accipiendo libertatem vendant, aut aliquid in præjudicium ecclesiæ concedant, admittant, recipiant, probent; quod alioquin sponte & extra illam donationem non concederent aut probarent, ne quidem per conscientiam concedere aut probare possent. Sic non gravatus fuit Salomon, Gentilium artem & operam in exstructionem templi impendere 1 *Reg.* 5. Nec gravati sunt Ezras & Nehemias accipere dona Regum Persicorum, & in usus sacros convertere *Ezra* 1. & 6. Quos imitati sint Judæi, qui è rege Antiocho receperunt

 pretia

pretia pecudum mactandarum, vini, olei, thuris, & similam, salem, ligna ad templum ædificandum, quæ Rex Antiochus *pietatis ergo* (ut ipse loquitur in *epist. suâ apud Fl. Josephum lib. 12. antiquit. cap. 3.*) donabat. Nec horruerunt reformati in Belgio, collectis suis pro afflictis fratribus in Hyberniâ, Pedemontio, &c. institutis, dona ab aliis extra nostras ecclesias oblata adjungere.

2. *An infidelitas, hæresis, idololatria donatorum reddat ipsorum donationes & acceptationes ecclesiarum in foro poli aut soli aut utroque illegitimas; quod ex & cum fide ac conscientiâ Gentili, aut idololatricâ, aut hæreticâ Deo & ecclesiæ Dei dona sua contulerint? Resp.* Minimè quia peccatum donantis non transit in donum, aut in accipientem illud donum: non magis quam peccatum jurantis per falsos Deos transit in rem juramento confirmatam, aut in eum, cujus gratiâ juramentum præstatur.

3. *An à pauperibus qui ex eleemosynis vivunt, ecclesiastica bona sive per contributionem, sive per spontaneam oblationem acquirenda sint? Resp.* talibus parci potest. Si tamen spontè amoris sui, & gratitudinis erga Deum, pietatis & zeli in promovendâ religione, aliosque exemplo suo excitandi ergo, de quotidiano suo dimenso, ex Eleemosynis acquisito, aliquid largiri velint, ad instar viduę pauperculæ *Luc. 21.* non videtur aspernandum.

4. *An à meretricibus ex turpi quæstu, aut à fœneratoribus ex lucro usuræ mordacis, aut à pyratis, grassatoribus, prædonibus, ex rapto ecclesiis oblata acceptari possint, atque ex iis peculium Ecclesiæ, & pauperum augeri? Resp.* De actu meretricium, aut pyraticam, aut latrocinia exercentibus; *Neg.* 1. *Quia* non donant de suo. 2. *Quia* viderentur Ecclesiæ meretricum aut furum esse socii, (*Psal. 51. v. 18. Jes. 1. v. 23.*) eosque in illis flagitiis confirmare: illique putarent, se apud Deum & homines, in tantum, si non in totum, magis excusabiles, aut minus intolerabiles esse. Quidquid sit, ab omni occasione & specie peccatorum à nobis aut ab aliis committendorum, nos alienos esse oportet. Sed de furibus, pyratis, meretricibus, qui antehac fuerunt, & jam conversi ac pręstitâ satisfactione & restitutione (qualis & quanta fieri potuit) in foro poli & soli; si in residuis bonis suis hæredem scribunt Ecclesiam, aut partem bonorum eidem donant, *Aff.* Quod idem dicimus de illis posteris, quorum majores bona sua injustè olim acquisiverunt. Neque enim putamus omnia bona à regibus Persarum aut eorum parentibus & prædecessoribus justè acquisita fuisse; ut nec Regum ac Principum aliorum donatorum Christianorum sub N. T. Zacchei (*Luc. 19. v. 8.*) oblationes, si quas fecerit; non puto rejectas fuisse. Quin *Daniel.* 4. magno illi prædoni Nebucadnezari con-

consulebat ut peccata sua abrumperet justitiâ, & benignitate erga pauperes. De iis, quæ hodie eleemosynarii, diaconi, orphanotropheja, gerontodochia, hospitalia, &c. recipiunt à donatoribus, non satis constat, an ex bene partis ea largiantur. Objici forte posset ex *Deuter.* 23. *v.* 18. de mercede meretricum & pretio canum. Sed ad prius responderem, meretrices conversas, aut cessantes ab illis abominationibus non intelligi: uti modo distinximus. Ad posterius vero de canibus, subesse ibi quid ceremoniale: Quia canes inter animalia immunda Deo neutiquam offerenda, numerabantur, *Jesa.* 66. *v.* 3.

5. *An si Pontificii, aut alii hæretici, brachio sæculari aliquando prævaleant licitè in foro poli & soli, reditus diaconorum nostrorum, & reliquarum domuum piarum in Belgio fœderato ab usibus suis, ad quos fundati sunt, stante reformatione; avertere, & in privatos otiosorum hominum, nec tamen inopum aut ex eleemosynis viventium, usus convertere possint: aut permittere, ut pretio aut prece cum & sub ementito pauperis aut alumni diaconalis, leprosarii, eleemosynarii,* &c. *titulo, reditus illos & bona commendata acquirant: quotquot ea hoc modo acquirere per conscientiam auderent: & per gratiam, favorem, conniventiam, permissionem, aut etiam approbationem Principum aut Magistratuum, possent. Resp. Neg.*

Per quod seu quomodo Ecclesiæ legitimè acquirant, explicatur, præmissâ distinctione acquisitionis in primam seu immediatam, & in ortam à primâ seu mediatam. *Primæ* acquisitionis duo sunt modi generales, ad quos omnes modi revocari possunt: per tributum scil. justitiæ, & donationem caritatis, seu spontaneam oblationem. *Ad priorem* modum pertinent in V. T. primitiæ, decimæ, census capitalis, redemtio primogenitorum, sacrificia pro peccatis, anathemata „spontaneæ oblationes. In novo Testamento modus acquirendi obtinuit, per tributa & donationes: in ecclesiis antiquis, intermediis, novis sub Magistratibus Christianis. *Quo* referri debet καπνικὸν h. e. tributum ab Imperatoribus Græciæ fumariis impositum. Et jam inde à primâ reformatione obtinuit, ut in ecclesiis reformatis clandestinis, etiam toleratis sub Magistratibus Pontificiis, aut sub patrocinio Regum Angliæ, Principum & urbium Germaniæ (ut Franchothaliæ, Hanoviæ, Argentorati, Francofurti ad Mœnum) singulis Ecclesiæ civibus pro facultatibus imponatur taxa quotannis ordinariò, aut data occasione extraordinariò in usus ecclesiasticos exsolvenda. Hoc enim docet jus naturale, cujusque communitatis aut collegii onera, à membris & consortibus illius esse ferenda. Quin & Apostolus ex jure divino dictat *Gal.* 6. ὁ κατηχούμενος, &c. Cum quo confer 1 *Cor.* 9. aliaque *tract.* proximè sequenti *de stipendiis ministrorum* adducta. *Ad posteriorem* §. 3.

riorem modum pertinent omnes donationes: quę sunt postulatę; vel donationes seu oblationes spontaneæ. Quarum illæ in tantum liberæ & spontaneæ sunt, quod ad quantitatem scil. aut qualitatem donandorum; non tamen in totum, quia fiunt ad postulatum aliorum. Postulatum illud est vel publicum, ecclesiæ scil. aut antecessorum, aut Magistratus ecclesiarum nutritii: vel privatum. Respectu *publici* postulati, & ordinis, communiter dicitur *collecta*. De quâ *Exod.* 35. 2. *Corinth.* 8. & *Aretius part.* 3. *problematum.* *Oblationes spontaneæ* sunt, *vel* simplices, absolutæ, communes, nudæ, meræ, directæ: *vel* mortis causâ. *Illius* generis in V. T. erant, *mincha*, & oblatio in gazophylacium, & in N. T. oblationes *Actor.* 2. & 4. & quæcunque puræ donationes, quas intermediâ ætate & sequentibus sęculis communiter vocârunt *eleemosynas* fidelium, & *oblatas*. *Istius generis* sunt hęreditates & legata, quæ ecclesiis per testamentarias dispositiones aut codicillos obtigerunt. Et hæc quidem acquisitio *prima*: à primâ *orta* est, cum Ecclesia acquirit agros, domos, utensilia, census hæreditarios nummorum, frumenti, vinei, olei, &c. per emtionem, mutationem, contractum mutui lucratorium, &c. Problemata sunt.

1. *An testamenta & diplomata donationum inter vivos, aut causâ mortis: quorum vi Ecclesiis obtigerunt hæreditates & legata, minus sint valida, & magis violabilia: quam ea, per quæ Reipublicæ, scholæ, aliis licitis collegiis, pauperibus, domibus piis, privatis quibusque civibus, & advenis talia obtigerunt. Resp. Neg.* Videantur Jureconsulti de Testamentis; specialiter *Joh. Molanus* de piis Testamentis.

2. *An omnia ejusmodi testamenta & donationes, insuper obtestationes, diræ, execrationes iis additæ, & facto & jure non tantum in foro soli, sed & poli nulla sint; & consequenter Ecclesiæ, ac quivis pauperes piæque domus omnibus suis reditibus ilico exciderint, & in possessionem eorum venire possint quicunque otiosi viri professione aut affectu dicti reformati: modo & simulac Magistratus aut in totum aut ex parte annuerit, aut saltem factum tale toleraverit. Resp. Neg.*

3. *An omnia in primis, & intermediis, & postremis sæculis Christianismi N.T. per tributa justitiæ, & donationes collecta bona ecclesiastica, jure divino & humano, nihil minus sint quam sacra & ecclesiastica; & consequenter integra eorum massa in privatos usus distribui, aut privatis quibusdam, quorum conscientia & culina hoc fert, possidenda ac dissipanda relinqui possint aut debeant? Resp. Neg.* Vide supra *cap.* proximè pręced.

4. *An hæc sententia de illegitimâ fundatione omnium istorum bonorum, & plerorumque diabolicâ, Antichristianâ, & obrepticiâ fallaci ac furace fundatione; & consequenter de omnium istorum possessione & usu per homines sæ-*

culares beneficiis absque ullo annexo aut præsupposito officio gaudentes; sit congrua sacris literis, antiquæ & reformatæ Ecclesiæ, ejusque Doctorum consensui. Resp. Neg. vide supra *cap.* præced.

5. *An certo modo & formâ semper sint acquirenda : & an jure divino ac naturali ad decimas, aut primitias, aut simile quid, per tributum justitiæ ecclesiis pendendas, homines in perpetuum obligentur? Resp.* Inclinamus in negantem, de decimis. Vide tract. proximè sequ. *de stipendiis ministrorum.*

6. *An possessores agrorum aut coloni, siquidem in negantem sententiam determinetur, eo ipso à decimis pendendis liberi constituantur;* & *Ecclesiæ, aut domus piæ jure decimarum suarum excidant. Resp. Neg.*

7. *An bona pauperibus, piis domibus, ædituis, fabricæ templi, lectoribus theologiæ, pastoribus seu parochis sub tenebris Papatus donata, omnia illegitimè donata & acceptata sint: quia non sine opinione satisfactionis aut meriti, nec sine honore & cultu sanctorum, quibus illa & se & pias domos consecrabant, & quia cum exsertâ stipulatione precum pro anima sua post mortem ab illis, quibus reditus illos fundabant. Resp. Neg.*

8. *An dato hæc ita illegitimè, hæreticè, idololatricè fundata esse, hæredibus sint restituenda? Resp. Neg.*

9. *An vero privatorum (nec pauperum, nec Ecclesiasticorum, nec scholasticorum) privatis usibus sint relinquenda; quò posthabitâ omni idololatriâ & hæresi tantum titulos proximè prædecessorum suorum sub Dominio Papatus assumant, & hoc titulo in possessionem, & commendam illorum bonorum se mittant. Titulos intelligo eosdem sub quibus prædecessoribus illa bona sunt donata, & illi ea possederunt; quales sunt parochorum, cantorum, æditurorum in Ecclesiâ; adhæc lectorum theologiæ in scholâ, pauperum, senecionum in gerontodochiis, orphanorum in orphanotrophiis,* &c. *Resp. Neg.*

10. *An denique; dato ita fundata esse, omnia ideo tam vitiata & immunda sint ut à Papatu purgari non possint, nisi aut simul & semel in fiscum redigantur, aut pro derelictis habeantur, quæ primi fiant occupantis; sed intercedente donatione aut numerato pretio; & assumtione tituli pseudo-clericalis: ut saltem hac ratione videantur magis homogenei prædecessoribus in eodem collegio, aut monasterio, aut quocunque alio clericatu, à quibus bona illa tempore Papatus possessa sunt. Resp. Neg.*

Qualitas bonorum variè spectatur: sunt enim alia mobilia, alia immobilia. *Mobilia* sunt nummi, vasa ex pretioso aut viliori metallo, vestes, lapides pretiosi, quæcunque utensilia. Vide *Exod.* 35. *Immobilia* sunt agri & domus *Actor.* & 4. & 5. Qualia autem bona ecclesia sibi conferri velit non est donatoribus in specie præscribendum : cum non sit §. 4.

tri-

tributum jure debitum, sed spontanea & libera donatio. Sint Problemata.

1. *An conveniat Ecclesiis donari, & ab iis acceptari aut retineri servos & proprios homines ita dictos: quales à Regibus, Principibus, & proceribus Christianis quamplurimi cum agris & mansis olim donati sunt. Resp. Aff.* hoc fine scil. ut servos illos in fide ac pietate Christianâ instituant, & institutos libertate donent; & è vestigio duram ac crudelem servitutem mitigent.

2. *An ecclesiæ conveniat servos illos quibusvis emtoribus maximum pretium offerentibus vendere; an potius in totum aut in tantum libertate donare; Resp. Pr. Neg.* poster. dist. uti jam dictum est.

3. *An eidem conveniat à potentibus petere aut emendicare ejusmodi bona regalia, quæ potestatem politicam, si non supremam, saltem supremæ proximè subordinatam, connexam habent: qualia sunt dynastiæ, ducatus, principatus, comitatus, baroniæ, toparchiæ? Resp. Neg.* Hoc enim & periculosum est, & pauperes, ecclesiam, ecclesiasticos sæcularizat: illam transformando in societatem mundanam; istos in dominos temporales & viros de hoc mundo: filiâ matrem devorante.

4. *An conveniat ecclesiæ emere ejusmodi bona regalia, & in iis fundare regalia, quæ vocant, sacerdotia; Resp. Neg.*

5. *An, si talia bona ipsi olim obtigerint, ea nunc alienare conveniat per venditionem, aut permutationem, aut donationem? Resp.* Ego maximè convenire arbitror ut aut vendant, aut permutent, aut protectoribus ac patronis ecclesiæ optimè de eâ meritis donent: retentis iis bonis, quæ ipsis sufficiunt.

6. *An agros, fundos, prædia sua retinere possit; insuper & plura emere, siquidem facultas suppetat? Resp.* Quidni?

7. *An jura patronatus laicalia, aut clericalia in aliis Ecclesiis sibi acquirere, aut si olim acquisita fuerint, retinere possit? Resp.* Absolutè, *Neg.* Vide infra *part. 2. lib. 3. tit. de Jure Patronatus.*

8. *An telonia, gabellas, jura venationis, piscationis, aucupii? Resp.* Quamvis absolutè non esset illicitum; non tamen conducit, nec ædificat *1. Cor. 10. v 23.*

9. *An, si quidem talia olim munificentiâ Principum ipsi obtigerint, eadem retinere conveniat; an potius vendere, aut permutare; aut viris Principibus, dominis territorii, particularibus toparchis, quibus talia conveniunt, donare; aut hæredibus restituere debeat. Resp. Aff. poster.* Pro re natâ & bono ecclesię donari possunt, aut vendi, aut permutari.

§. 5. *Quantitas* bonorum ad honestos usus particulari alicui Ecclesiæ, aut consociatis

sociatis aliquot Ecclesiis acquirendorum positivè & præcisè ita determinari nequit. Sicuti circa quantitatem corporum animatorum physici distinguunt inter maximum & minimum quod sic, & quod non: quorum istud determinant, illud in quâque specie indeterminatum relinquunt: sic in hâc materiâ nobis agendum. Attalicas ergo aut Crœsi opes, regios thesauros, & inde consequentem ac sustentandum splendorem hujus sæculi Ecclesiæ sibi nec desiderare, nec petere, nec acceptare debent: siquidem ab Imperatoribus & Regibus offerantur. Neque enim convenit Ecclesiæ, regium splendorem ostentare, aulas, satellites, exercitus, alere, regalia sacerdotia, hoc est, conjuncta cum principatibus & dynastiis hujus mundi erigere: cum tota Ecclesiæ pulcritudo, totus splendor sit interior *Psal.45.* & spirituale regnum Christi non sit de hoc mundo *Joh.* 18. Si nulli homines privati debent velle ditari; multo minus Ecclesia debet inhiare divitiis, inque eum finem instar mendicorum semper petere, semper instar avari indigere, juxta illud: *tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.* Huc confer meditationes ad *Matth. 6. 1.Timoth.6. Hebr.13.* Certè in ruborem dedisse debuisset mendicantes & avaros clericos, ethnicus Aristoteles in suis Oeconomicis, qui contendit ἀορίστως non esse studendum colligendis pecuniis, adducto argumento ex etymologiâ nominis χρῆμα pecunia, à χρᾶσθαι. i. ab utendo. Usibus ergo ecclesiasticis, quos infra explicamus proportionata & mensurata debent esse bona, quæ aut per tributum exigit, aut à ditioribus, occasione urgente, petit, aut sponte oblata acceptat Ecclesia. Quod si Ecclesia aut Ecclesiæ hominum certatim ac confertim donantium immodicam liberalitatem non sufflaminent, Magistratus autoritatem suam interponere debet exemplo *Exod.35.* Ubi etiam in medio Papatu factum à Carolo V. per legem amortizationis, & anno 1607. à Serenissimâ Republ. Venetâ, lege latâ de non alienandis bonis immobilibus sine Senatus consensu. Quæ lex una fuit ex tribus causis propter quam Paulo V. fulmen excommunicationis in Sereniss. Rempubl. vibrare visum fuit. Cujus tragico-comœdiæ descriptionem disce ex historiis, & procellâ libellorum tunc super hâc causâ scriptorum. Videatur de lege Amortizationis *Zypeus lib.2.jur.canon.tit.de foro competenti, Hospinianus lib.4.de monachis c.20.*

Ab altera tamen parte, τὸ minimum quod non sic determinandum, ne Ecclesia abstineat à petendis, acquirendis, acceptandis ad necessarios usus. Ne solummodo in diem, & quotidie de novo mendicare, pium & supererogatorium ducat, instar mendicantium Capuchinorum. Sed imitetur potius Christum *Joh.6. v.12.* qui exemplo suo patres familias & œconomos docuit, residua colligere & in futurum reponere: ut iis in ordinaria aut extraordinaria necessitate uti possint. Problemata sunt.

An, non tantum in ἀκμῇ *Papatus, sed etiam in intermediâ ætate, sæculo scil. octavo & nono, nimis multa bona ab Ecclesiis, earumque antecessoribus nimium mendicando aut subrepticiè se insinuando, aut nimis cupidè acceptando, sint acquisita? Resp. Aff.* Historia facti colligitur ex diplomatis & donationibus supra indicatis: ubi non raro indicatur ad Episcoporum, aut Abbatum, aut capitulorum, aut monasteriorum petitiones & supplicationes, talia aut talia bona fuisse donata.

An si hoc concedatur, de omnibus aliis acquisitis bonis hoc statuendum sit; quæ iisdem scil. sæculis, quin etiam sæculo, sexto, quinto, quarto acquisita sunt. Resp. Neg. Omni historiæ, & omni juri hoc repugnare evicimus.

An consequenter omnia illa bona ideo pro derelictis habenda; aut in privatos homines & usus otiosos distribuenda; aut ab iis, qui primi occupare atque in ea involare possunt, quæsito & mendaciter assumto aliquo verè aut abusivè ecclesiastico titulo, suis liberis ac nepotulis conferenda; aut magno & parato pretio quibuscunque licitatoribus vendenda? Resp. Neg.

An hæc sit genuina reformatio abusuum & sacrilegiorum Papatus (Apocal. 9. vers. ult. *cum notis Belgicis*), *si bona omnia ecclesiastica ante Papatum, & sub Papatu Ecclesiæ & cultui divino (qualis tunc erat) dicata, relinquantur aut donentur hominibus sub titulo Romano ecclesiastico, quasi successoribus cleri Papalis, nihil tamen ecclesiastici sive Romani sive reformati agentibus? Resp. Neg.* Et patet ex supra dictis & infra dicendis.

An hæc doctrina & praxis deduci poßit ex jure divino, naturali, civili; adhæc ex communi doctrinâ Protestantium & Reformatorum? Neg. Quia oppositum inde deducitur.

§. 6. *Finis & effectum* acquisitionis bonorum, est vel primum immediatum & proximum, vel mediatum & consequens, vel remotum seu ultimatum, in illo scil. genere. *Primum* est dominium, hoc est, jus constitutum in illis bonis, quorum commoda & incommoda ad Ecclesiam pertinent. ***Secundum*** est geminum, possessio & distinctio. *Possessio*, est ipse dominandi actus, seu exercitium & usus dominii. ***Distinctio***, bonorum illorum ab aliis bonis habetur ex dominio. Sunt enim & dicuntur bona non sæcularia ad usus communes & sæculares, sed sacra & ecclesiastica. Non quod in se & per se talia sint, aut dicantur; sed extrinseco quodam respectu & per denominationem extrinsecam: quia ad usus ministerii & cultus divini, ex voluntate & institutione contribuentium & donantium, approbante, aut permittente lege & Magistratu tunc obtinentibus (si qui donationum aut contributionum istarum conscii sunt) Ecclesiæ appropriata sunt. ***Ultimatum*** effectum est ædificatio Ecclesiæ. Problemata sunt.

1. *An dominium utile seu proprietas omnium bonorum, quæ cives in Republicâ*

blicâ legitimè poßident , sit penes Regem , Principem, Magistratum? Resp. 1. De illis civibus, qui armis subjugati, non fuerunt coacti dominium proprietatis, quod ipsis hactenus competebat, cedere victori; ut extremam internecionem redimant. Esse tamen temperamentum victori, etiam in justissimo bello, tali in casu adhibendum, alibi docetur non tantum à Theologis, sed etiam à Jureconsultis & politicis. Vide *Grotium lib.* 3. *de Jure pacis & Belli cap.* 13. *Neg.* 2. de illis, qui delictis suis meriti non sunt ablationem bonorum per modum pœnę. Talium enim bonorum dominium proprietatis est penes fiscum. *Neg.* 3. de illis civibus, quorum agros inundari, immo & in gurgitem aquarum converti, domus dirui aut incendi, thesauri in publicum impendi non debent, in præsenti Reipublicæ periculo, aut extremâ ejusdem necessitate. Novimus bonum universale pręvalere particulari, & istud illi cedere debere: sed damni istius compensationem à Republica, simulac potuerit, esse pręstandam. *Neg.* 4. de illis civibus, qui exemplo Ægyptiorum *Genes.* 47. *v.* 19. 20. bona sua Principi aut Magistratui, non vendiderunt.

2. *An bona pauperibus Ecclesiæ donata, aut domibus piis, sint diaconorum, & curatorum. Resp. Neg.* Non magis, quam bona pupillaria sunt tutorum.

3. *An sint Principum aut Magistratuum, tanquam universalium & supremorum tutorum? Resp. Neg.* de dominio, dicto particulari, aut utili, aut proprietatis.

4. *An sit crimen læsæ Majestatis dicere, bona templi esse templi, orphanotrophei esse orphanotrophei, nosocomii esse nosocomii? Resp. Neg.* Non magis, quam dicere, gazophylacium sub administratione diaconorum esse ecclesię, aut peculium collegii cujusvis liciti (e. gr. mercatorum, medicorum & chirurgorum, pictorum, bibliopolarum, fabrorum, &c.) esse peculium istius collegii.

5. *An, siquidem victori omnia parent, pietati, caritati, æquitati Christianæ conveniat templa Christianorum, cum omnibus bonis ecclesiarum, scholarum, orphanotropheorum, nosocomiorum,* &c. *suorum prædationi & vastationi exponere, aut in fiscum redigere, aut in domesticos suos usus convertere; aut luxui & pompæ hominum de hoc sæculo, nihilominus* μορφῶσει *pietatis se ostentantium, devovere? Resp. Neg.* saltem in foro poli. Jureconsulti & politici dicerent ne quidem in foro soli hoc decorum esse. Videatur inter alios *Grotius lib.* 3. *de Jure Pacis & Belli cap.* 12.

CAP. IV.

De Curâ & administratione bonorum Ecclesiasticorum: Ubi duo consideranda. 1. per quos. 2. quomodo curentur & administrentur. De priori facta referuntur, & quæstiones aliquot determinantur.

§. 1. QUod ad prius, curam bonorum in V. T. gerebant tum sacerdotes & Levitæ; tum Magistratus, judices, Reges, Principes; & utrorumque munerarii ac præfecti ab illis ad hoc delegati. Vide 2. *Paralipom.* 24. *v.* 11. 14. cum 2. *Reg.* 12. *v.* 4.--- 17. *Ezra* 8. *v.* 24.-- 31. & *v.* 33. 34. *Nehem.* 12. *v.* 44. & 13. *v.* 4. 5. 10.-- 14. *Levit.* 27. *v.* 11.-- 24. *Josuæ* 6. *v.* 24. In N. T. eorundem curam susceperunt Apostoli *Actor.* 4. *v.* 35. 37. & 5. *v.* 2. qui crescente Ecclesiâ, ejusque negotiis & caussis, sui sublevandi ergò Hierosolymæ constituerunt diaconos *Actor.* 6. quorum ordo etiam in aliis Ecclesiis autoritate apostolicâ introductus & cum perpetuo Ecclesiæ regimine continuatus est. *Phil.* 1. *v.* 1. cum *Rom.* 12. *v.* 8. 1. *Cor.* 12. *v.* 28. Sic tamen, ut Apostoli & Euangelistæ & presbyteri, comparato hoc subsidio, omnem illam curam absolutè non deposuerint: uti patet ex *Actor.* 11. *v.* 30. cum 24. *v.* 17. *Rom.* 15. *v.* 25. 26. 28. 31. 1. *Cor.* 16. *v.* 1. 3. 2. *Cor.* 8. *v.* 6. 16. - 23. & *cap.* 9. *v.* 1. - 6. Post excessum Apostolorum à collegio presbyterorum & in eo præside, ac postea nomine aliorum ab episcopo (pro ratione crescentis potestatis) bona custodita & administrata sunt. Quod constat ex *Concil. Antiocheni Can.* 24. & 25. ex *Cypriani epistol.* 62. ex *Gangrensis Concil. Can.* 7. & 8. anathemate firmatis. Nec cessavit hoc postquam Imperatores, Principes, Magistratus fidem amplexi essent. Plurimi enim ex illis, qui magis pii fuerunt aut videri voluerunt, in suis erga episcopos officiis magis excessu quam defectu laborasse videntur. Non est ergo, quod hic quidquam probationis moliamur. Novitate Papatus jam constitutâ tota hæc cura ad episcopos tracta fuit, non minus quam tota potestas ecclesiastica. Curam episcopalem temporalium constituit *Lælius Zecchus de Republ. ecclesiast. cap.* 1. *num.* 8. *in* 20. actibus, illic recensitis. Exortâ reformatione, quamvis aliqui Doctores reformati, inter quos eminet *Calvinus* (vide ejus vitam, & insignem epistolam ad Cardinalem Sadoletum) exemplo Pauli, recusantis stipendia & honoraria Ecclesiæ Corinthiacæ 1. *Cor.* 9. ob graves rationes, ne minimum quidem curæ aut custodiæ ullorum bonorum (ne quidem pastoralium) se cum collegis immiscere voluerint, idemque in hâc provinciâ, aliisque quibusdam Belgii partibus, imprimis in Hollandiâ & Zelandiâ, imitati sint nostrates: non tamen diaconi,

aut

aut piarum domuum præfecti, aut Pastores, aut collegia scholastica, aut ædiles catholicè (hoc est, omnes, semper, ubique) suæ cujusque commendatæ portionis curam & administrationem abjecerunt; aut à se in Magistratum transtulerunt; nec Principes & Magistratus eam ipsis abstulerunt. Ut alia nunc præteram, saltem de curâ bonorum pastoralium (de quibus antiquitatum juxta ac novitatum ecclesiasticarum ignari subinde imperitè blaterant) id notissimum est in Scotiâ, Borussiâ, Poloniâ, Germaniâ, Angliâ, Daniâ, Sueciâ, Hungariâ, Transylvaniâ, Helvetiâ, Rhætiâ, & aliquot Belgii Provinciis. Quid quod ordo ecclesiasticus Ecclesiarum Belgicarum ab anno 1578. (cum Ecclesia jam esset publica & Magistratuum protectione frueretur) usque ad annum 1619., in hâc aliisque quibusdam vicinis Provinciis supremorum Magistratuum autoritate munitus, exsertè decernit à synedriis seu consistoriis, tanquam Ecclesias repræsentantibus, debita ministrorum suorum stipendia procuranda esse artic. xi. Quod sine curâ temporalium Ecclesiæ fieri non potest. Et ubicunque Magistratus consistoria ab illo onere non liberat, reipsâ hoc pręstant: ut Londini, Sandwici, Nordwici, Colchestriæ, &c. in Angliâ, & in quibusdam Germaniæ partibus ubi Ecclesiæ Belgicæ collectæ fuerunt, & etiamnum sive palam sive clam habentur. Atque hæc facti historia. Quid de jure sit aut non sit, mox in problematis quęremus. Præter ecclesias earumque antecessores, & œconomos, sequioribus sæculis, cum per donata prædia & vectigalia augerentur bona clericorum, in partem curæ adhibiti potentiores, qui tutelam & defensionem alicujus collegii ecclesiastici susciperent: qui speciali nomine *advocati ecclesiarum* dicebantur; ut distinguerentur ab advocatis civitatum aut pagorum seu vicorum, qui & *protectores* dicuntur & munus seu dignitas eorum *advocatia*; & honorarium ob defensionem tribuendum, *advocatitium*. De hoc scriptores politici. De advocatiâ ecclesiasticâ agunt Canonistæ ad tit. *de rebus Ecclesiæ alienandis* cap. 2. in 6. ubi exhibetur constitutio Gregor. x. in *Concil. Lugdunensi*: quâ limitat has advocatias, ne scil. episcopi eas instituant absque capituli sui consensu, & speciali sedis Apostolicę licentiâ. Sed jam diu ante illum Gregorius M. Januario episcopo Caralitano, autor fuerat ne curam patrimonii ecclesiastici sæcularibus viris committeret, sed probatis clericis: propter graves abusus ibi relatos. Exstat hæc *epistola Gregorii lib. 7. num. 66.* eamque decreto suo inseruit *Gratianus dist. 89. c. Indicatum.* Dicta advocatia seu *mundiburdium* (barbarâ voce Longobardorum) describitur quod sit *tutela & defensio sacerdotalis alicujus collegii laico Principi aut nobili commissa.* Hinc Imperatores tanquam summi advocati & protectores Ecclesię, cæterique Reges & Principes, comites, nobiles, quibus hęc cura commissa, Ecclesias & collegia ecclesiastica

ab injuriis defendebant; quin & Ecclesiæ, *defensores, advocati, conservatores, protectores, patroni*, dici haberique volebant. *Joh. Molanus lib. 2. de canonicis c.* 46. refert Godefridum Buillioneum, cum post expugnatam Hierosolymam Rex salutaretur, contemto Regis titulo sese *sepulcri dominici advocatum* vocasse. Hæc referre se dicit *Molanus* ex epist. Ducum sacri belli additâ Mariano. Ipsæ Ecclesiæ tales advocatias ab Imperatoribus postulabant, tum ut contra potentiorum injurias se & sua tuerentur; tum ut res politicas circa oppida, territoria, arces, pagos, sylvas, aquas, &c. à Principibus donata administrarent, ne clerici spiritualibus negotiis omissis ad sæcularia traherentur. Priorem usum habet *Concil. Carthagin. can.* 9. quem Gratianus decreto suo inseruit cap. *Ab Imperatoribus* 23. *qu.* 3. Ab Imperatoribus, inquit, universis visum est, postulandum propter afflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, ut defensores eis adversus potentias divitum cum episcoporum provisione delegentur. Petitioni Ecclesiarum respondent decreta imperialia Car. Magni an. 786. Othonis I. an. 967. Othonis II. an. 967. quæ vide apud *Goldastum tom.* 3. Posterior usus illis sæculis introductus videtur, cum bonis regalibus modo memoratis episcopatus, monasteria, capitula dotarentur: quæ à delegatis clericis, aut privatis quibusdam œconomis ac quæstoribus, præsertim quod ad regimen politicum & jurisdictionem, ita administrari, & contra potentiores vicinos defendi non poterant. Fuere ergo à pinguibus illis episcopatibus, capitulis, abbatiis cooptati, ex sæcularibus potentes advocati ac protectores & quidem non sine præmio aut mercede feudi alicujus; quod distinctionis causâ *feudum ecclesiasticum* dicebatur. De quo consulendi Jureconsulti, & Canonistæ ad tit. de *feudis*, qui est 20. *lib.* 3. *decretal.* Habebant advocati illi nonnunquam *subadvocatum*, aut subadvocatos. Uti colligimus ex diplomate Othonis I. (apud *Mireum in notit. ecclesiar. Belgicar.*), quo confert Lamberto I. Comiti Lovaniensi advocatiam abbatiæ Gemblacensis, *ut vice*, inquit, *nostrâ adjutor eorum sit ac defensor.* Illud etiam statuit, *ut Comes Lovaniensis nunquam præter unum subadvocatum habeat.* Notat ibid. *Mireus* tunc (anno 1630. quo notitiam edebat) abbatiæ Gemblacensis subadvocatum fuisse Comitem de *Walhaim* in Gallo-Brabantiâ; eundemque Marchionem Bergizomensem, & comitem Herenbergensem in agro Zutphaniensi. Sed de universâ hac advocatorum historiâ & pragmatiâ videndi *Joh. à Choquier* vicarius Episcopi Leodiensis in *Vindiciis libertatis ecclesiasticæ part.* 2. *cap.* 6. 7. 8. Et *Joh. Molanus lib.* 2. *de Canonicis cap.* 44. 45. 46. 47. ubi de conservatoribus, protectoribus, advocatis, patronis ecclesiasticis in genere, & in specie Ecclesiarum collegia-

legiatarum seu capitulorum. Ex nostris *Hospinianus lib.* 3. *de Templis cap.* 6. *Joh. Choquier loco cit.* indicat inter alios autores peculiarem tractatum *Martini Mageri de Advocatâ armatâ.* Gloriosus ille titulus postea clericis exosus esse cœpit, postquam prȩsidia, defensiones, protectiones in rapinas, expilationes, vexationes degenerassent. Adeo ut ecclesiasticis petitionibus & decretis partim exemtio ab illis advocatiis, partim earum cum scriptio quæsita & sancita; quin etiam feuda retracta sint, & episcopi sub juramento promiserint, se neminem de novo in feudaturos de bonis Ecclesiæ; (vide tit. decretal. *de Feudis*); insuper donatores & fundatores quorundam monasteriorum exsertè advocatias illas prochibuerint; & lege Imperatoris Conradi IV. statutum sit, ut Cistercienſibus ne quidem volentibus unquam darentur advocati. Fridericus II. dictus Barbarossa anno 1257. monasterium Fabriense in diœcesi Churiensi ab onere advocatiæ Baronum de Saxen liberavit. Carolus V. an. 1549. graviter interdixit advocatis & protectoribus per totum imperium, ne tutelâ seu protectione suâ abuterentur; aut Ecclesias, monasteria, loca pia contra formam & naturam protectionis usurparent, opprimerent, gravarent. Vide Caroli diploma ad finem *tom.* 3. *constitutionum Imperialium Goldasti.*

Affines advocatiis quodammodo sunt in Papatu dictæ *literæ conservatoriæ*, per quas obtinentur certi deputati judices, qui clericos à molestiis & injuriis tueantur, & in possessione bonorum, rerum, jurium suorum manutenenant. Quarum frequentes abusus contra concedentis mentem occasionem dedisse dicuntur *Concilio Trident. Seß.* 14. *cap.* 5. reform. easdem haut parum limitandi: quamvis SS. cong. Cardinalium suis interpretationibus illam reformationem, ut & pleraſque alias, satis laxare videatur. Sed de his advocatiis fortè nimium: cum magis ad antiquitatum Ecclesiasticarum & novitatum Papalium historicam cognitionem pertineant, quam ad regimen Ecclesiarum nostrarum, & hodiernam praxin. Talium enim advocatorum apud nos nec usus, nec vestigium.

Quæstiones circa curatores bonorum moveri possunt.

I. Quȩst. *An repugnet juri divino aut naturali; ut aut Ecclesia in suis antecessoribus per se, aut per munerarios & quæstores ab ipsis constitutos; aut Magistratus Christianus per se aut per munerarios à se constitutos curet & administret bona ecclesiastica? Resp.* Neutrum: uti constat ex modo dictis. §.2.

II. Quȩst. *An aliquando extra Magistratus omnem curam; immo & cognitionem, bona illa haberi & curari possint aut debeant? Resp. Aff.* de priori, ubi Ecclesiæ privato publicè tantum tolerantur; ut e. gr. in ducatibus Juliacensi & Bergensi, in Gallia ac Bearnia. Idem dicimus de Ecclesiis Christianis in imperiis Turcico & Persico. Et de hodiernis

nis Ecclesiis Belgicis in Angliâ. Aff. de utroque; ubi Ecclesiæ sunt clandestinæ: *** Et sic olim antiquæ Ecclesiæ primis sæculis, peculia sua Principes suos eorumque præfectos studiosâ celabant: uti liquet ex illustri exemplo Laurentii diaconi Ecclesiæ Romanæ, ab omnibus communiter prędicato. Vide *Ambrosium lib. 1. offic. cap. 41. & lib. 2. cap. 28.* Cui consentiunt *Augustinus, Maximus Taurinensis, Leo, Chrysologus, Prudentius*, aliique: & inter nostros *Melanthon in consiliis part. 1. Joh. Lætus, Gutberlethus*, &c. in epitomis historicis, una cum martyrologiis reformatis. Hinc est quod tanquam traditores censurâ ecclesiasticâ notarentur, qui Magistratui infideli, aut ejus pręfectis bona ecclesiastica tradidissent aut indicassent. De quo vide, ut compendium facias, *Baronium ad an. 314. 63. & 103. 8.*

III. Quæst. *An Magistratum sive Christianum & Ecclesiæ defensorem, sive extraneum à fide & Ecclesiâ, sed tolerantem Ecclesias, in foro conscientiæ ab omni curâ excludere liceat, aut ipse sponte eandem curam deponere possit? Resp.* de curâ supremâ & directivâ, absolutè *Neg.* Cum enim omnium hominum & bonorum in Republicâ curam communem gerat, ex vi dominii superioritatis & jurisdictionis, non potest talem curam circa collegia & bona collegiorum in Republicâ suâ, nec consequenter circa bona Ecclesiarum deponere, etiamsi velit. Ubi tamen observanda cautela *1. Cor. 6. v. 1-6.* ne Ecclesiæ, aut eorum antecessores nisi in casu necessitatis, negotia & causas circa bona ecclesiastica ad regimen & jurisdictionem Magistratuum à communione ecclesiasticâ alienorum deferant. Quod de curâ hâc directivâ & supremâ dicimus, ad curam particularem in dominio proprietatis & possessione bonorum commendatorum fundatâ, pariter extendi nolumus: ne antiquas Ecclesias in imperio, & sub Regibus Christianis jam inde à Constantino M. usque ad ἀκμὴν Antichristi, & novas ab initio reformationis in plerisque Europæ partibus constitutas temere condemnare videamur.

IV. Quæst. *An convenientius & commodius sit, ut ipsi antecessores Ecclesiæ sub Magistratibus Christianis & Ecclesiæ nutritiis, curâ & administratione bonorum graventur? Resp.* Aliquot conclusionibus nos explicamus. *1. Concl.* Propter inconvenientia, quæ curam illam aliquando, aut sæpe comitantur aut per accidens consequuntur aut olim consecuta sunt; omnes ecclesiastici simpliciter ab omni quorumvis bonorum, aut cujuscunque illorum bonorum portionis curâ particulari & propriâ sive immediatâ magis sive magis mediatâ semper & ubique excludendi non sunt: quasi scil. quæcunque eorum cura esset nefanda ἀλλοτριοεπισκοπὴ juri divino aut naturali repugnans. *2. Concl.* Inconveniens erat ut dictorum episcoporum jam

jam inde à temporibus Constantini & deinceps, magis ac magis dilatata & stabilita potestas ecclesiastica, cum exclusione presbyterorum & diaconorum: sic etiam immediata cura & proxima administratio omnium bonorum in sua diœcesi. Quidquid enim de eo statuerint synodi *Aurelianensis an.* 512. *cap.* 27. *& Aurelian.* 3. *an.* 539. *cap.* 23. & *Aurel.* 4. *cap.* 11. *Agathensis cap.* 36. Moguntina *an.* 868. *cap.* 6. & 55. (Vide hæc & plura in *tomis Concil.* aut in *Summâ Caranzæ*, & in *Bocchelli decretis Ecclesiæ Gallicanæ*): prudentius tamen hunc morem, improbavit *Chrysostomus homil.* 86. *in Matheum*; ubi conqueritur episcopos hoc modo in dispensatores, caupones, procuratores, publicanos, quæstores, transformari; & *Chalcedonense Concilium Can.* 26. statuit, ne Episcopi facultates Ecclesiasticas tractent, sine œconomis; *qui res ecclesiasticas, dispensent, secundum sententiam proprii episcopi.* Hinc factum, ut passim œconomis seu dispensatoribus, quos ex presbyteris aut diaconis, aliisve minoribus clericis eligebant, immediatam illam & particularem curam committerent. De quo *Sozomenus lib.* 8. *c.* 12. *Euagrius lib.* 3. *c.* 32. *& lib.* 4. *c.* 35. Et *Gregor. M.* loco supra cit. 3. *Concl.* Inconveniens esset, si reformati pastores ecclesiarum, quibus sua quæque post introductam reformationem sub Principibus & Magistratibus religionis consortibus & Ecclesię nutritiis, Ecclesia parochialis, aut particularis in pagis aut civitatibus commissa est, particularis curę & administrationi quorumcunque bonorum, quæ Papę, episcopi aliique clerici Papales ecclesiasticis accensere suæque curæ subjicere solent (exceptis ad pastoralem curam & pauperes Ecclesiæ pertinentibus) implicarentur. Sunt autem bona illa præter regalia sacerdotia & beneficia Episcopo-principatuum, omnium Abbatiarum & monasteriorum tum Principum & nobilium, tum vulgarium utriusque sexus, Equitum sacrorum (quos ita vocant), ecclesiarum cathedralium, omniumque aliarum collegiatarum seu capitulorum, scholarum & Academiarum & quorumcunque collegiorum scholasticorum, templorum, publicorum hospitalium, nosocomiorum, leprosorum, orphano-trophiorum, aliarumque piarum domuum. Horum administratio & cura advocatis, patronis, curatoribus suis tum superioribus tum inferioribus relinquitur. 4. *Concl.* Aliter tamen judicandum est de Ecclesiis sive clandestinis, sive sub Principe à religione alieno toleratis: ubi antecessorum cura & administratio, sive immediata sive mediata, ad quascunque bonorum suorum ecclesiasticorum partes in quoscunque usus impendendas se extendit. Aliter etiam judicandum de Ecclesiis protestanticis & reformatis, ubi ordo aliquis episcoporum, aut superintendentium, item collegiorum scholasticorum, adhæc capitulorum aut monasteriorum in collegia theologica conversorum, (e. gr. in ducatu Wirtenbergensi) post introductam reformationem obtinuit,

aut etiamnum obtinet; aut ubi bona monaſtica & capitularia ad ærarium partim paſtorale partim ſcholaſticum redacta ſunt. Illic enim ſuperintendentibus, Abbatibus ſeu præfectis, collegiorum præſidibus, ſcholarum curatoribus eorumque œconomis & quæſtoribus major cura impoſita eſt. 5. *Concl.* De bonis pauperum cujuſque Eccleſiæ conſtat, ab eorum curâ anteceſſores (ubi regimen presbyteriale obtinet) excluſos non eſſe: quamvis propria, particularis, & immediata eorum adminiſtratio diaconis incumbat. De quorum munere vide infra *part.* 2. *lib.* 2. *tract.* 2. & eccleſiarum Belgicarum liturgiam & conſtitutiones eccleſiaſticas. 6. *Concl.* Quod ad bona paſtoralia, ſtrictè ita dicta, uti cura & adminiſtratio eorum in Eccleſiis reformatis variat, ſic & opiniones de curatoribus. Sunt qui putant expedire, ut paſtoribus ab omni pragmatiâ circa paſtorales reditus ſuos plane vacuis & liberatis, per quæſtores ſeu œconomos, aut ædiles, aut toparchas ſeu magiſtratus municipales, aut alios quos advocatos ſeu patronos, aut per presbyteria, aut per præfecturas & cameras rationarias bonorum in diſtrictu, diœceſi, regione, provinciâ, &c. bona ſtipendiis paſtorum, lectorum, cantorum, æditorum, ſeu janitorum deſtinata adminiſtrentur. Rationes ſunt potiſſimum duæ. *Prior* eſt, ne paſtores per agrorum culturam aut locationem, decimarum collectionem, aggerum refectionem, foſſarum ductionem, &c. à ſtudiis & cura Eccleſiæ tum privatâ tum publicâ abducantur. *Poſterior* eſt ne exactione pretii locationis, venditione fructuum, & collectione decimarum, odium ſubditorum incurrant; neve cum infidis colonis debitoribus ſuis jure experiri & ſic illorum odia ac contentiones ſibi cogantur accerſere. Econtra alii putant tutius eſſe, ſi ipſi paſtores quique bona ſua commendata adminiſtrent; nec aliis tradant, aut ab aliis exſpectent, quod per ſe facere poſſunt. Et ſi alicubi uberiores reditus paſtorales ipſorum ſtudia & curam eccleſiaſticam aliquo modo impedirent, ut per uxorem, aut famulum, aut alium quem procuratorem, œconomum, mandatarium, negotia hæc ſæcularia exequantur. Rationes ſunt duæ. *Prior*, quia toparchę, advocati ſeu patroni, quæſtores ſeu œconomi ab aliis conſtituti & dependentes ſæpe, immo plerumque inventi ſunt ſua quæſiviſſe; non pauca eccleſiaſticis reditibus ſubtraxiſſe; bona illa tractaſſe tanquam ſibi commendata, immo tanquam ſibi propria, ne dicam tanquam ſibi in prædam data. Quæ enim *Choquier & Hoſpinianus loc. cit.* aliique theologi alibi (in conſilio ſcil. theologico de bonis eccleſiaſticis) citati, de Principum, nobilium, &c. ſive advocatorum, ſive non advocatorum practicâ conqueruntur, pœne catholica ſunt pleriſque temporibus, locis, ſtatibus hominum applicanda. Nec deſunt paſtores in Belgio, qui cum curam ſuæ commendæ depoſitam in unum aliquem quæſtorem illius diſtrictus tranſtuliſſent, ut lautiori

lautiori & promtius exolvendo ſtipendio fruerentur; poſtea ſæpè conqueſti ſint, quod inſtar mendicorum eleemoſynam petentium ſubinde haberentur, curſitando defatigarentur, exiguas particulas plerumque domum referrent, nonnunquam vacui dimitterentur. *Poſterior* eſt, quia cum reditus paſtorales extra omnem curam anteceſſorum & presbyteriorum in manibus toparcharum, patronorum, ædilium, municipalium Magiſtratuum concluſi ſunt; magnis ſæpe concuſſionibus & periculis libertatem eccleſiaſticam electionum, concionum, judiciorum ac ſuffragiorum, clavium eccleſiaſticarum hâc occaſione exponi contingit. Quid enim familiarius & prius, quam comminatione claudendi ærarii, aut præſenti prohibitione exolvendi ſtipendii fideles miniſtros, presbyteria, Eccleſias tentare, vexare? Experientia nos docuit conſilio & ſuggeſtione miniſtri ſeu officiarii (advocati ſcil. aut ſecretarii) ſupremarum poteſtatum in unâ atque alterâ Belgii provinciâ tales machinas adhibitas atque intentatas, cum res Remonſtranticæ ſtarent. Atque hæ rationes utriuſque partis. Ego quamvis priorem opinionem & praxim ob rationes allatas præferrem, ubi ſupremæ poteſtates tanquam Eccleſiarum nutritii ex theſauro redituum eccleſiaſticorum honeſta ſtipendia paſtoribus, & ſubſidia extraordinaria, neceſſitate ita poſtulante, procurant: nolim tamen diverſę praxi plerorumque in Eccleſiis reformatis paſtorum, eorumque opinioni quidquam præjudicare. Nam cum determinatio τȣ̃ βελτίȣ magnam partem dependeat à particularibus circumſtantiis; illud præferendum eſt, quod minimis incommodis urgetur: quandoquidem in rebus humanis nihil ab omnì parte beatum. Videndum etiam in talibus, non quid quis velit, ſed quid cum pace Eccleſiæ fieri poſſit.

V. Quęſt. *An particulares toparchæ, aut alii quicunque advocati, tutores, patroni, curatores, œconomi,* &c. *Bona paſtoribus, eorumque vicariis, adhęc eccleſiaſticis cantoribus, lectoribus, æditais, aut omnium iſtorum vicariis dicata, & partim ex donationibus partim ex tributis fidelium antehac collecta, tanquam ſibi commendata uſurpare poſſint, & frui beneficio abſque officio, ſub titulo tamen paſtoris, vicarii, æditui, primicerii, præcentoris eccleſiaſtici, ſacerdotis animarum. Reſp.* In foro conſcientię planè injuſtum eſt: juxta legis naturalis & divinę immota axiomata, *Suum cuique tribuendum, Quod tibi fieri velis alteri ſaciendum.* Vide Matth. 7. v. 12. Si enim theologi & Jureconſulti nonnulli ex *Math.* 7. 12. peremtoriè expugnatam putant uſucapionem tanquam in foro conſcientiæ injuſtam (quorum ſententiam in præſenti in medio relinquo); certè non minus talem bonorum eccleſiaſticorum uſurpationem ex iiſdem principiis in eodem foro convictam cenſendum eſt. Ita ut nulla prætenſa voluntas prætoris, nulla hominum conſuetudo,

nulla consilia, arbitria, statuta, jura sive Romana, sive municipalia, sive realia sive imaginaria, sive facta sive ficta, nulla magistratuum permissio, conniventia, concessio, nulla pulvillos axillis consuentis & jus divinum ad facta trahentis atque interpolantis theologi, usurpatorum & abutentium istorum conscientiam coram Deo à peccato, & coram hominibus à scandalo liberare possint: Quamvis nullas leges humanas ex corpore juris, nulla statuta antiqua aut nova Principum & Magistratuum Christianorum, sive in Belgio sive extra illud hactenus producta viderimus; sed tantum mera facta. Quin contra de vicariatuum & pastoralibus bonis contraria decreta produci possent.

VI. Quæst. *An liceat iisdem talia bona commendata, quâcunque ratione usibus suis propriis ac privatis vindicata, aliis maximum pretium offerentibus cum & sub titulo pastorum, vicariorum, æditorum, sacerdotum animarum, &c. vendere, & his rursum aliis in infinitum: donec vel per viam ordinariam, zelum scil. & potestatem Magistratuum, aut per extraordinaria Dei serius aut citius metuenda judicia mensæ illorum venditorum & collybistarum subvertantur? Resp. Neg.* in foro scil. conscientiæ.

Sed excipitur. 1. *Except.* Magistratus ex venditione istorum redituum non minus ac ex venditione aliorum bonorum vectigal infert in ærarium publicum. Hinc ergo colligitur statutum publicum, & autoritas Magistratus pro dictâ usurpatione & venditione; & consequenter salvus conductus pro conscientiâ apud Deum. *Resp. Neg.* salvus conductus ille non magis absolvet conscientias apud Deum, quam vectigalia ex domibus & vino ac cerevisiâ cauponum in ęrarium publicum illata compotores & aleatores, quotidie illic & tempus, & rem familiarem & mentem sanam, ac conscientiam dilapidantes cum suis cauponibus, immunes à peccato constituunt; aut quam salvus conductus an. 1609. libello quo vernaculo promulgatus à *Jesuita Johanne Davide*, curiosos spectatores idolorum ab idololatriâ indirectâ absolvebat.

2. *Except*, Quid si Magistratus ipse aut donaret, aut venderet illas commendas, aut præbendas, aut vicariatus, tanquam census corporales aut vitales (uti vocant,) & quidem cum ac sub illis titulis? *Resp.* à posse ad esse non valet consequentia. Posset vendere, quid si venderet, &c. Ergo bona & reformatâ conscientiâ bonis illis commendatis sub assumto illo ementito titulo (sine officio, sine opere) quilibet uti frui potest. Non sequitur. Quasi quis probaturus jure & quidem in foro conscientię, se pastoralis curæ, aut vicariatus sive pastoralis, sive sacerdotalis, aut orphanotrophei aut diaconiæ, aut nosocomii, aut templi & redituum templi sub & cum assumto cujusque titulo legitimum in foro conscientiæ possessorem esse;

hanc rationem alleget, quod Magiſtratus poſſet aut potuiſſet templum, paſtoralem curam, orphanotropheium, vicariatum ſacerdotalem cum omnibus reditibus confiſcare, aut jure belli in poteſtatem ſuam redigere, aut ſibi & ſuis in privatos uſus ex mero arbitrio, pro plenitudine poteſtatis, conferre, aut in ærarium publicum inferre, & inde in uſus publicos depromere ac vendere. Pari ratione harpax quis domum Hermachi aut Titii tanquam ſuam inhabitaret, aliis venderet aut locaret; obtendendo miſeræ & noxiæ conſcientiæ contra *Matth.* 7. *v.* 12. jura nova, in poteſtate & potentiâ Magiſtratus fundata: quamvis Magiſtratus nunquam actu domum illam fiſco addixiſſet, aut jure belli, aut quâcunque aliâ ratione pro mero arbitrio, privatim ſibi aut ærario publico acquiſiviſſet: non magis quam vicariatuum commendas ſibi aut publico unquam acquiſivit; quarum ne quidem curam & adminiſtrationem habuit aut habet.

Inſtantia, Magiſtratus habet abſolutum & ſupremum dominium in omnes ſubditos, omnia collegia, omnia eorum bona: Ergo poteſt de iis ſtatuere quod vult. *Reſp.* 1. à poteſtate ad factum non valet conſequentia: ideoque actualis quęcunque poſſeſſio & uſurpatio bonorum, tanquam in foro conſcientiæ legitima, in abſoluto dominio immediatè fundari non debet. *Reſp.* 2. antequam in bonis modo memoratis, & pauperum piarumque domuum, aut aliorum civium privatis bonis hoc exequatur Magiſtratus, ſpecimen prius edat in bonis advocatorum & theologorum illorum ſi qui Magiſtratus dominium ſuperioritatis & juriſdictionis in dominium proprietatis transformant, aut cum eo, conjungere, aut confundere fatagunt, ſive ex ἀκρισίᾳ ſive ex affectu. Et videbimus an judicium eorum hactenus ſepultum, ad diſtinctionem & meliorem explicationem excitari poſſit. Sin minus, fiet ipſis ſecundum propriam fidem & conſcientiam: nos contra non ceſſabimus credere, tueri, proteſtari cum Ill. Ordd. Belgii an. 1581. tale arbitrarium dominium Principi non comperere. De caſu neceſſitatis ob bonum publicum & de dominio juriſdictionis infra dicemus.

3. *Except.* Venditio ejuſmodi bonorum, commendarum, præbendarum, redituum ſub & cum tali titulo, fit ex intentione tum donatorum, tum Eccleſiarum, qui & quæ olim contribuerunt, & ex tributis bonâ illa fundârunt. Ita ut ſint illa & ſemper fuerint in libero commercio. *Reſp.* Nunquam, nuſquam factum: niſi fictio, aut imaginatio, aut craſſum mendacium hominum αὐτοκαταϰρίτων, pro reali facto habeatur; & hic valeat illud principium quorundam: *Quidquid clarè & diſtinctè percipio, hoc verum eſt.* Sed excipientibus, hoc eſt, affirmantibus incumbit probatio; quam non tantum hactenus non præſtiterunt, ſed ne quidem conati ſunt.

VII. Quæst. *An tales bonorum aut commendarum venditiones in privatos usus venditorum, in foro conscientiæ justificari possent, si pastoribus pastorales, studiosis theologiæ vicariales, æditui æditales reditus pretio sive mediocri sive summo vendantur; quos primâ quâque occasione, aut absoluto cursu theologico, aut cessante curâ pastorali, aut æditiali, emtores illi aliis cujuscunque sortis & status hominibus sive cum lucro sive cum jacturâ vendere queant? Resp. Neg.* Velum hoc turpi avaritiæ tegendæ quęsitum, eandem coram Deo cordium inspectore turpiorem facit. Siquidem simulata æquitas duplex iniquitas; juxta Augustinum.

VIII. Quæst. *An antecessores Ecclesiarum de talibus abusibus, querelas ad Magistratum deferre possint, absque crimine Læsæ Majestatis, perturbatæ pacis publicæ, seditionis, sacrilegii,* &c. *Resp. Aff.*

IX. Quæst. *An cum opportunum & tutum non est tales querelas deferre; aut illæ delatæ non exaudiuntur, quin immo malum bene positum, quasi per* ἀντιπερίστασιν *magis confirmatur: ministris verbi, omnibus illis tentatis, porro ab omni informatione conscientiarum circa hos abusus cessare liceat, & aliis collegis autores esse, ut Harpocrates agant. Resp. Neg.* Non magis quam ab informatione conscientiarum contra ebrietatem, aleam, choreas, sabbathi profanationes, vanitates in vestibus, palliata & indirecta quælibet furta contrâ 8. præceptum, &c.

Cap. V.

Probatur curam & administrationem bonorum consistere 1. *in custodiâ seu conservatione.* 2. *in dispensatione seu erogatione.*

§. 1. Quod ad custodiam & conservationem, cui opponitur alienatio, illa est vel *superior, universalis, communis*, tum Dei tum Magistratus: quorum ille absolutè, iste suo modo gentis humanæ pater atque custos dici debet: vel *inferior, particularis, propria.* Posterior, de quâ hic agitur, consistit potissimum in his. 1. *Ut* accipiantur, & in ęrarium ecclesiasticum, sive unum, sive dispertitum (templi sc. pastoralis curæ, cum appendicibus vicariatus, æditui, lectoris, cantoris; collegii theologici, aut seminarii & scholæ tum minoris tum majoris; nosocomii, hospitalis, gerontodochii, &c. fideliter inferantur, quæ per donationes spontaneas offeruntur, aut per tributa ex familiis istius Ecclesiæ aut Ecclesiarum combinatarum in unam diœcesim seu correspondentiam, colliguntur. 2. *Ut* fructus & reditus bonorum suo quique tempore exigantur & recipiantur. 3. *Ut* repetantur, siquæ per domesticos Ecclesiæ aut per extra-

neos ſubtracta & alienata ſunt. Et hic curatores, advocati, ephori æque ac omnes privati cives aut ſubditi, tali in caſu, ad ſupremam poteſtatem & jurisdictionem Magiſtratus confugiunt. Neque enim putandum eſt Eccleſias, paſtorales curas, collegia, pias domos, &c. magis prædæ quorumvis raptorum expoſitas, & omni juris proſecutione ac Magiſtratus defenſione debere deſtitutas eſſe, quam privatas quaſque ſubditorum familias. Ne quid hic dicam de piarum cauſarum privilegiis de quibus JCC. & canoniſtæ. Nobis ſufficit ad conſcientias informandas, jus divinum & naturale in immotis illis Principiis (*Neminem lædere, Suum cuique tribuere, Quod tibi fieri nolis alteri non facere*) fundatum.

Conſervationi opponitur alienatio: cujus modi numerantur c. *nulli liceat.* tit. *de rebus eccleſ. alienand.* (qui eſt 13. *lib.* 3. *decretal.*) 1. conditio, res immobilis ſcil. immutata, hoc eſt, quando ſtatus, cauſa, natura prędii immutatur, e. gr. cum quis facit illud tributarium, aut annuâ penſione gravat. 2. donatio. 3. venditio. 4. permutatio. 5. emphytenticus perpetuus contractus, 6. ex d. tit. cap. *ad audientiam*, locatio prædii in perpetuum idque in damnum Eccleſiæ, aut piæ domus, &c. Nos diſtinguimus alienationem in impropriam, & propriam. *Impropria* eſt cum venditur, aut mutatur, aut in perpetuum locatur prædium, vel ex neceſſitate, ſive ordinariâ, ad exolvenda debita; ſive extraordinaria ad redimendos captivos, aut ad alendos pauperes tempore famis, aut ad dirutum aut incenſum templum ædificandum, aut ad vexam hoſtium, aut tyrannorum redimendam; vel ad majorem Eccleſiæ, aut domus piæ utilitatem. Et talis alienatio jure humano ſive eccleſiaſtico ſive civili, prohiberi non debet. Et quamvis Canoniſtæ ad dictum titulum rigidè contra alienationem quamvis videantur diſputare: ibidem tamen cap. *ut ſuper*, concedit Celeſtinus 3. epiſcopo liberam facultatem *poſſeſſiones Eccleſiæ minus utiles pro aliis utilioribus de fratrum ſuorum & ſanioris partis conſilio & aſſenſu alienandi ſeu commutandi.* Adderem venditioni, aut annuæ penſionis impoſitioni, donationem; per quam alienari poſſet prædium ad redimendam apud aggreſſorem Eccleſiarum vexam ſeu immunitatem, aut ad comparandam potentis alicujus advocatiam ac defenſionem; quę aliter haberi non poſſet. *Propria* alienatio fit, vel cum non dantur, ſed retinentur bona, quę ex jure danda aut tribuenda ſunt, ut *Malach.* 3. *v.* 8. 9. 10. cum *Actor.* 5. 3. 4. vel cum nec ex neceſſitate, nec ad majorem Eccleſiæ aut domus piæ utilitatem, à particularibus curatoribus, advocatis, ephoris, œconomis, aut à communibus & ſupremis tutoribus, patronis, protectoribus, conſervatoribus h. e. à Principibus & Magiſtratibus auferuntur & alienantur, aut alienari conceduntur ſive per venditionem, ſive per donationem, ſive per permutatio-

tatio-

tationem, sive per emphyteusim, &c. ad privatam ac propriam suam suorumve utilitatem; & ad Ecclesiarum, pastoralium curarum, templorum, ærarii pauperum, collegiorum theologicorum, domuum piarum, &c. damnum ac depauperationem. Alienatio hæc propriè dicta est vel partialis & temporaria, vel totalis & perpetua. *Illa* est cum commendæ, reditus, fructus, usus bonorum sive mobilium sive immobilium, ad tempus possidentur & percipiuntur ab ipsis tutoribus & protectoribus, aut aliis hominibus otiosis possidendi ac percipiendi conceduntur. *Ista* est, cum prædia, domus, census, pecuniæ, utensilia Ecclesiarum, aut pauperum, aut scholarum, aut collegiorum, aut domuum piarum totaliter & in perpetuum quocumque ex modis supradictis alienantur.

§. 2. *De conservatione & alienatione possunt* istæ quæstiones moveri.

I. Quæst. *An area & structura templorum, aut lapides, ligna, tegulæ, vitra, utensilia e. gr. mensæ, subsellia, calices, candelabra, patinæ, libri, &c. ad hæc hospitalia, aliæque piæ domus per venditionem, aut permutationem alienari possint? Resp.* Pontificii Casuistæ (*Bonacina*, *Azorius*, *Navarrus*, &c.) hic anxiè laborant de prærequisito consensu Papæ, aut Episcoporum, & de debitis solemnitatibus servandis. Insuper distinguunt inter materiam & formam structurarum, templi scil. aut monasterii; ut & inter utensilia & utensilia, eorumque materiam & formam. Fingunt enim talia bona formâ & specie per solemnem consecrationem esse sacra; haut aliter ac tabernaculum, & templum, cum altaribus, vasis, vestibus in veteri Testamento. Nos post habitis & alibi refutatis (infra *tract.* 4.) ejusmodi figmentis dicimus legitimè ad usum Ecclesiarum, pauperum, domuum piarum, omnia illa quocumque modo ex supra memoratis alienari posse, per illos, penes quos eorum potestas & cura est. Argumenta nulla pro hâc determinatione adferam, nisi ex ipsis Canonistis & Casuistis Pontificiis: Quatuor causas assignant, propter quas alienatio bonorum ecclesiasticorum licitè & validè fieri potest; videlicet necessitas urgens, pietas, utilitas evidens Ecclesiæ, & quando prælatus credit subesse legitimam causam. Sic illi apud *Bonacinam tom.* 1. *fol.* 1052. *num.* 1. Confer & *Navarrum in Manuali cap.* 27. §. 149. imprimis & *Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 11. *& ibi remissiones cum decisionibus SS. congr. Bonacina loco cit. num.* 30. cum absurdè determinasset, lampades argenteas & his similia, non posse alienari, ut earum pretium convertatur in fabricam necessariam Ecclesiæ, aut in alium usum: addit, *seclusâ in contrarium consuetudine.* Ergo licet, ubi consuetudo ita fert. Inde elicio, ergo non est illicitum, ubi consuetudo nondum obtinet. Factum enim & consuetudo hominum, non fundant jus in foro poli. Possem & aliud argumentum ad hominem ipsi opponere; Quia licita est per-

mutatio

mutatio beneficiorum ecclesiasticorum : uti hanc negotiationem peculiari libro explicatam dedit: *Joh. à Choquier*, postea factus vicarius Episcopi Leodiensis tit. *De permutationibus beneficiorum* anno 1616. Quidni ergo licita esset alienatio bonorum modo designatorum per permutationem?

II. Quæst. *An agri, domus, decimæ, census annui seu pensiones ex agris aut domibus, ad curas pastorales, aut templorum fabricam, aut orphanotropheia, aut nosocomia, aut monasteria; aut diaconias (quarum analogum* mensæ spiritus sancti *sub Papatu dicuntur), legitimè alienari possint, & sine scrupulo conscientiæ à quovis emi?* *Resp. Aff.* in casu scil. necessitatis aut majoris utilitatis. Sicuti enim bona privatorum à tutoribus ipsorum tali in casu legitimè in foro conscientiæ vendi atque emi possunt, nec non bona publica civitatis, aut collegiorum in illa civitate: sic & bona Ecclesiæ, diaconiæ, nosocomii, &c. Et sicuti emtores frumenti, olei, vini, pomorum, &c. ex agris pastoralibus, nosocomii, orphanotrophei, gerontodochii, diaconiæ, &c. dici non possunt reditus ecclesiasticos, aut eleemosynas pauperum sacrilegè devorare; ut nec locatores domuum aut agrorum, aut decimarum ad pastoralem curam, orphano-tropheium, nosocomium, diaconiam, &c. spectantium, ex mercede pastorum aut ex eleemosynis vivere: sic peculatus, & sacrilegii vel minimam speciem non committunt venditores domuum pastoralium, templorum, aut nosocomiorum, aliarumque piarum domuum, aut prædiorum, domuum, censuum, &c. ad Ecclesias, diaconias, orphanotropheia, nosocomia, aut ad Rempublicam, civitatem, collegium pertinentium; cum ex necessitate, aut ad majorem utilitatem talia legitimè venduntur ab iis, ad quos jure hoc pertinet; & pretium ad usum istius civitatis, collegii, Ecclesiæ, piæ domus; & non ad usum privatum venditoris aut venditorum, impenditur. Quomodo non devorat domos viduarum, aut pupillorum, qui agrum aut domum eorum à tutoribus legitimè venditam, pretio emit, in usum viduæ aut pupillorum convertendo.

III. Quæst. *An remaneat scrupulus quis conscientiæ, aut saltem scandalum detur, si homines reformati, præsertim ministri publicas domus pastorales, aut agros pastorales, aut agros mensæ spiritus sancti, aut nosocomii, aut leprosorum emant? & an aliqui ex nostris ideo difficulter adducantur ad tales domos aut agros emendos?* *Resp. Neg.* Difficultas enim & minor æstimatio illorum bonorum aliunde non oritur, quam ex damno metuendo: si quidem Papatus aliquando rerum potiretur; qui omnia illa bona vendita vindicaret in priorem statum: absque ullâ pretii restitutione emtori & possessori faciendâ.

IV. Quæst. *An Princeps aut Magistratus, ipso jure Magistratus, & ex*

 vi

vi Dominii superioritatis ac jurisdictionis posset omnia bona pastoralium curarum reliquaque Ecclesiarum, pauperum, piarum domuum, diaconiarum, pro arbitrio sibi appropriare, aut aliis vendere, aut donare; atque ita ab ecclesiasticis ad sæculares, à publicis ad privatos (sive suos, sive suorum, sive quorumvis aliorum) usus transferre? Resp. Neg. Nec apud sanos sobriosque hoc pluribus probandum est: qui tenent se esse bonorum suorum legitimos & bonæ fidei possessores, non obstante Principum ac Magistratuum legitimo in corpora & bona subditorum dominio: quo uti debent ad conservationem & defensionem subditorum, non ad destructionem. Et cur hoc templis, communitatibus, collegiis & ministeriis ecclesiasticis, pauperibus & piis domibus minus applicaretur, quam privatis incolis ac civibus. Nisi dicas Ecclesias, pias domos, pastores, pauperes, orphanos non esse in Republicâ, & consequenter vitæ ac bonorum suorum defensione juxtâ cum aliis incolis & advenis non posse frui. Quod ad Principum arbitrarias bonorum Ecclesiis, pauperibus, piis domibus collatorum rapinas ac dilapidationes; nulli eas tuebuntur, nisi obnoxiæ & venales animę: aut animę crassa historiarum, atque unâ elementorum ethicæ, politicæ, theologiæ, naturalisque æquitatis ignorantia sepultæ. Addimus si jure dominii superioritatis hoc Principi competit; etiam bonis Ecclesiarum, domuum piarum, diaconiarum, in mediâ reformatione per reformatos collectis aut donatis eadem arbitraria ejus potestas applicanda est. Quod quin absurdissimum sit, si videre nolunt, qui videre debebunt: saltem metuendum est, ne attendant in posterum, si qui donationibus inter vivos aut mortis causâ curas pastorales. templa, diaconias, orphanotropheia, nosocomia, &c. augere cogitant. Meo consilio si uterentur, non donarent, quæ Princeps, aut Magistratus pro mero arbitrio suo auferre possent; quæque filii & nepotuli Principum, procerum, ditiorum, aut alii quicunque otiosi homines, præcipuè inutilia terræ pondera, luxu, crapula, luxuriâ absumerent.

V. Quæst. *An in ærarium Reipublicæ aut ad fiscum Principis, omnia prædicta bona redigenda sint: & Ecclesiis pastoribus, pauperibus, templis, nosocomiis, orphanotrophæis, diaconiis (quibus propriè donata sunt) à solo Principum & Magistratuum arbitrio necessaria petenda & exspectanda sint? Resp.* 1. Patroni hujus causæ, prius quique sua bona Principibus & Magistratibus offerant, eosque in possessionem eorundem mittant & recipiant; & ab illis petant sibi necessaria: si ad hoc in foro conscientiæ teneri se putant. Ubi aliquamdiu novam hanc methodum & artem œconomicam experti fuerint, nobisque & omnibus aliis familiis, societatibus mercatorum; collegiis tum civicis tum ecclesiasticis, diaconiis, nosocomiis. orphanotropheis, ædilibus, &c. omnia fausta, commoda, βελτίονα, quę experti essent, retulerint:

rint: opportunè deliberabitur, quid facto opus sit. Sed hoc facient ad Kalendas Græcas. *Resp.* 2. In ærarium publicum quævis quorumvis privatorum aut collegiorum, nedum Ecclesiarum, pauperum, piarum domuum bona inferenda non sunt sine justâ causâ; quę ordinariò nulla esse potest (extraordinarium, aut extremum necessitatis casum hic non tango,) nisi onerum & subsidiorum, majorum aut minorum, quæ omnium subditorum bona ferre & conferre debent ad necessarios usus publicos sive in pace sive in bello. Hæc tamen subsidia sive ex bonis privatorum per vectigalia, telonia, tributa, sive ex bonis publicis Ecclesiarum, piarum domuum, pauperum in ærarium collecta, inde distribui non debent, multo minus rapi in usus privatos & œconomicos Magistratuum; nec rapienda relinqui privatis quibusvis prece aut precio commendæ ac fructus eorum, quocumque specioso titulo hoc fiat, occupantibus, & ignavo otio vitam transigentibus. *Resp.* 3. Nullo modo consultum est, ut Ecclesiæ, pastorales curæ, templa, gerontodochia, hospitalia, diaconiæ, orphanotropheia legitimæ suæ & bonæ fidei possessioni renuncient, & omnia bona sua, sine coactione aut necessitate, ærario Reipublicæ cedant; & cum per Dei & piorum hominum beneficentiam ex bonis suis res suas agere, panem suum edere, ac succo suo vivere queant, contemtâ illâ benedictione divinâ & abdicatis ac repudiatis suis bonis, aliunde necessaria mendicent & spe dubiâ exspectent: quasi religionem & regulam quatuor ordinum mendicantium professi essent. Quid si enim Principes & Magistratus fiant infideles, aut hæretici, aut utrisque pejores Epicurei; an bona in bona Principis aut Reipublicæ transformata, aut arbitrariæ dispensationi Principum & Magistratuum commissa restituent, atque inde necessaria Ecclesiis, pastoribus, æditúis, prę-centoribus, ægrotorum consolatoribus, orphanotropheis, nosocomiis, scholis & collegiis studiosorum, pauperibus, &c. suppeditabunt? An mercenarii, aut serviles, usurpationum & abusuum patroni, præstito vadimonio suo, securas reddent Ecclesias? An vero, siquidem cessent aut tardent Principes, tali in casu satis pressas Ecclesias & familias fidelium de novo gravandas censebunt? An audebunt deinceps Ecclesiæ, quid colligere & reponere in futurum; quod scil. Principes & Magistratus jure suo (secundum novam theologiam, Jurisprudentiam, œconomicam) de die in diem in ærarium suum inferri curent? *Resp.* 4. Confiscari nihil potest per potestatem jurisdictionis, nisi justa sit causa. Sed quid Christus, quid Ecclesia Christi, quid sacra ministeria, quid pauperes Ecclesiæ filii & ab Ecclesiâ alendi commiserunt, cur bona ipsis donata & in usus ipsorum collecta, contributa, dicata, fisco adjudicarentur? Quid fiscus sibi vindicabit in alenâ pietate & calamitate? Jureconsultis hęc monstra injustitiæ debellanda

landa relinquo. Mihi ſufficit ex jure divino & naturali (*neminem lædere, ſuum cuique tribuere, quod tibi fieri non vis*, &c. Matth. 7. v. 12.) in foro poli & conſcientiæ ea traduxiſſe. Talia enim detegere, eſt refutare.

VI. Quæſt. *An curatores, patroni, tutores, advocati, conſervatores poſſint ſaltem eorum commendas & fructus poſſidere, nomine & titulo curæ ac protectionis ſuæ?* *Reſp. Neg.* Nam vel ex pio & nobili officio caritatis iis protectionem ſuam addixerunt; vel intercedente feudo, aut quovis alio honeſto ſalario ob advocatiam & curam ipſis promiſſo. *Si illud*, jam nihil illis exſpectandum præter mercedem magnam (*Geneſ. 15. v. 1. Matth. 5. v. 12.*) *Sin iſtud*, contenti debent eſſe remuneratione aut ſalario conſtituto. Quod ſi fructus bonorum, quæ in prædictos uſus impendi debent, intervertunt; non minus peccant, quam tutores, qui pupillorum ſuorum bonis utuntur tanquam ſuis.

VII. Quæſt. *An Epiſcopi, paſtores, eorumque vicarii, æditui, &c. poſſint bona ſibi ob curam & officium commendata, vel ex parte vel in totum quocumque modo alienare?* *Reſp. Neg.* quia non ſunt allodialia, nec patrimonialia, nec privata ipſorum bona; ſed non obſtante ſimplici commendâ temporaria (in cuſtodiam ſcil. & in titulum) manent nihilominus publica, eccleſiæ uſibus & miniſteriis dicata, collata.

VIII. Quæſt. *An vitioſa ſit alienatio, ſi bona aliqua à domibus piis, Eccleſiis, miniſteriis, in civitate, aut provinciâ, aut regno contentis, ad alias domos, aut Eccleſias, aut alia miniſteria ibidem transferantur?* *Reſp. Neg.* ſi analogia & parilis uſus, quantum fieri poteſt, ſpectetur; & indigentia iſtorum, atque abundantia illorum hoc ſuadeat: idque conſenſu & nutu eorum, penes quos poteſtas eſt. Et hoc in foro conſcientiæ licitum, immo aliquando neceſſarium eſſe, ſuadet communio ſanctorum. Ita ut operoſę & nimis carnaliter ſubtiles illæ diſceptationes de bonis Benedictinorum in Germaniâ à Proteſtantibus tot annis jam inde à *conventione Paßavienſi* anno 1555. poſſeſſæ, ſed armis Ferdinandi II. iiſdem ereptæ, hic finem habere deberent: ſiquidem Papæ & Imperatoris autoritas apud ipſos valeret; per quam illa bona Jeſuitis donata erant. Videri poſſunt ab illis, quibus vacat, adverſa ſcripta; *Pauli ſcil. Laymanni Jeſuitæ*, contra tres adverſarios, juſtam defenſionem anno 1631. Et oppoſitum Laymanno ſcriptum *Gaſparis Schioppii pro Benedictinis tit. Aſtrologia eccleſiaſtica* & additum *Aſtrum inexſtinctum* anno 1634. idemque denuò evulgatum per *Romanum Hay Benedictinum*: quem utrumque excepit *Joannes Cruſius* Jeſuita; approbantibus theologis, Canoniſtis, Jureconſultis in Acad. Duacenâ tit. *Aſtri inexſtincti eclipſis ſeu deliquium* anno 1639. In libris illis, dum utraque pars litigantium pro Mammonâ ſeu Pluto omnes ingenii nervos intendunt, multa

multa occurrunt, quæ aut per se non malè dicta, aut saltem ad hominem causæ reformationis alicubi inservire possunt.

IX. Quæst. *An illi, quorum custodiæ, conservationi, præfecturæ bona commissa sunt; ea petentibus & injustè ablaturis atque alienaturis tradere debeant? Resp.* determinamus istis conclusionibus. 1. *Concl.* privatus si petat à conservatore aut advocato, jurisdictione cum imperio, seu potestate coactivâ instructo, ei non sunt tradenda: sed talis petitor, si vim faciat, repellendus ac coercendus; non minus, quam alii quicunque aggressores & prędones. 2. *Concl.* Princeps aut Magistratus si injustè petat, & quidem armatâ manu, à protectore publica potestate sive superiori sive collaterali munito; secundum jus divinum & naturale injusta petitio & vis intentata, repellenda est. 3. *Concl.* Princeps superior, si à Principibus aut Magistratibus inferioribus, Ecclesiarum suarum in districtu, territorio, civitate protectoribus, eadem petat, adhibitâ armorum violentiâ: utique ipsis facere licebit, quod in aliis quibuscunque justis causis, pro quibus bellum defensivum contra superiorem suscipitur, fieri potest ac solet. Cum enim principatus est pactionatus non absolutus, resistentia illa fit secundum pacta & conventiones. Addi posset, quod jure divino & naturali, etiam dictis subalternis seu inferioribus Magistratibus competat jus gladii, & ejusdem in casu necessariæ defensionis, usus contra superiorem. Ab eo enim, qui jus gladii habet, gladius frustra non geritur, sed ad subditorum defensionem. *Rom.* 13. Hæc à nobis in thesi non dicuntur, nec in hypothesi respectu harum aut illarum politiarum, ubi aliqua inter Reges seu Principes & inter Magistratus hoc nostro & præcedenti sæculo orta est controversia: sed tantum ut cum reformatis theologis & politicis contra theologos Pontificios ostenderemus, ad causam belli Belgici contra Regem Hispaniarum, & Germanici contra Ferdinandum II. ab anno 1633. defendendam, pacta, conditiones, leges fundamentales principatus, jure merito, obtensa fuisse. Quomodo *Philippi Paræi* pietas, innocentiam *patris sui Davidis Parei in comment. ad Rom.* 13. peculiari tractatu rectè, solidè, prudenter, defendit. Sed de his nos alibi in 2. *part. select. disp. tit. de sede Romanâ incompatibili cum politiis reformatis; & tit. de Papæ potestate temporali.* Tantum hic notandum, Electori Saxoniæ & confœderatis Principibus 1633. specialem tunc occasionem belli defensivi contra Ferdinandum II. suscipiendi datam fuisse per repetitionem bonorum Ecclesiasticorum, quæ in *pace Passaviensi* anno 1555. protestantibus adjudicata erant, ut ea scil. secundum suam, in religione, conscientiam in usus pios & sacros impenderent. 4. *Concl.* Privatus à privato bonorum præfecto & curatore, aut collegio clericorum, aut pastore, ędili, diacono, œconomo, &c. si petat, &

quidem vi intentatâ, aut rapacem manum in ea injiciat: eo in casu aut tutelâ Magistratus; aut dum & quamdiu illa pręsto non est, moderamine inculpatæ tutelę ut licet: haut aliter ac à privatis quibusque in se suisque defendendis fieri solet ac potest. 4. *Concl.* Si Magistratus, aut alii ipsorum nomine petant ab illis, qui potestate publicâ & coactivâ armati non sunt: sponte, nedum promtè prodenda, aut tradenda non sunt. Si vim intentent, resistendum non est, resistentiâ scil. positivâ, juxta *Rom.* 13. *v.* 2. coll. cum *Matth.* 26. *v.* 52. Et huc facit *Ambrosii* exemplum, laudatum *Calvino lib.* 4. *Institut. cap.* 11 §. 8. & 15. cujus verba ex homil. de basilicis non tradendis ibid. §. 15. citantur: *Volens*, inquit. *locum mihi commissum* (templum intelligit) *non deseram: coactus repugnare non novi; arma enim nostra preces sunt & lachrymæ.* Quod ad resistentiam negativam, quâ scil. quis Magistratui imperanti bona suæ curæ commissa indicare aut tradere recusat, non sine periculo suo; laudatur ea communiter in Laurentio diacono Romano: nec ego eam ausim improbare. Quid quod exemplum Nabothi negantis Regi Achabo privatam suam possessionem pretio aut agro æqui valente vendere aut permutare, non improbatur: sed factum Regis illius jus regium (revera tyrannicum) in possessiones subditorum usurpantis. Quod tangimus in 4. *part. select. disp. tit. de Jure Regio Hebræorum.* Casus tamen talis incidere posset, ut avertendæ persecutionis ergo, aut obtinendæ libertatis sive conscientiæ, sive exercitii, præstaret Magistratui & potenti legitimè aut illegitimè tunc obtinenti, & indicium ac traditionem bonorum imperanti, eadem tradere, quæ novit aut nosse posset ab Ecclesiâ possideri; quam frustra tergiversari ac contendere. Hoc enim nihil aliud esset, quam minus malum triste pati atque admittere, ut majus avertamus. Et non potest non laudari pietas ac prudentia tum ministrorum tum Ecclesiarum in aliquo districtu occupati Palatinatus, quem præsidiis suis insederant pręfecti Leopoldici; qui cum reditus bonorum pastoralium harpyis illis cederent annis aliquot, per conniventiam illorum, ubique per Palatinatum fugato religionis Reformatæ exercitio, gavisi sunt. Si enim ministros reformatos de facto expulissent, in Ecclesias & bona pastoralia successissent sacrificuli; nec ulli militares præfecti caput unctius inde amplius retulissent. Hæc scil. heroum istorum Papisticæ religioni addictorum prudentia mammonica.

§. 3. Atque hactenus de bonorum custodiâ & conservatione: *sequitur eorundem dispensatio & erogatio.* Vulgatum est illud de quatuor partibus in quas olim distributa, episcoporum scil. fabricæ templi, minorum clericorum, pauperum. Ad has omnes expensę ordinariò sustinendæ referri possunt. Nos distinctius ita proponimus. Expensæ sunt vel ordinariæ seu perpetuæ, vel

vel extraordinariæ ſeu occaſionatæ. *Illæ* fiunt I. *In* ſtipendia paſtorum, & viduarum paſtoralium; adhęc præcentorum, conſolatorum, catechiſtarum, æedituorum, theologiæ & miniſterii candidatorum, Doctorum & Magiſtrorum in collegiis & ſcholis cum appendicibus bibliothecarum, ædificiorum, &c. Hic in tranſitu notamus cum *Mireo in notit. Eccleſiar. Belgic. cap.* 26. & *Hoſpiniano*, *Cythræo*, *Melanthone*, *Bucero ſupra cit.* in domibus antiquorum epiſcoporum, & in Eccleſiis cathedralibus, nec non monaſteriis, præſertim Benedictinis, celebres olim fuiſſe ſcholas ſeu gymnaſia. De ſtipendiis Doctorum & Miniſtrorum ſacrorum, pluribus agendum erit *tract. ſequ.* II. *In* fabricam templorum, cum appendicibus. III. *In* ſubſidia converſorum ad religionem ex infidelitate, aut hæreſi; quos ſæpe propter receptam religionem à ſuis deſeri, aut patrimoniis, muneribus, ſtipendiis, negotiationibus privari, aut turpes artes, quibus antehac quæſtum faciebant, deſerere contingit. Hoc innuunt diplomata quarundam donationum, ut Ludovici apud *Hedam p.* 45. *Qualiter præſul ipſius Eccleſiæ*, &c. *Gentiles, qui ad Chriſtianitatem convertuntur, alere & docere poſſit. Cyprianus epiſt.* 61. ad Euchratium de hiſtrione hiſtrioniam non quidem in theatro exercente ſed alios adhuc docente ad communionem non recipiendo ſcribens, hanc prolepſin ſubjungit. „ Quod ſi penuriam talis „ & neceſſitatem paupertatis obtendit: poteſt inter cæteros, qui alimen„ tis Eccleſiæ ſuſtinentur, hujus quoque neceſſitas adjuvari; ſi tamen con„ tentus ſit frugalioribus, ſed innocentibus cibis. Nec putet ſalario ſe eſſe „ redimendum, ut à peccatis ceſſet, quando hoc non nobis, ſed ſibi præ„ ſtet; cæterum quantum vult inde quærat. *Paulo poſt*; Quod ſi illic Ec„ cleſia non ſufficit, ut laborantibus præſtet alimenta, poterit ſe ad nos „ transferre, & hic quod ſibi ad victum & veſtitum neceſſarium fuerit, „ accipere. Et huc reducitur πρόσκαιρος beneficii eccleſiaſtici fruitio, quam Calvinus, & ſynodus Gallica indulgent clericis Papalibus reformationem amplectentibus. De quibus in noſtro conſilio theologico. IV. *In* ſuſtentationem viduarum, pupillorum, captivorum, exulum, naufragantium, ſenum, ad metalla damnatorum, in inſulas deportatorum; infirmorum aliorumque pauperum. V. *In* exolutionem tributorum, quæ ad Reipubl. adminiſtrationem & defenſionem neceſſaria exiguntur. VI. *In* honoraria & ſtipendia advocatorum, protectorum, œconomorum, cum appendicibus. Huc pertinent feuda eccleſiaſtica, de quorum origine & conditionibus *Nicol. le Maiſtre part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 8. Feudorum illorum exſertè meminerunt nonnullæ donationes. Vide *Miræi notitiam Eccleſ. Belgicar. p.* 102. VII. *In* viſitationes eccleſiarum, ſynodos & conventus, miſſiones, petitiones, &c. Huc pertinebant procurationes, & circati, Epiſcoporum cathe-

thedratica, ſynodatica & obventiones ex conſecratione templorum, perſonarum, ordinatione presbyterorum, &c. Quę apud nos una cum epiſcopatu deſierunt. De his *Nicol. le Maiſtre part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1-6. VIII. *In mutuum gratuitum*: ne fratres tenuioris fortunę à Daniſtis & fœneratoribus exedantur. Confer *part.* 4. *ſelect. diſp. tit. de Uſuris. Extraordinariæ* expenſę fiunt vel domi vel foris. *Priores* in bellorum, famis, captivitatis, inundationis, incendii neceſſitates, in redemtionem vexæ & Pacis, in tyrannorum placationem *Le Maiſtre part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 17. *& part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. Huc in Papatu pertinebant caritativa ſubſidia epiſcoporum: quorum 14. à Canoniſtis enumerantur caſus. De quibus caſibus neceſſitatis ex Canoniſtis. *Nicol. le Maiſtre part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *Poſteriores* in plantationes Eccleſiarum inter infideles aut hæreticos; in receptionem peregrinorum & exulum; in ſubſidia exteris eccleſiis mittenda, quæ ſtipendiis miniſtrorum exolvendis, alendis, pauperibus ſuis, aliiſque oneribus non ſufficiunt.

§.4. Quæſtiones circa diſpenſationem bonorum ſunt iſtæ.

I. Quæſt. *An omnia bona eccleſiaſtica debeant eſſe exemta ab oneribus & ſubſidiis, quæ quique pro ratâ ex bonis ſuis Reipublicæ debent. Reſp.* pro *Aff.* diſputant Pontificii apud *Bellarminum lib.* 1. *de Clericis cap.* 28. 29. 30. Cum quo conferri poſſunt Canoniſtæ ad titulos & textus ibid. citatos. Nos *Neg. Ratio*, 1. ex *Rom.* 13. *v.* 1. cum 6. Sunt enim eccleſiaſtici in Republicâ tanquam ſubditi, membra, partes ejus. 2. *Ratio*: quia ipſi cum bonis ſuis defenduntur à Republicâ & Magiſtratibus, æque ac alii ſubditi. Ergo onera ferre, & ſubſidia ad defenſionem neceſſaria conferre debent. 3. *Ratio*, ab abſurdo conſequenti: quia, cum bona talia ſufficiunt, immo abundant ad eccleſiaſtica onera ſuſtinenda, dicimus exemtionem talem, quâ alii ſubditi nimis gravantur, repugnare juſtitiæ & æquitati naturali, explicatę 2 *Cor.* 8. *v.* 13. 14. *Non enim dico, ut aliis ſit relaxatio, vobis afflictio: ſed ut pari conditione, quod vobis ſupereſt,*&c. *ut fiat æqualitas.* 4. *Ratio*, quia in ſubſidia municipalia & ruſtica, ad aggeres extruendos, vias complanandas, foſſas ducendas, ęque contribuunt agri eccleſiaſtici, ac omnes alii. Ergo. 5. *Ratio*, quæ eſt ad hominem, quia ſubſidia ab eccleſiaſticis in Galliâ, Hiſpaniâ & alibi Regibus ſuis juſtè aut injuſtè (de quo peremtorium judicium ipſis non relinquitur) bella gerentibus ſuppeditari ſolent: teſte noſtri temporis hiſtoriâ, & *Nicolao le Maiſtre theologo Sorbonico part.* 2. *illuſtrationis ſacri patrimonii lib.* 2. *cap.* 3. Quem confer *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 3. ubi de agris tributalibus.

II. Quæſt. *An Magiſtratus in foro conſcientiæ & conformiter juramento ſuo ærarium publicum in privatos ſuos uſus impendere; aut inde pro arbitrio filiis, amicis, neceſſariis ſuis depromere, aut otioſis aliquot hominibus nec pauperibus nec in munere publico conſtitutis diripiendum exponere queant?*

Reſp.

Resp. Neg. Sed hoc Jureconsultis de crimine peculatus agentibus explicandum relinquimus.

III. Quæst. *An meretrices, pyratæ, fœneratores, histriones, lenones; ad veritatem & pietatem conversi, sub titulo & specie illarum artium illicitarum permanere; aut alii, qui artes illas nunquam exercuerunt, tales titulos, tales species, talia simulacra, affectare, aut talibus larvis lucri causâ, se induere possint, ut sub iis in bonorum ab infamibus illis partorum ac possessorum, commendam ac χρῆσιν succedant? Resp. Neg.* Quis enim ab opere & exercitio fœneratoris, pyratæ, meretricis, lenonis, histrionis alienus, lucri causâ, infamibus titulis designari, quis aut quæ honestè in lupanar & societatem meretricum & lenonum, quis in navem & societatem pyraticam vel umbraticè immatriculari vellet, ut portione, aut præbenda, aut pensione aliquâ ex bonis per pyraticam aut lenoniam partis, frueretur?

CAP. VI.

De usu & abusu bonorum. 1. præmissis præcognitis. 2. quæstiones aliquot proponuntur. 3. τὰ κρύπτα τῆς αἰσχύνης deteguntur & removentur.

VOx *usus* uti vox *causæ*, notare potest vel usum potentiâ, vel usum actu. *Usus potentiâ* philosophis aliquando strictè notat, finem rei minus principalem atque accessorium, à fine proprio ac principali, qui communiter generali voce *finis* significatur, distinctum: aliquando laxè quemcunque finem tum operis tum operantis. *Usus actu*, est ipsa rei tanquam medii & instrumenti applicatio atque adhibitio, ad aliquid producendum, aut impediendum: ut cum e. gr. aliquis numeratâ pecuniâ quid emit; aut sumto & adhibito calamo, actum scribendi exercet, aut gladio stricto ferit, ut hostem aggressorem arceat. Hic est actualis usus pecuniæ, calami, gladii. Sed quamdiu in arcâ domi servatur pecunia, est & dicitur nihilominus χρῆμα à χρᾶσθαι utendo, ejusque usus est potentialis, quia ex hominum instituto apta nata est ad utendum. Porro acceptiones vocis *usus* apud Jureconsultos, & distinctiones ab *usufructu*, hic non spectamus; sed potius philosophorum, ut & medicorum apud quos celebris est in contemplatione corporis humani appellatio *usus partium.* §. 1.

Distingui autem potest ut finis, sic & usus, cujusque rei, in eum qui est φύσει; & in eum qui est θέσει, seu ex instituto sive divino sive humano. Quod ad bona Ecclesiæ, aut diaconiæ, aut piæ domui, aut ærario Reipublicæ, aut collegio alicui civili in Republicâ, aut scholæ, aut peculiari

 cathe-

cathedrę in scholâ sive per spontaneam oblationem & liberalem donationem, sive per tributum aliquod justitiæ ex conventione collata, ea proprium quæque usum habent ex instituto & jure divino, secundum quod suum cuique tribuendum; & quo τὸ suum seu proprium legitimis modis transferendi & acquirendi rei alicujus dominium ac proprietatem, definitur. Eadem bona proprium suum usum habent ex instituto, voluntate, intentione, dispositione, applicatione & designatione particulari sive donatorum, sive contribuentium & colligentium. Quomodo conjugium, & ordo politicus fundantur in instituto divino: hoc verò conjugium Titii cum Semproniâ particulariter & proximè in mutuo utriusque consensu. Sic forma regiminis hic & nunc, consulatus, &c. & hujus consulatus applicatio ad personam Titii aut Mævii, fundatur in voluntate & designatione ejus aut eorum, penes quos potestas & jus est talem formam regiminis, aut hunc consulatum constituendi & huic personæ applicandi. Quod idem dicendum est de possessione, & usu hujus domus, aut vestis, &c. Dico illa directè, particulariter, & proximè derivari ex legitimâ emtione, quâ Titius sibi illam domum, aut vestem acquisivit: Consequenter secundum jus divinum & naturale, eam & κτήσει & χρήσει esse Titii, non alterius. Ita ut ineptum esset si raptor aut usurpans diceret Titio, profer aliquem scripturæ textum, ubi Deus aut tibi soli istius vestis usum in foro conscientiæ concesserit, aut mihi prohibuerit. Pariter dicere possent liberi parentibus, subditi Magistratibus hoc vel illud mandantibus, nullo scripturæ textu tali rei mandatæ exequendæ potius quam alteri sese astringi.

His præmissis, distinguimus usum bonorum Ecclesiis, scholis, pauperibus, nosocomiis, aliisque piis domibus collatorum in eundem formâ & specie specialissima, à collatoribus & fundatoribus præfixâ; & in homogeneum seu ejusdem generis, aut saltem analogum, similem, parilem. Prior usus rursum est, vel idem quod ad speciem seu substantiam tantum: vel etiam idem quod ad omnes conditiones & circumstantias. *Illius* usus exemplum est, cum eleemosynæ hebdomadatim, aut quotannis distribuuntur, quamvis non tot definitis portionibus inter tot pauperes, aut non die designato, juxta voluntatem fundatoris. *Istius* exemplum est, cum donatoris voluntas in designatione loci, ubi palam statutis diebus, eleemosynæ distribuendæ, accuratè servatur. Quod in hâc luce reformationis etiam apud nos fieri videmus in templis Nicolai, Jacobi, &c. Quomodo hoc conveniat cum *Math. 6. v.* 3. 4. prudentibus expendendum relinquo. Sunt & alia apud nos designata tempora, quę incidunt in anniversarium (uti Papatus loquitur) defunctorum donatorum, aut in diem aliquem patronis eorundem donatorum sacrum: quibus eleemosynæ, donaria, recrea-

recreationes erogantur. Hæ Papales circumſtantiæ à nonnullis accuratè ſervantur; juxta formam ſcil. donationis eleemoſynas & preces pro animabus ſtipulantem; qui tamen totam ſubſtantiam immo & totum genus atque omnem analogiam aliarum piarum, ſacrarum, & eccleſiaſticarum donationum tollunt, quod ſcil. non ſine ſuperſtitione factæ ſint. Quaſi vero hæc cura quietos ſollicitaret. En teneritudinem talium conſcientiarum. *Poſterior* uſus rurſum duplex eſt: *Unus* cum manetur in eodem genere univoco e. gr. cum donatio vel fundatio deſignat, hanc ſpeciem pauperum, ut leproſorum; & à tutoribus ac curatoribus reditus illi non ſine urgente ratione applicantur uſibus peſte laborantium, aut univerſalis alicujus noſocomii. Aut cum reditus in ſpecie fundati ad fabricam templi, ex parte applicantur ad ſtipendia paſtoris, æditui, ludimagiſtri; & viceversâ. *Alter*, cum manetur in genere analogico, & uſus, occaſione ita poſtulante, ſervatur parilis, e. gr. cum reditus donati pauperibus hujus Eccleſiæ, aut hujus civitatis, à curatoribus ac tutoribus ex parte, neceſſitate ita poſtulante, in uſus pauperum vicinæ Eccleſiæ, aut exulum expenduntur: Aut cum reditus olim donati monaſterio & clericis regularibus, applicantur ad ſuſtentationem paſtorum, ſtudioſorum, profeſſorum, præceptorum, aut ad apertionem ſcholarum; aut ad erectionem noſocomii, orphanotrophei, gerontodochii, hoſpitalis.

Uſus legitimus bonorum quæ Eccleſiis, ſcholis, orphanotropheis, noſocomiis, leproſis, peſte laborantibus, Xenodochiis, &c. donata ſunt, cum eorundem legitimâ diſpenſatione (de quâ ſupra *cap. præced.* egimus) coincidit. Non eſt ergo, quod hic repetam. Uſui opponitur bonorum iſtorum abuſus, qui multiplex eſſe poteſt, tum ratione erogantis, tum ratione accipientis. §.2.

1. *Quando* ſc. nimium erogatur, & vitium largitionis profuſæ aut prodigalitatis incurritur. Hiſtoriæ Paparum, Cardinalium, Epiſcoporum, aliorumque minorum clericorum infinita exempla ſuppeditant. Mitto, quantum ex bonis eccleſiaſticis ad meliores uſus magnam partem olim fundatis, in ſuos profuderint, Leo X. Urbanus VIII. Innocentius X. & qui hodie τυραννεύει Alexander VII. Tantum referam mendicabuli illius Franſciſcani Sixti V. prodigalem vocem, quâ Dominico Fontanæ architecto ad obeliſcum Vaticanum transferendum atque erigendum difficili ob immenſas, quas prævidebat, expenſas, animum addebat: *Ne tibi curæ ſit ſumtuum magnitudo: ſi unus milio non ſufficiat aureorum, addantur duo, aut quot eorum opus fuerint; dummodo quod imperamus, executioni mandetur* Ita refert Jeſuita *Kircherus tom.* 3. *Oedipi Ægyptiaci ſyntagm.* 2. *p.* 372. Huic addo exemplum luxus epiſcopalis ex *Franciſci Goodwini commentario*

de Præsulibus Angliæ, ubi de Episcopi Eboracensis Guil. Nevillii a. 1466. inthronizati convivio sic scribit pag. 65.

Obsonia ad convivium hoc præparata.

Tritici quartaria 300. *Habet autem quarterium pondus circiter quingentarum librarum.*	
Cerevisiæ tonnæ	330
Vel dolia	1200
Vini tonnæ 104. *Doliæ*	416
Vini aromatici Pipa Dolia	2
Boves saginati	80
Tauri silvestres	6
Verueces	1004
Porci	300
Vituli	300
Anseres	3000
Capi	3200
Porcelli	300
Pavones	100
Cerui } *plusquam*	
Damæ }	400
Capreoli } Roes.	
Artocreæ ex ferina calentes	1506
Quæ refriguerant	4000
Dishes of Gelly (coaguli) *parted*	4000
Dishes of Gelly plaine	4000

Grues	200
Hœdi	200
Pulli gallinacei	2000
Columbæ	4000
Cuniculi	4000
Butiones 204. Bittours.	
Anates.	4000
Ardeolæ 400. Hernsewes.	
Fasiani	200
Perdices	500
Gallinagines 4000. woodcoks.	
Upupæ 400. Plovers.	
Curlini 100. Curlewes.	
Coturnices	100
Asteriades 1000. Egrets.	
Rees 200. Quid sit non conjicio.	
Streblitæ 400. Tarts.	
Artolagani qui refriguerant Custards.	4000.
Calentes	2000
Lupi fluviatiles	300
Praseni 300. Breames.	
Vituli marini	8
Phocenæ	4

Ibidem recensentur *ministri & officiari munera sua obeuntes in hoc convivio* pag. 66.

Comes Warwicensis Seneschallus Archiepiscopi.
Comes Bedfordiensis Thesaurarius.
Hastingus Baro Censor sive Contrarotulator.
Willoughbæus Baro Dapiser.
Joannes Baro Buckinghamius Pincerna.
Richardus Strangewayes eques auratus Prægustator.

Walte-

Walterus Morley eques auratus Aula Martialis cum aliis octo equitibus auratis eodem munere perſunctis, præter Armigeros & ſervientes.
Serviens ad Peluem Regi, hic etiàm à pelui.
Joannes Grayſtocke, & Joannes Nevil argenti cælati cuſtodes.
Joannes Braynocke Supraviſor Aulæ.

Conclavium, Menſarum, ferculorum, convivarum numerum ac qualitates, volens omitto.

Magnatum, famuli duabus vicibus in ſolario excepti erant	400
In aulâ nobiles & plebei	412
In aliis locis	
Officiarii & famuli	2000
Coqui	62
Lixæ & Coquinæ miniſtri.	515

II. *Quando* minus erogatur in neceſſitates Eccleſiarum, miniſtrorum, pauperum, exulum, ſcholarum, &c. Et in vitium contrarium avaritiæ declinatur: cui prætexitur ſubinde parſimonia, & ſtudium augendi peculii Eccleſiarum, ſcholarum, pauperum, noſocomiorum, templorum, &c.

III. *Quando*, ab Eccleſiis, pauperibus, miniſtris, collegiis, ſcholis, nimium petitur; ad abundantiam ſcil., luxum, ἀσωτίαν, ſplendorem, magnificentiam. Quod repugnat τῇ αὐταρκείᾳ fidelibus commendatâ 1. *Tim.* 6. *v.* 6.-11. Quo vitio non tantum laborârunt clerici Papales, poſtquam Venenum Antichriſti in eccleſiam infuſum jam pervaderet, tantum non exſtingueret, Chriſtianiſmum; ſed etiam clerici qui ante ἀκμὴν & victoriam Papatus prudentes imprudentes viam illi munierunt. Qui dum avidè & avarè petebant, & donatores magnificè largirentur, factum eſt, ut *religio pareret divitias & filia devoraret matrem.* Videantur hiſtoriæ donationum à ſæculo quarto uſque ad decimum, apud hiſtoricos Eccleſiarum, epiſcopatuum, ordinum monaſticorum & monaſteriorum, capitulorum; & apud *Miræum* in peculiaribus libris faſtorum, donationum, notitiarum, diplomatum, Belgii; adhæc apud *Joh. de Choquier de libertate eccleſiaſticâ*; denique apud *Gretſerum de Regum ac Principum liberalitate* erga Romanos Pontifices. Reformatione introductâ, quamvis in oppoſitam partem ferè ubique peccatum ſit: potuit tamen fieri, ut alicubi nimium petendo, corradendo, largiendo, reformationis priorem caritatem & faciem haut parum in proximis ſucceſſoribus mutârint.

IV. *Quando* erogantur non tantum in cognatos clientes, neceſſarios, aut in equos, canes, Sybariticas delitias, crapulam, aleam, ſcorta, motiones, paraſitos, ludos, comœdias, aliaſque aulicas vanitates; ſed etiam in bella, expeditiones, ſeditiones. De quo vide *Illyrici catalogum teſtium*

Plessei Mysterium iniquitatis, aliaque scripta de Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus, sacerdotibus, canonicis, monachis, infra *part.* 2. *lib.* 4 indicanda. Ultrajectina hęc Provincia experta est quomodo episcopi non tantum per pompas, luxus, bella, sed etiam per largitiones, quibus suos ditabant, Martini tunicam (uti dicterio hoc ferebatur) discinderent ac decurtarent.

V. *Quando* impenduntur in illos qui pauperes non alunt, sed aut faciunt aut opprimunt; qui animas non curant sed perdunt; Ecclesias non ædificant, sed destruunt tum doctrinâ tum vitâ. Ob illum abusum, reformati clericis Papalibus crimen furti (in foro scil. poli) attribuunt; in notis biblior. Belgicor. ad *Apocal.* 9. *v.* 21. Quamvis illi volente prætore, seu volente Ecclesiâ Papisticâ & Magistratu justè in foro soli antehac possederint, & etiamnum possideant, non tantum in Hispaniâ, Italiâ, Galliâ aliisque politiis Papisticis: sed etiam in politiis aut sub Principibus Protestantibus & reformatis, e. gr. in Principatu Arausoniensi, in Ducatu Cliviensi, in Comitatu Marcano, in Republ. Dantiscanâ, in dominiis Rhæticis, in agro Bredano & Bergensi ad Zomam usque ad annum 1648. in civitate Trajectensi ad Mosam, usque in hunc diem.

VI. *Quando* à privatis clam subtrahuntur, & in proprios usus convertuntur.

VII. *Quando* palam prætextu successionis in titulos, beneficia, collegia prædecessorum Papalium, absque ullo tamen reali onere, opere, labore, officio in Ecclesiâ Papali aut Reformatâ, bonorum ecclesiasticorum sive pastoralium, sive sacerdotalium, sive vicarialium, sive quorumque clericorum regularium, irregularium, sæcularium commendæ prece, pretio, turno acquiruntur.

VIII. *Huc* pertinet cacoëthes patronorum, tutorum, Principum, qui sine justâ causâ, ex contemtu sacrorum, pauperum, piarum causarum, aut ex merâ πλεονεξίᾳ, aulis, mensis, rei familiari suæ bona illa unquam applicârunt; aut cognatis, famulis, parasitis suis nec pauperibus, nec ecclesiasticis, nec scholasticis, immo nec munerariis politicis, ea largiuntur tanquam libera beneficia: & at tanquam titularia stipendia; absque ullo debito, conveniente, homogeneo, aut saltem analogo labore & officio. Labyrinthus hic conscientiarum, ex quæstionum determinatione magis patebit. Principes & Magistratus culpandi non sunt, quibus propter pacta aut alia impedimenta potestas aut potentia non adest à male feriatorum usurpatione & abusu ea vindicandi, & ad debitos usus applicandi.

§. 3. Subjicimus nunc quæstiones: inter quas generalissima est, *An bona intuitu piæ causæ sive per tributa fidelium collecta, sive per spontaneas oblationes ac dona-*

donationes fundata in nullos alios usus, quam illos ipsos in quos fundata sunt, aut illis proximos ac maximè analogos, impendi possint? Resp. Præmittimus distinctiones. 1. Inter bona pauperum, nosocomiorum, hospitalium, templorum, pastorum, studiosorum, scholarum, collegiorum, prælatorum, monasteriorum, regalium sacerdotiorum, militum seu equitum sacrorum, uti vocant. 2. Inter bona ad omnes pios usus sufficientia; & inter plus quam abundantia. 3. Inter bona cum exsertâ hujus aut illius usus proximi aut analogici exclusione fundata; & inter bona absque tali exclusione fundata. His præmissis, sequentibus conclusionibus determinamus. 1. *Concl.* Negamus bona ecclesiastica aut intuitu piæ causæ fundata, nunquam ullo in casu in usus sæculares, publicos scil. civitatis, provinciæ, territorii, regni posse impendi. Extremo enim in casu necessitatis, cum ærarium publicum vacuum est, nec difficilia tempora, ac præsentanea pericula permittunt tributorum à subditis exactionem; applicari possunt reditus primò prælatorum, militum sacrorum, monasteriorum; & si hi non sufficiant, etiam collegiorum, scholarum, aliique omnes, qui ad ordinarias necessitates, templorum, pastoralium curarum, scholarum, piarum domuum non requiruntur. Necessitas enim legem non fert; cum pax ab hoste redimenda, aut auxiliaribus copiis intentata vis & pernities à Republicâ & Ecclesiâ avertenda. Et hoc respectu non improbandum est exemplum Hiskię 2. *Reg.* 18. *v.* 15. 16. Ut nec earum Provinciarum in Belgio, quæ magnam partem redituum istorum in stipendia militum, in commeatum, aliaque in bello necessaria olim erogârunt. Hæc tamen conditio observanda, ut Respublica, ubi aliquando melius se res ipsius habuerint, reditus templis, Ecclesiis, scholis, piis domibus si non restituat, saltem in posterum, necessitate ita exigente, defectus eorum suppleat. 2. *Concl.* Quamvis proprius & primus usus bonorum in pauperum sustentatione, templorum ędificatione, ministrorum stipendiis, Ecclesiarum inter infideles & hæreticos, plantatione, scholarum apertione, exulum ob causam Christi susceptione, Ecclesiarum alibi laborantium consolatione, expensis synodalibus, & similibus consistat: non est tamen abusus dicendus, cum ex redituum illorum superfluo indigentiæ ærarii publici succurritur, aut onera subditorum, sæpe per varias calamitates satis attritorum, sublevantur, eoque bella geruntur, aut debita ex bello contracta exsolvuntur, atque ita pax Reipublicæ (consequenter etiam Ecclesiæ, quæ est in Republicâ) redimitur, pericula præveniuntur aut avertuntur. Et hic secundas atque occasionatus usus, quamvis directè sit sæcularis, indirectè tamen & analogicè, tali in casu potest reduci ad usum pium: quia facit ad liberationem, levamen, solatium Ecclesiarum & fidelium in illâ Republicâ, qui

aut

aut jam attenuati ſunt, aut abſque hoc magis ac magis depauperandi eſſent; ſiquidem debita quæ bello imprimis etiam pro causâ religionis & Ecclesię à Republicâ contra tyrannos geſto contracta ſunt, aut contrahuntur; ex tributis ſubditorum exolvenda eſſent. Atque hoc extra extremum præſentis neceſſitatis caſum fieri poſſe, ſuadet equitas naturalis; quam inculcat Apoſtolus 2. *Cor.* 8. *v.* 13. 14. Quidquid enim hic juris, quidquid privilegiorum & immunitatum in foro ſoli prætexitur: caritati & æquitati Chriſtianæ in foro conſcientiæ minimè convenit, ſi collegiorum, monaſteriorum, domuum piarum, nonnunquam regiis opibus abundantium ſublevatione & immunitate, ſubditi nimium graventur, aut ęrarium Reipublicę penitus exhauriatur. „ Principes Proteſtantes in *conventu Haga-*„*noico* anno 1540. reſpondebant ſe nullius bona eccleſiaſtica occupaſſe, „ ſed ea ad legitimos honeſtoſque uſus, quibus principio fuerant deſtina-„ ta ſed ab eccleſiaſticis poſtmodum interverſa, denuo applicaſſe. Referente *Micrælio in ſyntagm. hiſtor. eccleſ. lib.* 3. *ſect.* 2. *quæſt.* 32. Qui ibidem ad-„ dit. Didicerant hoc à Luthero, quâ abuſum tolli, non bona eccleſiaſtica „ alienari jubet, ne avaritia, ſed Chriſtiana fides monaſteriis ſit adverſa. „ Idem paſſim in illos invehitur, qui prætextu emendationis eccleſiarum „ Eccleſias bonis ſpoliant, quæ ad conſervationem miniſterii & ſchola-„ rum conferenda erant: Quibus & paupertati ſi rectè proſpectum ſit, non „ negat ſuperflua in Reipublicæ commodum converti poſſe. Hæc perpetua noſtra & noſtrorum ſententia: quam ab anno 1634. uſque in hunc diem privatim & publicè in lectionibus locorum communium & aliâ quacunque occaſione tradidi. Quin & ipſi clerici Pontificii, non abſque Papæ conſenſu, in bella tum defenſiva tum offenſiva contra hoſtem Pontificium, qui victor religionem & ſtatum eccleſiaſticum mutaturus non eſſet, nedum ut Eccleſiam ipſorum exſtirparet, magnificè contribuunt. Recens eſt exemplum tributi clericalis in Belgio Hiſpanico, & milionum in Galliâ Regi contra Hiſpanos belligeranti conceſſorum.

Contra hanc determinationem excipitur.

I. *Except.* Male omitti nobilium aliarumque honoratarum familiarum ex bonis illis ſubſidia. *Reſp.* Ea referimus ad uſus primos, perpetuos, ordinarios, directè pios. Si enim indigentibus quibuſvis neceſſaria ex bonis illis ſuppeditanda: quidni ejuſmodi familiis per perſecutiones, exilia, præſertim religionis causâ depauperatis, aut ad extremam indigentiam jam redigendis? Quod fieri debet & poteſt juxta antiquam & receptam illam bonorum in quatuor partes diſtributionem: abſque corruptione munerum in Eccleſia, abſque fictione & hiſtrioniâ paſtorali, abbatiali, presbyterali, diaconali, abſque titularibus ludibriis epiſcopatuum, prioritatuum, præpoſitura-

turarum, canonicatuum, vicariatuum: quomodo in Papatu titulos officiorum propter beneficia fingunt; ut divitum & potentum liberos reditibus ecclesiasticis onerent, in otio & luxu abliguriendis. *Origenes homil. 31. in Matheum* ad illa verba cap. 24. v. 45. *Quis ergo est*, &c. ,,Multi opus ,, habemus ut fideles simus pariter & prudentes ad dispensandos Ecclesiæ ,, reditus, &c. Prudentes autem, ut unicuique secundum dignitatem uni-,,uscujusque subministremus, &c. ut prudenter intelligamus indigentium ,, causas, propter quas sunt indigentes: & uniuscujusque dignitatem, quo-,, modo advocatus est: quantum necessarium est: vel propter quam causam ,, indiget. Non ergo similiter agendum est in eis, qui ab infantiâ duriter ,, sunt educati, & strictè: & in eis qui largè & delitiosè sunt nutriti, & po-,, stea ceciderunt. Nec eadem sunt ministranda viris, & mulieribus: aut ,, multum senibus & juvenibus, &c.

II. *Except.* Malè omitti necessaria aut honoraria stipendia præfectorum, militum, civium, qui pro Republica atque unâ pro religione & Ecclesia, quæ est in Republica, fortiter pugnant aut pugnârunt. *Resp.* Minimè omitti. Referuntur enim ad usus in casu extremæ necessitatis, & ad usus secundò, indirectè, analogicè pios modo memoratos. Sic e. gr. Ploni Almoni, mihi cum liberis & nepotibus, cum viveret, noto, & in historia Belgica satis celebri ob eximia officia periculosissimis temporibus circa initia belli Belgici in Zelandia præstita, satis pingue prædium ex bonis celebris abbatiæ Middelburgensis assignatum fuit ab Ill. Ordd. & celsiss. Principe Auriaco; cum pecuniæ non suppeterent, quibus illi satisfacerent: sed absque monachatus aut abbatialis præfecturæ fictione ac ludibrio. Nec ille voluisset, titulari illa cappa indui, quum cappam in Papatu antehac injectam pedibus conculcasset; præcipue cum gratis tanquam dives aut otiosus mendicus prædium illud non acciperet. Similiter stipendia partem aliquam ex reditibns ecclesiasticis corrasa militibus illo tempore exsoluta sunt. Illi enim reditus ab Ill.Ordd. in necessarios hos usus tunc convertebantur: quippe otiosis ventribus tanquam perduellibus & cum hoste conspirantibus erepti; aut quos ipsi sponte tanquam transfugæ unà cum nidis suis deseruissent. Nec tamen milites conversi sunt in monachos, nec præfecti militares, aut consiliarii sive statuum sive Principis in abbates, priores, præpositos, archidiaconos, &c. Negotiosi enim illi heroës non indigebant otiosè ementitis titulis, ut sub iis latentes stipendia & beneficia quasi ecclesiastica in ignavo otio magis decorè (scilicet) consumerent. Absit, ut illi, qui tunc & vitam & proprias fortunas pro patria & religione animosè impendebant, gloriam in ignominia sua posuissent *Phil.* 3. *v.* 18. 19. Similiter Ordines Flandriæ N. τοῦ πάνυ reditibus monasterii alicujus

 cujus

cujus in agro Hulstano, ex parte solverunt, non tam pro ejus meritis erga Rempublicam, quam pro expensis ab ipso Reipublicæ causâ factis. Accepit ergo illud non è manu Ecclesiæ, sive Romanæ sive Reformatę, nec possedit illa tanquam bona ecclesiastica, aut claustralia: nedum ut ipse aut aliquis ex ministris ejus ab illo substitutus abbatis aut monachi titulum aut fictam pictamve cappam indueret. Ante paucos annos in unâ ex fœderati Belgii Provinciis vendita sunt bona monasteriorum, ut Respublica à debitis per exoluta stipendia militum aliaque onera bellica contractis se liberaret, atque unà cives suos à majoribus tributis & oneribus alioquin imponendis. Quis reformatus negabit, tali in casu bona illa in istos usus, quamvis primò & directè nec pios (ita dictos) nec ecclesiasticos, debitè conversa esse: siquidem nihilominus inde aut aliunde Ecclesiis, scholis, & pauperibus sufficienter prospectum sit, ac prospiciatur?

3. *Except.* Hac determinatione videtur tota causa usurpantium, otiosorum, titularium quorundam clericorum, sine opere sine reali munere ecclesiastico aut politico probari. *Resp.* Sic audio aliquando desperatam illam causam, argumento scil. ad hominem defensam fuisse. Nec puduit aliquos anonymos quisquiliis libellorum Belgicorum, ad concessionem hanc meam provocare; ut scil. sententiam meam ex propriis meis concessis destruerent. Sed geminus planè est futilis paralogismus τῷ usurario, non ita pridem à nobis theatrizato: quem 4.*part.selectar disp p.*inseruimus. Aliquis usus bonorum istorum sęcularis, saltem primò & directè nec pius, nec ecclesiasticus, in Reipublicæ necessitate, imprimis in extremo necessitatis casu secundum nos est licitus in foro conscientiæ: Ergo absolutè quivis usus sæcularis & privatus, in quocunque statu aut casu est licitus. Vel, ergo iste usus hic & nunc est licitus. Valida scil. consequentia à particulari, aut à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Qualis illa, Aliquod animal (homo scil.) est rationale; ergo omne animal, aut aliquod animal (e. gr. canis) est rationale. Aut qualis illa, Aliquo in casu, extremæ scil. necessitatis, pecuniæ templi, diaconiæ, orphanotrophei, nosocomii, pastoralium curarum, in redemtionem vexæ hostilis, aut in stipendia militum & commeatum bellicum, impendi possunt. Ergo magistratus pro arbitrio ubique & semper reditus templorum, pastoralium curarum, diaconię, piarum domuum in usus proprios convertere; aut nepotibus, cognatis, necessariis, famulis suis, nec pauperibus, nec ecclesiasticis, ne quidem politico munere fugentibus eosdem in formâ donare, aut saltem iis diripiendos relinquere potest. Addatur & aliud exemplum, si forte veternus pudendæ & parasiticæ contentionis excuti, aut pudor quis incuti possit. Magistratus potest aliquo in casu tales domos civium diruere aut incendere, hortos

tos & pomaria excidere: ut civitatis defensioni contra hostes obsidentes consulatur: potest etiam in casu obsidionis & extremæ necessitatis, à divite aliquo cive, aut mercatore, frumentum granario conditum, vinum ex cellis, salis, butyri, casei, lardi, &c. copiam, aut ejus reconditos nummos, auri & argenti acervos, auferre, & distribuere: Ergo semper & ubique quævis ædificia & pomaria, quosvis hortos, quævis bona rapere, perdere, diruere, in quoscunque usus publicos aut privatos. Quid si Magistratus non disputando scholasticè, nec anonymis & futilibus libellis velitando; sed politicè practicando à talibus disputatoribus hic & nunc inciperent: an petulantes sophistę, consequentiæ suæ nexum tueri pergerent? Non credo. Sed tædet me tam ineptę & vertiginosæ subtilitatis.

Sequuntur quæstiones particulares. §.4.

I. Quæst. *An quis nec pauper, nec senex, nec orphanus, nec ægrotus, nec peste laborans, nec lue Hispanica, nec maniacus, nec extorris aut exul, portionem unam, aut plures annuas, aut distributiones quotidianas, pauperis in piis domibus aut cameris (vulgò* **Godts-Cameren**), *senis in gerontodochio, orphani in orphanotropheio, ægroti in nosocomio, peste afflicti in nosocomio, pestilentiali, tabescentis lue Hispanicâ in nosocomio luis Hispanicæ, maniaci in domo maniacorum, extorris in publico hospitali prece aut pretio sibi acquirere ac possidere possit, & quidem in foro conscientiæ? Et an si Magistratus hoc permitteret, aut ex plenitudine arbitrariæ potestatis, quæ hic fingi posset, contra jus de jure divino, naturali, humano (nominatim testamentorum, donationum intuitu piæ causæ, & tutelæ pauperum) pro arbitrio dispensaret; conscientia talis possessoris ab omni scrupulo coram Deo ilico liberaretur, & ex peccato fieret non peccatum, & ex abusu usus? Resp.* Utrumque *Neg.* Probationem nullam molior: ne faculam soli in meridie accendere videar. Has enim inanias an insanias detegere, est refutare.

II. Quæst. *An Magistratus, cui potestas & potentia adest pios illos reditus tuendi & genuinis pauperibus vindicandi, tales redituum istorum portiones & distributiones otiosis ejusmodi usurpatoribus permittere, aut salvâ conscientiâ tales abusus quasi lege ordinare, atque approbare, aut etiam in privatos & proprios suos suorumque usus convertere, aut vendere possit? Resp. Neg.* Quamvis enim nemo privatus ejus errori & abusui hâc in parte, ipso facto & vi externâ resistere debeat: ipsi tamen Deo supremo judici actus sui rationem reddituri sunt.

III. Quęst. *Quid si sufficienter prospectum sit necessitatibus pauperum, an superfluum liceret hunc in modum erogare? Resp.* Si instar Capuchinorum in diem viverent, in hunc diem, hebdomadem, mensem, annum dimensum aliquod huic aut illi sufficere quis putaret: non arbitror piam & justam esse omnium

 reli-

reliquorum bonorum abjectionem aut alienationem. Quis enim casus necessitatis, quæ ratio, quod bonum publicum, quæ tutela pauperum hoc suadet? Et quis, siquidem donata ad pias causas ita curentur tum à propriis tum à generalibus & supremis ephoris ac tutoribus; quis, inquam, in posterum ærario pauperum & piis domibus denuò donabit, aut legabit; si residuo bonorum suorum exciderent?

IV. Quæst. *An in foro conscientiæ liceret laternario, equisoni, fœneratori, atriensi, opifici, rustico, aut cuilibet homini otioso, aut hostili militi, urbem hanc occupanti, extra intentionem & susceptionem studii theologici bursas seu beneficia in hâc nostrâ Academiâ à Nobiliß. & Magnifico Johanne Lucâ Francothalio, fundata cum & sub titulo studiosorum theologiæ; prece aut interveniente aliquo sive Xenio, sive pretio sibi acquirere & possidere usque ad finem vitæ? aut, ubi beneficio illo aliquandiu usus fuißet, alteri similis farinæ ignavo fuco non sine mediantibus illis resignare: modo Ephori & Magistratus concedant & velint? Resp. Neg.* In foro conscientiæ nemo sic acquirere & possidere, nemo talem acquisitionem concedere & velle potest: quamvis tolerare posset, quamdiu potestas & potentia deesset malum illud corrigendi.

Sed instaret forte quis 1. *Instantia.* Magistratus illas bursas, propter indignitatem & abusum bursalium, qui aliquando incidere posset, si fisco adjudicaret: an non prece aut pretio homines otiosi tales bursas acquirere possent, & quidem bonâ conscientiâ. *Resp.* Pensiones seu annuæ distributiones Bursalium & peculia aliqua inde reservata atque acquisita, ab ipsis bursis, & à reditibus ad bursas fundatis distinguenda. *Illa* ob delicta in fiscum redigi possunt. *Ista* indignis auferri & genuinis theologiæ studiosis conferri debent. Hæc fideliter ab ephoris & Magistratibus custodiri debent: quia beneficia non peccârunt, sed homines beneficiis abutentes. Tollatur ergo abusus, & maneat rerum substantia. Breviter talis fruitio, emtio, venditio bursarum cum & sub titulo studiosi theologiæ, cum conscientiæ integritate consistere nequit.

Instant. 2. Jam oppugnatur potestas Magistratus, siquidem talis emtio & venditio tanquam in foro conscientiæ licita non determinetur. Quod idem portioni pauperum, à non pauperibus, acquisitæ (de quâ præced. quæst.) applicari debet. *Resp.* Non magis oppugnatur, quam ab Apostolis *Actor.* 5. & à sociis Danielis, aut ipso Daniele *cap.* 3. & 6.

Instant. 3. Si Magistratus aliquando fieret Pontificius, aut Remonstranticus, aut Libertino Scepticus, aut Epicureus, &c. aut si hostis quis extraneus hic rerum potiretur (quod Deus avertat), & reditus illos theologicos secundum suam errantem aut profanam conscientiam theologiæ reformatæ studiis impendi nollet; adhęc reditus pauperum ac piarum domuum

jure

jure gladii propriis suis & militum, ministrorumque suorum usibus appropriaret; aut pro arbitrio in fiscum redigeret, & inde cum & sub ementitis ejusmodi titulis cuivis maximum pretium offerenti in suum commodum venderet, aut vendi concederet: utique videretur omnis scrupulus conscientiæ tunc cessare, bonis illis prius in solidum sęcularizatis ac defecatis: ut utar usurpantium & abutentium technologematis? *Resp. Neg.* Nec zelus Pontificius, nec cor profanum Magistratus seu Principis victoris illum à peccato purgaret; aut proxenetas illos atque emtores à crimine, avaritiæ, & ludibrii piarum causarum.

V. Quæst. *An bona monasteriorum Pontificiis monachis sensim sine sensu erepta, ab hominibus à Papali superstitione reformatis, aut in religione neutralibus, saltem non Papistis successivè sub & cum titulo monachorum, Benedictinorum, Nortbertinorum, Cistercien sium, &c. in monasteria sub clypeo Principis aut Magistratuum Apapisticorum irrepentibus, & tandem numero superantibus, in non publicos usus sive ecclesiasticos sive sæculares, sed in merè privatos converti possint: idque in foro conscientiæ absque omni scrupulo? Resp. Neg.* Si hoc est abusus bonorum, clericorum & Ordinum à Papatus sordibus reformare: utique non video, quid sit deformare.

Sed fortè quis instabit. 1. *Instant.* Monachi sunt Ecclesię reformatæ inutiles, & abusi sunt bonis illis, iisque jure exciderunt. *Resp.* Sed novi illi ementiti titulares monachi, ad quid utiles essent; quem locum & gradum in Ecclesiâ Reformatâ, aut Papisticâ, obtinerent?

2. *Instant.* Saltem abbates in Artesia, Brabantia, Ducatu Limburgico, Lutzenburgico, &c. primum membrum ordinum constituunt? *Resp.* Siquidem Ordines istarum Provinciarum formam illam regiminis tenere & tueri vellent, nec reformatos ab eo excluderent; an ideo reformatus quis simulatè, aut titulo tenus & larvâ externâ, absque scrupulo conscientiæ, absque scandalo, monachus in illis monasteriis fieret: si forte ambitu prævalere vel in Abbatem eligi atque illâ qualitate in panegyri dictorum Ordd. comparere posset? An sic vim patitur regnum cœlorum? An sic inoffensa conscientia, coram Deo & hominibus servatur?

3. *Instant.* Quid si abbates illi in comitiis ordinum (e. gr. Brabantiæ) decrevissent pro suâ parte, & pacti essent à duobus membris eorundem Ordinum, continuationem & defensionem sui status Monacho-Papistici & suorum conventuum, cum omnibus juribus & privilegiis; an in foro poli licitum esset non tantum à Papismo conversis monachis in ordine & monasterio suo manere, sequestratis scil. exercitiis Papisticis; sed etiam aliis hominibus sęcularibus in religionis sensu reformatis, aut quasi reformatis, seu mavis neutralibus, in eosdem conventus assumto monachi Benedi-

 ctini,

ctini, Cistercienſis, Noortbertini, &c. titulo & ſimulacro; idque ex intentione, ut ex reditibus monaſterii otioſè vivere & paulatim aucto talium pſeudo-monachorum numero; tandem potioribus ſuffragiis aliud collegium priori collegio Papiſtico ſubſtituere poſſint, in quod nemo niſi reformationi favens admittatur; ut ſic pacta cum monaſterio Papiſtico inita ſervari viderentur. *Reſp. Neg.* Nam *primo* illicita & ſcandaloſa eſt ventris causâ ſuſcepta ſimulatio & jugi cum Papiſtis tractio. Huc advoca rationes, quas contra monachatum infra *part.* 2. *lib.* 4. congerimus. Quibus jungendæ, quas habent *Calvinus*, *Melanthon*, *Martyr*, *Bucerus*, Tigurini contra Pſeudo-Nicodemitas. Vide in opuſculis Calvini epiſtolas de vitandâ idololatriâ, & tract. de ſuperſtitionibus. Deinde repugnat bonæ fidei, doloſa illa pactorum eluſio: ita ut turpis ac ſcandaloſa ſimulatio monachatus ab illis ſe in monaſterium & ordinem quem monaſticum intrudentibus committeretur; non tantum ut eveniret bonum illud imaginarium (otioſi ſcil. ventris paſtio), ſed etiam ut perfidiam in pactorum violatione tandem perficerent. Quid ſi tali methodo & μεθοδείᾳ otioſi aliqui ventres, μορφώσει reformatę religionis (ſeu mavis neutraliſmi) ſe oſtentantes beneficia & collegia omnia clericorum Trajecti ad Moſam ſubrepticiè occuparent, & tandem facto decreto omnes Papiſtas ſine ullâ aliâ causâ, quam quod Papiſtæ ſunt, excluderent, an ex, & cum ſcriptoribus noſtris, de fide hæreticis ſervanda (alibi indicatis in 4. *part. ſelect. diſpp. ad* 9. *decalogum præceptum*) defendi poſſet, articulos conventionis, quos deditii anno 1632. pacti ſunt, ritè & fideliter ſervatos eſſe? An tandem collegia illa, excluſis omnibus Papiſtis jam transformata, & ex meris ſæcularibus reformatam religionem profitentibus conflata, continuationem & non interruptam ſucceſſionem, in otioſâ bonorum, jurium, privilegiorum fruitione, ſub antiquis titulis & ſimulacris Papiſticis, ex vi dictę conventionis prætendere poſſent? An vero per ſolam permiſſionem, aut conceſſionem, aut voluntatem Magiſtratus (ſiquidem haberi poſſet) conſcientia talium poſſeſſorum ab omni peccato purgata tranquillaretur? Quid ſi eâdem methodo & eâdem intentione in lupanaribus (qualia antehac ſub publicæ autoritatis conceſſione habuit Hiſpania) converſę aliquæ meretrices manerent, ut ex reditibus & quæſtu illius domus ſub antiquo titulo, & ſimulacro in ſocietate aliarum meretricum viverent, abſtinentes tamen à prioribus flagitiis, quibus & aliæ puellæ cætera caſtitatem profeſſæ ſucceſſivè in lupanar irrepentes ſe adjungerent, donec tandem numero ſuffragiorum ſuperiores omnibus inhoneſtis in poſterum excluſis, lupanar illud in domum converſitarum transformarent; atque ita ſub antiquo titulo & ſimulacro reditibus ex quęſtu meretricio contractis otioſè gauderent, & in perpetuam lupanaris illius

lius (nunc tamen transformati, quod ad actus meretricios) conſervationem jurarent? An ſatis honeſtè & decorè in illa malè parta ſub illâ ſimulatione, ſuccedere, & otiosè iis ex jure ſoli & poli frui viderentur? An verò permiſſio aut voluntas prætoris ex indecoro faceret decorum, ex turpi honeſtum, ex ſpecie mali ſpeciem boni? Similem caſum propono, de converſis pyratis permanentibus in ſocietate pyraticâ Aligerienſi aut Tunetanâ, deque aliis honeſtis civibus in illam ſocietatem de novo ſe ingerentibus, idque ut ex illis malè partis, otiosè viverent, & tandem potioribus ſuffragiis pyraticum malum inde expurgarent. Duo hæc ſimilia præſenti quæſtioni optimè quadrant; quia ſpiritualis ſcortationis, & furti Papales clerici in ſcripturâ (*Apocal.9.v.21.*) condemnantur; & ipſi illi qui hodie abuſum bonorum eccleſiaſticorum contra univerſum Chriſtianiſmum tueri conantur, duo illa crimina Papatus in immenſum exaggerant; cum ſcil. hypotheſi ſuę illud inſervire putant, alias nimiæ præciſitatis arguentes zelum aliorum circa talium ſordium expurgationem. Confer *part.3. ſel. diſpp. titt. de ſuperſtitione, de idololatriâ, de cruce*, &c.

4. *Inſtant.* Hoc ſi tanquam in caſu conſcientiæ homini pio illicitum, determinetur: videtur præſens regimen politiarum in Galliâ, in Germaniâ, & alibi, & pax publica turbari. *Reſp.* cum *Calvino* in Excuſatione ad Pſeudo-Nicodemitas (in *Opuſculis pag.* 519.): „ Credo autem, quicunque „ guttam habent ſani judicii, eos clarè perſpicere nullam eſſe rationem, „ cur accuſer nimii rigoris: quod ea tantùm à Chriſtianis exigam, quæ „ Chriſtus illis præcisè injungit. Qui autem aures habent tam molliculas, „ ut me ferre nequeant: reſpondeo, duram non eſſe meam doctrinam, „ ſed duriciem cordis ipſorum facere, ut talem judicent. Si difficile factu „ eſt quod doceo, non ſequitur propterea, quin officii noſtri ſit. Scio non „ eſſe cujuſque corrigere publicum regni ſtatum: neque id requiro: ſed tan„ tùm, ut ſe quiſque reformet, à mali communione abſtinendo. Si res eſt „ ipſis moleſta ſecundùm carnem, nihil miror; ſed ſi agnoſcant verum „ eſſe quod dico: potiùs veritati pareant, quàm ut, phreneticorum more, „ medicum percutiant. Non oblector ipſorum mœrore. Si tamen eos ad „ triſtitiam poſſem adducere, de qua Paulus loquitur, hoc eſt, quæ pœni„ tentiam in ipſis generet, non me pœnitebit: nam illi cedet in ſalutem. „ Si triſtantur, ut fremant & reſiſtant, doleo. Neque enim mihi cordi eſt „ ipſorum exitium: nec mihi vellem ejus imputari cauſam: ſed cùm ipſi „ in cauſa ſint, quid facerem?

VI. Quæſt. *Quis ergo legitimus eſſet uſus monaſteriorum? Reſp.* 1. *Concl.* Saltem non eſt legitimus uſus, ſi in nidos illos eorumque reditus, quocunque prętextu irrepant homines opulenti aut quicunque otioſi; quamvis

abo-

abolitis exercitiis Papiſticis, & ſubſtitutis reformatis. Non agnoſcit enim nec requirit religio & Eccleſia reformata monachos reformationis, homines contemplativos, ab activis diſtinctos. Vide *Eph.* 4. *v.* 28. cum 2 *Theſſ.* 3. *v.* 10. 13. aliaque infra *part.* 2. *lib.* 4. *tit.* de monachatu à nobis adducta. Nec juvaret exceptio, de expurgatis votis, regulis, & exercitiis monaſticis. Omnes enim proteſtantes, & reformati, monaſticas ſuperſtitiones cum toto Papatu ejurârunt? An hoc ſingulis erit fundamentum legitimæ poſſeſſionis illorum bonorum? 2. *Concl.* proximus uſus eſſet, ut in ſcholas majores, aut minores, aut in collegia ſtudioſorum converterentur. In antiquâ Eccleſiâ erant collegia presbyterorum & candidatorum miniſterii ſub inſpectione epiſcopi viventium, unde ſuppeterent Eccleſiis viri ad ſacra peragenda idonei. Vide *Poſſidium in Vitâ Auguſtini cap.* 5. & 11. & *Hoſpinian. lib.* 4. *de Monachis cap.* 24. *& lib.* 3. *de templis cap.* 5. Declinante Eccleſiâ & creſcente ſuperſtitione, paulatim deſierunt eſſe ſcholę & receptacula eorum, qui ad eccleſiaſtica miniſteria mittebantur. In ipſo tamen Papatu aliqua antiqui moris veſtigia manſerunt & hinc monaſteria diſtinctè dicta fuerunt *ſtudia regularia*: ubicunque enim abbas, aut prior non plane erat Elpenor, aut pinguis Epicuri de grege porcus; ſemper habiti fuerunt aliqui philoſophię ac theologiæ in monaſteriis lectores. 3. *Concl.* Quod ſi Eccleſiæ & Reipublicæ, abundè de ſcholis & collegiis proſpectum ſit; analogus uſus erit, ſi convertantur in gerontodochia, aut brephotrophia, aut Xenodochia &c. in quæ non recipiantur niſi veri pupilli, ſenes, pauperes, exules & peregrini; excluſis omnibus illis, ſi qui ſuo ſucco vivere cum poſſent aut deberent, titulos & externam fictionem pauperum, ſenum, exulum, infirmorum, leproſorum, &c. aſſumere auderent, ne manifeſti fures pauperum audirent; ſed ſpecie quaſi honeſtiori in turpi otio bona illa abligurirent. 4. *Concl.* Sin nec talem uſum Reſpublica requireret, nidi diſturbari poſſent, & bono publico ædificia vendi, reditus primum ad pios Eccleſiarum, ſcholarum, pauperum, peregrinorum pietatis causâ exulantium, à pyratis aut infidelibus captorum; deinde quod ad ſuperfluum in maximè neceſſarios Reipublicę (quæ Eccleſias, ſcholas, pauperes fovet ac tuetur,) uſus converti. Quem poſteriorem uſum peculiari ratione obtinere velimus in bonis abbatiarum, prioratuum, aliorumque ſacerdotiorum, uti vocant, regalium. De quibus infra. 5. *Concl.* Nullo autem modo, in prædam otioſorum hominum reditus illi à Magiſtratu, cui poteſtas & potentia adeſt, relinquendi; nedum ut nec indigentibus, nec pro publico Eccleſiæ & Reipublicæ bono laborantibus à Magiſtratu diſtribuendi eſſent: qui tanquam univerſalis & ſupremus tutor bona ærarii Reipublicæ per conſcientia muneris & juramenti ſui hâc ratione

tione pro mero arbitrio suo dissipare nec solet nec potest. Rectè Bruschius in tract. de monasteriis Germaniæ (apud *Hospinianum* lib. 3. de templis cap. 5. pag, 421.) *monasteria non otiosis ventribus, sed literarum, sed pietatis, sed honestæ vitæ studiosis initio condita, ac tantâ principum liberalitate erecta & donata esse.* Ibidem citat ex *Mutii chronico Germaniæ*, Carolum Magnum non alio proposito tot fundasse monasteria, nisi ut juventus in illis bene institueretur; & qui consenescere statuerent, *docerent morum probitatem, veramque religionem populum.* Ibidem ostendit fundata & magnificè dotata fuisse monasteria Lexoviense, Theolegiense, Hersfeldense, Fuldense, Campidonense, Malmesburiense, Hirsaugense, S. Galli, Renense, Stabulense, Prumiense, &c. Ut illustres scholæ illic aperirentur & juventus institueretur, imprimis viri ad pascendas Ecclesias illic formarentur. Subjicit ibidem collegia canonicorum (qui subinde nomine *monachorum* & *claustralium* veniunt, quod tunc cœnobitæ essent, hoc est, in commune viverent), circa illa tempora emersisse, & fuisse scholas ecclesiasticas ac collegia theologorum. De quibus alibi ex historiis & antiquitatibus ecclesiasticis nonnulla.

VII. Quæst. *In quos usus apud reformatos, converti possint, bona equitum sacrorum seu militum Ecclesiæ? Resp.* Ut revera Ecclesiæ in terris militantis nulla est militia sæcularis, nulla jurisdictio cum imperio, nulla potestas coactiva. 2. *Cor.* 10. *v.* 3. cum *Luc.* 22. *v.* 25. 26. sic nec quod ad rem nec quod ad titulum haberi debent in Reformatis Ecclesiis, equites sacri seu milites Ecclesię, qui scil. ab Ecclesiâ aut ab ecclesiasticis præfectis dependerent, independentes ab omni potestate sæculari, contra *Rom.* 13. *v.* 1. Non magis, inquam, tales milites apud nos audiri debent, quam Pontifices, Archiepiscopi, Cardinales, Patriarchæ, sacerdotes, archipresbyteri, archidiaconi, monachi, eremitæ, abbates, canonici regulares & irregulares, vicarii, sacerdotes animarum, inquisitores fidei, exorcistę, &c. Sed equites illi transformandi essent in equites Reipublicæ, qui primò & directè pro Republicâ Christianâ militarent, & consequenter ad nutum Reipublicæ pro causâ & incolumitate Ecclesiæ, quæ est in eâdem Republicâ, contra infideles, hęreticos, & quoscunque alios persecutores. Atque is usus bonorum istorum, quæ in Papatu ex falsâ hypothesi militiæ ecclesiasticæ habentur & dicuntur ecclesiastica, esset analogicus, conveniens eorundem fundationi, & regnis ac politiis reformatis; cum quibus forma antiqui & Papalis usus est ἀσύστατος. Aut, statu Reipublicę ita postulante, ærario Reipublicæ ea vindicanda essent, ut inde defensio ejus contra infideles, hæreticos, aliosque hostes præstetur, militibus ordinaria stipendia, bene meritis extraordinaria præmia & honoraria tribuantur, omnes deni-

que subditi levamen aliquod à necessariis oneribus sentiant. Et hic usus itidem esset parilis aut analogus, nec abluderet à generali intentione Imperatorum, Regum, Principum, qui tam magnificè ordines illos equitum dotârunt. Quocunque modo ad maximam Reipublicæ utilitatem bona illa erogentur; saltem portionem eam, quæ ad alendos sacrorum & animarum curatores equitibus illis peculiariter domi in pace, aut foris in expeditionibus bellicis inservientes fundata erat, in stipendia ministrorum, Doctorum aliorumque scholis & Ecclesiis inservientium impendendam dicimus; & aliam portionem locis & utensilibus sacrorum parandis specialiter dicatam, ad utensilia sacrorum paranda; specialiter in Ecclesiarum, scholarum, pauperum sustentationem & in fabricas templorum ac scholarum: non minus quam alios quoscunque pastorum, æedituorum, cantorum, templorum, domuum piarum reditus. Casus necessitatis Reipublicæ & superfluitatis bonorum ecclesiasticorum, semper excipio. Atque hæc sententia mea occasione litis super illis bonis in vicinâ provinciâ, causis odii & studii procul habitis, in *diatribâ de sacrâ militiâ Papatus an.* 1643. propositâ, & infra 2. *part. lib.* 4. inserendâ. In eâdem sententiâ pag. 281. *partis* 2. *consilii theologici* vernaculo sermone an. 1656. editi me perstare professus sum: uti etiamnum persto.

VIII. Quæst. *Quis usus sacerdotiorum, quæ vocant, regalium, omniumque sæcularium bonorum, munerum, privilegiorum ad splendorem & potestatem sæcularem in regendâ ac defendendâ Republicâ, propriè pertinentium. Qualia sunt multorum episcopatuum, abbatiarum, prioratuum, primatuum, archidiaconatuum, præposituraru, capitulorum. Resp.* sicuti bona, munera & privilegia illa directè ad animas & Ecclesias spiritualiter pascendas ac curandas donata non sunt; & si ex zelo absque scientiâ hoc fine donata essent, ad opus tamen illud nunc non faciunt, nec antehac fecerunt; sed potius ad Ecclesias inter & contra hostes politicè defendendas: magistratus ab errore & periculosâ illâ juncturâ, combinatione ac confusione politiæ cum Ecclesiâ, potestatis sæcularis cum ecclesiasticâ (contra *Johan.* 18. *v.* 36. 2 *Cor.* 10. *v.* 3. 1 *Petr.* 5. *v.* 3.) liberatus, tanquam Ecclesiæ nutritius, directè & primò ad publicum Reipublicæ regimen, ejusdemque defensionem, & consequenter ad fovendam & defendendam Ecclesiam quæ est in Republica, ac ad media tum personalia tum realia regimini sæculari conformia potestatem & potentiam illam adhibebit, retrahendo eam ab Ecclesiâ & ecclesiasticis ad Rempublicam ejusque rectores & officiarios. Quomodo nunc approbantibus pariter cum Imperatore principibus imperii tum ecclesiasticis (ita dictis) tum sæcularibus (frustra obstrepente *bulla Innocentii* X.) in pace Monasteriensi anno 1647. episcopatus aliquot in principatus

cipatus sæculares transformati sunt; seu potius prioribus principatibus titulo ecclesiasticis, puri sæculares & re & titulo substituti sunt, illisque temporalis potestas & potentia, quæ olim fuerat Papalium episcoporum applicata.

Quod ad bona & munera splendoris & potestatis episcopo-regalis, eorum ad Rempublicam & Principes translationem, seu mavis justam ac ordinatam, per Imperatorem & Principes, à quibus olim concessa erant, retractionem, his, argumentis contra bullam Papæ probamus. 1. *Quia*, per quod ob aliquam rationem quid constituitur, per idem ob parem, immo longè majorem rationem mutatur aut destituitur. Sed per Imperatores, Reges, Principes, in bonum Reipublicæ (uti tempora illa tunc ferre, & rebus suis optimè consuli putabant) multi episcopi, abbates, aliique prælati, & conventus ecclesiastici, potestate & potentia sæculari primus instructi, postea onerati, tantum non depressi sunt: Ergo per eosdem hæc mutari possunt. 2. *Quia* potestas illa confertim collata, occasio fuit, ut illi paulatim ἔργῳ spirituali posthabito, totos se παρέργῳ mundano traderent, atque ita Ecclesiæ ędificatio impediretur. 3. *Quia* cum toparchis, dynastis, Principibus, nobilibus, munerariis sęcularibus tacitè illa subtraherentur aut eriperentur quibus alioquin gavisi fuissent; plurimi eorum ex desperatione, Episcopatus, abbatias, prioratus, præposituras, &c. affectabant; non tam ut spiritualem Ecclesiæ curam, quam ut dominationes, pompas mundanas exequerentur, familię suæ splendorem sustentarent; imo & perpetuo æmulationis atque antipathiæ œstro agitati, cum Regibus & Principibus contenderent, bellis & seditionibus orbem Christianum implerent. Atque ita Ecclesia ad eum statum devenit, quem *Plessei historia Papatus* (dicta *Mysterium iniquitatis*) nobis graphicè describit. Cum ergo episagma illud potestatis & potentię sæcularis prælatis ob rationes à Regibus & Principibus antehac adjectum esset; quidni ob longè majores rationes, temporibus & rerum momentis mutatis, ab iisdem auferri & Reipublicæ denuo, vindicari posset? 4. *Quia* sublato, ob rationes modo dictas, speciali illo fine & cessante illo opere & munere sæculari, atque ad Rempublicam ejusque rectores & officiarios retracto ac translato, unà justè ab Ecclesiâ & ecclesiasticis transferuntur omnia bona, jura, privilegia, tituli dignitates illi operi & muneri tanquam, media, auxilia, effecta, consequentia, ἀχωρίστως connexa. An autem temporalia munera & bona de facto alicubi ab ecclesiasticis separari possint, aut debeant, in genere determinari nequit: sed cujusque Reipublicæ est prudenter despicere an & quæ sit separandi penes se potestas ac potentia. Saltem archiepiscopatum ecclesiasticum Ultrajectinum à temporali principatu anno 1528. separatum fuisse,

idque

idque probante Papâ nemo, nisi hospes in historiâ patriâ, ignorare potest.

IX. Quæst. *Quis usus bonorum illorum, quæ prælati tum sæculares, tum regulares, ad recturam Ecclesiæ, & executionem ministeriorum sacrorum propriè applicare solent, quæque ad illud opus ecclesiasticum in specie donata & fundata erant?* *Resp.* Uti spiritualis seu ecclesiastica potestas episcoporum supra Ecclesias & presbyteros suæ diœcesios legibus humanis ante fastigium & ἀκμὴν Papatus Romani satis superque confirmata erat, sic & bona ad ejusdem exercitium & executionem satis liberaliter acquisita. De hâc bonorum ecclesiasticorum portione dicimus, quod de aliis bonis pastoralibus, illa cessante apud reformatos diœcesiano episcopatu, primum impendenda in sustentationem pastorum; deinde & aliorum in ecclesiis & scholis istius diœcesios ministrantium; adhæc in visitationes Ecclesiarum, conventuum ecclesiasticorum celebrationes; insuper, siquidem dictis necessitatibus satis prospectum sit, aut prospici possit, in sustentationem pauperum, piarum domuum, exulum propter fidem, ædificationem templorum, subsidia pauperum ecclesiarum extra diœcesin, præsertim clandestinarum; denique præter & supra jam designata, si quod nimium abundans & superfluum ex portione ecclesiastica episcopatui alicubi restaret; illud, Reipublicæ statu ita exigente, ad levanda onera civium, præsertim fidelium, in illâ Republicâ, in ærarium publicum redigi posse.

X. Quęst. *An inter concionatores civitatis, ubi tempore Papatus sedes episcopalis fuit, aliquis titulo episcopi, non tamen potestate, insigniri posset; tantum ut vindicaret ex manibus peregrinorum reditus episcopales, iisque sub titulo & simulacro qualitatis episcopalis, frueretur?* *Resp. Neg.* 1. *Quia* non convenit αὐταρκείᾳ concionatoris reformati, tantis reditibus, & quidem præ collegis suis pari potestate in eâdem Ecclesiâ præditis, parem laborem ibidem sustinentibus, gaudere; nedum ut opimos reditus episcopales, quibus tot concionatores, aliique minores (uti vocant) clerici sustentari possent, ipse sibi soli affectaret. Pius quisque concionator est operarius, dignus mercede suâ (*Luc.* 10. *v.* 7. cum *Galat.* 6. *v.* 6. 1 *Cor.* 9. *v.* 5. 10.): sed non est mercenarius: pro vacatione & labore justè accipit, dum totus Ecclesiæ vacat, nec aliquâ aliâ vitæ occupatione sibi & suis acquirit; sed non est φιλάργυρος, nec putat pietatem esse quęstum, nec vult ditescere (1 *Tim.* 6. *v.* 5. - 11.): honestè & frugaliter edit, bibit, vestitur, contra frigus se munit, ut vivat, ut ministerio ritè obeundo sufficiat; sed non vivit, ut edat, bibat, &c. ut luxui, crapulæ, aleæ indulgeat; aut ut rhedis, equis, canibus, famulis, parasitis, deliciis, spectaculis otiosè tempus fallendo peculium Ecclesiæ exhauriat: breviter, ἰδίου οἴκου καλῶς προϊστάμενος; sed non est πάροινος, αἰσχροκερδής, αὐθάδης, &c. 1. *Tim.* 3. & *Tit.* 1. Quod ad me, quamvis pro

pro aliis extra hanc urbem fratribus nostris ægrè familiam sustentantibus, verba publicè privatimque aliquando fecerim, nunquam tamen de stipendio meo pro professione Academicâ, aut pro ministerio ecclesiastico cum quoquam mortalium hic pactus sum, aut conventionem unquam inivi: ne quidem de qualitate aut quantitate ejus directè aut indirectè ante aut post susceptionem professionis, nec ante aut post adjunctæ professioni vocationis ecclesiasticę susceptionem, ex vocantibus quæsivi: sed totum hoc illorum curæ & arbitrio reliqui, ad quos hoc pertinebat. Putabam enim meum esse in suscepto munere fideliter laborare: illorum vero, mihi ex æquo & bono de temporalibus prospicere. Quod etiam sponte sine meâ stipulatione fecerunt. Placuit mihi semper sententia Calvini, quam profitetur in epistolâ, quâ impudentissimæ Cardinalis Sadoleti διαβολῇ luculenter respondet. Vide eam inter *Epistolas Calvini*, & seorsim in 4°. cum nonnullis *Sturmii, Melanthonis* aliorumque epistolis editam. Confer infra *tract.* 3. *de stipendiis ministrorum.* 2. *Quia* occasio nimis proclivis est, prolapsus illorum concionatorum in elationem supra fratres, in fastum & luxum mundanum, in remissionem laborum, in formationem & partum episcopalis ὑπεροχῆς: uti tristis experientia alibi hoc docuit. Vide illa detecta in libro, cui tit. *Historiâ rerum nuper in Scotiâ gestarum.* 3. *Quia*, admodum periculosa esset talis redituum episcopalium dispensatio. Quid enim prius exspectandum, quam ambitus, prensationes, cursitationes, emendicationes, subreptiones, æmulationes, & contentiones eorum concionatorum, qui terrena sapiunt, & beneficium officio præferunt.

XI. Quæst. *An potius redituum episcopalium possessio & administratio erepta Episcopis Papalibus, & episcopatu eorum in solidum abrogato, viris sæcularibus successivè sub titulo & simulacro episcopatus eam affectantibus relinquenda esset; qui commendâ illâ cum annexis quibusdam juribus & privilegiis episcopalibus gaudeant usque ad mortem; aut si ita visum, in alium quem, sed mediantibus illis, cum titulo & simulacro resignent, aut quasi sub hastâ, seu in bursâ mercatorum quantovis pretio vendant? Resp.* Neg. Nulla species aut umbra juris pro hac simulatâ sub eodem titulo in eandem commendam successione, aut abusivi episcopatus substitutione, & consequenter pro tali nundinatione fingi potest; nisi voluntas Magistratus ob rationes ipsi notas talia sive tolerantis, sive concedentis, sive etiam probantis. Sed hoc in foro conscientiæ efficere nequit, ut peccatum non sit peccatum. Non magis enim hoc honestum, licitum, decorum, quam si quis volente prætore seu Magistratu Aligeriensi aut Tunetano succederet in titulum & statum capitanei aut archipyratæ, non ut reipsâ pyraticam exerceret, sed tantum ut collegio pyratico-militari insertus commendam stipendii præde-

 cesso-

cessoris sui archypyratę ex bonis pyraticis obtineret. Nec magis, quam ut quis in titulum & simulacrum lenonis, absque reali lenoniæ exercitio vero lenoni prędecessori suo succederet in lupanaribus olim alicubi publicâ autoritate concessis, atque hoc titulo & schemate ex reditibus per artes ac operas meretricias illic partis portione suâ frueretur, totamque hanc dignitatem suam cum titulis & emolumentis alteri, sive gratis sive interveniente pretio, cederet ac resignaret; & sic successivè usque ad finem mundi, aut usque ad ἀταξίας illius disturbationem. Non magis etiam, quam quis nec orphanus, nec pauper, nec senecio, nec leprosus, &c. titulos illos mentiri ac æmulari posset, ut ordini orphanorum, pauperum, senecionum, leprosorum insertus, &c. præbendis & portionibus ex piarum istarum domuum reditibus, aut ex piis, munificis, celeberrimis apud Ultrajectinos legatis Buchelii & Pollionis, frueretur, & totum hoc titulorum ordinum, dignitatum, emolumentorum choragium, ubi ita visum esset in filios, nepotes, cognatos, ante obitum transferret, aut aliis parato pretio venderet.

XII. Quæst. *Quid de reditibus vicariatuum statuendum? Resp.* ut ipsum officium & opus vicariatus apud reformatos abolitum; sic etiam titulus, simulacrum, & abusivus ordo, ac sub eo, beneficium cessare debet. 1. *Quia*, quod turpe est facere, turpe etiam est turpis lucri causâ præ se ferre, dicere, ostentare, simulare, mentiri. In Papatu sunt Vicarii Episcoporum in sacris; Vicarii parochorum in officiis celebrandis, ex sacerdotibus missificis sunt canonicorum Vicarii in missis celebrandis; nominatim pro defunctis, qui ex hoc munere atque opere specialiter *sacerdotes animarum* dicebantur. In reformatâ Ecclesiâ nec Episcopi sunt nec Archiepiscopi, nec missifici sacerdotes; ergo nec Vicarii aut Capellani eorum: nam relatorum uno sublato tollitur alterum, & consequenter memoria, species, simulacrum, vestigium ejusdem; non minus, quam excelsa in V. T. 2. *Quia* munus Pastorum & concionatorum apud reformatos quamvis non tollatur, repurgatur tamen à pluralitatibus beneficiorum, & non residentiis tanquam pastoralium curarum pestibus: hinc est quod concionatores nostri non indigeant vicariis. 3. *Quia* munera pastoralia sunt ministeria, non dominia; consequenter carent potestate substituendi & constituendi vicarios: sicuti servus non potest constituere servum Vicarium, ut ipse instar Domini absque servitio & servilibus operis otietur, quamdiu aut quoties visum fuerit. Ob has ergo rationes cessant apud nos Vicarii. Sed *quid fiet reditibus Vicarialibus? Resp.* In ecclesiasticos, aliosque pios usus, maximè pariles, aut analogos impendantur. 1. *Quia* propriè ad opus, laborem, ministerium ecclesiasticum, regiminis ecclesiarum, prædicationis verbi, administrationis sacramentorum

rum in Ecclesiâ, (sub quâ celebratio missarum), institutionis puerorum, &c. fundati sunt: Quædam etiam vicariæ collatæ fuerunt juvenibus ad subsidia studiorum, & præparationem ad officia ecclesiastica. 2. *Quia* reformatio nostra, ut opus ipsum & laborem regiminis, prædicationis, sacramentorum administrationis, prælectionis scripturarum, &c. ex ecclesiis non tollit, sed ad debitum objectum, finem, modum omnia revocat: sic nec necessaria, accessoria & connexa operis & laboris. Non enim est annihilatio, aut alia sive minor sive major deformatio, sed reformatio & repurgatio. Vide protestantium Principum, Jureconsultorum, theologorum contra calumnias Papistarum protestationes apud *Melanthonem*, *Binderum*, *Himmelium*, *Syringum*, *Carpzovium*, &c. *in part.* 2. *consilii nostri theologici pag.* 57. 58. 67. 69. 88. 96. 97. 98. Et consentit laudata praxis in Belgio fœderato, ubi portiones vicariales ab Ill. & præpot. Ordinibus General., ab Ill. Ordd. Geldriæ, Hollandiæ, &c. ad annos aliquot conferuntur studiosis, donec cursum in Academiis absolverint. In hâc Provinciâ anno 1584. à verbi ministris petitum, ut vicariæ converterentur in stipendia ministrorum, quæ tunc in vicis admodum exigua, in quibusdam ferè nulla erant. Vide excerpta ex libello supplice seu *Remonstrantiâ eorum part.* 2. *consilii nostri theologici pag.* 83. Ab Ill. hujus Provinciæ Ordd. anno 1580. 6. Junii decretum, ut reditus vicariales in stipendia ministrorum, & educationem studiosorum converterentur. Sed avaritia, profanitas & valida oppositio Papisticorum capitulorum, pacificationem Gandavensem, pacem religionis, satisfactionem Principis Auriaci, propiorem unionem Ultrajectinam obtendentium, successum & executionem illius consilii impedivit. Vide excerpta ex decretis Ill. Ordd. Trajectinorum *part.* 2. *consilii nostri pag.* 58. 59. 60. Quamvis autem successus laudatæ intentioni tunc non responderit, non incurritur crimen sacrilegii, seditionis, perturbatæ pacis publicæ, &c. si etiamnum hodie melior heroum istorum sententia laudetur, saltem à sacrilegio, & iniquâ prædatione defendatur. Non enim suo aut suorum emolumento vicariales reditus quęrebant, sed publico Ecclesiæ ac Provinciæ bono. Prout idem publicum bonum intendebat inclytus hujus urbis Senatus, cum ante annos aliquot urgeret, ut augmentum stipendii pro ministris in agro Ultraject. justissimè postulatum concederetur ex tertiâ solummodo parte vicariatuum. Quod in honorem inclyti senatus sine seditione & sacrilegio, à me referri, immo & laudari posse opinor. Neque enim in angulo gesta sunt; nec talia sunt, quorum ipsos pudere ac pœnitere debeat.

Sed excipiat quis. 1. *Except.* Quid si quis emat illos vicariatus, atque hoc sub titulo, hac sub specie & imagine, emptis à se reditibus otiosè fruatur. *Resp.* Si justè possidetur quidquid venditur & emitur, ergo & dæ-

dæmon familiaris in annulo, uxor viri cujusque in Angolâ, actio & portio pyratica in societate pyraticâ Aligeriensi aut Tunetanâ, bona quęvis furto ablata, pileus Cardinalitius, Abbatialis pileus, jus primi concubitus, & quid non. Ergo distinctione adhibitâ probandum est, venditionem & emtionem vicariatuum inter reformatos esse licitam. De quâ infra.

2. *Except.* Quid si diviti aut potenti alicui sive apertè, sive tacitè donentur? *Resp.* Quid si pileus Cardinalitius donetur, aut sacerdotium, aut officium inquisitionis fidei, aut pileus abbatialis, aut pedum episcopale? Sunt δῶρα quædam ἄδωρα. Videndum an aliquid donari possit; & quidquid sit de dono & donante, an illud recipere debeas. Offeratur donum judici, Regis aut Principis consiliario, Legato, &c. Sed illi tam facile quam offertur, accipere non debent. Notum est vitium δωροφαγίας: de quo alibi agendum. Quæro, An aliqui domini jure patronatus aliquot vicariatuum gaudentes, bonâ conscientiâ aliquem suum equisonem, atriensem, Dromonem, aurigam, &c. aut quemvis potentem ac divitem octo decemve vicariatibus otiosè (absque ullo concomitante officio & opere in publicum Ecclesiæ bonum redundante) abliguriendis donare possint: non obstante Ecclesiarum, scholarum, Reipublicæ indigentia? Si cui tam valida fides an infidelitas, audiemus.

3. *Except.* Quid si vendantur vicariatus concionatoribus, theologiæ studiosis, ludimoderatoribus, ægrotorum consolatoribus, præcentoribus; in quorum usus proximè & primo reditus illi impendendi dicuntur. *Resp.* tantò pejus. An Curatores & Mecęnates scholarum ac studiosorum, & præfecti, ephori, œconomi seu quæstores bursarum, quæ piè ad subsidia studiosorum fundatę sunt, eas sine improbâ avaritiâ bonis ac dignis ingeniis Ecclesię ministerio consecratis, aut viris in Ecclesiâ jam laborantibus quantovis pretio vendent? An inter studiosos & ministros dignioribus indigniores, si non fucos, præferent? quia scil. hi pretium offerunt; illi non offerunt, aut offerre nequeunt, saltem non tantum? Vah profanam hypocrisin? Deus tales Mercuriales nundinatores convertat, aut reprimat & confundat; ne tandem stipendia concionatorum, pastorales curę, pręsumtæ præsentationes ad ministerium, electiones & approbationes & quæcunque in rebus divinis & humanis suffragia Deo Pluto seu Mammonæ offerantur, & per eos fucis qualificatis, hoc est, nummatis conferantur. Ita redirent nobis illa sæcula Simoniaca, quibus conveniebat illud Mantuani:

Venalia nobis, Templa, sacerdotes, &c.

Et, *Curia Romana non quærit ovem sine lanâ.*

Et, *Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit.*

Et,

Et, infinita iſtius generis ab *Illyrico* in *catalogo*, & *Morneo Pleſſiaco in Myſterio iniquitatis* exhibita. Venit nunc mihi in mentem hanc vicariatuum nundinationem, optimè comparari poſſe cum ſocietate officiorum, quæ Romæ à Papa emi ſolent: pro quâ bonus Caſuiſta *Toletus* ad culinam, & conſuetudinem Romanam non minus gratiosè determinat *lib. 5. de inſtruct. ſacerd. c.* 40. ac alii Caſuiſtæ pro penſionibus, optionibus, lupanaribus & proſtibulis Romanis. Rotunda ſane & πολύτροπος Caſuiſtica, quæ ex facto & voluntate hominum infert jus divinum.

4. *Except.* Quid ſi Papa aut Epiſcopus aut patronus in exolutionem debiti Titio reformato beneficia aliquot conferret; ſacerdotia ſcil, parochias, capellanias ſeu vicariatus, canonicatus, epiſcopatus titulares, &c. tali in caſu recipienda videntur. *Reſp. Neg.* Nam officiis illis, quibus beneficia annexa, aut ipſe Titius in communione Eccleſiæ Romanæ fungeretur; aut vicarios conſtitueret; aut ea venderet; aut ſaltem umbraticis illis titulis, & ſimulacris, inſtar epiſcoporum titularium, ſe indueret: ut illa ſpecie ac μορφώσει beneficio ritè & realiter frueretur. Sed nullum iſtorum eſt licitum: ut ex antedictis ſatis ſuperque liquere arbitror. Primo repugnat neceſſaria ſeparatio ab Eccleſiâ Romanâ: de quo nos *lib. 3. Deſſer. cauſæ Papatus ſect.* 3. Secundo, repugnat regula juris: *Quod quis per alium facit, per ſe facere putandus eſt.* Tertio repugnat, communis ſententia tum noſtrorum tum Papiſtarum, de ſimoniâ. Quarto, repugnat ſcripturarum de ſuperſtitione indirectâ participatâ, de omnis ſpecie & occaſione mali, deque ſcandalo.

XIII. Quæſt. *An commendæ bonorum ad ſuſtentandas ſcholas aut cathedras ſpeciales in ſcholis, ibique explicationes ſcripturarum, aut linguarum Hebreæ & Græcæ, aut iuriſprudentiæ, aut philoſophiæ,* &c. *partim ante faſtigium Antichriſtianiſmi Papalis, partim in tenebris Papatus exſerte fundatorum, à reformatis patronis & tutoribus, ſive propriis ſive communibus & ſupremis pro arbitrio, ſibi ſuiſque, aut quibuſvis aliis prece aut pretio conferri poſsent ſub titulo & ſimulacro lectoris, aut profeſſoris in illius facultatis & cathedræ, abſque ullo tamen reali munere, opere, labore, aut eodem, aut eidem proximè parili atque analogo; tantum ut ementitii & perſonati illi profeſſores redditibus illis otiosè fruerentur? Reſp.* Nego tale quid juri divino & naturali, noſtræque reformationi convenire. Forte quis excipiat, ſi à tutoribus Turcis, Ethnicis, aut dictis Chriſtianis omnis virtutis & eruditionis hoſtibus (qualis alibi nobis ex *Platina* & *Genebrardo* memoratus Papa Paulus II.) cum titulo & ſimulacro illo profeſſorali commenda donaretur, aut ſatis magno pretio venderetur; à quovis illiterato & otioſo homine licitè tunc accipi aut emi poſſe. *Reſp. Neg.* neque enim quævis oblata aut venalia à quovis

ſemper accipienda aut emenda ; eo ipſo quod gratis offeruntur, aut venundantur : uti ad præced. quæſt. notavimus. Et ſanè mira illa & literarum ſtudiis ignominioſa eſſet hiſtrionia , ſi in Academiam quam paulatim ſuccederent, eamque conſtituerent homines otioſi , qui abrogato omni opere Academico & Profeſſorio titulos profeſſorum , aut Doctorum , aut lectorum , aut decanorum in omnibus facultatibus ſibi ſumerent , eoſque tanquam honorarios oſtentarent ; ſub iis poſſiderent atque adminiſtrarent omnes Academiæ reditus ; unde tum annua profeſſorum ſtipendia tum ſportulas ſeu præmia pro togis, vinalibus, diſputationibus, examinibus, promotionibus, comparitionibus, in conventu Academico antehac à veris profeſſoribus prædeceſſoribus ſuis percepta , perciperent , quique ad ἔργον hoc (ut choragium conſtaret) Cancellariis, Rectoribus , ſecretariis , promotoribus ſeu prætoribus, oſtiariis, curſoribus ſeu pedellis, aliiſque officiariis Academicis uterentur ; Qui denique umbraticos ordines, & titulos illos Academicos cum ſtipendiis & emolumentis reſignarent nepotulis ſuis , aut quibuſcunque peregrinis ex ſutorum, ſartorum, mercatorum, nautarum, militum, pragmaticorum , ruſticorum , fœneratorum ſeu Daniſtarum, &c. ordine, maximum pretium offerentibus in propatulo , & quaſi in foro venderent ; indigentibus interim ſcholis, eccleſiis , pauperibus , En Academiam Platonicam!

Spectatum admiſſi riſum (fletum) teneatis amici ?

CAP. VII.

Deteguntur occulta dedecoris ; & inter abutentium apologetica I. *paralogiſmus à particulari excutitur : quo fere ſolo tanquam argumento ad hominem negotium hoc confici poſſe putatur.* II. *Exceptio de conſenſu Magiſtratus rejicitur.*

§. 1. Cum tam variæ ſint, & pleræque inter ſe pugnantes apologiæ , & exceptiones , & quotidiè novas aut ſaltem nove interpolatas fœcundus venter magiſter artis , ingeniique largitor , tanquam hydræ capita , pullulet : operam dabimus , ut eas , quæ in circulis, compitis , & privatis ſuper hâc pragmatiâ colloquiis audiri ſolent , breviter excutiamus. Ubi ergo Achillem cujuſque ; in quem diſcere potui ultimam hujus aut illius abutentis conſcientię analyſin fieri , aut factam eſſe. Subinde enim tales pluſquam ſtraminei Achilles in hanc aciem educuntur , ut nemo ſcriptorum eos victuris in chartis pingere, & oculis eruditorum ſubjicere dignaretur. Nos tamen hac vice hoc agemus.

An-

Antequam ad effugia, exceptiones, palliationes, objectiones accedo, operæ pretium facturus mihi videor, si prius pseudographum seu paralogismum pro turpi & miserando bonorum abusu in tenebris & susurris serpentem, detegam & refutem: talia enim apud literatos detegere est refutare. Est autem pseudographa hæc ratiocinatio plane similis illi, quam ante annos aliquot fœnori-trapetizico obtenderat magnus quis philologus, peculiari diatribâ à nobis delumbata: non ut virum illum nunc defunctum & de literis humanioribus plurimum meritum exagitarem; sed ut fastum fœneratorum cum patronis suis, prætenso hujus Pythagoræ oraculo ecclesiis, synodis, & theologis reformatis protervè atque ignominiosè insultantium retunderem. Uti autem fœneratorum patronus, ex duabus assumtis & præmissis hypothesibus, quas volebat utrimque in confesso esse, theologos quasi ex ἰδίοις confutatos, & sic nullo negotio totam causam confectam somniabat: sic nonnulli sive abutentes sive abutentium patroni in eodem bicipiti Parnasso somniare videntur. Hæc enim aut similis deberet esse illatio.

1. Bona ecclesiastica possunt in foro conscientiæ alios in usus, quam formaliter, directè, immediatè pios (supra indicatos) impendi. Hoc pariter concedunt tum abutentium, tum ecclesiarum, scholarum, pauperum, &c. contra quosvis abutentis, patroni.

2. Magistratus tanquam nutritius, tutor, patronus Ecclesiæ, usum illorum bonorum curare atque ordinare potest ac debet. Hoc itidem utrimque conceditur.

3. Magistratus potest aut posset ordinare (prout alicubi simile quid ordinasse aut ordinare dicitur) ut bona pastoralia, claustralia, bursalia (e.gr. fundata hic Ultrajecti ab Halleto & Joh. Lucâ) cathedrarum seu professionum, templorum, piarum domuum, commendata relinquerentur, aut in commendam concederentur viris nec pauperibus, nec ecclesiasticis, nec scholasticis, nec opere ullo beneficiis illis propriè aut analogicè, directè aut indirectè respondente fungentibus; qui modo prece, aut pretio in monasteria tanquam monachi in abbatias tanquam abbates, in cathedras tanquam professores, in pastorales curas tanquam pastores, in capitula tanquam clerici canonicales, in archidiaconatus tanquam archidiaconi, in scholastrias tanquam scholastici, in bursas theologicas tanquam studiosi Theologiæ, in domos pias & beneficia pauperibus fundata tanquam pauperes, leprosi, sed absque paupertate, aut leprâ, &c. Papalibus monachis, pastoribus, theologiæ & ministerii candidatis, professoribus, pauperibus, leprosis, canonicis, &c. prædecessoribus suis succederent.

4. Ergo licitum est cuique reformato in foro conscientiæ, tali titulo & modo monasteriis, curis pastoralibus, bursis theologicis, piis domibus, cathe-

dris Academicis, cathedralibus & communibus capitulis, ſe inſerere; & bona omnia tanquam commendata otiosè poſſidere atque adminiſtrare, quin & eaſdem commendas cum & ſub ementitis titulis alteri otioſo gratis, aut per venditionem, quaſi in foro aut burſâ Mercatorum, reſignare: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Reſpondeo ad 1. *hypotheſin*, illam nullo modo cauſę, an ſcenę, huic inſervire poſſe, niſi ſit univerſalis. Nam particularis ſi ſit, aut indefinita ęquipollens particulari, jam exibit paralogiſmus à particulari, in hunc modum:

„ Aliquis uſus bonorum directè aut formaliter, nec pius nec eccleſiaſticus,
„ aliquo in caſu, in foro conſcientiæ eſt licitus.
„ Sed uſus bonorum num. 3. & 4. expreſſus, eſt aliquis uſus.
„ Ergo uſus num. 3. & 4. expreſſus in conſcientiâ eſt licitus.

Ut ἄλογοι & ἀλογικοι miſeriam hujus paralogiſmi quaſi manibus palpare queant, en tibi ſimilem.

Aliqua bona trans mare vecta, & in portum delata juſtè poſſidentur.

Bona pyratarum Aligerienſium & Tunetanorum ſunt aliqua bona per mare vecta & in portum delata.

Ergo illa bona juſtè poſſidentur.

Pluribus miſerum hunc paralogiſmum non perſequar: præſertim cum ſocium ipſius in diatribâ de pſeudographemate Uſurario ſatis proſtituerim; & qui utrumvis nôrit, ambos noverit. Forte quis indefinitam propoſitionem mutari vellet in univerſalem, hanc aut ſimilem: omnia bona pauperum, templorum, paſtoralium, collegiorum monaſticorum & canonicalium, piarum domuum, poſſunt in foro conſcientiæ, in quoſvis alios uſus, quam pios aut eccleſiaſticos, ad quos olim fundati ſunt, à privatis otioſis hominibus rapi; aut ſub ementito titulo eccleſiaſtico, ſcholaſtico, paupere, leproſo, &c. commendæ eorum, ſive prece ſive pretio intercedente, accipi; & ſic paſtorum, presbyterorum, canonicorum, piarum domuum collegia ac ſucceſſiones honeſta ſpecie perpetuari. Sed præterquam quod horridum & Cyclopicum hoc dictatum vix à quoquam venditandum putem; reponimus, apud nos, illud in confeſſo non eſſe; & conſequenter nihil contra nos inde, quaſi ad hominem, concludi poſſe.

Reſp. 2. Ad *hypotheſin* ſecundam. Magiſtratus poteſtate à Deo acceptâ debet bona hæc curare, ſicuti & veram religionem atque eccleſiam tanquam tutor & nutritius; debet ſemper bonos tueri, & malos coërcere; debet ſupremâ ſuâ poteſtate diſponere de vitâ, famâ, bonis, ſubditorum: Et cum hoc facit, non eſt tyrannis uſurpans ſeu titulo, quamvis Ethnicus, aut malus *Johan.* 19. *v.* 11. cum *Rom.* 13. *v.* 1.4. & 1 *Petr.* 2. Et hęc hypotheſis utrimque in confeſſo eſt. Sed minimè cauda & extenſio ejus, quam patroni abu-

abutentium tacitè subintelligere & sibi sumere videntur: Quandocunque & quomodocunque Magistratus potestate suâ utitur, nunquam abutitur nec abuti potest, h. e. ne quidem Achab, Manasse, Pilatus, Nero, Julianus, Johannes Basilides Imperator Russorum, &c. fuerunt tyranni abutentes seu exercitio; eo ipso quod non essent tyranni usurpantes seu titulo. Pariter philosophantur Pontificii de supremâ & infallibili potestate Papæ, qui tamen tyrannus est & usurpans & abutens: sive, inquiunt, diligentiam adhibeat sive non adhibeat, quandocunque in rebus fidei & conscientiæ determinat, semper rectè & verè determinat; & consequenter omnium conscientiæ in eo acquiescere possunt ac debent: quippe cum etiam ex peccato facere possit non peccatum. Non dubito quin conscientiæ pyratarum Aligeriensium simili fulcro nitantur: Magistratus enim ipsis non tantum permittit, sed etiam concedit atque ordinat homines & merces in mari interceptas, advehere, partiri, possidere, vendere, &c. Ergo conclusum est pro bonâ conscientiâ pyratarum, contra querelas, oppositiones, & turbationes mercatorum, ac nautarum per totam Europam. Sit ergo hoc secundum pseudographema:

Quod Magistratus pro potestate suâ curare atque ordinare debet ac potest, illud in foro conscientiæ, sine ullo scrupulo, honestè, piè, justè possidetur.

Sed bona quęvis sive publica sive privata, sive politica sive ecclesiastica, &c. intuitu pauperum, scholarum, pastoralium curarum, aliarumque piarum causarum fundata, curare atque ordinare debet.

Ergo, &c.

Major propositio est falsissima: Omnia quæ rectè curare atque ordinare debet ac potest Magistratus, eo ipso non sunt licita in conscientiâ agere, aut possidere. *Aliquando* enim ordinat malum aliquod, quod permittit & tolerat, quia tollere non potest: idque *vel* quia potentiam non habet, & periculum eversionis Reipublicę, aut gravissimæ concussionis metuitur (uti in casu Davidis tolerantis homicidium Joabi): *vel* quia jus & potestatem tollendi non habet, aut per pacta aliasve causas exercitium potestatis impeditur; quomodo & Ill. & Præp. DD. Ordines officia cum beneficiis & bonis Romano-Ecclesiasticis Trajecti ad Mosam supremâ suâ potestate curant & ordinant, & possidentes clericos contra quosvis defendunt: illi tamen nec sua officia bonâ conscientiâ retinere atque exercere, nec beneficia propter illa officia possidere, ne quidem titulos & ordines illos ostentare queunt. *Aliquando* Magistratus negligenter potestate suâ utitur: & hoc in casu ab harpyis bona privatorum, aut publica pauperum, pastorum, scholarum, &c. honestè non possidentur, quæ & quia è manibus eorum à Ma-

giſtratu non vindicantur. *Aliquando* Magiſtratus ſuâ poteſtate turpiter abuti bona privatorum, aut ærarii publici, aut paſtoralium curarum, aut ſcholarum, aut pauperum, in culinam ſuam inferendo, aut otioſis hominibus, quibus viſum eſt, prece pretiove intercedente, eadem ſive ſub ementitis titulis commendando, ſive dominium eorum planè alienando & ad illos transferendo. Inde tamen in foro conſcientiæ bonorum illorum legitima poſſeſſio non extruitur. E.gr. Si Achab Nabothi agrum ſibi vindicet, an bonâ conſcientiâ eam poſſidebit? Si vicino Nabothi, aut otioſo alicui ex famulitio ſuo totam hæreditatem viventi Nabotho ſine juſtâ causâ ablatam concederet: an hic ſine ſcrupulo conſcientiæ juſtè in eam ſuccederet? Si divitibus aliquot inhiantibus orphanorum, aut pauperum, aut paſtoralium curarum, aut burſarum à nobiliſſ. Halleto & Joh. Luca Francothalio, ad ſtudia theologica, aut ante tempora reformationis ad quævis ſtudia eruditionis fundatarum bonis, Magiſtratus in eadem involare, & ſucceſſivè ex iiſdem otioſè cuticulam & culinam ſuam curare permitteret, aut etiam vellet ac juberet: an ideo juſtè & piè ſub ementitis & ſimulatis piarum cauſarum, conditionum, functionum titulis omnia illa bona poſſiderent, atque adminiſtrarent? Quid ſi quis ementito titulo familiæ, ſucceſſionis, hæreditatis Nabothi, permittente aut volente Rege Achabo (extra caſum criminis & juſtæ pœnæ) poſſeſſionem vineæ ejus adiret? An prætensâ regis poteſtate ſatis conſultum eſſet conſcientiæ talis poſſeſſoris? Sed de poteſtate Magiſtratus mox rurſum dicendum erit.

Reſp. 3. *Ad tertiam propoſitionem, Primo*, phyſicè aliquid poteſt Rex aut Princeps, quod ethicè non poteſt; quia iniquum eſt e.gr. poteſt Nero aut Baſilides Moſcorum Imperator occidere quemlibet ex ſubditis, poteſt uxorem ejus rapere & ſtuprare, poteſt bona ejus pro arbitrio auferre, in uſum ſuum, aut aliorum quorumvis, ad quos ea transferre voluerit. Sed inde non ſequitur, in conſcientiâ hoc licitum eſſe. *Secundo* à poſſe ad eſſe non valet conſequentia. Dato enim potuiſſe aut poſſe bona omnia paſtoralia, clauſtralia, ſcholarum, templorum, leproſorum, exulum, ęgrotorum, peſte laborantium, lue Hiſpanicâ laborantium, orphanorum, aliorum quorumvis pauperum, cum & ſub ementis ejuſmodi titulis & ſimulacris commendata relinqui hominibus, nec paſtoribus, nec monachis, nec profeſſoribus, nec ſtudioſis, nec leproſis, nec peregrinis, nec exulibus, nec pauperibus, nec leprâ, nec lue Hiſpanicâ laborantibus, ſaltem in propatulo illud non profitentibus; qui modo ordinibus & titulis illis vel prece vel pretio ſe induerent, & ſic prædeceſſoribus ſuis verè paſtoralem, aut monaſticum & eccleſiaſticum ſtatum atque ordinem in Eccleſiâ Romanâ antehâc profitentibus, aut verè leprâ laborantibus, & cum crepitaculo, pro more iſtorum temporum, ſtipem men-

mendicantibus, aut verè lue Hiſpanicâ in Noſocomio S. Jobi (quale in uno ſuburbium noſtrarum ſatis celebre fuit) laborantibus, ſuccederent. Inde tamen non ſequitur hoc à Magiſtratu ubique aut alicubi, aut ubivis, ubì abutentes aliqui inveniri poſſent, ſic factum eſſe: nedum ut ex fictione ejuſmodi parabolicâ, aut facto imiginario, aut dubitatione, aut vanâ conjecturâ, aut quodlibeticâ & otioſâ diſceptatione (quam forte unus atque alter in gratiam abutentium ſubire auderet) actuale jus in foro po[illegible] actualis legitima poſſeſſio accerſi, & ſic ex mero abutente, bonæ fidei & conſcientiæ poſſeſſor repente fieri poſſet. Si hoc eſſet inoffenſam conſcientiam ſervare coram Deo & hominibus (*Actor.*24.*v.* 16.) utique fateor me neſcire, quid ſit inoffenſa conſcientia. Sed ne procul abeamus, dentur decreta, ſtatuta, diplomata, inſtrumenta, declarationes, apologię Principum & Magiſtratuum Proteſtantium & Reformatorum, quibus talem uſum (abuſum ſcil.) bonorum profiteantur, approbent, defendant, tanquam pium, & juri divino, ſecundum ſuam religionem & conſcientiam, maximè convenientem. Vel unum ſi proferre poſſint, utique factum agnoſcam; ſed illud juri divino & naturali (de civili viderint Jureconſulti) repugnare mox ad oculum oſtendam. Sed nullum proferri poſſe, ſat ſcio. Si quis paralogiſmis, pſeudographematis, *ſophiſmatis abductionis*, *ignorationis elenchi*, *plurium interrogationum*, *à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter* incautos decipere velit, (qualibus artibus hic agitur), is apud mediocriter ingenioſos & doctos, deſperatam cauſam prodíturus eſt. *Tertio*, Facta quævis particularia Magiſtratuum ἁπλῶς quid omittentium aut committentium non ſunt leges: uti conſtat ex definitione legis apud Theologos, Politicos, Jureconſultos. Et dato eſſe leges, non tamen ſunt regula conſcientiarum, nec licitum quid faciunt jure divino. Uti apud Theologos illud in confeſſo eſt, & ex Jureconſultis celeberrimus *Grotius* illud agnoſcit *lib.*1. *de jure belli & pacis cap.*4. §. 3. ubi de jure Regum Iſraëliticorum. *Non eſt*, inquit, locus 1 Sam.8. v.11 - 19. *de jure vero intelligendum, id eſt, de facultate honeſtè & juſtè aliquid agendi: longè enim aliter præſcribitur* Deuter. 17. v.14. *Neque nudum factum indicatur*, &c. *ſed factum, quod effectum aliquem juris habeat*, &c. Quod nos alibi examinamus in 4.*part. ſelect. diſp. tit.* de Jure regio Hebræorum.

Reſp. Ad *quartam* propoſitionem, eam tanquam concluſionem, non ſequi ex prę miſſis; non magis quam ex iſtis hypotheſibus: *Conjunctio maris & fœminæ eſt licita jure divino & naturali*; & *Magiſtratus eſt dirigere atque ordinare iſtam conjunctionem*: ſequitur hæc concluſio, Ergo Herodes bonâ conſcientiâ cum & ſub titulo mariti, fratri ſuo ſuccedit, ejuſque uxorem habet, tenet, poſſidet. Unde altera concluſio, ſeu conſectarium hoc educeretur:

ceretur: Non tenetur ergo eam dimittere: juxta textus juris canonici & civilis, *Gaudeant possidentes*, Et, *justè possidet, qui volente prætore* (rege) *possidet*. Hactenus videre aut audire non potui unum ex abutentibus, aut eorum patronis, qui unico argumento artificiali, aut inartificiali, seu testimonio (ex scripturâ, patribus, reformatis doctoribus) adducto, apertè & in terminis concluderet quæstionem propositam, ut plus aut minus non inferretur in conclusionem. Quod an signum sit bonæ causæ, & confidentiæ in eâ, piis & prudentibus æstimandum relinquo. Qui veritatem & piam conscientiæ informationem ex animo coram Deo quærit, non debet statum quæstionis fugere, aut turbare: non debet aliam quæstionem determinandam sumere, ne tacuisse videatur. Saltem Pontificiis pro missâ suâ, pro religiosâ invocatione imaginum sic argumentantibus, desperatam causam, & ἀκρισίαν aut malam conscientiam objicere solemus.

§. 2. *Exceptio* & palliatio, quę quasi universalis, directiva, subsidiaria, & quasi omnium aliarum succedanea, & vicaria, si non subsistant; desumitur à potestate & voluntate Magistratus. Hoc ipsis est instar eucharistii Archimedei, quo vel terram moveant. Sed facile removetur, si legitimè demonstranti εἰς ἄλλο γένος, ex foro soli ad forum poli non transeundum cogitemus. Quæritur de licito in foro conscientię; an scil. pius & reformatus Christianus, sine scrupulo conscientiæ bonis pastoralibus, claustralibus, scholasticis, canonicalibus, aliisque piis in usum ecclesiarum, ministrorum, collegiorum, pauperum, antehac, partim ante Papatum, partim sub Papatu fundatis (quamvis non sine intercurrente errore, peccato, defectu fundatorum) sub talibus ementitis titulis, & tali modo otiosè, ut jam dictum est, uti ac frui possit; eaque aliis, unà cum titulis, simulacris & larvis illis resignare ac vendere: non obstante ecclesiarum, scholarum, pauperum, peregrinorum, exulum (præsertim propter Christum), ministeriorum & missionum inter infideles, Pontificios, aliosque errantes Christianos, indigentiâ.

Huic effugio de potestate & voluntate Magistratus 1. *Repono* potestatem Magistratus circa corpora & bona subditorum tum privata tum publica, tum ecclesiastica tum politica, non esse absolutam & arbitrariam; sed legibus fundamentalibus, pactis, juratis promissionibus circumscriptam ac limitatam: saltem in Belgio nostro, uti constat ex decreto Illustr. DD. Ordd. anni 1581. quo principatum abrogabant Philippo II. Belgarum tunc Principi, *Althusii politica*, *Philippi Parei disceptatione*, cum *Davidis Parei commentar. in Rom.* 13. *Magdeburgensium scripto de jure Magistratus in subditos*, *synopsi professor. Leidens. tit. de Magistratu.* Non est ergo, quod à me in libertate fœderati Belgii nato & educato plures hic indicentur; cum pro clypeo suffi-

ciat decretum Ill. Ordd. modo cit. Quod si quis ad tantam lucem oculos claudat, ei nullum aliud collyrium restat, quam ut Toparcha, aut Magistratus urbicus, aut oppidanus, aut vicanus, cui subest, omnia bona ipsius auferre, & ad suum nepotulum, aut cognatum, aut quemcunque alium otiosum hominem pro arbitrariâ potestate, gratuito favore aut numerato pretio intercedente, transferre tentet. Si ne tunc quidem oculos aperiat, utique morbo incurabili illum teneri credam. 2. *Repono*, Potestatem & voluntatem legitimi Magistratus sive permittentem, sive approbantem, non posse in foro conscientiæ licitum cuiquam reddere, quod in se & per se illicitum est. Alioquin incestæ nuptiæ, polygamia, simplex fornicatio, concubinatus, magia candida, pyratica, religio Ethnica, Turcica, Papistica, Sociniana, usura mordax, lusus aleæ, choreæ, &c. in foro conscientiæ essent licita: quia omnia illa Magistratus aliquis infidelis, quædam etiam Christianus, immo & reformatus, vult voluntate aut approbante, aut saltem permittente & ordinante.

Except. Sed contra responsionem & distinctionem nostram excipitur, idem esse forum soli & poli, & quidquid illic licitum est, hic etiam esse licitum. *Resp.* Si hæc distinctio rejicitur, pariter etiam rejicienda erit distinctio inter tolerantiam mali, & ejusdem patrationem aut approbationem. Quod longè absurdissimum est. *Illa* enim secundum scripturas, aliquo in casu est licita Reipubl. rectoribus & Ecclesiæ antecessoribus *Matth.* 19. *v.* 8. 9. ubi de libello repudii. Et *Hebr.* 5. *v.* 2. *Galat.* 6. *v.* 1. 2. ubi de tolerantia alieni peccati. *Ista* vero nemini unquam est licita. Nec juvat, si quis ad politias reformatas, aut ad accuratè reformatas, qualis est Belgii fœderati, hanc adæquationem fori utriusque restringat: quia in politiis Ethnicis, Turcicis, Papisticis æque legitimus est Magistratus, æque supereminens potestas, æque jurisdictio cum imperio, & jus dominii externi (quod in gratiâ & fide non fundatur) ac in reformatis. *Deinde* in Belgio duo illa fora non coincidunt, nec sunt adæquata ac reciproca. In uno enim cuilibet licet esse Papistam, Anabaptistam, Remonstrantem, Antitrinitarium, Libertinum, &c. quin & Deum in familiâ suâ, eo modo colere ac orare, quo cuique visum est, juxta decretum Ill. Ordd. General. contra conventicula Remonstrantica editum anno 1619. In altero vero talis libertas aut licentia nemini conceditur. Licet præterea otiosè totos dies aleâ, confabulationibus, & compotatiunculis sive domi suæ sive in tabernis seu pandocheis comburere; licet mendaciis officiosis, & jocosis uti, quotiescunque visum fuerit; licet cucullis & poculis salutis & haustibus conditionatis proximum urgere, torquere, inebriare; licet verba otiosa effutire; licet, immo cuidam hominum generi hoc decorum & maximè conveniens videtur, moderatè seu tepidè

 pium,

pium, religiosum esse, ministerium verbi & ministros Christi parvi facere, conciones eorum, quas ad emendationem & consolationem ruminari & applicare debebant, carnali criticâ examinare, & exagitare; trapezitis licuit, & licet fratres attenuatos, quin & pauperes ex eleemosynis viventes fœnore 32½ aut 21. aut 16. flor. premere, eorumque necessaria pignora detinere ac vendere, & lucro illo gaudere cum heredibus suis, absque ullâ restitutione. Sed nihil istorum licet in foro conscientiæ. Sexcenta ejusmodi adferri possent, in quibus forum politicum & externum ab interiori conscientiæ foro, & τὸ legitimum seu ἔννομον in utroque distingui necesse est. Accedit consensus theologorum non tantum nostrorum, sed & Pontificiorum, qui inter forum interius conscientiæ & forum exterius tum politicum tum ecclesiasticum (quod contentiosum appellant) sollicitè distinguunt. Nec deest Jureconsultorum, qui hanc distinctionem inter licitum in foro conscientiæ & jure divino ac naturali, & inter licitum in foro externo & jure civili, haut obscurè agnoscunt, ad L. 4. C. *de malef. & Math.* Ubi de magiâ beneficâ seu albâ, ita dictâ. Vide *Tholosanum lib.* 34. *cap.* 18. §. 1. Iidem concubinatum jure antiquo (apud *Tholos. lib.* 10. *c.* 1. & *Althus. lib.* 1. *c.* 79.) etiam canonico (*c. Is qui dist.* 34.) obtinentem, damnant & damnare debent, siquidem Christiani sunt: quod tamen fieri nequit absque distinctione inter jus divinum & humanum, inter leges Christi & Cæsaris, inter jurisprudentiam Pauli & Papiniani, inter concessum in Republicâ, & in foro conscientiæ licitum ac probatum. Applica hoc sententiæ *Amesii lib.* 5. *Casuum c.* 41. *qu.* 3. 8. 19. 23. & quorundam Jureconsultorum & Canonistarum (contra quos disputat *Azorius part.* 3. *theol. mor. lib.* 1. *c.* 16. *Tholosanus lib.* 40. *c.* 11.) de jure acquirendi dominii per usucapionem, quæ Romanis aliarumque gentium & hodiernis Christianarum politiarum, nominatim Belgii nostri legibus ac moribus obtinet & probatur. Vide *Grotii lib.* 2. *Jurisprud. Holland. sect.* 7. coll. *Althusii lib.* 1. *dicaiol. cap.* 41. & *Tholosani lib.* 40. *c.* 11. qui ibid. asserit eam esse juris gentium, nec repugnare naturæ. Et *Balthasaris Conradi Zahn. J. C. de jure & jurisdictione municipiorum cap.* 6. & 80. Adde & *Eustathium de temporalibus intervallis tom.* 2. *Juris Oriental. Græc. p.* 241. Ejusdem justitiam defendunt Canonistæ & theologi Pontificii apud *Lessium lib.* 2. *de Just. & jure c.* 6. *Azorium part.* 3. *lib.* 1. *c.* 16. aliosque Casuistas; ex professo apud nos egit hoc ex JCCtis. *Hugo de Roy, lib.* 3. *de eo, quod justum est tit.* 3. 4. 5. 6. Opinionem usucapioni oppositam, quamvis torrenti legum, morum, & doctorum adversantem (quam meam non facio) autores ejus, suo judicio à crimine sacrilegii, seditionis, rebellionis, perturbatæ pacis publicæ purgasse putârent, se satis adhibitâ distinctione inter jus divinum & naturale (*Matth.* 7. *v.* 12.) & inter

ter jus humanum; inter forum ſoli & poli: quod ſcil. acquirentibus per uſucapionem, in illo foro & ſecundum illud jus, injuſtæ poſſeſſionis non condemnent; ſed tantum in iſto foro & ſecundum iſtud jus. Hæc ita, & non aliter, à ſe intelligi, judicari, & abſque dolo malo aſſeri, tantum ut conſcientiæ ſuæ ſatisfaciant, veritati, & juſtitiæ & conſcientiis Chriſtianorum conſulant, ſi dicant theologi, aut Jureconſulti, quotquot ita ſentiunt: non video cur excuſationi illi acquieſcendum non ſit; & error, qui hic à communis ac politicè ſatis ſuperque præjudicatæ ſententiæ aſſertoribus notatur, moderatè non tolerandus. Ex *Grotio de iure pacis & belli ſupra cit.* diſtinctio juſti in foro poli & ſoli ſatis evidenter elicitur. Illam diſtinctionem nos alibi ex profeſſo docuimus, in 4. *part. ſelect. diſpp. tit. de foro poli & ſoli.*

Sed forte quis inſtet. *Inſtantia.* Si Magiſtratus & quidem Chriſtianus, immo & reformatus, juſtus, pius, omni exceptione major, talem uſum bonorum excerto decreto, aut lege latâ conſtitueret ac probaret tanquam adiaphorum, in conſcientiâ licitum, & juri divino ac naturali conformem: videretur tunc præſumtus abuſus ille plane ſublatus, & ab omni conſcientiæ ſcrupulo liberatus. *Reſp.* Non magis, quam Magiſtratus Pontificius, qui Chriſtianus & pius audit, approbando atque autoritate ſuâ muniendo hęreſim & idololatriam Papiſticam in foro conſcientiæ licitam facere poteſt. Rationes ſunt. 1. *Quia*, totus Chriſtianiſmus in rebus fidei & conſcientiæ infallibilitatem negat quibuſcunque Principibus & Magiſtratibus. 2. *Quia*, proteſtantes & reformati omnes negant infallibitatem conciliis, etiam univerſalibus. 3. *Quia* reformati communiter claves regni cœlorum, poteſtatem eccleſiaſticam publico, antecedente, directivo judicio diſcretionis ex verbo Dei determinandi de iis quæ & quatenus ad fidem, conſcientiam, & mores vivendi pertinent, tribuunt Eccleſiæ, non Magiſtratui. De quo ſupra *lib.*1.*tract.*1. fusè egimus; & docet communis praxis in ſynodis aliiſque Belgii conventibus. 4. *Quia*, quidquid poteſtatis Magiſtratui in ideâ; ab aliquibus tributum ſit: nunquam tamen diplomatis, judiciis, decretis, declarationibus publicis Regum, Principum, Magiſtratuum Proteſtantium & reformatorum in Imperio, in Galliâ, Magnâ Britanniâ, Daniâ, Sueciâ, Hungariâ, Tranſſylvaniâ, Poloniâ, Helvetiâ reformatâ, Belgio fœderato, pro tali abuſu in caſu conſcientiæ & ex jure divino determinatum vidi. Proferantur, ſi quæ ſint: nos in noſtri *conſilii theologici part.* 2. contrarias plurimorum declarationes produximus. Si quæ particularia facta, à decretis & proteſtationibus diverſa huc adduci poſſint, illa ſententiæ & proteſtationi ipſorum præjudicare non debent. Siquidem etiam piiſſimi in multis labuntur *Jacob.* 3. *v.*2. & malum quod no-

sunt, faciunt *Rom*, 7. *v*. 15. 16. 19. Facta omnia Noachi, Abrabami, Davidis, Asa, Petri, &c. non sunt nobis lex, & norma conscientiæ: multo minus facta quorumvis Principum & Magistratuum jam inde à reformatione anno 1517. usque in hunc diem. 5. *Quia*, dato non concesso, alicubi Principem aut Magistratum reformatum (quod tamen non credo) in casu conscientiæ ex jure divino, uti prętenditur, hoc ita determinasse: ego verè, piè, convenienter juri divino, naturali (de civili viderint Jureconsulti), & communi doctrinæ reformatorum, contrarium determinarem; eosque graviter errasse aut errare dicerem, non minus ac Protestantes & reformati in Imperio Germanico, in Regnis Galliæ, Poloniæ, Hungariæ, contra Imperatoris, Regum suorum Papismo addictorum sententiam sine rebellione, seditione, sacrilegio, in casu & foro conscientiæ, determinare solent. Quis theologus aut Jureconsultus non fatebitur cum magno & πολυμαθεστάτῳ *Raynoldo prælect.* 207. in libb. apocryphos, Constantinum, Theodosium, Justinianum, quamvis Christianos, orthodoxos, pios, pessimè determinasse, cum ab *omni criminatione liberandos* censent eos; *qui incantationibus ad salutem cujusquam hominis utuntur*, L. 4. C. *de malef. & mathem.* Possem hic quibusdam abutentium patronis argumentum ad hominem opponere, desumtum ex legibus, decretis, statutis, factis, dictis, Imperatorum, Principum, Magistratuum, contra fœneratores; quæ omnia abutentium patroni pro autoritate suâ, atque una antiqui & hodierni Christianismi & synodorum universalem consensum, difflare solent, errorem illis impingendo: & nihilominus huic aut illi facto particulari, si quod quærendo invenire potuerunt, tanquam Caucaso nos alligatos volunt. Sed differo hoc in aliam occasionem.

Quæres ergo quid faciendum, si legitimus Magistratus potestate suâ abutens, aut extraneus terras invadens ecclesiis, pauperibus, &c. omnia bona eripiat? *Resp.* ferendum est, & ipse misericordiæ Dei ad resipiscentiam, aut justitiæ & judiciis ejus relinquendus. Applicandum huc illud *Ambrosii epistol. lib.* 5. *ep.* 32. *pag.* 147. „Sed quid & ipse mandaverim potuistis ad-„vertere, deserendę ecclesiæ mihi voluntatem subesse non posse, quia plus „dominum mundi quàm seculi hujus Imperatorem timerem. Sanè si me „vis aliqua abduceret ab ecclesia, carnem meam exturbari posse non men-„tem. Paratum me esse ut si ille faceret quod solet esse regiæ potestatis, „ego subirem quod sacerdotis esse consuevit. Quid ergo turbamini? *Vo-„lens nunquam jus deseram, coactus repugnare non novi. Dolere potero, „potero flere, potero gemere: adversus arma, milites, Gotthos quoque „lachrymæ meæ arma sunt.* Talia enim munimenta sunt sacerdotis. „Aliter nec debeo nec possum resistere, Fugere autem & relinquere

eccle-

„ ecclesiam non soleo, ne quis gravioris pœnæ metu factum interpre-
„ tetur.

Except. 2. Princeps aut Magistratus est Dominus & possessor illorum bonorum: potest ergo dominium eorum transferre in quoscunque ipsi visum fuerit; idque per venditionem aut donationem: consequenter justè acquirunt, & justo titulo possident, qui eadem sic emerunt, aut dono acceperunt. *Resp. Neg.* Dominium utile seu proprietatis esse penes Principem aut Magistratum: alioquin & diaconiæ, omniumque pauperum & piarum domuum bona eorundem possessio essent. Opponentes, si de suo patrimonio, quod aliunde in Belgium intulisse se gloriantur, in specie hoc primum statuerent; & Magistratus facerent ipsis secundum fidem ipsorum: tum demum occasio nata mihi videretur de potestate & dominio Magistratus plenius disceptandi.

Interim novam hanc jurisprudentiam æque ac absolutam & arbitrariam Principum suorum potestatem ignorabant Ill. & pot. Belgii Ordines, cum anno 1581. inter actus tyrannidis & causas ablati Philippo II. principatus, numerabant translationem aliquot bonorum monasterialium ad novos episcopatus, hoc est, à clericis ad clericos. Quid dixissent, si suis domesticis, aut præfectorum, nobilium, militum, hominum otiosorum non-clericorum, sed titulos clericales induentium, usibus eadem pro arbitrio applicasset? Quæ sint bona Principis propria, quæ bona fiscalia, quæ bona Regni & Reipublicæ, &c. à politicis & Jureconsultis discendum & præcognoscendum est illi, qui de his disceptare velit. Definitiones eorum ubi istic inspexerit, facile eorum distinctionem à bonis ecclesiæ, & pauperum perspiciet. Videatur, compendii causâ, *Althusius Politicæ cap.* 24. & 35. & 37. qui idem conferri potest *lib.* 1. *dicaiolog. cap.* 32. *&* 81.

CAP. VIII.

Octo effugia usurpantium & abutentium tolluntur.



UT naufragio in mare ejecti arripiunt proximum quodque illic fluitans, quamvis minimè profecturum: sic desperata abutentium causa refugium quærit in quovis, quamvis cum aliis in hâc causâ effugiis, aliisque eorundem causis, thesibus, & hypothesibus strenuè pugnet. §. 1.

Quæritur ergo *primum effugium, in magno quodam postulato: Bona, de quorum usu jam inde à primâ reformatione laboratum fuit, & quorum abusum Pontificii nostris objiciunt, non fuerunt intuitu piæ causæ & ad religiosos aut*

aliquos pios usus sive per tributum justitiæ sive per spontaneas oblationes Christo & Ecclesiæ Christianæ collecta ac fundata : sed diabolo, idolis, Antichristo, in usus merè idololatricos & Antichristianos. Ergo sunt impura, diabolica, idololatrica & Antichristiana, idololatriæ dicata & appropriata. Hæc prima conclusio & consequentia. Quid inde ? Ergo sequitur, inquiunt, ea non esse bona ecclesiastica, nec ecclesiasticis ac piis puræ reformatæ religionis usibus propriè & primo applicanda ; sustentationi scil. pauperum, piarum domuum, plantationi ecclesiarum, ædificationi templorum, apertioni scholarum, stipendiis ministrorum, lectorum, studiosorum, &c. *Reservato residuo aut superfluo ad necessitatem Reipublicæ, & levamen subditorum. In hâc consequentiâ convenit patronis abutentium cum Anabaptistis & Brownistis :* uti infra *tract.* 3. *de stipendiis ministrorum*, citatis ipsorum verbis, ostendam. *Resp.* 1. datâ, non concessâ hâc consequentiâ, quomodo jam inde concludetur ista thesis controversa: Ergo „ bona illa possunt sine scrupulo conscientiæ possideri ab otiosis, quamvis „ religione reformatis aut neutralibus, ordines tamen & titulos Romano „ ecclesiasticos (sacerdotum episcoporum, abbatum, parochorum, mo„ nachorum, archidiaconorum, decanorum, scholasticorum, vicariorum, „ &c. assumentibus, simulantibus : ut hoc titulo & simulacro prædecesso„ ribus suis sub Papatu, pastoribus scil. seu curatis, vice-curatis, professo„ ribus theologis, theologiæ & sacerdotii candidatis, Episcopis eorumque „ vicariis in sacris, Archiepiscopis, Cardinalibus, cantoribus, lectoribus, „ monachis (Benedictinis, aut Nortbertinis, aut Cistercienſibus, aut Au„ gustinianis, &c.) eorumque abbatibus, prioribus, Guardianis, patribus „ item seu rectoribus nonnarum, archidiaconis, diaconis, scholasticis, &c. „ speciosè succedant ; & secundum jus & morem antiquum, sub dictis titu„ lis eadem bona ac beneficia privatis usibus suis vindicent : non obstante „ indigentiâ ecclesiæ in sui ipsius ædificatione, ad exteros missione, infide„ lium & errantium conversione, aliarum ecclesiarum laborantium auxilio „ ac solatio ; non obstante etiam scholarum, templorum, pauperum, exu„ lum, Rerumpublicarum necessitate ; quæ ad publicos ac magis necessa„ rios usus bona illa impendenda clamat. *Resp.* 2. ad postremam hanc consequentiam : me velle videre qui hanc candidè sine ambagibus, tergiversationibus, involucris, deducat, eamque contra Pontificios convenienter juri divino, & communi reformatorum doctrinæ defendendam sumat. Sed non arbitror hoc quenquam facturum. Et si hoc non fiat ; ajo controversum casum non tangi : sed ipsum statum controversiæ vitari aut mutari, aut involvi ; & consequenter ipsos proponentes in conscientiâ trepidare, & aliorum conscientias informandas in bivio relinqui, aut abduci.

Sed forte excipiat quis 1. *Except.* Saltem hoc ex antecedentibus sequetur,

retur, posse etiam alios in usus, quam directè ecclesiasticos aut pios impendi. *Resp.* Detur hoc sequi, quid tum? An hæc est principalis controversia? an nos hoc negamus? Minimè. Quin supra exsertè hoc asserimus. Sic tamen ut concludendum erat, ergo in usum illum converti possunt, quem modo descripsimus, quemque nos cum universali Christianismi antiqui & hodierni consensu (quamvis consensus non sit nec requiratur in omnibus & singulis rationibus, quibus thesis probari solet) in conscientiâ illicitum esse contendimus. Quod si quis ex antecedentibus ita concludat (uti opponens categoricè affirmare & concludere, nostręque conclusioni neganti contradicere deberet: aut eidem, hoc est, veritati, locum dare); jam committet paralogismum à particulari, aut pinget pseudographum à genere ad speciem, aut à specie ad individuum affirmative, hunc in modum: Aliquis usus aliquorum bonorum, seu alicujus portionis bonorum, directè & formaliter nec ecclesiasticus nec pius, est licitus; uti nos concedimus: ergo omnis bonorum usus, etiam iste (scil. controversus) est licitus. Vel sic, Usus bonorum non-pius, aut non-ecclesiasticus est licitus. Ergo controversus ille usus (qui nec pius nec ecclesiasticus est) in foro conscientiæ licitus est. Quasi inferas, est animal, ergo est equus; est equus, ergo est bucephalus.

2. *Except.* Saltem datis antecedentibus, sequeretur, Magistratum idololatriâ & Antichristianismo profligato, posse ea bona dissipare, corruptæ Ecclesiæ auferre, & usibus seu abusibus controversis modo descriptis, relinquere. *Resp.* 1. *Quiquid* posset, vellet, permitteret, ordinaret, quidquid ageret aut non ageret Magistratus: inde tamen non infertur, posse quem sine scrupulo conscientiæ bonis illis sic uti. Neque enim aut cessatio, aut voluntas aut noluntas Magistratus circa res quascunque est adæquata conscientiæ norma: ut præcedenti paragrapho ostensum est. Nec puto quemquam hanc thesin defensurum. 2. *Aliud* est auferre aut impedire Antichristi ejusque satellitum iniquam & usurpantem circa bona ecclesiastica potestatem: & aliud est bona illa transferre, aut permittere, ut à privatis hominibus transferantur in usus illos modo descriptos. Prius docet & probat doctrina reformata: posterius minimè; hoc enim esset mutare abusum alio abusu. Quasi reformati Principes ac Magistratus, remoto Papa cum suo satellitio, alium Papam, hoc est, monarcham ecclesiasticum, professione reformatum, aut libertinum, aut neutrum, saltem non-Papistam, permitterent aut substituerent, & similes Cardinales, archiepiscopos, Monachos, sacerdotes illi adjungerent, qui sub titulis & simulacris illis reditus ecclesiasticos quasi pręcedessorum suorum successores legitimi, sibi vindicarent.

3. *Ex-*

3. *Except.* Saltem ſequeretur, ſi bona illa diabolo, antichriſto, idololatriæ devota atque appropriata eſſent, fiſco adjudicanda, aut ſaltem in ærarium publicum à Magiſtratu redigenda. *Reſp.* Quidquid eſſet de jure fiſci, & de illatione in ærarium publicum (de quo infra); non ſequitur tamen ærarium illud publicum ſine ſcrupulo conſcientiæ, ſub illis Clericorum Papalium ſimulacris ac titulis, ab hominibus otioſis expilari, & in uſus privatos converti poſſe; aut à reformato Magiſtratu otioſis hominibus talem ærarii expilationem & ſcandaloſum abuſum deferri poſſe: ſiquidem jus, poteſtas, potentia non deſit bona illata in ærarium, in meliores, publicos, ac magis neceſſarios uſus impendendi. Huic reſponſioni nihil opponi poteſt, quam cujuſcunque ſupremi Magiſtratus poteſtatem eſſe abſolutam ac mere arbitrariam, eumque nullâ lege divinâ aut naturali, nullis etiam pactis ac juramentis circumſcriptam; eique licere quodlibet, &c. Sed iſtæ κολάκων an κοράκων aulicorum quorundam inſaniæ, geminæ planè furoribus Canoniſtarum de Papâ ſuo philoſophantium, refutationem non merentur; & jam ſatis ſuperque ab aliis exploſæ ſunt. Libet hic quęrere, an ſi Magiſtratus permitteret, aut concederet bona à Proteſtantibus & reformatis in uſum paſtoralium curarum, templorum, pauperum, ſcholarum, ſtudioſorum theologiæ, converſionem fidelium & errantium, in redemtionem captivorum, in hoſpitium peregrinorum, in ſolatium ęgrorum, in dotem pauperum virginum, in præbendas honeſtarum familiarum ex eleemoſynis non viventium (quales hic ſunt prebendæ Buchelianæ) pie, legitimè, reformatè fundata, ſub ementitis titulis uti dictum eſt, poſſidere; An inquam homines otioſi nec tamen verè pauperes, aut paſtores, aut ſtudioſi, aut profeſſores, &c. nec opus tale aut parile ex præſcripto donationis curantes atque intendentes, ſine ſcrupulo conſcientiæ titulis illis ludere & reditibus gaudere poſſint? Et, quod ſi tale quid fieret, an culpa eſſet tantum aut præcipuè penes Magiſtratum, an penes abutentem? *Reſp.* 2. ad penultimam conſequentiam: eam ab Anabaptiſtis propoſitam refutat *Bullingerus*, à nobis infra *tract.* 3. *de ſtipendiis miniſtrorum cit.* Eadem etiam refutatur à Browniſtarum antagoniſtis (inter eos *Pageto*) & à nobis infra *part.* 4. *tit. de Templis*; ubi diſceptatur de templis idolorum, uſui eccleſiæ reformatæ applicandis, abſque ullâ idololatriæ participatione ac pollutione. *Reſp.* 3. ad primam concluſionem ſeu conſequentiam, bona illa formaliter diabolica, idololatrica, Antichriſtiana non eſſe dicenda: quamvis non ſine intercurrente aut accedente donatorum ſuperſtitione Chriſto & Eccleſiæ Chriſtianæ ad cultum Dei & fidei propagationem fuiſſent donata. Quod ſi quis per extrinſecam denominationem talia vocare velit, ſicut civitas, regio, Judea, Hieroſolyma poſſunt vocare idololatrica; inde tamen non ſequitur

tur magis fugienda esse aut minus à nobis ad meliores usus adhibenda, quam aërem, aquam, naves, domos, agros, fruges, poma, ligna, lapides, &c. Adjunctus enim abusus in ortu, dedicatione, possessione, unicum & innocuum illorum bonorum usum non tollit: sed una cum ipsâ superstitione, errore, tollendus est; & genuinus ejus usus unà cum fidei Christianæ veritate solummodo retinendus aut restituendus. Hæc de communi sententiâ reformatorum, est genuina ac necessaria fidei & Ecclesiæ Christianæ cum adjunctis reformatio & purgatio; non ejusdem annihilatio aut eversio. *Resp.* 4. ad primam hypothesin, seu primum antecedens, de bonis illis non Christo, non ecclesiæ Christianæ ad fidei propagationem, ad cultus divini incrementum datis & dicatis,; sed tantum, aut per se & principaliter diabolo & Antichristo, ad idololatriæ & Papatus, quâ talis, propagationem, incrementum, exercitium: Eam esse falsissimam; utpote subnixam duabus falsis hypothesibus, quas Protestantes & reformati communi consensu contra Pontificios strenuè semper negarunt. *Prior* est. Quod Papatus seu Papalitas jam inde post tempora Apostolorum in toto orbe, nominatim in Romano, & consequenter in Germaniâ, Belgio, Galliâ, Angliâ, &c. omnia occupaverit, & in interruptam habuerit successionem tum realem tum personalem; & nulla illic ante Lutherum unquam fuerit vera Ecclesia, extra Papalem; nulla itaque bona esse, quæ præsentibus Ecclesiis, pastoralibus curis, scholis, pauperibus reformatorum ex intentione donatorum per sæcula 2. 3. 4. 5. 6. (multo minus per sæcula 7. 8. 9.) aliquo jure competerent. Hanc hypothesin subversam vide à *Juello, Plesseo, Raynoldo, Rob. Aboto, Molineo, Usserio, Bachofio ad catechesin Palatinam, Sculteto in medullâ patrum, Perkinso in Problemate catholico, Polano in symphoniâ, Gerh. Joh. Vossio in dispp. theologicis, Joh. Gerardo in confessione Catholicâ, Forbesio in instructionibus, Chamiero in panstratia, adhæc Dalleo, Blondello, Mortono, Sutlivio* aliisque theologis quamplurimis, qui in particularibus quibusdam controversiis, religionis reformatæ, antiquitatem, successionem, catholicismum, & novitatem Papismi abunde demonstrârunt. Nos in *desper. causâ Papatus* methodum religionis nostræ successionem, quod ad fundamentalia, probandi indicavimus. Videri poterit in *Prideauxi Operibus lect.* 9. *de visibilitate Ecclesiæ.* Cum ergo multa bona à primâ ecclesiarum origine ante natum Antichristum (an. 607.) & plurima ante ἀκμὴν Antichristi (quæ incidit post annum 1000. ut probat pereruditus *Usserius in tract. de successione*, &c. nuper recuso) multa etiam ante idololatriæ missaticæ canonizationem (anno 1214.) fundata sint; uti constat ex donationibus & diplomatis, quorum partem exhibet *Mireus*, aliæque particulares historiæ ecclesiarum: saltem pro bonorum istorum abusu apologia hæc opponentis parum valeret. Vide apud *Mireum*

cap.1-27. donationes anno 525. 575. 639. 654. 662. 714. 780. factas à Chilperico, Dagoberto, Clotario, Pipino Herstallo, Carolo M. &c. De bonis quæ sub ipso Papatu postremis sæculis fundata, in *consilio nostro* satis superque communem reformatorum sententiam explicuimus, & *nube testium* munivimus. Quò lectores remitto.

II. *Secundum abutentium effugium quæritur in avaritiâ, injustitiâ, & fraude acquirentium & primò possidentium; unde sic argumentari videntur; Bona veris hæredibus dolose subtracta, malè parta, acquisita, & possessa sunt ab Ecclesiis aut earum Clericis: Ergo templa, pastorales curæ, scholæ, piæ domus, eadem retinere & possidere non debent, nec velle, ut sibi vindicentur aut restituantur, quippe dolo, & furto acquisita. Resp.* 1. Quid si totum daretur, quid jam inde inferretur pro conscientiâ abutentium sub titulo monachi, in monasterio, canonici in capitulo, Episcopi in sede episcopali, Pastoris in pastorali curâ, Professoris aut lectoris Theologi in cathedrâ Theologicâ, leprosi in domo & præbendâ leprosi, Abbatis aut Cardinalis in pileo abbatiali aut cardinalitio succedentis? Tales ergo otiosi ex lege & formulâ reformationis justè ac piè ex rapto vivere poterunt & bonis injustè partis, furto & fraude corrasis (uti hoc exaggeratur) tranquillâ conscientiâ frui? contrà Ecclesiæ reformatæ, veri pauperes, leprosi, exules, scholæ, magistri, lectores, cantores, pastores, æditui, monasteriorum, aut episcopatuum advocati & patroni portionibus inde solvendis frui non possunt? Quare? quia Deus noluit quæstum meretricium & pretium canum in sanctuarium inferri: uti subinde hoc allegari solet. Ergone soli simulati aut ementiti clerici sub titulo monachi, abbatis, pastoris archidiaconi, decani, canonici, &c. in bona turpiter parta succedere possunt? Per quam legem? Excipientibus propono hanc quæstionem. An quia Deus quæstum fœneratorum *Exod.22. Levit.25.* prohibet, bona ipsorum injustè parta, & possessa, alii fœneratores, aut manifestarii fures, aut potius homines otiosi nec mensarii nec saccularii sub assumto & ementito fœneratorum seu mensariorum titulo occupare, & usurpare possent, & genuinis mensariis prædecessoribus suis in beneficio, non tamen in officio, succedere. Hoc quidem esset justa & efficax providentię divinæ gubernatio, quę sępe peccata peccatis punit, ita ut malè parta malè dilabantur, juxta textus Psal.109. v.11. *Illaque & fœnerator omnia, quæ sunt ei, & diripiant alieni laborem eius.* Jesa.33. v.1. *Væ prædanti,* &c. *cum consummaveris prædam, patieris,* &c. Sed inde non sequitur homines, per quos Deus vindictam sumit de peccatis, omnia in foro conscientię rectè agere. Vide *Jesa.10. v.8. Habac.2. v.8.14.* Ita etiam Papatus propter oppressionem, vexationem, & fraudulentam fidelium expilationem, in suis, pręsertim in monachis, canonicis aliisq; clericis non rarò à Gentilibus, Sarracenis, etiam Christianis

à

à Papatu alienis, ſed peccatoribus, triſtiſſimas oppreſſiones & exſpoliationes pati debuit: ubi tamen peccatores opprimentes & exſpoliantes à peccato in conſcientiâ non abſolvuntur. Lege modo expeditiones Ziskæ in *Æneæ Sylvy hiſtoricâ Bohemicâ*, & militum in bello Belgico, nominatim geſta comitis Lumæi Brielæ & Leidę, apud accuratiſſ. Belgarum hiſtoricum *Petrum Bor. Reſp.* 2. Idem in conquirendis piarum domuum reditibus accidiſſe negandum non eſt, cum homines ſub Papatu à paſtoribus ſuis decepti credebant, ſe per donationes illas pauperum & beneficiatorum preces pro animabus ſuis, poſt mortem juvari in purgatorio, & ſic hęredes ſuos injuſtè defraudabant. Conclude ergo, ſi audes, omnia illa bona otioſis hominibus nec leproſis, nec orphanis, nec lue Hiſpanicâ aut peſte laborantibus, nec ſenibus pauperibus, nec pro animabus benefactorum more & modo prædeceſſorum ſuorum orantibus; iiſdem tamen ſub ementito titulo in fruitione redituum ſuccedentibus relinqui aut concedi poſſe; & quidem abſque ullo ſcrupulo conſcientiæ tam abutentium, quam abuſum concedentium; quibus ſcil. potentia & poteſtas adeſſet abuſum illum emendandi. Si quis tam latam portam conſcientiis aperire auſit, me non habebit ἰσόψυχον. *Reſp.* 3. Dato aliqua bona ſub Papatu non ſine avaritiâ, injuſtâ ſubreptione & turpi emendicatione, quin etiam falſatis teſtamentis aut codicillis, acquiſita & legitimis hæredibus prærepta; qua conſcientiâ omnia bona templis, paſtoralibus curis, monaſteriis, capitulis, epiſcopis, ſcholis, & ſtudioſis, piis domibus partim ante Papatum in antiquis, & mediæ ętatis eccleſiis, partim ſub novitate Papatus fundata, οἱ τύχοντες otioſi in titulos, ordinem, & collegium Papiſticorum ſuorum prædeceſſorum ſuccedentes pari jure commendata, ſibi ſument, & in privatos ſuos uſus adminiſtrabunt? *Reſp.* 3. Quidquid ex bonis illis furto, aut dolo manifeſto & crimine falſi acquiſitum, ac legitimis hæredibus ſubtractum probari poſſet; illud omne alio quopiam dolo à privatis & otioſis hominibus non eſſet invadendum, ſed potius hæredibus reſtituendum, ſi quidem noti eſſent: aut, quia vix hęredes tales commonſtrari poſſent (niſi forte in bonis regalibus imperio, regno, coronæ, principatui, civitati, per Papas, aut Epiſcopos ſubtractis), in ærarium pauperum & Reipublicæ ad publicos & neceſſarios uſus inferendum; aut ad concives noſtros captivos ex manibus Turcicorum pyratarum & miſerâ ſervitute redimendos. *Reſp.* 4. ſit ad hominem: Quidquid vitii multorum (non omnium, uti malâ fide nonnunquam prætenditur) bonorum origini & fundationi adhæſiſſet; unde probabitur Principum & Magiſtratuum, tunc temporis ſic volentium, & ſæculorum aliquot ſuccedentium, imprimis hæredum, quorum intererat, concomitantem & ſubſequentem approbationem, non potuiſſe ea ab adhęrente illo vitio liberare.

Hic enim ſuccurrere deberent pro abuſu bonorum iſtorum digladiantibus, duæ illæ regulæ. *Qui volente prætore poſſidet, juſtè poſſidet.* Et, *volenti non fit injuria.* Ergo nec hæredibus parentum aut majorum ſuorum donationes (quamvis non ſine fraude, & damno ſuo procuratas) ſive probantibus, ſive ſuſque deque habentibus. *Deinde*, dato hæredem quem conſtanter illum modum, illoſque fines donationum improbaſſe; unde conſtabit illos minus improbaſſe, aut improbaturos fuiſſe illum abuſum inter reformatos, de quo nunc diſceptamus.

Denique, quidquid erroris, aut ſuperſtitionis, aut injuſtitię circa donationes commiſſum fuiſſet, ſaltem non ſequeretur, genuinam fore reformationem ſi tota maſſa tam bene quam malè partorum, Papiſticis ſcholis, templis, paſtoralibus curis, monaſteriis, capitulis, piis domibus ablata, ab hominibus otioſis ementitos titulos paſtorum, monachorum, canonicorum regularium, aut irregularium, leproſorum, pauperum, &c. præferentibus, invaderetur. Propono ſimile: Sint bona volente prætore nunc poſſidentium, quæ à parentibus aut majoribus ipſorum magnam partem olim per uſuras mordaces (100. ſcil. aut 80. aut 50. aut 32½) plerumque tenuioribus & pauperibus eleemoſynariis extortas, aut per fraudulentas & furaces ceſſiones (vulgò bancas ruptas), & ſecutas compoſitiones cum creditoribus, aut per pyraticam, non ſine publicâ autoritate Magiſtratus, acquiſita ſunt: quæro, an tales hodierni poſſeſſores juſtum & æquum putarent, ſi alii quidam privati & otioſi homines; propter fraudes & in juſtitiam majorum, omnia ipſorum bona olim tam juſtè quam injuſtè parta, & per ſucceſſiones volente prætore ad ſe devoluta, invaderent; & quidem ſub aſſumto titulo hæredis legitimi in bona illa pyratarum, fallitorum, fœneratorum ſuccedentis: idque permittente ac concedente Magiſtratu. An nullum ſcrupulum conſcientiæ invaſoribus illis, præſertim religione nec Papiſtis, nec Libertinis, nec Socinianis, ſed reformatis, objicerent? An hanc dicerent eſſe bonorum injuſtè olim partorum defœcationem, aut piam reſtitutionem? An potius dicerent, bona ſic parta in fiſcum redigenda, aut in ærarium Reipublicæ per Magiſtratum inferenda; ut ſcil. Magiſtratus ea in proprios & privatos ſuos ſuorumque uſus impendat, aut otioſis hominibus quaſi ex manu ſuâ & ex ærario publico utenda fruenda concedat? Velim caſum, quem hic pono, ab illis poſſeſſoribus aut ipſorum patronis, in foro poli & ſoli, ex jure divino & humano determinari. Audiamus nunc *Buceri reſponſum ad ſecundum hoc effugium lib.2. de regno Chriſti cap.13.* cujus titulus eſt: *Lex quinta, de vindicandis Chriſto Domino bonis eccleſiaſticis, ac pio illorum uſu.* Ubi pag.79.

„ Objicitur autem à nonnullis & illud, Bona Eccleſiarum magna ex parte eſſe

,, esse impiis dolis & imposturis conflata, adeoque cumulata, hominibus ,, scilicet falsò persuasis, liberationem è purgatorio, & sedes cœlestes, istis, ,, quibus ditata Collegia sunt & cœnobia, largitionibus redimi, & compara- ,, ri. Ut ergo rebuspubl. & honestis familiis plurima sunt hac sacrilega fraude ,, erepta: ita justum esse, vel aliqua ex his Ecclesiarum malè partis rebus, re- ,, busp. & nobilibus domibus restitui: nec enim ferre Dominum rapinam ,, in sacrificio: ergo nec fraudem.

,, Ad hanc objectionem satis liquet quid sit respondendum. Primùm ,, enim, reipublicæ usibus bona ista nec posse servari certius, quàm sub san- ,, ctione juris divini: nec impendi utilius, quàm dum impenduntur ad con- ,, servandam augendamque Christi religionem, & alendum fovendumque ,, Dominum nostrum Jesum Christum in suis minimis. Deinde, quòd ad ,, familias attinet eorum, à quibus pseudoclerici pleraque Ecclesiarum bona ,, impiis suis suasionibus & pollicitationibus abstraxerunt, quot quæso de ,, his familiis supersunt? & si supersint, eoque opus habeant, juvari debent ,, Ecclesiarum benignitate, præ aliis. Cæterùm, eam censent juris pruden- ,, tes habere vim donationes factas rebuspublicis, etiam in usum profanum, ,, ut si quis legasset aliquid civitati cuipiam, pro impuro aliquo spectaculo, ,, quod jam ea civitas propter Christi religionem nolit suis civibus exhi- ,, beri, legatum tamen illud haud debere propterea cedere lucro hęredum, ,, sed in jure manere publico civitatis, cui esset legatum: primatesque ci- ,, vitatis adhibitis hæredibus dispicere, in quam rem converti debeat fidei- ,, commissum, quo memoria testatoris alio, & licito genere celebretur. ,, Quanto itaque magis, quæ donata sunt Christi Ecclesiis, debent in earum ,, relinqui jure, sed in pios usus converti: etiamsi pro impiis Missis, & aliis ,, falsis cultibus, ex errore donantium, per pseudoclerum obtruso, sint Ec- ,, clesiis donata.

III. *Tertium effugium* quæritur *in donatione & acquisitione ꝫ nimii & superflui: quia ad usus suos Ecclesia tantum petere aut sponte oblatum recipe- re, nec donatores donare debuißent. Resp.* Dato hic peccatum esse, uti non negamus (vide supra *cap. 4.*), quâ consequentiâ non tantum superflui à necessariis reditibus separati, sed totius massæ pastoralium, claustralium, ca- nonicalium, &c. bonorum, prout sub Papatu ea possessa fuerant, ab otiosis hominibus sub ementitis pastorum, collegiorum monachalium, aut cano- nicalium, leprosorum, ægrotorum, peregrinorum & exulum, &c. titulis, successionem in ea bona præ se ferentibus, commenda & administratio hinc deduci poterit? Quid si privatus quis, permittente Magistratu, involaret in omnia bona civis aut rustici, aut mercatoris, à cujus parentibus aut majo- ribus opes quasi regales acquisitæ essent, ut etiam posteri hinc titulo *parvi*

Regis vulgò indigitarentur (qualem mercatorum filium gente Lusitanum, circa ann. 1612. Antwerpiæ floruisse meminimus): An privatus ille non tantum exuperans istud longe supra conditionem privati civis, sed & totam hereditatem (e. gr. *parvi Regis*) sine scrupulo conscientiæ possideret? fortè quis excipiat, longè aliam esse rationem superflui in publicis bonis pauperum, templorum, piarum domuum, pastoralium curarum, monasteriorum, scholarum; quam superflui in bonis privatis civium: illud absque scrupulo conscientiæ possideri posse, immo & totam massam propter adjunctum illud superfluum; hoc non posse. Nihil aliud repono, quam discrimen illud ex jure divino in foro poli, & ex jure humano in foro soli demonstrandum esse: alioquin tam facile rejiciendum, quam adfertur.

IV. *Quartum effugium*, *Quia usus & necessitas pauperum, ecclesiarum, scholarum*, &c. *tantam bonorum exuperantiam non requirit: Ergo homines otiosi totius massæ commendam & administrationem sine ullo conscientiæ scrupulo tali schemate & titulo falsissimo sibi vindicare possunt, & prædecessoribus suis Papistis succedere, atque ita simulacra illa collegiorum usque ad diem judicii continuare. Resp.* 1. Consequentia nulla est: nititur enim istâ falsâ hypothesi, Quod alios honestos in usus ex vi donationum, & intentione donatorum impendi nequeant. Æquipollet ergo hæc consequentia isti: Hic pallet; ergo amat. Libri studiosorum non habent usum in cibo & potu, nec in colendo agro, &c. ergo relinquendi sunt primo occupanti. 2. Antecedens non habet plenam enumerationem partium: & frustra quærunt, quid tot tantisque bonis e. gr. abbatiarum in Belgio, exactis monachis Papisticis, fieret? in quos usus impenderentur, si per monachos & abbates succedaneos & simulatos, religione tamen Apapistas, eorum successiones & collegia non continuarentur; quibus scil. commenda & cura illorum bonorum relinqueretur. Facile est respondere, si in eleemosynas pauperum, in publicum mutuum gratuitum tenuiorum & pauperum, in sustentationem scholarum, inque iis studiosorum & magistrorum, in ædificia templorum, in missiones ad infideles & errantes & in plantationes ecclesiarum, in captivorum redemtionem, in exulum ac peregrinorum subsidia impendi nolint, aut forte non sit necesse: Reipublicæ necessitas sive præsens sive futura bona illa potiori jure sibi vindicaret, ad sublevanda onera subditorum; quam privatorum hominum venter, otium, luxus, *Bucerus lib. 2. de regno Christi cap.* 13. Quamvis rigidè contra bonorum istorum alienationem, aut alios in usus conversionem agat & inter alia confirmet verbis authentica 3. sub finem: *Non vero per patrocinia & hominum studia in locupletes distribuant ea:* non tamen subsidia in publicos Reipublicæ usus & necessitates condemnat. ,, Quemadmodum enim, ait, *pag.* 74. omni animæ preceptum est divinitùs,

, tùs, ut ſubdita ſit poteſtatibus gerentibus gladium: ita etiam ab omni
, anima requiritur, tam ſacerdotum quàm reliquorum hominum, ut tri-
, butum pendat ei, cui tributum debetur: vectigal, cui vectigal: honorem
, deferat, cui honor competit: reverentiam, cui reverentia.
, Ex hoc itaque jure religioſi Imperatores, fiſcales penſitationes, & ca-
, nonicam illationem de prædiis requirebant, quæ vel Eccleſiæ, vel clerici
, poſſidebant: idque tam ſeveriter, ut ſi quando eccleſiæ Fiſcalia debita
, nulla alia ratione poſſent diſſolvere, conceſſerint, immobiles quoque ec-
, cleſiarum poſſeſſiones, ad horum debitorum faciendam ſolutionem alie-
, nare: quod aliàs fieri ſanctiſſimè prohibuerunt. Ad inſtructiones quo-
, que itinerum & pontium, eccleſias adſcripſerunt: ſicut etiam ad functio-
, nes repentinæ ſarcinæ, ex adventicia neceſſitate provenientes.

V. *Quintum effugium eſt in abuſu priorum poſſeſſorum ſub Papatu; quibus juſtè auferri poterant per confiſcationem, aut tranſlationem in ærarium publicum, alioſve in uſus meliores. Reſp.* 1. *Hinc* tamen non ſequitur homines otioſos poſſe in vacuam illam poſſeſſionem venire, modo ac fine jam aliquoties explicatis: hoc enim eſſet peccatum abuſus alio peccato abuſus punire velle: quaſi quis furtum proximi furto, adulterium uxorati pollutione uxoris ipſius puniret. *Reſp.* 2. *An* propter abuſum perſonarum quarundam, bona corporum, collegiorum, communitatum, ordinum ac ſtatuum in eccleſiâ, aut ſcholâ, aut piis domibus fundata, abalienari, & in fiſcum redigi poſſint, non vulgaris quæſtio eſt. Quia non huic aut illi perſonæ, ſed ordini, corpori, collegio, communitati bona donata ſunt; & indigni atque abutentes juſte privatione beneficiorum & ejectione ex illis collegiis, aut aliter puniri poſſunt; non tamen propterea integra collegia eorumque bona tolli: nedum ut prætextu fiſci aut ærarii publici, ab aliis non tantum abutentibus, ſed & uſurpantibus ementitâ ſpecie aut formâ occuparentur. Applicetur hoc ad abutentes ſenes in gerontodochiis, ægrotos in noſocomiis, leprâ aut peſte infectos in noſocomiis, peregrinos & exules in hoſpitalibus, orphanos in orphanotrophiis, paſtores in muneribus paſtoralibus, ſtudioſos & magiſtros in burſis, ſcholis, & collegiis ſcholaſticis atque Academicis: & fiat concluſio ad omnium illorum redituum, beneficiorum, collegiorum abolitionem atque in otioſos abutentium (modo & fine jam expoſitis) cœtus converſionem; qui ſcilicet ex prioribus illis pari jure, quod ad fruitionem redituum, ſecundum leges (ſcilicet) perfectæ reformationis, quaſi phœnices ex cineribus renaſcerentur, ac illis ritè ſubſtituerentur.

VI. *Sextum effugium* eſt: *Abolito in politiis reformatis papiſtico monachatu, aut canonicatu; bona monaſteriorum aut capitulorum in illo ſtatu conſervanda non eſſent,*

essent, sed aut in fiscum redigenda, aut in ærarium publicum à Magistratu inferenda, & in pios, aliosve necessarios usus impendenda. Jam vero inter publicos sive pios, sive alios usus necessarios numerari etiam deberet monachatus, presbyteratus, vicariatus, canonicatus, archidiaconatus, &c. *abusivus & titularis, quem volente Magistratu induerent homines reformati aut neutrales, (saltem non Papistæ, quod ad apertam professionem) ut in interruptâ successione tanquam legitimi successores suorum prædecessorum in eodem monasterio aut capitulo in commendas bonorum claustralium aut capitularium succederent, & titulares suos monachatus cum annexis emolumentis, juribus, privilegiis in privatum suum lucrum, aliis venderent, aut alio quocunque modo resignarent.* Sunt autem tituli monachales, quibus à se invicem quod ad statum, ordinem, dignitatem emolumenta, distinguuntur, *abbatis, prioris, Guardiani,* sive *prioris Provincialis, prælati religiosi, novitii, religiosi professi, monachi ordinati* (h. e. subdiaconi, diaconi, sacerdotis), *monachi confeßarii, monachi lectoris theologiæ in monasterio,* (aut scholastici in capitulo), *monachi concionatoris, monachi diffinitoris sive vocalis, qui mittitur ad capitulum provinciale aut generale, monachi ministri generalis, monachi commissarii generalis, monachi commißarii particularis seu provincialis, monachi custodis mittendi ad capitulum generale, qui discretus discretorum dicitur, monachi vicarii conventus, monachi discreti qui mittitur ad capitulum provinciale, monachi confeßoris seu vicarii monialium, monachi Benedictini, Norbertini, Cisterciensis,* &c. *Ergo à reformato & pio viro bona claustralia eo modo possideri possunt. Resp.* Primo antecedente concesso, & secundo dato (minime tamen concesso), hoc à Magistratu alicubi sic permitti & concedi, aut concedi posse; negamus consequentiam, æque stramineam, ac omnes aliæ. Monachatus, & monasteria inter reformatos abolentur, & bona præsentibus monachis eripiuntur, aut alimentis ad vitam relictis (uti factum in urbe & agro Sylvæ-ducensi non tantum monachis & canonicis, sed & variis pastoribus seu parochis) successio illorum abrumpitur: Ergo alii dicti monachi, abbates, priores, sub priores, guardiani, &c. ad hæc sacerdotes, parochi seu pastores religione reformati aut neutrales, nihil Romano-monachale aut pastorale agentes, nihil etiam ecclesiasticum reformatum, possunt serena conscientiâ exclusis illis monachis, canonicis, sacerdotibus, parochis, eorumque vicariis in eadem monasteria & capitula, in eosdem titulos, easdem dignitates, cum reditibus & portionibus otiosè absumendis succedere: ut ita monasteria, capitula, sacerdotia, illa perennent & nunquam intermoriantur, nec bona eorum in pios ecclesiarum, scholarum, pauperum, aliosve publicos ac necessarios Reipublicę usus convertantur. Quærerem hic, an reditus pastorum, seu curatorum, vicec[illegible] torum, sacerdotum, eodem modo à Papatu averti, & in usus seu

memoratos sub ementitis pastorum, sacerdotum, &c. titulis in singulis civitatibus & vicis converti possint?

VII. *Septimum effugium* est, *Bona fundata sunt, non tantum ad usus ecclesiasticos & pios, sed præcipuè aut saltem quod ad magnam eorum partem, ad sæcularem splendorem jurisdictionis ac potestatis politicæ sustentandum, ad bella gerenda, ad fidem armis tuendam ac propagandam. Ergo potest quis absque scrupulo conscientiæ bona ecclesiasticæ jam inde post Apostolorum tempora ante Papatum, & sub Papatu usque ad tempus reformationis, in quâque Republica, regione, provinciâ, per tributa justitiæ & subsidia caritatis collecta, modo jam dicto usurpare. Resp.* 1. *Neg.* antecedens, *primo* de bonis parochialibus seu pastoralibus, vicarialibus, sacerdotalibus: sive ad curas quęque suas separata manserint, sive monasteriis monachorum seu capitulis canonicorum regularium & irregularium incorporata fuerint. Nominentur pastorales curæ, vicariatus, sacerdotia, in vicis, oppidis, civitatibus, quorum reditus aut omnes, aut potiorem partem, ad usus sæculares fundati sint; & reliquis ecclesiæ ad usus pios relictis, applicentur, ex intentione fundatorum, ad splendorem sæcularem, ad armaturas & expeditiones militares. Neque enim jus in utroque foro & tranquillitas conscientiæ fundari potest in variis atque incertis conjecturis; nedum in verbis mendacibus (*Jerem.* 7. *v.* 4. 5.) Ostendantur notitiæ donationum & secundum eas habeat sibi Respublica ad publicas splendoris politici atque armaturæ militaris necessitates: reliqua relinquat usibus ecclesiarum, ministeriorum sacrorum, scholarum, pauperum, &c. *Secundo*, idem dicimus de monasteriorum, aliorumque collegiorum clericalium, seu ecclesiarum collegiatarum (uti vocant) reditibus. Omnes illos aut potiorem illorum partem fundatos esse ad præsumtos sæculares & militares usus, si ex notitiis donationum per tot sæcula probari possit, utique publicis usibus Politicis & militaribus vindicentur. Sed certum est neminem ex sæculis antiquitatis, & mediæ ætatis, hoc probaturum aut saltem tentaturum: uti hactenus nemo tentavit. Atqui tunc temporis magna, immo in quibusdam locis longè major pars redituum istorum fundata fuit. Quomodo ergo istos reditus jure fundationis ad sæcularem splendorem, & militiam pertinere, verbis mendacibus; sive per culpandam ignorantiam (*Judæ v* 10.) effutitis; sive contra scientiam & conscientiam fabricatis, gloriari quis poterit? Fatemur sub ἀκμῇ Antichristianismi jam inde post sæculum decimum usque ad tempora reformationis, πάρεργον illud sęcularis regiminis in monasteriis, & collegiis ecclesiasticis quibusdam (quæ per repræsentationem ecclesiæ collegiatæ dicebantur) adjectum fuisse, ut bovi clitellæ imponuntur: sed hoc de omnibus dici nequit; nec de ullis donationibus per sequiora & corruptissima illa sæcula affirmari, quod donato-

res tales usus expresserint; nedum ut eos tanquam principales intenderint, & πάρεργον seu accessorium opus in ἔργον principale mutaverint. Hic pedem figant quotquot sunt abutentes, & donationum notitias exhibeant, ac secundum eas portionem seu portiunculam illam à totâ massâ separatam, usibus sæcularibus adhibeant, & juxta principium juris naturalis, suum cuique tribuant; non vero totam massam hoc prætextu sibi vindicent. Sed certus sum eos nunquam tale quid tentaturos. Manent ergo αὐτοκατάκριτοι. Deus ipsorum aliquando misereatur? *Tertio*, Nego episcopatuum strictè ita dictorum, reditus ad sęcularem splendorem, jurisdictionem politicam, armatam militiam fundatos fuisse, per septem priora sæcula. Hoc nemo dicet, qui ecclesiasticas antiquitates modo inspexerit. Percurrantur capitulorum, monasteriorum, episcopatuum origines in suis fundationibus & reditibus in Italiâ, Hispaniâ, Galliâ, Angliâ, Scotiâ, Hibernia, specialiter 14. episcopatuum, superiori sæculo in Belgio institutorum. Et figmenti hujus vanitatem deprehendes. Sequentibus sęculis, quamvis aliquibus adjecta fuerit potestas temporalis cum accessoriis; ii tamen pauciores sunt, uti per inductionem juxta catalogos seu notitias omnium episcopatuum orbis (apud *Barcinonensem in cancellariâ Apostolicâ*, *Aubertum Mireum*, *Augustinum Barbosam*) facillimè probari potest. Dato etiam, non concesso, donationes aliquot paucis illis episcopatibus per 8. 9. 10. sæcula & deinceps sub ἀκμῇ Papatus factas, exsertè meminisse potestatis & jurisdictionis temporalis, tanquam ἔργου & non tanquam παρέργου episcopalis (quod tamen de nullo probari poterit) quo quęso colore tota massa omnium redituum episcopalium jam inde post Apostolorum tempora, & quidem maximam partem ante nativitatem (a. 607.) & ἀκμὴν (anno 1000.) Antichristi fundatorum, temporali splendori & armatæ militiæ, ex vi fundationis & intentione fundatorum adjudicabitur? Temporalis principatus & ecclesiastica præfectura, uti in paucis illis episcopatibus semper distincta fuerunt; sic etiam reditus ad utramque pręfecturam spectantes. *Quarto*, Nego reditus cathedrarum, bursarum, bibliothecarum, collegiorum in scholis, ad splendorem sæcularem, potestatem politicam, armatam militiam fundatos esse: quamvis aliquibus scholis tale quid sub Papatu, aut hominum usurpatione, aut indulgentiâ Regum ac Principum, accesserit. Adeo ut frustra homines otiosi titulorum scholasticorum subdolâ picturâ & fictione, in reditus omnes, e. gr. Oxoniæ, Cantabrigiæ, Lutetiæ partim ante Papatum, partim sub eodem fundatos, legitimam successionem ac possessionem prætenderent. *Quinto*, nego denique de bonis pauperum, piarum domuum, ut leprosorum, hospitalium, &c. Non obstante, quod splendidis reditibus, & nonnullæ etiam jurisdictione aliquâ, sæcularibus potestatibus subtractâ, dotatæ sint. De le-

pro-

prosorum potestate jurisdictionis per ipsorum decuriones in ducatu Brabantiæ exercendâ, juxta constitutiones & diplomata Principum. vide *Zypæum in analyt. enarrat. juris Pontificii novi lib.4. pag.* 305. edit. in 4. Sed hinc nemo calidâ & audace conjecturâ inferre debet; Ergo bona omnium leprosorum ubivis fundata sunt in usum jurisdictionis temporalis; & consequenter quamvis indigentibus leprosis, in pios illos usus aut in pariles juxta tenorem donationum, à Magistratu, illic relinquendi non sunt; ubi exacto Papatu & introductâ reformatione, satisfactiones pro peccatis, redemtiones & sublevationes animarum, per preces & missas in leprosorum, aliisque piis domibus pro donatoribus & benefactoribus assiduò peragi solitas, nunc planè cessant. Et hic patet falsitas antecedentis. Si quis tamen velit illud conscientię tranquillitati substruere, is cogitet probationem sibi prę-standam; nec somnia, lunaticas fictiones, ἀεροβάλλουσας conjecturas possessorem bonæ fidei & conscientiæ facere posse. Quidquid probaverit, quod sane exiguum erit, & non nisi in postremorum sæculorum donationibus inveniri posset, illud in lucro deputent politici & militaris splendoris candidati, eoque nobis faventibus fruantur, totâ massâ in usus publicos & necessarios, supra explicatos, relictâ. *Resp.* 2. Quidquid esset de veritate aut falsitate antecedentis, consequentia nulla est, Verum quidem est, illis reditibus qui ab omni ævo donati quibusdam hospitalibus aut gerontodochiis, aut nosocomiis (qualia Romæ) aut Academiis, aut collegiis Academicis (qualia imprimis Oxoniæ & Cantabrigiæ) accessisse postea splendorem aliquem politicum seu sæcularem, tum propter opum abundantiam (quid enim non donat regina pecunia?), tum propter potestatem & regimen circa agros suos, decimas, census: ita ut præfecti piarum domuum, in aquis ducendis, aggeribus struendis, pontibus sternendis, viis complanandis, exactionibus admittendis, &c. non tantum supra colonos suos, & supra alios privatos cives ac nobiles multum autoritatis, potentiæ, splendoris sibi comparârint & eo nomine ad publicos agri alicujus aut diœcesios aut territorii aut civitatis conventus cum tempore admissi fuerint, imo & potiorem ibi partem fecerint; alicubi etiam ipsis solis omnis jurisdictio cesserit: ut e. g. abbati S.Petri Gandavensi jurisdictio tum civilis, tum criminalis in aliquâ urbis parte. Et Academiæ Cantabrigiensi (uti mihi relatum) in totâ civitate Cantabrigiensi. Sed quis sanus inde concludet, omnes illos reditus, in usum pauperum aut Academiarum, aut monasteriorum, aut ecclesiarum collegiatarum fundatos, bonâ conscientiâ sub ementito titulo abbatum, monachorum, professorum, studiosorum, sociorum, præsidum in collegiis, pauperum, ægrotorum, peregrinorum, ab otiosis hominibus occupari & istâ specie atque illusione, prędecessoribus suis sub

Papatu, professoribus, sociis, præsidibus, studiosis, peregrinis, ægrotis, monachis, ecclesiis collegiatis in eosdem reditus succedere posse; idque ex vi & formulâ perfectæ in religione & in ecclesiâ reformationis, Oxoniæ aut Gandavi, aut alibi introductæ aut introducendæ. An hæc lux esset, hic splendor sanctissimæ nostræ reformationis? an potius teterrimus fumus ex puteo abyssi ascendens, & priori fumo ac fœtori Papistico succedens? Quomodo & cur temporalis potestas, cum suo splendore & reditibus, à prelatis ad proceres sæculares in usum Reipubl. à Magistratibus reformatis revocari possint, supra *cap.* 4. indicavimus.

VIII. *Octavum effugium* est; *Quod si abutentes & titulares, parochi, seu curati, vice-curati, episcopi, sacerdotes, monachi, guardiani, abbates, priores, Cardinales, leprosi, senes, professores, studiosi*, &c. *ex commendis & reditibus suis, portionem aliquam, pro arbitrio suo, largirentur veris seu realibus concionatoribus, professoribus, ludimagistris, studiosis, lectoribus, cantoribus, æditvis, leprosis, senibus, pauperibus*, &c. *an non sequeretur eos, bonâ conscientiâ sub illis simulacris ac titulis totam redituum massam sibi suorumque privatis usibus applicare posse, eosque numeratâ pecuniâ aliis vendere, & sic per ininterruptam successionem collegia Cardinalium, sacerdotum, episcoporum, monachorum, pastorum, canonicorum, lectorum, cantorum continuare? Resp.* Nullo modo sequitur, portiunculâ aut offâ aliquâ ægrè per ecclesias, scholas, professores, studiosos, pastores, senes, leprosos, egrotos, &c. emendicatâ & extortâ, totam illam messem & massam usurpantibus & abutentibus per illam offam, plenè sanctificatam esse; eandemque in foro poli cedere aut acquiri posse hominibus otiosis, qui sociis beneficiorum illorum sub Papatu primum se subrepticiè adjungerent, postea viribus eundo acquisitis, se substituerent; & fucatâ illâ specie statum eorundem collegiorum continuarent. Quod si Titius opulenti fœneratoris hereditatem involaret; & bonis omnibus volente pretore, gauderet, nihilominus portiunculam aliquam ex totâ masŝâ quotannis in heredes & successores illius fœneratoris, omnibus exutos, ad ipsorum humiles petitiones, aut de mandato aut per compulsionem Magistratus, distribueret: an abutentes, & quidem fœneratorum παῖδες, in foro conscientiæ illum absolverent? Non arbitror. Quid opus est illos mendicare, ut offa ex bonis, in quæ jure succederent (non tamen sine aliquâ restitutione) à Titio objiciatur? Propono aliam questionem, An homines bene aut malè feriati bona omnia leprosis, senibus, egrotis, orphanis, peste laborantibus, exulibus & peregrinis, captivis inter infideles antehac tempore Papatus fundata, sub & cum stipulatione precum & satisfactionum pro animabus fundatorum seu donatorum, jure exactæ reformationis, & reformatæ conscientiæ sibi vindicare possint; simulatâ denominatione

natione & successione in pias illas domos & societates: modo veris peregrinis, ægrotis, orphanis, &c. inde offam aut modicum alimentum concedant? Et an hâc ratione fundationi atque intentioni fundatorum satis fiat?

CAP. IX.

Octo alia effugia examinantur.

IX. N*Onum effugium, quod subinde ab aliquibus abutentium proditum percepi, est conscientia ipsorum serena & tranquilla hâc in parte; quæ cum non arguat ipsos, & quidem legis & conscientiæ non magis expertes, quam dissentientes: utique à peccato immunes se arbitrantur. Resp.* Videtur ultima analysis esse in proprium factum, & in conscientię dictamen. Atqui debebat esse in legem Dei, *via stulti recta in oculis ejus; at qui auscultat consilia, sapiens est*, Prov. 12. v. 14. Confer. *Deut:* 12. *v.* 8. Videntur forte audivisse quid, de corde proprio nos non accusante, 1 *Joh.* 3. *v.* 21. & quod mundis omnia munda. *Tit.* 1. *vers. coll.* cum *Rom.* 14. *v.* 20, - 24. Sed hęc ipsis non lecta, saltem non intellecta. Ut verbo dicam, conscientia certa ex lege Dei rectè informata si nos in actione aliqua specialiter in usu adiaphori, non condemnet; bonum signum. Sed si conscientia erret circa pręcepta legis divinę; minimè ductus ejus sequendus est. Errare autem abutentes hoc in casu, in *consilio* nostro *theologico* abunde probatum est.

X. *Decimum effugium inveniri putatur in consuetudine, & longi temporis præscriptione. Ergo abusus talis, qui improbatur, licitus est. Resp.* 1. Consequentia infirma est. Si concluderent, ergo tolerandus est, quamdiu tolli non potest: aliquid forte dicerent, de quo mox. Adversus veritatem nulla valet consuetudo, nulla temporum pręscriptio. Non quæritur quid factum sit, aut communiter fiat, nec quam bene positum sit malum aliquod: sed quid fieri debeat, quid in foro conscientiæ licitum sit. Huc applica, quæ ex scripturâ, patribus, ratione, *Wittakerus* aliique Pontificiis nominatim *Bellarmino* ad primam ecclesiæ notam de antiquitate reponunt; & *Innocentius Gentiletus J. C. in apolog. pro Gallis relig. reformatæ, ubi cap.* 17. exceptionem præscriptionis, quasi extremam Papistarum anchoram, instantiis, rationibus, & sententiis pro veritate contra consuetudinem ex jure canonico depromtis funditus tollit. Ne quid dicam de eximiis *apologiis Justini & Tertulliani*, contra Gentiles. Utinam in his quęstionibus reformati primorum & capitalium reformationis axiomatum memores essent; nec terricula-

mento facti, consuetudinis, potentię, potestatis, veritati & bonæ conscientiæ quidquam præjudicarent! *Resp.* 2. Quæ & qualis sit consuetudo, & per quas ambages, per quas cryptas, patre fastu ac splendore sæculi, matre τῇ κοιλίᾳ alicubi pullulaverit, partem aliquam indicamus in *consil. theol. part.* 2. Supra *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 14. de consuetudine generalia nonnulla notavimus.

XI. *Undecimum effugium, ponitur in necessitate continuandi collegia e. gr. monachorum, parochorum, vicariorum, Cardinalium, sacerdotum, cum controverso usu bonorum: idque vi pactorum, quæ servanda sunt. Ergo in conscientiâ licitum est sub ementitis titulis monachorum, abbatum, sacerdotum, Cardinalium,* &c. *Papisticis parochis, vicariis, monachis, sacerdotibus,* &c. *succedere in commendis & beneficiis, atque ita statum, ordinem, collegia antehac Papalia conservare ac continuare, & in talem conservationem solemniter jurare. Resp.* Consequentia negatur. Quandocumque enim necessariò quid mali continuatur, inde non sequitur, licitum esse cuivis pro suâ parte circa continuationem illam aliter versari quam tolerando & ordinando: sicuti Deus, juxta Augustinum, malarum voluntatum non autor est, sed ordinator. Cum dedititii alicubi pacti sunt cum hostibus (e. gr. Trajectenses ad Mosam cum Ill. fœderati Belgii Ordd.) conservationem monasteriorum, capitulorum, parochorum, sacerdotum, vicariorum, scholarum & scholasticorum: pacta illa ab omnibus, imprimis à reformatis, servanda sunt. Nullus tamen reformatus prætextu illius necessitatis, ordinibus & collegiis illis sub ementito titulo monachi, aut sacerdotis, aut archidiaconi & præpositi, &c. se ingerere atque intrudere debet; ut unà cum Papisticis collegis fruatur reditibus, & sic progressu temporis plures reformati in eadem collegia succedant, donec omnia officia Papalia potioribus suffragiis ejiciant, aut iisdem à Magistratu abrogatis, & Papistis omnibus ab ingressu exclusis, ipsi in posterum collegia illa sub ementitis titulis Papisticis constituant, continuent, inque eorum continuationem jurent, & tantum beneficiis sine officio ecclesiastico fruantur. Hoccine esset pacta servare in continuandis collegiis? Et hæc necessitas constringeret ac tranquillaret conscientias simulatorum seu ementitorum pastorum, sacerdotum, monachorum, &c. certatim prece aut pretio beneficia olim ecclesiastica sub titulis Romano-ecclesiasticis occupantium? Sic scil. itur ad astra.

XII. *Duodecimum effugium, ponitur in necessitate ex parte boni publici: quia status & pax Reipublicæ requirit ut mala illa bene posita non moveantur; & præstat Rempublicam esse cum tali defectu, quam nullam esse. Ergo licet cuilibet sub ementito quo Antichristiano ac Papistico titulo monachi, Guardiani, prioris, sacerdotis, vice-curati, patris seu præfecti monialium, Cardinalis,* &c.

Resp.

Resp. Conceditur antecedens, ubi scil. homines ipsi se reformare nolunt, & Magistratui potestas ac potentia deest quidquam mutandi. Sed negatur consequentia. Malum enim quod tolerari potest aut debet, à nemine patrari debet. Necesse est scandala, & hæreses esse *Matth.* 18. 1 *Corinth.* 11. Nemo tamen debet esse hæreticus, ne quidem ementito nomine hæretici se ipsum in collegium hæreticorum, aut μόρφωσιν hæresios lucri & honoris causa, & quidem interposito juramento, immittere. Necessitas rerum aut eventuum, ad gloriam Dei, bonum universi, ecclesiæ, Reipublicę, non adfert mihi libertatem aut necessitatem malum aliquod, sine quo eventus non existit, committendi. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. Necesse est in Imperio Germanico, juxta auream *bullam Caroli* IV. tres esse electores spirituales, seu ecclesiasticos. Ergo ex jure fundamentalis legis Imperii, electio Imperatoris, aliaque celsissima munera Imperii sunt penes illos episcopos; & consequenter salvo Imperii regimine in *pace Passaviensi* anno 1555. ab utriusque religionis defensoribus stabilito, non possunt episcopi Papales, quamdiu tales esse volunt, excludi ab illo regimine. Et tamen nemini in foro conscientię licitum est amplecti episcopatum Papalem, & juramentum episcopale præstare: quidquid de pace & salute Imperii, & religionis nostrę in eo, futurum esset.

XIII. *Decimum tertium effugium quæritur in necessitate continuandi temporalis regiminis e.gr. per abbates ex monachis eligendos in Germaniâ (ubi quidam abbates audiunt Imperii Principes), in ducatibus Brabantiæ & Limburgi ubi primum membrum Ordinum constituunt; uti ante libertatem in comitatu Zelandiæ abbas S. Nicolai. Atqui abbatum potestas & regimen sæculare continuari nequit nisi continuentur monachi & monasteria, unde abbates prodeunt. Sequitur ergo aut totum statum Monastico Pontificium, aut si reformata religio exacto Papatu, publicè obtineat tanquam religio status, monasteria & monachos, abbates, externâ specie & titulo tenus esse retinendos, qui reditibus monachalibus fruantur: & consequenter piè ac reformatè in bonum Reipublicæ posse quem ordini & collegio dictorum monachorum se inserere, inque conservationem talis ordinis & collegii jurare: ut scil. abbates inde eligi possint, qui sæculari regimini præficiantur. Resp.* Transeat prima consequentia: sed negatur secunda. In regnis Galliæ, Poloniæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, nemo potest, rebus sic stantibus, regno potiri, nisi religionis Pontificię, in Imperio tres primi electores non possunt esse nisi episcopi Papales (uti causam hanc Imperatores cum Principibus Pontificiis hactenus tuentur: quamvis protestantes non acquiescant, de quo *Syringius tract. cit.*) adeo ut constitutus status Imperii & dictorum regnorum, quamdiu homines non mutantur, conservari nequeat, sine successione & continuatione episcoporum. Nemo tamen dicto-

dictorum Regum & episcoporum vel ad momentum in Papali professione manere, aut saltem externè vel minimâ specie (gestatione scil. rosarii, formatione crucis, frequentatione missæ, aspersione aquæ lustralis, aut titulo externo) eam cum vulgò dictis Nicodemitis simulare potest; sed contra larvam omnem detrahere, & veritatem euangelicam ex animo profiteri debet. Nec valet hic exceptio salutis Reipublicę & ecclesiæ, quam Henricus IV. Galliarum Rex prętendisse dicitur: quamvis enim illius simulatio, & subsecuta defectio per accidens multum boni regno Gallię & ecclesiis reformatis in Galliâ attulisse diceretur; eo ipso tamen factum ipsius per se malum non potuit fieri bonum, juxta regulam *Rom.* 3. *v.* 8.

Sed forte quis excipiat, *Except.* Si abbates & monachi converterentur ad veram religionem, & in collegia sua non nisi reformatos reciperent, atque adeo totius Reipubl. (e. gr. Brabantiæ, Limburgi, Imperii Germanici;) regimen esset perfectè quod ad religionem reformatam: quid impediret, quo minus reformata ejusmodi monachorum monasteria magis otiose, quam prędecessores ipsorum, otio scil. reformato opimos reditus abligurientia continuarentur? *Resp.* 1. reformata religio, & conscientia Dei impedire debet, ne quis sub larvatis titulis & simulacris reditus illos otiose absumat, reliquias & sordes Papatus pro viribus æternizet, & juramento suo se cum otiosis collegiis illis irreformabilem profiteatur. *Resp.* 2. Si potestas, potentia, & voluntas adesset Imperio, aut Brabantię, aut Limburgo perfectam & accuratam reformationem introducendi, & tamen illam formam regiminis retinendi, qui nunc obtinet; quid impediret totum statum monachalem, & ordinem παντοειδῆ, unâ cum officiis Papisticis tollere, reditibus in publicos & necessarios usus (supra indicatos) secundum communem doctrinam reformatam conversis: ut nec vola nec vestigium Papalis hierarchiæ superesset? Protestantes in Germaniâ, in pace Monasteriensi, ostenderunt talem exactam reformationem haberi posse, cum quorundam episcopatuum status in meros & apertos sæculares principatus mutârunt: & quidni quatuor abbatibus etiam Imperii Principibus, quatuor meros sęculares Principes substituere possent, ut & reliquis prælatis hierarchicis tam sæcularibus quam regularibus? & quidni Brabanti aliique suis abbatibus proceres sæculares: abolito omnis hierarchici episcopatus, monachatus, collegii, monasterii, abbatiæ μορφώσει ac simulacro; quæ alioquin, sublato tantum officio & cultu Papistico relicta cum commendis bonorum, instar excelsorum aliquando inservirent aliis Papalibus per reformationem tunc expurgatis, quasi postliminio reducendis. Quod si tam grata monachorum, sacerdotum, &c. apud reformatos memoria, ut honorificum sit ea dicere, simulare, ostentare, quę turpe est facere; quidni pari reformationis an deforma-

formationis jure ac Zelo ſtatus & ordines Cardinalium, Patriarcharum, Archi-epiſcoporum, Inquiſitorum, Paparum, conciliorum epiſcopalium, ſenſu religionis ſolummodo mutato, retineri, aut reſtitui poſſent, & in eoſdem ob annexa bona, beneficia, privilegia, à reformatis ſe ingerentibus ſic jurari, ut omnis ſpes & conatus ulterioris atque exactioris reformationis iſtorum excelſorum prçſcinderetur. Sed inſtabunt forte ex hypotheſi continuandæ formæ regiminis in Imperio, neceſſariò continuanda collegia illa, à quibus & ex quibus eligantur prçlati regulares & ſæculares, qui principatus & poteſtates ſçculares annexas habent. Quibus reſpondeo, tam facile poſſe eos quibus poteſtas & potentia adfuit abolendi Papalia officia, & epiſcopatus Bremenſem, Verdenſem, Hallenſem in principatus ſæculares, & quidem ſucceſſivos mutandi, ordinem & numerum honoratorum quorundam procerum conſtituere, à quibus & ex quibus e.gr. Princeps Fuldenſis (ſub Papatu dictus Abbas) eligi poſſet; ac omnem religionem Papalem, cum officiis, & titulis epiſcopalibus, quin & ipſam formam principatus electivi ſuſtulerunt. Quod ſi Imperatores & ordines Imperii pariter Papiſmo renuntiantes, tale quid aut non vellent aut non poſſent: nemo tamen reformatus cappam perſonati monachi induere debet & ſtultitiam illam fingere, ut prælaturam abbatialem, & per eam principatum in Imperio conſequi poſſit.

XIV. *Decimum quartum effugium* eſt, *Dato abuſus eſſe, qui dicuntur; & Magiſtratui poteſtatem, aut potentiam, aut voluntatem non adeſſe abuſus illos bonorum modo ſæpius explicato, emendandi: utique ab* ἀλλοτριοεπισκοπῇ, *& uſurpatione poteſtatis politicæ; & conſequenter à crimine ſeditionis, rebellionis, perturbatæ pacis publicæ excuſari non poſſunt Theologi, quotquot magiſtratui reſiſtunt, aut contra abuſus illos moliuntur, eoſque tollere intendunt. Ergo licet reformatis abſque ſcrupulo conſcientiæ in collegia monachorum irrepere, & ſub ementito ſtatu ac titulo monachali, Paſtorali, ſacerdotali, archidiaconali, ſcholaſticali,* &c. *jus in reditus paſtorales, monachales archidiaconales,* &c. *prætendere atque uſurpare. Reſp.* 1. Conſequentia negatur. Dato enim in reformatis, aut Papiſticis politiis, à Synodo reformatorum poteſtatem politicam in abrogandis & exturbandis ſacris & ordinibus Papiſticis uſurpari aut uſurpatam eſſe (quod tamen nunquam, nuſquam factum), quid inde concluderetur, quam reformatorum illorum manifeſtum hâc in parte peccatum: neutiquam tamen licita in foro conſcientiæ Clericorum Papalium exercitia atque officia; & propterea beneficiorum & redituum eccleſiaſticorum juſta poſſeſſio. *Reſp.* 2. ad antecedentis conſequentiam. Aliud eſt *reſiſtentia negativa*, quomodo martyres reſtiterunt Magiſtratibus Ethnicis approbationem & exercitium idololatriæ Gentilis & blaſphemiam Chri-

 ſti,

sti, aut ejusdem abnegationem, aut non professionem imponentibus: & aliud *resistentia positiva*, quæ ipso facto exequitur, quod Magistratus exequi non potest propter pacta, aliasque reipublicæ necessitates; aut quod cum possit, exequi non vult. *Resistentia negativa*, in casu conscientię semper est licita non tantum, sed & necessaria, quotiescunque causa Dei hoc postulat. Vide exempla *Danielis* 3. *Actor.* 5. & per totum martyrologium: de quo infra *part.* 2. *lib.* 1. *tit. de confessione & martyrio.* Ad hanc resistentiam refer officium ministrorum ecclesiæ, quibus claves regni cœlorum commissæ sunt (vide *quæst. catecheticas* 84. 85.) ut omnium conscientias publicè privatimque ex verbo Dei informent; omne consilium Dei proponant *Actor.* 20. convertant peccatores ab errore viæ suæ *Jacob.* 5. non obstante Regum, Principum, Magistratuum, populorum contrariâ sententiâ & praxi, uti e.gr. in Imperio, & in regno Galliæ. Si quis velit dicere, theologos protestantes & reformatos, resistere Imperatori aut Regi, cum docent Papam esse Antichristum, missam, & totam idololatriam Papisticam esse damnabilem, atque adeo nulli hominum, nec Regibus in foro conscientiæ eandem esse licitam: de *resistentiâ negativa*, seu didacticâ & instructivâ haut illibenter concedemus; non tamen consequentiam illam de usurpatione, rebellione, crimine læsæ Majestatis: quam si quis in fidos Christi ministros in conscientiarum ex verbo Dei informatione & contra subrepentes tentationes ac defectus prę munitione laborantes intorquere velit, is sciat se simili consequentiâ Christum & Apostolos gravare. Fideles ministri, oves suas privatim casus conscientiæ proponentis, ex verbo Dei instruere tenentur; etiam publicè pro concione, prudenter & in generalibus terminis ita prę monere, ne per ignorantiam abusibus illis se immisceant. *Resistentia positiva* omnino illicita est, & justè consequentiis illis gravatur; quâ scil., ipso facto sive decreti sive executionis, ad exemplum Thomę Muntzeri, & Anabaptistarum Monasteriensium, Magistratibus defectu potestatis aut voluntatis cessantibus, ecclesiastici aut ecclesiæ quâ tales, abusus bonorum ecclesiasticorum, aut exercitia Papistica, aut alias ἀταξίας tollerent. Hoc enim Magistratui in suâ Republicâ competere, alibi declaravimus, (in 3. *part. selectar. dispp. tit. de idololatriâ indirectâ & participatâ*), & docet quotidiana omnium reformatorum praxis.

Instantia; atqui ordini à Magistratibus constituto resistere, & haut obscurè eum velle tollere viderentur theologi, qui determinarent in conscientia illicitum esse dictum bonorum abusum & consequenter in resistentiâ negativâ non subsisterent. *Resp.* intendunt cum Apostolis omnem ordinem ordini divinitus præscripto repugnantem tollere, sed armis spiritualibus 2. *Cor.* 10. *v.* 3.4. quibus apud omnem conscientiam se manifestare student.

Arma

Arma illa ſunt preces, & verbum Dei in quibus exemplo Apoſtolorum (*Actor.6. v.4.*) permanere debent; quidquid Reges, Magiſtratus, populi ſecus agant aut ſentiant. Aliter ipſo facto & externâ poteſtate vel hilum mutare, aut tollere, nec intendunt, nec volunt, nec debent. Et atrociſſimæ ac crudeliſſimæ calumniæ rei ſunt, quotquot innocentibus delictum hoc impingunt. Illi interim teſtimonio bonæ conſcientię gloriantes, gemitus & preces ſuas ad judicem vivorum & mortuorum ſubmittunt. Sed væ abominandis calumniatoribus.

Inſtantia 2. Atqui ſi non tantum homines abutentes dehortarentur à tali abuſu, ſed & ipſos magiſtratus adhortarentur ad dicti abuſus reformationem, viderentur res novas in Republicâ moliri. *Reſp.* Quamdiu Magiſtratibus aut potentia aut poteſtas deeſt, theologi juxta cum illis tolerabunt hujus deformationis continuationem: interim malum non dicent bonum, nec deſinent conſcientias hominum recte informare, & ab abuſus illius participatione dehortati; uti fit in Germaniâ, Galliâ, Poloniâ, in caſu Papiſmi lege & autoritate publicâ illic ſtabiliti & approbati. Sin poteſtas & potentia Magiſtratui alicui adſit, & voluntas abſit, defungentur officio fidelis monitoris, & humilis petitoris: uti hoc in ſexcentis aliis fieri ſolet. Quod ſi quis dicat hâc ratione res novas agitari, à theologorum πολυπραγμοσύνῃ, in munera Magiſtratuum involari: rebellibus illis & θεομάχοις reſpondebunt theologi ex Malach.2. v.7. *Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent in ore ejus*, &c. Ezechiel 3. v.17-22. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael*, &c. 2. Paralip.25. v.16. *Novi quod Jehova cogitavit perdere te.*

XVI. *Decimum quintum effugium eſt, in donatione ſi non omnium, ſaltem plerorumque bonorum planè liberâ & abſolutâ ab omni officio, labore, & uſu eccleſiaſtico, propriè dicto, aut parili: ut ſcilicet nobilium familiis inde ſubſidia ſuppeditarentur. Ergo ſequitur depauperatis in foro conſcientiæ liberum eſſe adſumto & ementito titulo atque ordine parochi, ſacerdotis, monachi, profeſſoris, ſeu lectoris, candidati theologiæ, in curas paſtorales, in collegia ſacerdotalia, monaſtica, ſcholaſtica irrepere; eadem conſtituere & continuare, cum jure prædeceſſorum tum in antiquâ tum in novâ, ſeu Papali eccleſiâ ſuccedere, & ſic reformato in otio ſeu ἀργίᾳ reditus illos abſumere. Reſp.* 1. Rurſum ſtraminea conſequentia: cujus probationem non puto aliquem tentaturum. Quomodo enim ex conceſſis ſubſidiis indigentium nobilium, ejuſmodi Papalia ſimulacra, monaſterialia aut clericalia hominum otioſorum collegia inferri poterunt; quibus tota ſcil. maſſa bonorum in meliores uſus collecta, ſaltem convertenda, relinqueretur. An non juſtius de talibus collegiis ſuſpicari quis poſſet aut Rempublicam in Republicâ, aut ec-

clesiam in ecclesiâ, aut utramque in utraque cum tempore fabricandam: quomodo nonnulli ecclesiarum nostrarum presbyteriali regimini per ipsum servatorem nostrum supremum ecclesiæ Magistrum instituto tale quid calumniose improperant? *Resp.* 2. ad antecedens, quamvis ex diplomatis donationum, nihil tale compareat; quod audacter contra factorum lucem affirmatur: concedimus tamen non tantum pauperibus ad ordinarias eleemosynas redactis, sed & attenuatis fidelibus, eorumque familiis, quibusque analogicè pro indigentiâ & statu suo, ex massâ bonorum ecclesiasticorum, presertim monasticorum, canonicalium, episcopalium, aliorumque sacerdotalium collegiorum subsidia præstari posse, primum mutuo gratuito; deinde, si opus sit, liberali largitione; donec eorum re familiari in meliorem statum restitutâ, succo suo honestè vivere possint. Hic est verus usus bonorum, quę non tantum in ministrorum, templorum, scholarum, synodorum, &c. sed & in quorumque privatorum fidelium necessitates impendi debent & solent. Vide supra *cap.* 5. & 6.

Sed huic legitimæ dispensationi bonorum è diametro repugnat, abusus ille, quem nos improbamus. 1. *Quia* tota massa bonorum insidenda, possidenda, & pro arbitrio dispensanda, relinqueretur ipsis indigentibus & stipendiatis. An cum subsidia & honoraria stipendia justas ob causas ex ærario Reipublicæ, quibusdam conferuntur, totum ærarium ipsis possidendum & pro arbitrio administrandum à Magistratu relinquitur? Idem quęro de publicis eleemosynariis; & de Magistratibus eorumque œconomis, qui professoribus & concionatoribus stipendia, viduis eorundem, studiosis theologiæ, aliisque subsidia erogant? 2. *Quia*, si plerique abutentes, nec pauperes nec attenuati essent, quâ consequentiâ argumento ducto ab attenuatis, divitum illorum abusus in conscientiâ excusari posset? 3. *Quia*, nobiles attenuati in ecclesiâ reformatâ ad monachatus Papalis simulacrum, externam ostentationem, fictionem & titulum redigerentur: ut tanquam interpolati prędecessorum clericorum sub Papatu successores in bona illa & ementita collegia, in ordines ac titulos clericales Papæ-formes succederent. Quod nihil aliud esset quam verè pios & fideles nobiles deprimere; ac pudore afficere, tanquam publicos ecclesiarum alumnos: fere uti orphani ex publicis eleemosynis viventes, titulis & vestibus, & nobiles inquisitioni obnoxii in Hispaniâ insignibus dicti *Sanbenito*, publicè notantur. 4. *Quia*, per dictum abusum æternizarentur collegia Papę-formia: quod per honesta subsidia, aut per honoraria stipendia nobilium attenuatorum fieri non solet, nec necesse est, nec utile, nec tutum, nec decorum. 5. *Quia* æternitas collegiorum ejusmodi, minimè convenit cum subsidiis attenuatorum: quę ad tempus dantur, donec emerserint. 6. *Quia*, venditio & emtio commendarum, planè

planè repugnat ſubſidiis attenuatorum. Emere enim non poſſunt familiæ nobilium attenuatæ, nec vulgarium ruſticorum, aliorumque inter cives; ſed tantum ditiorum: multo minus divitum fœneratorum oblata pro beneficiis pretia æquare aut ſuperare valent.

XVII. *Decimum ſextum refugium eſt, in merito de condigno aut ſaltem de congruo. e. gr. Dentur ſacerdotes, aut Parochi, aut Abbates, aut monachi, aut archidiaconi, aut alii clerici Papales, qui de Republicâ, Principe, Magiſtratu alicubi bene meriti eſſent: non conjurando cum conjuratis, non conſpirando cum hoſtibus, ſed contra omni conſilio & operâ ſuâ tyrannidem, ſeditionem, perniciem avertendo & præveniendo, aut alia quacumque officia utiliter præſtando; & illis bene meritis ſed profeſſione Papiſtis, officia divina cum annexis beneficiis, relinquantur, quæ aliis à Magiſtratu Papatum abrogante auferuntur: aut ſacerdoti alicui cura paſtoralis aut epiſcopatus, aut pileus cardinalitius procuretur: an tales tali in caſu juſtè non poſſiderent, qui officia illa præſtiterant; immo & eorum continuati in perpetuum ſucceſſores, qui ſcil. reformati aut neutrales, mutatis & ceſſantibus omnibus officiis Romano-eccleſiaſticis, tantum reformato* (ſcil.) *in otio, ſub titulo & ſpecie Romano-clericali commendis illis fruerentur? Reſp. primo*, Quidquid ſit de præmio bene meritis conferendo, ſi tamen δῶρον ſit ἄδωρον, à nemine in foro conſcientiæ accipi poteſt, e.gr. epiſcopatus & Cardinalatus Perrono ab Henrico IV. ob officia præſtita & præſtanda procuratus: patriarchatus Aquilejenſis Hermolao Barbaro, ſacerdotia aliaque beneficia Eraſmo, Bembo, Sadoleto, Longolio collata; ob merita in Rempubl. literariam: præfectura claſſis pyraticæ Aligerienſis cuidam nautarum noſtratium (S. d. D.) tempore induciarum, ob peritiam & res geſtas navales collata; concubinatus magni alicujus Principis Semproniæ gratioſè collatus, ob ſumma in illum Principem officia. Si Papa Romanus alicui nobili aut militi, pro meritis erga ſe & ob res præclarè geſtas in bello contra Turcam, canonicatum, aut pileum abbatialem, aut prioratum, aut epiſcopatum, aut Cardinalatum, &c. donaret. Sicuti Pompeio Columnæ militi Cardinalatus collatus fuit. (Vide ejus vitam apud *P. Jovium*): an inde ſequeretur in foro conſcientiæ licitam eſſe talis beneficii (uti vocant) acceptionem, poſſeſſionem, uſum?

Inſtantia 1. Atqui ſi in ſe licitum ſit quod ad χρῆσιν & κτῆσιν; & bene merentibus conferatur, videtur abſque ſcrupulo conſcientiæ illud accipi & poſſideri poſſe: ſed talis eſſet poſſeſſio ſub titulis, &c. *Reſp.* Minor neg. *primò*, Quodnam enim meritum τῶν τυχόντων abutentium, qui prece aut pretio talia beneficia, antehac eccleſiaſtica, obtinerent? *Deinde* quodnam licitum, utile, decorum, in continuatâ ſucceſſione monachorum & monaſteriorum, ſacerdotum animarum, archidiaconorum, &c ſub imagine & ſpecie ementitorum Romano eccleſiaſticorum?

Instantia 2. Atqui meriti ſunt clerici, ſacerdotes, monachi, Epiſcopi, qui Papalem religionem ejurârunt, ut in ſucceſſione & poſſeſſione bonorum ſacerdotalium, epiſcopalium, clauſtralium permanerent. *Reſp.* Detur hic aliquam conniventiam & æquitatem adhiberi: quæ conſequentia inde duci poteſt, ut Papatu jam abrogato hominum reformatorum in collegia illa ingreſſus & ſucceſſio, & ſic collegiorum illorum, cum juramento contra omnem mutationem, accuratam reformationem, ſcandalorum & exceſſorum Papalium ſublationem continuatio, in foro conſcientię probaretur?

Instantia 3. *Calvinus* ob officium & meritum profeſſionis Theologicæ, curante magiſtratu, accepit præbendam theologicalem, quâ ante hac Argentorati tempore Papatus ſcholaſticus aut lector Theologiæ in capitulo canonicorum, gaudere ſolebat. *Reſp.* Et ſunt concionatores qui alicubi ea monaſterio, cui ante hac incorporata fuit paſtoralis cura, quâ nunc reformatè funguntur, ſtipendium ſuum accipiunt. Quid hoc ad otioſos & titulares clericos, qui ſucceſſionem in bona papalibus clericis erepta fruſtra prętendunt.

Instantia. 4. Si Magiſtratus ſit plenè aut perfectè reformatus, qui permittit, aut continuat, aut confert poſſeſſionem, & quidem ſub tali titulo, formâ, figurâ: videtur in conſcientiâ licitum eſſe prece aut pretio talem poſſeſſionem acquirere. *Reſp.* conſequentia Neg. Poteſt licitè quid permittere, & poſitâ permiſſione ordinare Magiſtratus, quod tamen in conſcientia nulli licitum eſt facere. e. gr. Monachi aliqui ita ſe geſſerunt Veſaliæ, quo tempore illa ab Hiſpanis occupata erat, ut de congruo meriti viderentur illic in poſſeſſione à Magiſtratu relinqui, cum alii omnes Papales clerici exigerentur. Et ſic juſtè poſſident in foro ſoli: inde tamen non ſequitur eos in foro poli juſtè officia monachalia, aut ſtatum ſuum, & propter ſtatum annexa beneficia propterea retinere poſſe. Similiter Princeps reformatus, ubi habet jus patronatus confert clerico Papali de ſe plurimum merito, curam paſtoralem, aut canonicatum, in medio Papatu: ſed ille tamen in foro poli ea accipere & poſſidere nequit.

Instantia 5. Si collationem beneficii talis, pro poſteris ſucceſſoribus ſed religione reformatis meriti & pacti eſſent: Viderentur otioſi tales poſteri, abſque profeſſione, exercitio, opere Papali & abſque omni opere in reformatâ Eccleſiâ analogo aut ſubſtituto, ex merito & ex pacto juſtè poſſidere. *Reſp.* Nec in foro poli, nec in foro ſoli: quia Papiſtica monaſteria, & clerici Papales, jam inde poſt ſtabilitam reformationem nihil meriti nihil pacti ſunt, nec mereri ac paciſci voluerunt, pro hominibus & eccleſiis reformatis, ad ſui ſuorumque excluſionem. Quæratur modo ex monachis Veſalienſibus, & clericis Trajectenſibus ad Moſam, pro Pon-

Pontificiis, an pro reformatis aut neutralibus stipulati sint officiorum & beneficiorum continuationem, & in ea successionem.

CAP. X.

Refutantur duæ exceptiones ad argumentum ex exemplo Achanis Josuæ 7. contra abusum adduci solitum.



Abominando sacrilegii crimini inter alia communiter opponi solet argumentum ex Dei judicio Israelitis imprimis Achani ejusque familiæ, immisso, desumtum. Ne quis autem frivolo aliquo excogitato commento, se extra quærat: observet lector, specialiter bonorum istorum ecclesiasticorum alienationi, usurpationi, abusui hoc applicari, quæ introductâ reformatione à Papali ecclesiâ & clero possessa iisque erepta, in usus verè pios atque ecclesiasticos conversa non erant. Ex scriptoribus, qui hoc argumento usi sunt, antehac indicavi *Davidem Cythræum*, *Ludov. Lavaterum*, *Wolphium*, *Mart. Borrhaum*, *Conr. Pellicanum*, *Joh. Ferum*, *Nicol. Serrarium*, *in commentar. ad Josuæ 7.* *Lancel. Andreuws* in opusculis posthumis, in concione ad Proverb. 20. v. 25. *Josephum Hallum*, *Andr. Rivetum* in animadvers. ad annotata *Grotii ad Cassandri consult. cap.* 16. Ex Jureconsultis, *Masium in comment. in Jos. 7.* *Albusium lib. 1. dicaiolog. cap.* 115. §. 30. *Tholosanum lib.* 31. *dicaiolog. cap.* 2. *Joh. Langum in notis ad Justinum c. Tryphonem pag.* 268. §. 1.

Quibus nunc addimus decalogicos & catecheticos interpretes, *Diestium in mollif. catechet. Festum Hommium in tabulis catechet. Georg. Downamum, in tabulis*; *Zepperum lib. 5. de legibus Mosaicis cap. 7.* Istorum ergo, aliorumque infra citandorum vestigiis insistentes ministri tres, ad quos vices librum *Josuæ cap.* 6. & 7. continuatis concionibus explicandi in magno hujus urbis exemplo devolutæ erant anno 1645.; de usu & abusu bonorum ecclesiasticorum, sed in thesi, disserebant. Inter eos præibat in explicatione cap. 6. ὁ μακαρίτης *Carolus de Maets.* Quem ego sequebar in duabus concionibus habitis ad *Josuæ 7. v.* 1-21. Tertius erat *Corn. Heicoopius* μακαρίτης: cui residuum *cap. 7.* à *v.* 21. usque ad finem, explicandum erat. Quid secutum tunc fuerit, & quid moliti sint aliqui, quorum conscientia, nobis publicè tacentibus, omnia in genere de bonorum ecclesiasticorum usu & abusu dicta sibi applicabat; alibi (in *Consilio theologico* linguâ nostrate publicato) antehac retuli: nec hic repeto.

Tantum hic indico, post annorum aliquot decursum inauditam & theologicam aliquam contra argumentum ex *Jos. 7.* petitum, exceptionem ad

ad aures nostras pervenisse; ut & alteram portentosè indoctam, ac theomachicam; quæ scil. profligaret omnes conscientiæ scrupulos & perturbationes, quibus per explicationem peccati Achanici a. 1645. non paucos nec leviter affectos noveramus.

§.2. Quod ad priorem exceptionem, ejus summa hæc erat, non posse hodierno bonorum ecclesiasticorum abusui applicari peccatum Achanis; qui *contra expreßam, specialem, & pœnalem* Domini Dei prohibitionem bona anathemizata occultaverat, aut furatus erat. *Resp.* 1. Ergo pariter nulli bonorum ad pauperes, diaconias, pias domos, templa, scholas, pastorales curas, spectantium usurpationi, abusui, rapinæ, applicari potest malum tum culpę tum pœnę *Josuæ* 7. descriptum: Quia scil. nulla exstat *expreßa, specialis & pœnalis prohibitio divina*, de bonis e.gr. ad hanc parochiam, aut hoc templum, aut hanc piam domum, aut hanc diaconiam, spectantibus clam non alienandis & in particulares suos usus convertendis. Breviter huc redit vis exceptionis: Deum de nullis bonis ecclesiasticis hodie etiamnum residuis sive mobilibus sive immobilibus immediatè ordinasse & mandasse, ut Deo & ecclesiæ essent sacra, & thesaurum Domini ingrederentur: quod tamen factum legimus Jos. 6. v. 17. *veruntamen cavete ab anathemate*, &c. *Omne autem argentum & aurum, & vasa ferrea, & ærea, sanctum est Domino: Thesaurum Domini ingredictur.* Quasi scil. argumentatio à genere ad speciem, à specie ad individuum, & à pari aut analogo non procederet? Immo quasi secundum Jesuitam *Verronum*, aliosque Neo-Methodistas, nullis consequentiis in theologica disceptatione, admonitione, reprehensione utendum esset. De methodi hujus ad Scepticismum & atheismum manuductione ante hac egimus in 1. *part. sel. dispp. tit. de Ratione humanâ in rebus fidei.* Sed quid si aliquis injustè eripiens aut detinens uxorem proximi contra allatum exemplum Abimelechi *Genes.* 20. exciperet; habuisse illum, expressam, specialem, pœnalem Dei prohibitionem: se talem non habere. Quomodo exceptio hæc esset refutanda? *Resp.* 2. exceptio si valeret, posset eadem aut similis obtendi, plerisque aliis virtutum & vitiorum exemplis, mandatis, prohibitionibus, ex libris V. T. immo & ex libris N. T. ad suasionem aut dissuasionem adferri solitis: quod nostris fidelibus, nostris pastoribus, nostris Regibus, Principibus, Magistratibus, militibus, &c. sub N. T. expressa, specialis, & pœnalis non sit facta prohibitio. Generalis est lex, de non usurpandis bonis non tuis; sive ea sint privati concivis tui, sive civici collegii, sive Reipublicæ, sive Ecclesiæ, sive domus piæ, sive collegii ecclesiastici, sive scholastici. Quocunque modo hic peccatur, contra octavum præceptum peccatur: sive per violentam rapinam, sive per clandestinam substractionem, sive per pyraticam, sive per artem fœneratoriam, sive per Simoniam, sive

sive per δωροφαγίαν, sive per lenoniam, sive per cauponariam. Omnia illa nomine furti veniunt: quamvis multum distinguantur; immo nonnulla in quibusdam politiis & in foro soli, non qualificentur, nec dicantur furta. Videantur vulgares tum privatæ tum publicæ & catecheticæ septimi & octavi præcepti explicationes. *Resp.* 4. Examinemus nunc terminos illos *expressa, specialis, pœnalis prohibitio.*

Expressæ seu explicitæ, totidem scil. verbis propositæ prohibitioni, opponitur implicita, quam Deus in verbo suo nobis κατὰ διάνοιαν aut per bonam & solidam consequentiam facere intelligitur. Rogabo theologum sive re sive nomine, sic excipientem: Unde & quomodo probet mandatum de baptizandis infantibus, de adorando spiritu sancto, de credendo in Christum (tempore scil. veteris Testamenti.) Forte mutuabit à Jesuita *Verrono* & novis Methodistis commentum illud de puris scripturæ verbis, per quę absque ullis consequentiis, & Aristotelicis syllogismorum figuris errantes aut peccatores, convinci deberent. Nos eas ablegabimus ad inertium istarum artium antehac factam detectionem & explosionem, in 2.*part. select. dispp. tit. de articulis & erroribus fundamentalibus*, & in 1.*part. sel. dispp. tit. de Ratione humanâ*, &c.

Specialis prohibitio, opponitur generali: quę scil. in thesi & communiter fit omnibus, quibus verbum Dei proponitur. Sed generalis seu communis lex prohibet omnibus fraudulenter contrectare non-suum: sive illud sit Titii, sive ecclesiæ, sive pauperum, sive piæ domus, sive parochiæ, sive templi, sive Reipublicæ. Hæc prohibitio sufficit: nec opus est ad aliquem peccati arguendum, ut singularis, immediata, extraordinaria revelatio & prohibitio ipsi à Deo facta sit: sicuti Abimelecho *Genes.*20. de non tangendâ uxore Abrahami.

Sed forte quis excipiet, aurum & argentum Jerichuntinum pecuniari, immediata & extraordinariâ Dei donatione, & designatione fuisse cultui divino, seu usui sacro & ecclesiastico devotum atque appropriatum: & sic non fuerunt hodierna bona ecclesiastica, *Resp.* Utraque tamen sunt bona ecclesiastica, unius ejusdemque speciei. Modus enim rem legitimè acquirendi si variat, & si diversa rerum sit origo; non tamen forma, essentia, & species rerum istarum variat. Adamus, Eva, Christus secundum humanam naturam, & reliqui posteri Adami sunt homines ejusdem speciei, & eadem illis tribuuntur prędicata essentialia: sed origo, & modus producendi variant. Sic Moses, Josua, Saul, David, erant Magistratus à Deo immediatè ad hoc munus designati: à quibus specie non differunt Magistratus & Principes mediatè per hominum electionem, aut jus successionis constituti. Ex obedientiâ, & inobedientiâ aut rebellione erga

illos, *Numer.* 16. 2 *Sam.* 18. & 20. rectiſſimè argumentum ducitur contra inobedientiam & rebellionem erga iſtos. Utrique enim ſunt jure divino dii & filii altiſſimi *Pſal.* 82. utrique ſunt miniſtri Dei gerentes gladium *Rom.* 13. Quamvis origo & modus applicandi munus illud ad illorum aut iſtorum perſonas ſit diverſiſſimus. Sic vaſorum Ægypti terræ Canaan & agrorum in eâ dominium erat penes Iſraelitas: ſed ex immediatâ donatione divina. Et opponentium noſtrorum bona ſunt ipſorum bona, quorum dominium eſt penes ipſos: quamvis non ex immediatâ donatione divinâ; ſed ex quavis alia legitimâ acquiſitionis ſpecie. Unde ſequitur furtum aut rapinam committi ab illis, ſi qui illorum bona indebitè auferrent; quamvis expreſsâ, ſpeciali, & pœnali prohibitione Dei, non meminerimus, iſtam iſtorum bonorum rapinam fuiſſe prohibitam. Aliorum Principum, Magiſtratuum, populorum terras (extra juſti belli caſum) violenter occupare eſt illicitum: quamvis illi non poſſent cum Jephta *Judic.* 11. Invaſoribus illis dicere, hanc terram Deus noſter nobis dedit (immediatè ſcil.); ideoque nos juſtè eam poſſidemus; & vos injuſtè eam invaditis. Vide diſp. de exemplo bono, &c.

Pœnalis: Neſcio, quid ſibi epitheto hoc velint. Et forte, qui ſic opponunt, neſciunt. Agitur hic de lege divinâ, quæ ut & ſingula ejus pręcepta ſub comminatione pœnarum ſancita eſſe norunt pueri catechumeni. Ex *Deuter.* 27. *v. ult.* & 2. ac 3. *decalogi præcepto.*

Specialibus præter aut juxta legem divinam, Dei prohibitionibus, etiam pœnas ſpeciales adjunctas fuiſſe, patet ex exemplo illius Prophetæ 1 *Reg.* 13. *v.* 20-27.

Audiverunt forte opponentes, leges aliquot humanas diſtinctè appellari pœnales: ſed hoc nihil ad leges & prohibitiones divinas; quibus ſanctio pœnalis individuè conjuncta eſt. Hæc in pręſenti ſufficiant. Nobis alibi de lege pœnali actum eſt.

Atque hactenus plus ſatis febricitans exceptio & infelix theologia refutata eſt. Nihil reſtat, quam ut eam calculo & calamo Jureconſultorum profligatam audiant, quandoquidem ex theologis & concionatoribus, argumentum hoc ab uſurpatione ſacrorum redituum validè diſſuadens audire nolunt. Verba unius ex multis indicatis, & indicandis ſolummodo exhibebo; qui variæ & vaſtæ non tantum eruditionis, ſed & tantæ apud Remonſtrantes, Socinianos, Eraſtianos, neutrales, Libertinos, moderatiores Pontificios, in Belgio noſtro exiſtimationis, ut nemo ex illo ordine majoris eſſe queat. Is eſt celeberrimus *Grotius*, qui *in annotatis ad Caſſandri conſultationem* ſic loquitur *artic.* 16.

„ Peſſimè autem officium hoc implent Principes, qui ea quæ olim Deo, „ id eſt, piis uſibus, data ſunt, ad ſuos & quidem profaniſſimos ſæpe uſus ver-

,, vertunt, hoc obtentu, quod nimis multa possideant Episcopi. Si nimium
,, multa habent Episcopi, detur quod superest Presbyteris & diaconis: de-
,, tur Ecclesiis ædificandis aut instaurandis: detur pauperibus popularibus:
,, &, si ei desint, externis, sicut olim ex Achaja & Macedonia missæ sunt in
,, Judæam pecunię: redimantur qui apud barbaros sunt captivi, quam ob
,, causam multi Episcopi vasa Ecclesię, etiam jam consecrata, vendidere,
,, quidam semetipsos dedere pignori. Miror non terreri eos qui vetus Te-
,, stamentum legunt, Achanis, qui Novum, Ananiæ exemplo. Et hæc vel
,, præcipua causa est, cur tam diu bella durent, non tantum quia propter
,, ista utrinque bellatur, verum etiam quia Deus contemtum sui sic ulciscitur.

Instantia: Forte ita retusi opponentes Archimedeum quasi eucharistion suum, seu panaceam adhiberent: Magistratus sub N.T. cum talem usum aut abusum bonorum voluntate scil. permittente aut ordinante, aut approbante concedit; non peccat sic utens vel abutens, nec potest argumentum à sacrilegio Achanis ex *Josue* 7. desumtum, bonorum abusui supra descripto applicari. *Resp.* Mera petitio ejus quod est in quæstione, minimè satisfacit. Hoc enim quæritur, An Reges & Principes possint in foro conscientiæ coram Deo sic agere, & homines à culpâ immunes præstare, atque ex peccato non-peccatum facere; & ipsi sic facientes (cum scil. potestas & potentia adest non-faciendi, aut aliter faciendi) ab omni culpâ in foro conscientiæ, coram Deo, immunes sint. Sicuti in quæstione, An Titii concubinatus, aut fornicatio, aut ebrietas aut funestum fœnus, aut pyratica, aut polygamia, aut conjugium cum vidua patrui aut avunculi, aut cultus Dei seu religio Gentilis, Judaica, Muhammedica, Arriana, Photiniana, idololatrica sub nomine Christiano, sit licita; in foro scil. poli & conscientię: frustra contra juris divini & naturalis convictiones, Regis, Principis, Magistratus judicium, decretum, voluntas sive permittens, sive concedens, sive approbans advocatur. Est putida Principii petitio. De Rege enim, Principe, Magistratu quæritur, an in casu conscientiæ coram Deo possit approbare & velle omnia modo memorata; eaq; in hypothesi, sic sæcularizare, transformare, defæcare, ut Titio non sint peccata. Hoc si quis affirmare ausit, petemus ab illo justam probationem. Quam si non prędtet, & nihilominus horribiles illos exorcismos intonare pergat, de Principum & Magistratuum potestate & potentiâ, deque parendi gloriâ, quæ unica theologis & fidelibus quibuscunque restet: jam cessat omnis disputatio philosophica, juridica, theologica: & compendio sine pulvere & sudore, sine scripturis, legibus, argumentis ad victoriam & triumphum opponentes grassari poterunt. Opponant modo carceres, exilia, aliasque à potestate coactivâ infligendas pœnas. Sed hoc non esset armis spiritualibus pro fide & veritate contra quosvis, specialiter contra fra-

 tres,

tres, certare. *Jud. v.*4. cum 2 *Cor.*10. *v.*3. Non ſine admiratione lego in Clariſſ. *Sculteti curriculo vitæ pag.* 21. edit. in 4. anno 1625. à *Caſparo Peucero* tunc ſene, Melanthonis genero Deſſaviæ anno 1589. inter alia ſibi narratum fuiſſe : „ Melanthonem Witebergæ duram ſerviiſſe ſervitutem : „ à Joh. Friderico electore ter illi decretum fuiſſe carcerem : ſemel propter „ propoſitionem , *Euangelium non tollit politias* : Iterum , quod electori „ diſſuaſiſſet epiſcopatuum Naumburgenſis, Halberſtadienſis, & neſcio cu- „ jus præterea, occupationem ; additâ ratione, quod bona eccleſiaſtica nullo „ jure Princeps ſibi vindicare poſſet. Tertio, neſcio quâ de causâ.

§. 3. *Altera exceptio* contra hoc argumentum , per inauditam capitis 7. *Joſuæ* non tam expoſitionem , quam refutationem in gratiam & ſolatium bonis eccleſiaſticis abutentium, ad ſcopum contendit. Fuit ergo *Quæſtio* ad hunc textum mota;

An peccatum quod ab Achane commiſſum, & propter quod Iſrael turbatus, & ipſe Achan tam graviter punitus fuit, ſpecificè fuerit peccatum furti & quidem qualificati, hoc eſt furti rei ſacræ; quod peculiari nomine & ſpecificè à Jureconſultis & theologis *ſacrilegium* appellatur : *an vero formaliter fuerit peccatum omiſſionis ; quod Achan devota à Deo ad deſtructionem non deſtruxiſſet, & maledictionem ſeu anathema Hierichuntis non fuiſſet executus, in chlamyde ſcil. Babylonicâ, cui pepercerat.*

Nos prius affirmamus & rationibus ex textu eductis probamus

I. *Rat.* Quia ipſe Deus hanc peccati ſpeciem indicat v. 11. *Peccavit Iſrael, & etiam tranſgreſſi ſunt pactum meum, quod præcepi eis, & etiam tulerunt de anathemate, & etiam furati ſunt, & etiam mentiti ſunt, & etiam poſuerunt inter vaſa ſua.* Ubi furtum τοῦ cherem ſeu anathematis, hoc eſt, rei alicujus Deo ſacræ & devotæ ad deſtructionem , & ſubductionem ab hominum omnium uſu ſive publico ſive privato : & rerum aliarum Deo ad uſum ſanctuarii & cultus divini devotarum. Non eſt quod verba textus originalis, aut verſiones linguarum orientalium & occidentalium hic exhibeam. Quia omnia evidentiſſima ſunt, nec ullus, quod ſciam ſcrupulus, aut diſſenſus.

II. *Rat.* Quia *v.*21. ipſe Achan juſſus dare gloriam Deo, peccatum ſuum diſtinctè explicat & confitetur. *Vidi*, inquit, *in predâ ſeu ſpoliis chlamydem Babylonicam , ducentos ſiclos argenti, linguam auream.* Hæc occaſio furti. Et *concupivi ea.* Hic initium furti, ſeu peccatum furti internum. Et *cepi ea :* hic conſummatio furti, ſeu exſecutio furti : quippe fraudulenta contrectatio rei alienæ ; Deo ſcil. devotæ, partim ad deſtructionem, & ab omni hominum uſu ſubductionem : partim ad uſum ſacrum dedicatæ & appropriatæ. Et *ecce abſcondita ſunt in terrâ in medio tentorii* ; & ut habet v. 11. *quod inter vaſa ſua, ſeu ad vaſa ſua collegerit.*

Hic conſummatio & *continuatio* furti.

Pecu-

Peculiarem mentionem facit abſconſi *argenti*, ablati ſcil. ex *cherem* ſeu anathemate uſuali quod Deo ad uſum ſacrum conſecratum & dicatum erat. In hoc ergo notanter deſignatur peccatum commiſſionis (non omiſſionis), & quidem ſpecifice, furtum rei ſacræ Deo dicatæ ad uſum ſacrum.

III. *Rat.* Ex definitione ſacrilegii. Apud Jureconſultos, definitur: *fraudulenta rei ſacræ animo lucrandi facta contrectatio.* Hujus definitionis, ex corpore juris explanatio & probatio apud Juriſconſultis legi poteſt. *Althuſius lib.* 1. *dicaiol.c.* 115. ad ſacrilegium refert, quando vaſa, pecunia, donaria, aliaque ſacra bona vel inſtrumenta in uſus communes & profanos convertuntur. Et hæc eſt ſacrilegii ſtrictè dicti deſcriptio. Theologi ſcholaſtici & locor. commun. ſcriptores, & Morales ac Caſuiſtæ in Eccleſiâ Romanâ cum *Thoma* 22. *qu.*49. *artic.* 1. latè & genericè ſacrilegium definiunt *rei ſacræ violationem*: ita ut complectatur omnia ea peccata, quæ ad irreverentiam rerum ſacrarum ac Dei injuriam pertinent. Quod pro diverſitate objectorum in varias ſpecies diſpeſcitur: & ſic ad varia decalogi præcepta tanquam peccatum ibi prohibitum, referri poteſt. Tam latè ſumtum, etiam à Canoniſtis, & Jureconſultis nonnullis (inter quos ex reformatis *Althuſius lib.* 1. *cap.* 115.) pertractatur. Nos definitionem ex Vulteji Juriſprudentiâ, ſacrilegii ſtricte accepti poſuimus. A quâ non diſcedit, ex noſtris *Martyr loc. comm. claſſ.*2. *cap.* 12. *Sacrilegium eſt ſacra temere attrectare, aut uſurpare ſibi, quæ Deo ſunt dicata, aut nomine voti ſeu anathematis debita.* Cui inſervit etymologia Iſidori à *Thomâ* 22. *qu.* 99. *art.* 1. adducta: ſacrilegium, inquit, dicitur ab eo, quod ſacra legit, id eſt furatur. Ex definitionibus illis tale argumentum exſtruitur:

Qui fraudulenter attrectavit & uſurpavit ſibi, quod nomine anathematis Deo debebatur, ille commiſit ſacrilegium. Sed Achan fraudulenter attrectavit & ſibi uſurpavit, &c.

Minor probatur. Qui ex anathemate deſtructivo, chlamydem, & ex anathemate uſuali linguam auream & 200. ſiclos argenteos attrectavit & ſibi uſurpavit; ille fraudulenter attrectavit & ſibi uſurpavit, quod Deo, debebatur. Sed hoc fecit Achan, uti duabus præced. rationibus ex textu deſumtis, probatum eſt. Ergo.

IV. Addimus conſenſum autorum, tum veterum tum recentiorum; qui omnes Achanis delictum, de furto rei Domino conſecratæ, aut ſacrilegio accipiunt. Quales ſunt, interpretes qui notas aut commentaria in 7.*cap. Joſuæ* ſcripſuunt: *Borrhaus*,*Cythræus*,*Serrarius*,*Lavaterus*, &c. ſupra citati. Quibus adde notas Belgic. & Anglic. ex antiquis *Origenem in Joſ.*7. *Auguſt. qu. in lib. Joſuæ*, gloſſam ordinariam ex dictis antiquorum contextam; ut & *Lyranum*. Ex recentioribus *Immanuelem Sâ*, *Marianam*, *Andream Maſium*, *Ariam*

Montanum, Munsterum, Drusium, Andr. Osiandrum, *Castellionem*, *Fr. Junium*, *Grotium in Jos.7.* & *Actor. 5. Piscatorem.ibid. Casp. Sanchez* in 1 *Paral.2.v.7.* Ut Rabbinos nunc prætercam, qui (notante Munstero) censent Achanem, propter sabbathi profanationem lapidatum, & propter sacrilegium fuisse combustum. Ex Jureconsultis, *Althusium lib.1. dicaiolog. cap. 115.* & *135. Wissenbach vol.2. pandect. disp. 29. n. 18. Metzger. consil. crimin. 2. n.14. Decium lib.6. criminal. cap.33. Anton. Matheum lib.47. de criminibus tit.1.cap.2. §.6. Simonem van der Leuwen in paratitlis juris novissimi* nostrate linguâ conscriptis *lib. 4. part.3. cap.7. §. 3.* Qui ex exemplo puniti Achanis *Josuæ 7.* probant, furtum aliquando pœnâ capitali puniri posse. Quod autem postremus, in theologos hâc occasione incurrit, quasi contrarium statuentes; ab eo majorem æquitatem & prudentiam adhibitam fuisse velimus. Non facile ostendet hanc esse communem, aut communiorem, aut saltem theologorum in Belgio nostro sententiam. Veteranum & eximium theologum *Piscatorem* fatemur opinionem de observatione legis forensis Mosaicæ in capitalibus suppliciis aliquando professum esse (vide ipsius *præfat.* ad analysin & scholia in Leviticum); & huic opinioni videri favisse *D. Maccovium* theologum Franekeranum in *dispp. locor. commun. part. alterâ dispp.* 14. Unde colligunt, Ergo secundum istorum sententiam nullum furtum capitali supplicio puniendum. Quod ad *Piscatorem*, vide quomodo eum contra *Mentzeri* censuram explicet *Henr. Altingius in Exeges. confess. August. artic.16. D. Maccovium* puto ex collatâ disputatione miscellaneâ 27. postea a.1642. editâ satis cum communi sententiâ conciliari posse. Quidquid sit, saltem cogitare deberent, qui tam cupidè in theologos reformatos incurrendi occasionem videntur arripere, Unam hirundinem non facere ver. Ex Lutheranis *Eckhardus* in fasciculo *cap.23. qu.2.* ubi de quibusdam nostrorum, sed non nominatis, tale quid suspicari & mussitare velle videtur, ibidem exhibet testimonia in contrarium ex Calvino, Musculo, Aretio, Sohnio, Ursino, Bucano, Piscatore, omni exceptione majora. Ejusdem quinque rationes pro abrogatione legis Forensis Mosaicæ ibidem allatas, nos libenter amplectimur. De furti pœnis docent theologi æque ac Jureconsulti posse etiam capitales infligi pro furti qualificatione, aut frequentiâ (juxta vulgare illud dictum: *Crescentibus delictis crescunt pœnæ,*) aut pro damnosis consequentiis periculorum & turbationum Reipublicæ & paci publicæ creatorum, aut metuendorum. Vide *Melanthonem* & ex ac cum eo pœnas capitales furti solidè defendentem *Pezelium part. 3. argum. & respons. theologicar. pag.* 286. A quibus Maccoviana non tam longè abeunt: uti patet ex curis ejusdem secundis στοφωτέραις, *disp. cit. §. 13.* ubi docet, lege divinâ furti pœnam non sanciri capitalem, ni addita aliquâ circumstantiâ vel loci, vel temporis, vel rei ipsius furto

furto ablatæ. Ibidem addit in politiâ Mosaicâ, furtum qualificatum (ipse vocat compositum) ut plagium *Exod. 21. v. 16.* sacrilegium *Jos. 7. v. 11. 25.* cum violentiâ conjunctum *Exod. 22. v. 2.* fuisse capitis pœnâ vindicatum. Breviter si ullę leges militares, tot pœnarum capitalium sanctionibus munitæ, probari ac defendi possunt, uti revera possunt ac debent: utique furti alicujus capitalis pœna defendi poterit.

Ex historicis, *Flav. Josephum lib. 5. antiquit. cap. 1.* Adrichomium in Theatro terræ sanctæ, in Benjamin, in voce *Achor*; Salianum in annal. 1., Petrum Comestorem in histor. scholasticâ. *Antoninum in histor. Cassandrum de viris illustr.* V.T. *Ex pareneticis, practicis, dogmaticis scriptoribus* tum antiquis tum novis, *Chrysostomum in homil. ad dictum Jesaiæ: Vidi Dominum sedentem*, &c. *tom. 1.* edit. lat. Basil. 1547. *Salvianum lib. 7.* de gubernatione Dei pag. 282. ubi probat exemplo *furti* Achan, sæpe in Dei populo *etiam unius facinus pestem fuisse multorum. Petrum Cantoris in Verbo abbreviato* cap. 46. & 153. *Johann. Langum in notis ad Justinum Martyrem de Veritate relig. Christi pag. 278. Daneum lib. 2. Ethicæ Christianæ cap. 15. Zepperum lib. 5. de legib. Mosaicis cap. 7.* in fine. & *lib. 4. cap. 10. pag. 367. Danhauwerum theol. Argentinensem collegii decalog. disp. 17. §. 7. 8. Polanum lib.* 10. *syntagm. cap. 63. Wollebium lib. 2. theol. cap. 12. Maccovium dispp. miscell. anno 1642. disp. 27. §. 14. Lancel. Androsium* in *Proverb. 20.* Sed abrumpo: si pergerem inspicere autores in meâ & amicorum bibliothecis, quis esset finis?

Videamus nunc antithesim, quæ, ut fulmen hoc ex arce *Josuæ 7.* in capita sacrilegorum communiter vibrari solitum, plane in brutum transformaretur, sensum ejusdem capitis pervertit, & exsertis verbis contextus repugnat. Monstri hujus horrendi & informis anno 1661. nati historia sic se habet. Postquam concionatores aliqui in explicatione *Jos. 6. & 7.* anno 1645. de bonorum istorum usu & abusu in thesi (ut jam retulimus) conformiter scripturæ & patrum ac nostorum theologorum, immo & totius Christianismi consensui dixissent; & ὁ δεῖνα annis aliquot post ad *Actor. 8.* in explicatione historiæ Simonis Magi, in eandem sententiam distinctè & accuratè determinasset (quo nomine à quodam abusuum istorum apologistâ in publico scripto tunc notatus fuit): factum est, ut idem postea mutatâ, nescio ob quas causas, velificatione, in contrariam sententiam non tantum inclinaret, sed insuper tanta τῆς ἀνθολκῆς ἀμετρίᾳ eam tueri conaretur, ut ipsos abutentes omnesque ipsorum patronos longè superare velle videretur. Hujus conatus specimen imprimis exhibitum fuit a. 1661. cum captatâ occasione explicationis *Jos. 7.* adversam causam ex professo ageret, & in eâdem cathedrâ, in quâ ante 16. annos præter propter, *caput 7. Josuæ* à nobis (ut jam dictum) explicatum, & abusibus applicatum erat, idem

caput

caput sic explicaret: ut ne minima quidem scrupuli umbra abutentibus conscientiis inde moveri posset. Explicationem illam, quia nostræ anno 1645. directè opposita erat, non tantum audivi, percepi, & impressi; sed etiam simul ac domum rediissem summam ejus in chartam conjeci; quin & cum collegis aliquot (quinque aut sex numero, ni fallor), ut & cum aliis literatis atque istarum rerum intelligentibus, qui eandem audiverant, aliqui etiam inter audiendum scripto exceperant, summam ejus à me notatam contuli: ut tanto melius, si qui ex auditoribus vel levissimè eâ moti fuissent (quod tamen hactenus expertus non sum) eandem tanquam falsissimam & absurdissimam refutarem. Temeraria hæc causam tuendi audacia non absimilis videtur recentiorum Judæorum, qui non contenti in hypothesi Dominum Jesum verum Messiam oppugnare, etiam in thesi omnia fere attributa Messiæ negant, & multa loca V.T. quæ de Messiâ antiqui Rabbini exposuerunt, pervertunt atque aliò detorquent. Sed age commentum hoc excutiamus.

* I. Dicebatur, peccatum, quod Deus tam graviter tulit, & propter quod Israelem, & Achanem cum familiâ punivit, non fuisse sacrilegium aut furtum rei consecratæ: sed quod non impletum fuisset Dei mandatum de anathematizandis hoc est, de destruendis omnibus personis & rebus (exceptis excipiendis) Hierichuntinis, *c.6.v.*17.19. Breviter quod *cherem* divinum, cui subjecti erant Hierichuntini cum bonis suis, Achan non fuisset executus.

Resp. 1. Memini cum ferventibus Remonstranticis contentionibus, quidam primipilus eorum in libro suo ecclesiasticam supremi Magistratus potestatem probaturus exemplo Mosis, inter alia dixisset Mosem fuisse natu majorem fratre Aarone: virum quendam doctiss. piissimum & consultiss. sub nomine Irenei Philalethii in libello quodam vernaculo sctipsisse: Malæ istius causæ actorem à Deo quasi cœcitate percussum fuisse, cum tam pudendum theologo sphalma committeret, quod sacro textu *Exod.7. v.7.* disertè contrarium diceret, qui Aaroni tribuit annos 83. Mosi vero 80. Quid dicam de hujus causæ confidente & fervido actore? Textum legerat, relegerat, meditatus erat, prælegerat, & inter dicendum ante oculos habebat, qui *v.*11. & 19 24. chlamydis, auri, argenti *sumtionem*, seu *acceptionem*, seu *ablationem*, *qui furtum*, *qui absconsionem* sonat, per quod factum Achan Israelem turbaverat, & propter quod ipse turbatus est. Commentatores, si quos inspexisset, aut saltem notas Belgicas ad *v.* 11. monere eum potuissent furatum fuisse Achanem aurum ac argentum in gazophylacium inferenda: juxta *Jos.6. v.*19.

*Resp.*2. Nusquam in toto capite præsumtum hoc peccatum omissionis seu non datæ executioni voluntatis divinæ in actuali destructione & perditione

ne rei devotæ, hoc eſt, chlamydis Babylonicæ, tanquam cauſa accenſę iræ divinæ & plagæ Iſraelitis atque Achani immiſſę, indicatur. Nuſquam, inquam. Sed peccatum commiſſionis, &c. furtum ſcil. anathematis, hoc eſt, rerum devotarum & conſecratarum Jehovæ, & à communi uſu humano ſeparatarum. Poſitivè (ita loquar) commiſerat concupiſcendo, auferendo, abſcondendo, & in uſus ſuos reponendo ac convertendo, quæ non erant ipſius: ſed Dei. Quid hoc aliud eſt, quam furtum rei conſecratæ & Deo, ſive ad deſtructionem ſive ad uſum ſacrum devotæ?

Jam vero furtum tale directè & propriè eſſe peccatum commiſſionis non omiſſionis, tyrunculi in theologiâ ignorare non debent. Quin *Joſuæ 7.* Achanis, & Dei verba liquidiſſimè commiſſionem demonſtrant: *Da ei confeſſionem: Indica quæſo mihi quid feceris* v. 19. *Et tale & tale feci* v. 20. *Vidi inter ſpolia pallium*, &c. *& concupivi ea, & tuli ea*, &c. v. 21. *fecit neſas in Iſrael* v. 15. *tulerunt de anathemate, etiam furati ſunt, & etiam mentiti ſunt, & poſuerunt inter vaſa ſua.*

Reſp. 3. Nec ex hoc capite, nec ex ullo alio textu ſcripturæ, nec ullâ ratione probabitur, Achanem obligatum fuiſſe, ad chlamydem interitui & perditioni devotam, hic & nunc, à ſe conſpectam, ipſo facto & poſitivè, ſive igni, ſive aquâ, ſive quocunque alio modo perdendam, quod ad materiam, aut formam, aut utramque. Non peccaſſet ille in chlamyde; ſi modo fraudulenter non contrectaſſet, in uſum ſuum non abſtuliſſet, & recondidiſſet. Relinquere eam ignis, aquæ aeris, tinearum, blattarum, vermium injuriis expoſitam, & conſumendam, & in cineres redigendam, aut ſub ruderibus putredine abſumendam, fuiſſet iſtâ in parte exequi mandatum Dei de cherem ſeu anathemate deſtructivo: quale erat chlamys. Quod enim incendio exurebatur, quomodo non ibat ad perditionem? aut ſi oppreſſum ruderibus à flammæ præſenti conſumptione puſillo tempore præſervatum fuiſſet, quomodo non ibat ad putredinem, & corruptionem?

Reſp. 4. Dato autem, non conceſſo, Achanem ex vi mandati divini obligatum fuiſſe ad chlamydem illam non prætereundam, aut iſtic, ubi eam videbat, non relinquendam; ſed effectivè quocunque modo perdendam, antequam inde diſcederet: ex textu tamen minime probari poſſet, hanc omiſſionem, ſeu non-executionem, non-actionem effectivæ corruptionis ac perditionis, fuiſſe ſpecificum illud peccatum, propter quod Deus iratus fuerat & tam exemplariter Iſraelem atque Achanem puniverat. Monſtretur vel γρῦ in toto hoc capite, unde hoc colligi poſſet. Sed econtra tam audacter negatum furtum ſeu ſacrilegium cauſa hujus mali, tam clarè & diſtinctè v. 1. 11. 19 20. 21. 22. aſſeritur, ac ſi ſolis radiis ſcriptum eſſet.

Quod ſi inſtes, Peccatum etiam aliquod fuiſſe quod iſtic & tunc con-

ſpectam chlamydem manibus ſui non perdidiſſet: *Reſp.* hoc textum minimè innuere: præterea in tali omiſſione aut inadvertentiâ, aut negligentiâ, ſpecificè, aut formaliter aut principaliter non fuiſſe poſitum (nedum ut tantum fuiſſet poſitum) hoc grande peccatum quod נבלה *nebalah* (vulg. *Pagninus*, *Munſterus* vertunt *nefas*, *Tigurin.* cum *Vatablo ſcelus*, Syrus עולא *gnavlo*, id eſt, *iniquitatem*, *ſcelus*,) Deus appellat *v.* 15.: ſed in avaritiâ & injuſtitiâ furtivæ ſubſtractionis & in proprium uſum ſuum repoſitionis ac converſionis earum rerum, quæ Deo partim ad deſtructionem, partim ad uſum ſanctuarii & cultus divini, erant ſacra; ideoque partim à quocumque hominum, partim ab omni ſæculari poſſeſſione & uſu ſeparata. Diſcant, ſi diſcere velint, ex Ethicis, (*Ariſtotelis lib.* 5. *Ethic. Nicomach.*) ſpecificationem vitiorum: *Quod ſi alius quidam lucrandi causâ mœchetur, inſuperque accipiat: alius vero tribuat, damnoque afficiatur ob cupiditatem: hic ſanè intemperans* (gr. ἀκόλαςος) *magis eſſe videbitur, quam* πλεονέκτης *& fraudator, vel pluris cupidus: ille autem injuſtus, non intemperans* Ubi commentatores Javellus & Verſor ad textus elucidationem advocant hoc axioma *Thomæ* 1. 2. *qu.* 72. ut 8. & 9. *Actus virtutum & vitiorum diverſificantur & ſumunt ſpeciem à fine:* quem Thomas ibid. vocat *motivum*; quia finis movet efficientem ad agendum. Multo magis ergo poſitiva actio Achanis, fraudulenta ſcil. contrectatio rei non-ſuæ, formaliter conſtituit ſpecificum peccatum, quod furtum dicitur; quam negativum illud, non-actionis: quod hic prætendebatur.

* II. *Ratio* & quidem principalis ſeu fundamentalis hujus paradoxi deſumebatur ex verbis textus v. 1. *Et prævaricati ſunt filii Iſrael prævaricationem in anathemate.* Ubi dicebatur Hebr. *Cherem*, quod eſt in textu, notare in ſcripturis aliquid quod deſtruitur, non vero quod uſui templi & ſacrorum appropriatur. Niſi quod impropriè & paucis locis tale quid ſignificet. Quænam autem illa loca eſſent, non indicabatur. Propriè ergo aut ſaltem principaliter intelligenda dicebatur prævaricatio in *cherem*, de chlamyde; & de eâ non perditâ, ac non datâ executioni voluntate Dei & mandato de excidio & perditione. His diſtinctè & perſpicuè ita dictis, poſtea adjiciebatur, quaſi per prolepſin ſeu anticipationem, linguæ aureæ & argenteorum nummorum ablationem ſeu furtum, fuiſſe quidem peccatum; ſed non principale, quod hic ſpectatur: ſed fuiſſe circumſtantiam, ſeu periſtaticum quid, quod Achanis peccatum augebat. *Reſp.* ὐδὲν hic ὑγιές; ſed mera ac miſera philologiæ, ſpeciatim phraſium ac rerum ſcripturę ignorantia. Nam 1. dato *cherem* notare propriè, *cherem* deſtructivum; hoc eſt, perſonam aut rem Deo ad exitium & excidium conſecratam ac devotam, & conſequenter ab omni uſu ac poſſeſſione hominum ſeparatam: non tamen

men ſequitur, nec ex ullo loco ſcripturæ, ne quidem ex *Joſuæ 7. v.1.* probatur, peccatum Achanis in eo propriè & formaliter conſtitiſſe, quod chlamydem ipſo facto ſuis manibus non deſtruxiſſet ac perdidiſſet, ſive quod ad formam, ſive quod ad materiam & formam: ſed econtra probatur ex ejuſdem verſus 1. verbis immediatè ſequentibus, quod ablatio, ſeu ſumtio, ſeu acceptio chlamydis, aliorumque anathematum per Achanem facta fuerit peccatum, propter quod Dei furor iratus eſt, &c. Sic ſonant verba: *Tulitque Achan filius Charmi.*

Adde his verba *v.*11.20.21.22. Quibus verbis definitè explicatur, quæ & qualis fuerit prævaricatio in *cherem* generaliter & indefinitè proximè præcedentibus verbis propoſita; & in quo ſpecialiter illa prævaricatio conſtiterit: in ablatione ſcil. & furto anathematum. Si verſus primus integer fuiſſet lectus & relectus, nec verba illa & *prævaricati ſunt filii Iſrael prævaricationem in cherem*, (id eſt, anathemate) à proximè adhærentibus reſecta, & ſola in cerebri alembico tam diu diſtillata & circulata, donec quinteſſentia hujus phantaſmatis inde extraheretur: utique tam abſurdis commentis & dictis boni auditores deluſi non fuiſſent.

Reſp. 2. Dato peccatum Achanis tantum aut ſaltem principaliter in ablatione ſeu furto chlamydis conſtitiſſe, & non in ſubſtractione, ablatione, & furto aureæ linguæ & ſiclorum argenteorum: maneret tamen commiſſum fuiſſe ſacrilegium, hoc eſt, rei ſacræ, devotæ, & ſeparatæ ab omni uſu & poſſeſſione hominum ſubſtractionem, ablationem, & in proprios uſus converſionem: ideoque hinc argumentum contra ſacrilegium, hoc eſt, uſurpationem rei Deo ad uſum ſacrorum ſeu cultus divini ſuſtentationem ac promotionem dicatæ, & conſequenter ab omni alio privato ac profano uſu ſeparatæ, rite duceretur Deus *Malach.* 3. *v.*8.9.10. vocat furtum & ſubſtractionem ſibi factam, ſi decimæ Deo ad ſacrorum promotionem & executionem dicatæ interverterentur.

Reſp. 3. Vanis & futilibus commentis procul habitis, dicimus poſitivam ſubſtractionem, ablationem, & in uſus proprios repoſitionem anathematis, & quidem tripartiti (chlamydis, linguæ aureæ, argenti) fuiſſe ſpecificum illud ſacrilegii peccatum, quod Deus tam graviter punivit. Nec ſubſtractionem chlamydis aut tantum aut principaliter peccatum ſacrilegii conſtituiſſe, ſed etiam, immo multò magis ſubſtractionem linguæ aureæ & argenti. Trium enim iſtorum fraudulentam contrectationem ſeu furtum adjuratus Achan Deo coram Joſua & ſenioribus populi confitetur *v.*21. quæ confeſſio vera deprehenditur, & recipitur *v.*22.23. & tres illæ anathematis ſive partes ſive ſpecies, in facti deteſtationem, unà cum Achane ipſiuſque familiâ & poſſeſſionibus perduntur *v.*24. Vides ergo *primo* prævaricationem in

anathemate commissam, per substractionem & furtum auri & argenti tanquam rei Deo ad usum sanctuarii & cultus divini dicatæ juxta *Jos.* 6. quod tamen temerario ausu contra expressa verba textus *v.* 11 22.24. negabatur. Vides *secundo*, tale furtum auri & argenti non esse peccati Achanici peristaticum quid., quod solummodo gradum adderet specifico peccato; sed ipsam peccati speciem & formam: propter quod Israel & Achan puniti sunt. Vides *tertio*, comparatione institutâ inter furtum chlamydis & inter furtum auri atque argenti; istud illo esse gradu aut gradibus aliquot deterius. Per substractionem chlamydis nihil sanctuario ejusque usibus subtrahebatur: sed per substractionem auri & argenti subtrahebatur gazophylacio, in quod illa inferri debuissent *Jos.* 6. *v.* 9. 10. Et sic Deus ipse Achanico argenti & auri furto fraudabatur, juxta *Malach.* 3. Manet ergo, ex pœnâ ablationis auri & argenti sanctuario dicatorum *Jos.* 6. & 7. rectissime à theologis & Jureconsultis supra cit. argumentum contra sacrilegos, & hodiernos bonorum ecclesiasticorum abusus instructum fuisse; nec valere quidquam ἀπολογητικὸν, quo textus hujus novi non tam interpretes, quam tortores, usurpantibus & abutentibus conati sunt succurrere.

Resp. 4. Ut simul & semel primum ac principale hujus amuleti ingrediens, & πρῶτον ψεῦδος evertam, digredior in explicationem vocis *cherem*, id est, *devotum*, *res devota*, *anathema*. Deducitur à radice חרם *charam*, id est, perditioni *devovit*, *consecravit*, *devotum effecit*: Cujus verbi significationem ex linguâ Arabicâ Hebrææ filiâ, quodammodo venari possumus: apud quos חרם *charama* significat *prohibitum atque illicitum esse*, & ad personam *proscribi*, *patriâ prohiberi*: cum quo ferè convenit Canonistarum *interdictum*, & *interdici*; à communione scil. cultus publici. Gr. interpres *Jos.* 7. *v.* 1. *Levit.* 27. *v.* 21. & 28. *Numer.* 18. *v.* 14. 32. eam exponit per ἀνάθεμα, quam vocem plerique latini interpretes retinuerunt vulgatus, *Munsterus*, *Pagninus*, *Ar. Montanus*, *Tremellius* & *Junius*, *Fagius*, *Joh. Benedictus*, *Andr. Osiander*, *Drusius*, *Piscator*, *Tigurinus* retinet Hebr. *cherem*: sed *Vatablus* in margine substituit *anathema*. Amama in censurâ vulgatæ versionis *Levit.* 27. *v.* 28. vulgatam versionem, *Omne quod Domino consecratur* corrigit, & substituit, *Omne anathema, quod anathematizaverit quis Domino*; *Castellio* vertit v. 1. priora verba, *contraxerunt culpam sacrilegii*, & verba sequentia, *cepit*, &c. מחרם *mecherem*, *de rebus devotis*. Confer versiones *v.* 20. *cap.* 22. *Josuæ*, ubi eadem voce *anathematis* vertunt Hebr. *cherem*. In genere significat 1. *Deo sacrum*, *dicatum*, consecratum, devotum, oblatum; & consequenter ab alio quocunque hominum usu separatum, subductum, exemtum, sive lege, sive voto, sive dono & spontaneâ oblatione. 2. Ipsam pernitiem quæ devotionem & exsecrationem consequitur. 3. *Metonymicè*, per-

personas sic proscriptas & prohibitas. *Rom.* 8. *v.* 3. 1 *Corinth.* 16. *v.*22. 4. *Metonymicè* personas circa personam aut rem anathematizatam, usurpantes aut abutentes. *Jos.*7. *v.*13. Verbum *charam* in conjugatione *kal*, non invenitur in Bibliis, sed tantum in hiphil. Hic in transitu *observa*, 1. *Votum* esse duplex, vel simplex, vel cum & sub execratione & devotione sui aut aliorum. Res posteriori modo Deo dicata, consecrâta, devota, speciali & strictâ quâdam significatione vocatur *cherem*; quomodo *Jos.*6. civitas Jericho sub execratione destructioni & desolationi perpetuę deputabatur. Vide de votorum distinctione clariss. & conjunctiss. collegę nostri *Caroli de Maets* τοῦ μακαρίτου *diatriben de voto Jephte part.*17.

Observa 2. *Cherem* & *anathema* ex voto, aut lege, aut spontaneâ oblatione Deo dicatum, & *consecratum*, esse & dici *sacrum*, & *sanctum*, quippe ab usu communi remotum, ac separatum; illique usui mortuum. Sed de explicatione, vocis *sacri* alibi nobis actum in 3.*part. select. dispp. tit. de benedictionibus*, &c. Lege modo *Levit.*27. *v.*21. ubi ager *cherem* seu anathematis non tamen destructivi, dicitur *res sancta Domino* & *v.* 28. *cherem* destructivum dicitur *res sancta sanctitatum Domino.* Utraque vox *cherem*, & *sanctum* usurpatur de re quâlibet Deo consecratâ: Genericam τοῦ *cherem* significationem accersimus ex *Levitic.*27. *v.*21. & 28. cum *Josuæ* 7. *v.*1. 11. 22. 23. 24. & ex *Numer.*18. *v.*14. Ubi quodvis Deo dicatum aut consecratum vocatur *cherem*: ubi gr. vertit ἀνάθεμα.

Unde etiam duplex *cherem* h. e. Deo dicatum, & devotum colligitur, *destructivum* scil. & *usuale*: uti hoc ex illo textu jam pridem animadverterat in utrâque, imprimis & in orientali literatura, eximius *Joh. Seldenus lib.* 4. *de Jure naturali & Gentium cap.*9. & 10. ann. 1640. Antequem idem observârat *Martyr. locor. classe* 2. *cap.*9. §.27. 28. 29. *Arias Montanus in commentar.* ad *Jos.*7.*v.*11. anno 1583. „ Partem verborum ejus hic exhibeo. Quod „ cum sciret esse anathema, & anathematis ratione ipsâ cognoscatur, res „ anathemate damnatas igni destinari cremarique dignas esse, vel seponen„das quę cremari non possunt; tamen ille non ita putavit; sed sibi servan„das duxit: quâ in re manifestè fraudavit veritatem rationemque rerum: „ hoc est, quod adjungitur, *& furati sunt atque mentiti.* Si enim illi furati „ essent, & clam direptas res igni cremassent, tamen sacrilegii rei erant, & „ anathematis rationem perverterant, quod publicè damnatum publicè cre„mari debuit, nedum cum anathematis rationem fraudantes mentiti fue„rint, ea quę cremanda erant reservanda esse potius ducentes, atque ana„themata res in quemlibet etiam publicum usum, vel etiam in nullum ser„vari nefas fuerat: quanto ergo magis nefarium sibi ipsis in suos usus capere? „ *Et paulo post*: Duo autem verba *mentiti sunt & absconderunt*, non u-

„ num, sed duplicem sacrilegii materiam fuisse indicant: Namque mentiri, „ &c. aliquid sublatum fuisse significat, quod cum cremandum esset, non „ tamen fuerit crematum, &c. in aliud vero genus eorum quę in sacrum æ- „ rarium servari & deferri debuerant, quadrat illud alterum, *& absconde-* „ *runt:* id quod deferre debebant, & reponendum erat in usus sacros, &c. „ Atque hujusmodi sceleris eventum & effectum Israelis illius cum Deo & „ hominibus potentis infirmitudinem fuisse ostendit Deus.

Eandem distinctionem habent, Aretius part. 3. problem. tit. de anathemate; qui ibidem ex *Justino* & *Chrysostomo* eam distinctionem probat. *Nicol. Serrarius* in *Jos.6. qu.* 33. 34. 35. qui unus inspectus facillimè offusas tenebras dispellit. *Immanuel Sà in notis ad Biblia* anno 1598. qui ad Jos. 1. v. 1. ad illa verba: *transgressi sunt in anathemate*, notat: *quod destruendum erat in Dei honorem, aut ei consecrandum. Willetus in comment. in Levitic. ad cap.* 27. *qu.* 2. anno 1631. Conr. Danhauwerus theol. Argentinensis in collegio decalogico anno 1638. *disp.* 17. §. 7. *Nobis*, inquit, *sacrilegii objectum tantum est, quod vero numini dedicatum est.* Hebr. *cherem*, Gr. *anathema*; *idque anathema sanctificationis vel abolitionis:* Post illos Notæ Anglicæ anno 1645. ad *Levit.* 27. *v.* 28. Clariss. & conjunctissimus, cum viveret, in utroque munere collega noster *Carolus de Maets in diatriba de voto Jephte part.* 13. §. 4. anno 1651. *Amama* eandem τοῦ *cherem* anathematis distinctionem innuit in *Censura vulgatæ versionis* ad *Levit.* 27. *v.* 28. Similiter Deo *sacrum*, Deo *dedicatum*, *oblatum*, *consecratum*, *devotum* est, omne usui communi substractum, vel destruendum vel in usus sanctuarii aut cultus divini impendendum. Sic *sanctum* erat holocautoma, sed totum destruendum: & sanctum erat sacrificium pro peccato, sed partim destruendum, partim in usum sacerdotum cessurum: sanctæ erant decimæ & primitię, non destruendæ sed usibus ministrorum applicandæ. Et sicuti *sacri* devoti destructioni pars substracta, aut *sacri* devoti usibus sanctuarii aut ministrorum pars substracta, sacrilegii reatum inducebat: sic etiam τοῦ alterutrius *cherem* pars substracta, eundem inducebat reatum. Vide illam sanctitatis appellationem, utriq; applicatam *Num.* 18. *Lev.* 27. Gręca vox ἀνάθεμα similiter ac Hebr. *cherem* accipitur à V. T. interprete Græco locis ex *Jos.* 7. *Levit.* 27. *Num.* 18. citatis. Derivatur ἀνάθεμα ab ἀνατίθημι, id est, *separo*, *sepono*, *dedico*, *consecro*. In genere significat Deo dedicatum, consecratum, devotum, & ab usu hominum separatum: sive quod ad sublationem & excidium substantię, sive quod ad excidium & sublationem usus communis. Generalem illam significationem docet Justinus in libro quęst. & respons. quæst. 21. *Anathema dicitur, quod Deo est dedicatum atque destinatum, & in communem usum amplius non convertitur; aut quod à Deo per malitiam est alienatum.* Ejus usus

apud

apud ſcriptores Gentiles frequentiſſimus eſt & ſubinde idem quod *cherem deſtructivum* ſignificat: ſæpius tamen idem, quod *cherem uſuale*. Prioris generis anathemata erant apud Gentiles, qui καθάρματα, *piaculares hoſtiæ*, & *devota capita* dicebantur. De quo vide philologos; & inter theologos Bened. Aretium loc. cit. Similis fere ſignificatio anathematis habetur in N.T. *Rom.* 9. *v.* 3. 1 *Corinth.* 16. *v.* 22. *Galat.* 1. *v.* 8. ubi notat exciſionem aut ſeparationem ab omni communione & gratiâ Dei, aut à ſalute, aut ab omni communione Eccleſiæ Chriſti. *Chryſoſtomus ad Rom.* 9. τὸ ἀνάθεμα εἶναι exponit per κεχωρισμένον, ἠλλοτριωμένον καὶ ἀποῤῥαγέντα εἶναι τοῦ Χριστοῦ.

Poſterioris generis anathemata (uſualia ſcil.) apud Græcos tum Gentiles tum Chriſtianos ſcriptores frequentiſſimè memorantur. *Clemens Alexandr. lib.* 2. *pædagogi cap.* 11. ornamenta quibus ſuperbæ mulieres calceos ſuos onerabant, vocat χρυσᾶ ἀναθέματα. *Joſephus lib.* 12. *antiquit. cap.* 2. donaria in uſum templi à Ptolomeo Philadelpho miſſa vocat anathemata. In Pauſaniâ, ubi ἀγαλμάτων idolorum, & delubrorum ab aliquo diis poſitorum & conſecratorum mentionem facit, leges ἀνάθεμα. Vide ejus Phocica, ſive *lib.* 10. Et Eliaca ſive *lib.* 1. Et Strabonem *lib.* 9. ubi Delphicum templum deſcribit; Adde Etymolog. Græcum, *Heſych.* in lexico, Pollucem Onom. *lib.* 1. *c.* 1. §. 24. 25. Herodotum, Pindarum, alioſque nunc mitto: indicato ſolummodo *lib.* 1. anthologiæ epigrammatum Græcorum, *cap.* 3. cujus tit. εἰς ἀναθήματα: & *lib.* 6. qui 27. capitibus ἀναθηματικὰ ἐπιγράμματα continet: ut habet titulus. Budeus, & poſt illum Beza ad *Luc.* 21. *v.* 5. ἀνάθημα, id eſt, *donarium* dicit diſtingui ab ἀνάθεμα *Rom.* 9. *v.* 3. ut illud ſignificet *donum Dei* ad uſum ſacrorum; iſtud maledictum deſtructioni devotum. Sed hoc diſcrimen in uſu iſtarum vocum ab autoribus non obſervari, conſtat ex Pauſania, Strabone, Flavio Joſepho, Clemente Alexandrino, Juſtino Martyre, epigrammatis Græcis modo citatis: ubi donaria ab illis vocantur ἀναθέματα (non ἀναθήματα.) Nec in verſione Gr. V.T. hoc diſcrimen ſervatur: ubi ἀνάθεμα *Joſ.* 7. *v.* 1. 11. 15. ſignificat & deſtructivum & uſuale. Sed *Numer.* 18. *v.* 14. tantum uſuale. Eâdem ſignificatione uſurpatur in libris Apocryphis 2 *Mach.* 2. *v.* 13. *Judith.* 16. *v.* 17. ἀνέθηκεν Ἰουδὴθ πάντα, &c. εἰς ἀνάθεμα τῷ κυρίῳ ἔδωκε. Et ſynonymum ejus ἀφόρισμα *Ezech.* 44. *v.* 29. ubi Aquila & Theodotion habent ἀνάθεμα. Ἀνάθημα vero (ſcriptum per η) *Levit.* 27. *v.* 8. in genere ſignificat omne conſecratum & ſeparatum ſive deſtructivum ſive uſuale. Sed *v.* 29. tantum deſtructivum. Et variæ lectiones ibidem *v.* 28. 29. habent ἀνάθεμα. 2 *Machab.* 9. *v.* 16. promittit Antiochus ſe templum καλλίστοις ἀναθήμασι κοσμήσειν. Ita ut promiſcuè uſurpentur ἀνάθεμα & ἀνάθημα. Quod Aretius in problematis loco cit. monuerat. Suidas in lexico ſuo: Ἀνάθεμα καὶ τὸ ἀνατεθειμένον τῷ Θεῷ· καὶ τὸ

εἰς ἀφανισμὸν ἐσόμενον ἀμφότερα σημαίνει, λέγεται δὲ καὶ ἀνάθημα τῷ Θεῷ ἀνατεθειμένον ὄν, id eſt, ἀνάθεμα *& quod Deo conſecratum eſt, & quod deſtruendum eſt. Dicitur etiam* ἀνάθημα *quod Deo conſecratum ſeu dedicatum eſt.* Ἀνάθεμα in verſione Gr. V.T. exterminium & exitium plerumque ſignificat: aliquando tamen conſecratum Deo ad uſum Eccleſiæ & ſacri miniſterii, ut *Levitic.* 27. *v.* 29. πᾶν δὲ ἀνάθημα ὃ ἂν ἀναθῇ ἄνθρωπος cum *v.* 21. ubi de anathemate agri, qui non deſtruebatur, ὥσπερ ἡ γῆ ἡ ἀφωρισμένη τῷ ἱερεῖ. Vulgatus hic vertit: *Omne quod Domino conſecratur.* Tigurinus, *Omne cherem, quod quiſquam Domino conſecraverit.* Pagninus: *Omnis conſecratio, quam conſecravit vir Domino.* Munſterus: *Sed nullum anathema, quod homo abdicaverit, & Domino devoverit: Mich.* 4. *v.* 13. Καὶ ἀναθήσεις τῷ Κυρίῳ τὸ πλῆθος αὐτῶν. *Numer.* 18. *v.* 14. πᾶν ἀνατεθεματισμένον σοι ἔσται.

* III. Cum ex voce *cherem* v. 1. in genere probari cœptum eſſet, non-executionem anathematis à Deo mandati *cap.* 6. hoc eſt, non-deſtructionem & non-perditionem chlamydis fuiſſe grande illud peccatum, propter quod Iſrael & Achan plexi fuiſſent; non vero furtum rei ad uſum ſanctuarii dicatæ: addebatur limitatio ſeu diſtinctio. Quod *cherem* propriè notaret illud quod deſtruitur, non autem quod uſui templi aut ſacrorum appropiatur: niſi quod impropriè & paucis locis tale quid ſignificet.

Reſp. 1. Quid *cherem* in Scripturâ, & quid *anathema* (quo Gr. & Latini interpretes τὸ *cherem* exponunt) apud ſacros & profanos ſcriptores ſignificet, jam dictum eſt ſatis ſuperque. Sed cum quis novit eſſe diverſas vocis alicujus acceptiones, quâ fiduciâ aſſerit acceptionem illam, non iſtam textui *Joſ.* 7. aptari debere: non tantum abſque ullis allatis aut indicatis cogentibus ex circumſtantiis textus & ſcripturæ analogiâ rationibus; ſed inſuper rationibus in contrarium ſe clarè offerentibus in ipſo textu *v.* 19. 21. 22. 24. coll. cum cap. 6. v. 18. *Omne autem argentum & aurum, & vaſa ærea & ferrea ſanctum eſt Domino. Theſaurum Domini ingredietur.* Hęc cogunt nos etiam accipere τὸ *cherem* ſeu *anathema* de rebus uſui templi & ſacrorum appropriatis, quæ ab Achane ſubſtractæ, furto ablatæ, & repoſitę erant in uſum proprium, *Joſ.* 7. *v.* 11. cum 22. 24. Qui ſic exponeret textum *Joſuæ* tantundem faceret, ac ſi quis ad 1 *Cor.* 8. *v.* 5. aut *Exod.* 7. *v.* 1. aut *Pſal.* 82. *v.* 6. diceret vocem *Dei* Hebr. *elohim* non notare *Exod.* 7. aut *Pſal.* 82. aut 1 *Cor.* 8. hominem excellentiâ aliquâ aut poteſtate ſupra alios homines præditum; ſed ſummum numen ſeu naturâ Deum: quia vox *elohim* propriè in ſcripturâ ſummum & naturâ Deum ſignificat; non vero Deum officio aut poteſtate ſupra alios homines eminentem: niſi quod impropriè & paucis locis talem hominem ſignificet. Atqui circumſtantiæ textus *Exod.* 7. aut 1 *Cor.* 8. aut *Pſal.* 82. ſuadent immo cogunt illam ſignificationem, impropriam

ſcil. & paucis locis occurrentem huic textui aptare: non vero iſtam, ut ut ea propria & in ſcripturis frequentiſſima ſit. Ut redeam ad agitatum *cherem anathema* dico propriè notare devotum, conſecratum, ſeparatum à communi uſu; illudque diſtribui in deſtructivam & uſuale. In uno genere conveniunt, in ſeparatione ſcil., ſicuti equus & leo in uno genere conveniunt, animali ſcil.; & animal de utroque quodditativâ & ſynonymicâ prędicatione prædicatus. Specie autem diſtinguuntur, ſicuti leo & equus: unum enim *cherem* ſeparatur ab omni hominum uſu per ſubſtantiæ deſtructionem ſeu abolitonem, ut poſthac nullus ejus ſit uſus; & ſic civitas Hiericho cum contentis bonis erat *anathema Domino Joſ. 7. v. 16.* Alterum vero *cherem* ſeparatur ab uſu omni profano, & ſoli uſui ſacro dicatur, appropriatur, ſeparitur, ſervatur. Quomodo Hebr. קדש *kodeſch* propriè ſignificat rem Deo ſacram, conſecratam, dedicatam: & diſpeſcitur in duas ſpecies, quarum una ſit ſacrum deſtructivum altera ſacrum uſuale. De utrâque ſpecie prædicatur genus. De *deſtructivo* Levit. 27. v. 28. 29. *Sanctitas ſanctitatum ipſum Domino* ליהוה *laihova* (ubi Gr. verſio: ὥσπερ ἡ γῆ ἀφωρισμένη τῷ ἱερεῦ.) De *uſuali* ibid. v. 21. *Sed erit ager poſtquam exierit in Jobel ſanctitas Domino, ſicut ager anathematis* (cherem) *ſacerdoti erit poſſeſſio ejus.* Et *Numer.* 18. *v.* 15. *Omne cherem* (Pagninus & Montanus vertunt omnis *conſecratio* Gr. πᾶν ἀναπεθεματισμένον. Munſterus, *quod velut anathema abdicatum fuerit*) *tibi erit.* Quod hic appellat *cherem*, ſupra *v.* 8. 9. 10. appellaverat *ſanctitates* aut *ſanctificationes* filiorum Iſrael. Et ſupra oſtendimus à patribus, recentioribus ſcriptoribus modo indicatis hanc *anathematis* ſignificationem & diſtinctionem, ex ſcripturis obſervatam. *Aretius* loco cit. allata deſcriptione *anathematis* ex *Juſtino* (quam ſupra exhibuimus) ſubjicit: „Hujus rationem eleganter „reddit Chryſoſtomus in 9. cap. ad Romanos ſcribens: Quia, inquit, in „utroque eſt χωρισμὸς tam in donariis quam piaculis. Donariis enim ab„ſtinemus tanquam τῷ ἀντικειμένῳ (legendum ἀνακειμένῳ) Θεῷ, hoc eſt, rem „Deo conſecratâ, & dilectâ. Piaculis autem abſtinemus, tanquam ἀπηλλοτριωμένῳ Θεῷ, hoc eſt, re Deo invisâ, & odiosâ. Et congruit utrique ety„mo. Donaria quia ſuſpenduntur ad ſpectaculum, quod ſignificat ἀναθεῖναι. „Piacula autem ab eodem verbo ἀναθεῖναι, quia etiam ſignificat perimere, „occidere, cui congruit ἀποθανεῖν, nam piacula indigna habebantur hâc „vitâ.

Reſp. 2. Quidquid hic contra lucem textus & hiſtoriæ ſacrę aliquis comminiſcitur, minime tamen juvat eum ad intentum obtinendum. Intentum eſt perſuadere in hâc hiſtoriâ Achanis, in ſtatu finitudinis ſeu qualitatis non deſignari ſacrilegium ſeu furtum rei Deo ſacrę (chlamydis ſcil., auri, argenti), tanquam illud grande nefas, propter quod Deus iratus tam exem-

 plariter

plariter punivisset, sed grande illud nefas propriè, saltem principaliter designari, quod constabat in non-destructione chlamydis : non vero in furto chlamydis; multo minus in furto auri & argenti, quę usui templi & sacrorum appropriata, quæque sub voce *cherem* anathematis, de quo Achan sibi sumserat, nullo modo contineri putabantur dato, non concesso, *cherem* tantam prædicari *Josuæ* 7. *v*.1. de chlamyde, non vero de auro & argento usibus sanctuarii dedicato ac consecrato : nulla tamen vel probationis umbro inde, aut ex toto capite adduci potest pro aureo illo somnio, de scelere Achanico, propter quod Deus iratus, Israel turbatus, & Achan punitus : quod scil. illud constiterit in non-destructione & non-perditione chlamydis, quam viderat inter res Hierichuntinas ; non vero in actuali commissione sacrilegii : hoc est in furto, substractione, ablatione, & in usum suum conservatione ac repositione chlamydis. Unde probabit, Achanem ad exequendum anathema à Deo mandatum, omnesque & singulos Israelitas personaliter obligatos fuisse, ad præsentem, positivam, & effectivam destructionem omnium rerum, quas inter occidendum, reliquis hominibus fuga dilapsis, passim in domibus in plateis, in angulis, in portis in dirutis muris attentè aut in transitu viderat Achan : Quales erant ligneæ, eburneæ, figulinæ, lapideæ, cereæ, stramineæ, plumarię, lineę, laneę, sericæ; statuę, picturæ, mensę, patinę, amphorę, paterę, sellæ, spondę, stragulę, vestes. Achan, & quicunque Israelita cum zelo opus Domini executus est, obvios mactando, latentes per domos, angulos, secessus ad mortem quærendo, centena ejusmodo proculdubio viderat, quæ ille aut inter mactandum, aut peractâ hominum & brutorum mactatione, personaliter & præsenter non ita poterat perdere destruere, nec etiam tenebatur. An singuli Israelitę urbem invadentes, infinita visui suo objecta è vestigio, aut saltem ante discessum ex urbe actualiter perdiderunt, alia quod ad formam, alia quod ad materiam & formam? An reliqui, qui viderant, aut videre potuissent, non erant obligati? Mihi saltem non fit verisimile, nec ab ullo puto probari posse quod prætenditur, aut de hoc aut de quocunque alio anathemate divinitus indicto. Quod si & alii ex Israelitis, singulis rebus, in urbe illâ sibi conspectis suâ manu præsentem perditionem non intulerint; & si in tali omissione seu pręteritione formaliter constiterit grande illud peccatum in *cherem* : utique solus Achan omittendo chlamydis destructionem, non peccasset in *cherem*. Quod tamen omnes commentatores ex textu sacro affirmant. Certe qui peccaverit in *cherem*, debebat à medio tolli, antequam benedictio & auxilium Dei Israelitis contra hostes præsto esset, *Jos*.7.*v*.12. Uno autem sacrilego Achane cum familia sua & possessione sublato, aversa est ira Dei. Consistebat ergo executio divini anathematis, pro parte Achanis,
non

non in solâ singularum rerum à se conspectarum præsenti perditione, sed in earum non substractione, non-subductione, non-præservatione ab exitio & corruptione. Si ergo chlamydem in domo illa aut in quocunque alio loco, ubi eam conspexerat, urbis incendio publicâ autoritate & anathematis executione illato, aut sequentium ruinarum, aquarum, aëris, putredinis injuriis perdendam reliquisset: utique circa executionem mandati à Deo anathematis non peccasset. De incendio sic habet textus Jos.6.v.22. *Et civitatem succenderunt igni, & omnia, quæ erant in eâ.* Quod autem peccaverit in *cherem* sacrilegâ substractione chlamydis, & multo magis in substractione auri & argenti in gazophylacium inferendi, legimus ipso illo versu 1. *Jos.7.* in quo sacrilegii ἀπηγορικῶ causę suæ fundamentum jaciebat: *Et prævaricati sunt filii Israel prævaricationem in anathemate.* Hic indefinitè indicatur circa *cherem anathema* peccatum esse. *Tulitque Achan filius Charmi filii Zabdi filii Zerah de tribu Juda, de anathemate: & iratus est furor Domini contra filios Israel.* Hic definite exponitur quis & quomodo peccaverit circa *cherem*: accipiendo scil. sumendo sibi aliquid de *cherem*. Prima verba *prævaricati sunt in anathemate*, interpres Græcus ex verbis in eodem versu proxime sequentibus exponit: Καὶ ἐνοσφίσαντο ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος, id est, *& usurpaverunt de anathemate*: quam phrasim ibidem habet interpres vulgatus. *Drusius* in comment. ad *Jos.7. v.1.* non malè monet, verba Gręca sic vertenda: *interverterant de anathemate, aut surripuerant furtim, & in suum usum converterant.* Et confert ibid. *Actor.5. v.2.* ubi eadem vox ad simile sacrilegium denotandum adhibetur. Ενοσφίσατο ἀπὸ τῆς τιμῆς, id est, intervertit aut avertit de pretio. Vide notas *Bezæ* de verbo νοσφίζεσθαι. Peccatum Achanis in *cherem*, ob quod furor Dei accensus dicitur, finitur in terminis, & specificatur *v.11.* quod sit *furtum*; & quia de τὸ *cherem* seu anathematis, hoc est, rerum Deo consecratarum, devotarum, & separatarum sive ad exitium (chlamydis) sive ad usum sanctuarii (auri & argenti) *v.21. 24.* sequitur fuisse genuinum & geminum *sacrilegium*, quorum unum (auri scil. & argenti,) longè gravius altero (chlamydis); quod positivè usui sanctuarii aurum & argentum subtraheretur, chlamys vero non subtraheretur.

* IV. Non fuisse peccatum Achanis sacrilegium; sed omissionem seu non-executionem anathematis, hoc est, non-destructionem seu non-perditionem chlamydis, quæ exitio devota ac deputata erat: hâc insuper ratione probare studebat, Quod Achan propter peccatum à se perpetratum, morte mulctatus sit. Jam vero non-executioni τοῦ *cherem*, hoc est, non-perditioni seu non-excisioni rerum exitio devotarum, lex pœnalis Mosaica sanciebat pœnam mortis: sacrilegio autem non sanciebat pœnam mortis. Ergo Achan morte punitus non peccavit committendo, sacrilegio scil. sed omit-

 tendo,

tendo, hoc est, non-excisione seu non-perditione chlamydis. Dictatum suum de sacrilegio sic illustrabat, dicendo, Deum quidem peccatum substractionis bonorum sacrorum detestari *Malach.* 3. *Proverb.* 20. sed pœnam mortis non sancire aut irrogare. Alterum dictatum de sanctione pœnali positâ omissæ executioni anathematis destructivi, probabat ex exemplo Saulis 1 *Sam.* 15.

Resp. 1. Ad pœnam mortis Achani, & ejusdem familiæ inflictam: præsupponi videri, quod hæc pœna, ex nostrâ sententia, juxta sanctionem legis forensis Mosaicæ illi fuerit inflicta. Nos contra dicimus, fuisse speciale & extraordinarium præceptum Dei (*Jos.* 7. *v.* 12.), secundum quod hęc pœna Achani & familiæ inflicta est: non vero legem communem pœnalem à Deo per Mosem Reipublicæ Israeliticæ latam: quam nos hactenus inter leges forenses non invenimus. Haut aliter ac per speciale & extraordinarium Dei præceptum, non autem per communem legem Mosaicam, septem ex posteris Saulis suspensi fuerunt 2 *Sam.* 21. Absque specialibus his pręceptis, juxta communem legem Mosis *Deuter.* 24. *v.* 15. non debuissent filii & filiæ Achanis, nec filii Saulis occidi, propter peccata patrum. Itaque ex occisione Achanis & liberorum, per vertiginosam consequenitam concludi non potest: Ergo peccatum ejus non fuit sacrilegium; sed aliud quid. Et quare quęso? Quia sacrilegio per legem forensem Mosaicam pœna mortis sancita non erat. Quod si in materiâ & formâ tales argumentationes constitutæ, occurrerent propriis architectis, an non περιπατῶσι suo schemate ipsos terrerent? Ne quis autem putet ex non-sancita per legem Mosaicam mortis pœnâ sacrilegis inferendâ, si non in totum saltem in tantum minui gravitatem peccati, suggero ei pœnas, quas Deus sacrilegis comminatur Malach. 3. v. 9. *Maledictione maledicti estis, & mea rapitis, gens omnis.* Proverb. 20. v. 25. *Laqueus est homini devorare sanctificatum.* Numer. 28. v. 31. *Et sanctificationes filiorum Israel non polluetis, & non moriemini.*

Adde mortem exemplariter ob sacrilegium Ananiæ & Saphyræ inflictam, *Actor.* 5. quod terrible Dei judicium communiter à theologis & quibusdam Jureconsultis (inter quos *Grotius supra cit.*) usurpationi bonorum sacrorum applicatur. Quid dicam de profanatione Bethsemitarum, & Uza, à Deo morte vindicatâ 1 *Sam.* 6. *v.* 19. & 2 *Sam.* 6. *v.* 7. Qualis profanatio ad sacrilegium à Jureconsultis refertur. Vide *Tholosanum* & *Althusium supra cit.* Nec prętereundæ sancitæ & sacrilegis irrogatæ capitales pœnæ per leges politicas, apud Jureconsultos indicatas & defensas. Quarum justitia, ex silentio & non-sanctione legis forensis Mosaicæ, expugnari non potest, non magis quam justitia hodiernarum sanctionum & pœnarum contra abactores; quos lex forensis Mosaica solummodo in pœnam quadrupli aut quintupli condemnat. *Exod.* 22. *v.* 1.

Resp.

Resp. 2. Omissionem, seu non executionem destructionis τȣ̃ *cherem* destructivi, (quale erat chlamys ab Achane subtracta), à lege forensi Mosis, morte puniendam, non memini ante illud tempus audivisse, nec usque in hunc diem legisse. Qui ad populum phaleras & somnia loqui nolit, vel nunc locum scripturæ indicabit, quem tunc indicare debuisset. *Qui loquitur, tanquam eloquia Dei* 1 Petr.4. v.11. *Vanescere faciunt vos, visionem cordis sui loquuntur* Jerem. 23. v.16. *Propheta cum quo est somnium narret somnium, & cum quo est verbum meum, loquatur verbum meum verè. Quid paleæ ad triticum, dixit Dominus?* Jerem.23. v. 28. Exemplum Saulis ad hanc rem non facit. *Primum* quia aliud est parcere regi Amalekitarum & præstantioribus pecoribus, ut eas Deo sacrificarent: & aliud furari ac in proprios usus seponere chlamydem ab omni usu hominum excisam & separatam. *Secundo*, communi lege forensi non erant omnes gentes Israelitis inimicæ, anathemati & excisioni divinitus deputatæ: sed soli Cananæi, quorum terra Israelitis in possessionem data. *Deuter.*20. *v.* 13. *Exod.*23. *v.*32. 33. De Moabitis, Ammonitis, Edomitis, & de omnibus aliis Gentibus, cum quibus ipsis belligerandum foret, aliter ipsis præcipiebat Dominus. *Deuter.*20. *v.*10-16. De Midianitis excidendis *Numer.*31. & de Amalekitis *Deuter.* 25. *v.*19. cum 1 *Sam.*15. *v.*3. speciale erat præceptum Dei. Inde ergo non probatur sanctio legis forensis. *Tertio* nec ex peculiari præcepto divino, nec secundum legem forensem Mosis, pœna mortis Sauli decreta & irrogata fuit. Nec etiam 12000. armatis, ne quidem præfectis eorum, mortis pœna decreta atque irrogata fuit: quamvis peccassent parcentes masculis & fæminis maritatis. *Numer.*31. Ex dictis liquet, non posse sacrilegium ab Achane, nec gravissima Dei judicia à sacrilegio Achanis, consequenter nec enormitatem peccati à sacrilegio, nec iram & maledictionem Dei ab hodiernâ bonorum sacrorum usurpatione separari. Siquidem bona Deo ad usus ecclesiæ, ministerii, pauperum, donata, dicata, consecrata, sunt anathemata usualia; quæ nemo sine peccato sacrilegii & peccato in *anathemate*, in usus suos privatos convertere potest. Stat ergo firmum & inconcussum, rectè argumentum contra sacrilegia sub novo Testamento & sub ecclesiæ ac religionis reformatione commissa, à theologis & Jureconsultis supra indicatis, & à me meisque collegis a.1645. in explicatione *Josuæ* 6. & 7., inde eductum.

* V. His ita super casu Achanis contra lucem textus sacri *Jos* 7. dissertatis; per digressionem agebatur de bonis ecclesiasticis sub novo Testamento: Quę *primo* negabantur esse sacra & spiritualia (belgicè **Geestelijcke Goederen**) propriè dicta: sed tantum impropriè sic nuncupati per extrinsecam scil. denominationem; quod data sint & impendantur in cultus di-

vini conſervationem & promotionem. Econtra bona ſacra & conſecrata propriè eſſe templum, altare, vaſa ſacra (qualia etiam Pontificii ſua templa, altaria, imagines eſſe velint) quæ ad nullum alium uſum adhiberi poterant. Secus ſi fieret, committebatur furtum cum profanatione: & hoc propriè vocatur ſacrilegium belgicè **kerck-rooverye.**

Secundo proponebantur duæ quæſtiones.

1. *An bona idolis Gentilium donata & conſecrata* (e. gr. in Indiâ) *neceßariò pertineant ad eccleſiam, & in ejuſdem uſus impendenda ſint* ?

2. *An bona ſub novo Teſtamento, in Chriſtianiſmo Deum unum & trinum agnoſcente, donata eccleſiæ ad cultum divinum, ſint vera bona eccleſiaſtica, affixa eccleſiæ & cultui divino?*

Ad *priorem* quæſtionem reſpondebat, Theologos quoſdam affirmare: alios vero eruditione non inferiores, negare; & ſe cum illis:

Ad *poſteriorem* reſpondebat, quoſdam theologos affirmare; alios negare cum quibus ſe facere profitebatur.

Reſp. ad 1. ſiquidem furtum cum prophanatione (uti appellabat), hoc eſt, *ſacrilegium* committi non poteſt, niſi circa bona ſacra, qualia erant templum, altare, vaſa templi: utique ſub novo Teſtamento genuinum ſacrilegium nunquam committitur, nec committi poteſt: quia ejuſmodi ſacra non ſunt. Quidquid ergo à Juriſconſultis ex corpore juris, à theologis ex Bibliis & antiquitate, à Politicis ex ſtatutis & decretis politicis, de ſacrilegio (quod à peculatu aliiſque furti ſpeciebus diſtinguunt) hactenus ſcriptum fuit, ad ſomnia mythologica & excogitata commenta relegandum erit: haut aliter ac Remonſtrantes in *Vedelio Rhapſodo* de hæreſi ſpeculativâ (quamvis perperam) pronuntiant, eſſe eam commentum theologorum. Moneantur judices in Chriſtianiſmo poſthac majorem ſcientiæ & conſcientiæ ſalem adhibeant in puniendis ſacrilegis; ne illâ qualitate iis pœnam capitis irrogent magis, quam aliis ſimplicis furti convictis. Æditus ergo Campenſis & uxor ejus ante annos aliquot ferali ſacrilegii nomine capite plecti non potuiſſent: nullum enim propriè dictum ſacrilegium, juxta hanc theologiam commiſerant; quamvis nummos ex gazophylacio diaconorum toties furati eſſent. Ratio peremtoria eſt, (ſiquidem nova hæc Juriſprudentia & theologia obtineat) quod nummi illi non eſſent ſacri, ſicut templum, altare, vaſa templi. Poſthac in lexicis juridicis & theologicis, commentatoribus decalogicis, Caſuiſtis, locorum communium ſcriptoribus, expungatur definitio ſacrilegii. Quin & exemplum ſacrilegii ex *Actor.* 5. *v.* 4. ſileat: quod communiter à theologis & Jureconſultis juxta cum Achanico coram eccleſiâ proponi, & adduci ſolet. Ceſſet denique ſacrilegii accuſatio à *Melanthone*, *Bucero*, *Muſculo*, aliiſque reformatis theologis intorta Epiſcopis,

pis, abbatibus, canonicis, aliisque clericis sub Papatu; etiam quibusdam sęcularibus sub reformatione. Unâ scil. liturâ omnia illa inducenda erunt: quia sacrilegium non datur sub novo Testamento; & non entis nulla est affectio.

Resp. ad 2. Duarum quęstionum coram ecclesiâ propositiones, & in partem negantem determinationes, imprimis posterioris, contra communem reformatorum, immo & Christianismi totius sensum ac consensum, quâ cum ædificatione factę sint, juxta hypothesin & conscientiam dicentis, fateor me non videre. Fueruntne illæ quęstiones fundamentales ad necessariam & communem fidem ac doctrinam ecclesiasticam pertinentes; an vero problematicæ? Prius si dicat, jam peto ut determinationem suam ostendat in communibus doctrinæ formulis, confessione scil., catechesi, aut decretis *Synodi Dordracenæ* anno 1619. Κατ' ἄνθρωπον, id est, ad hominem hoc urgeo: quia nôrunt patroni abutentium, se hanc legem in quæstionum moralium, casuum conscientiæ, adhortationum & dehortationum publicâ propositione, aliis latam velle: ut communibus formulis, quibus concionatores subscripserunt, hæc tradita esse doceantur; aut ab iis pro concione proponendis abstineatur. Qui ergo docet alios, seipsum prius docere debebat. Ostendat communibus formulis talia contineri; unde duæ illę quæstiones desumi, & in partem negantem determinari potuerint. Sin dicat esse quæstiones problematicas, in quarum determinatione, in diversum abeunt theologi reformati; jam quæro quomodo ex hypothesi suâ, plebem ecclesiasticam operosâ & contentiosâ illarum ventilatione fatigare potuerit? Noverat enim se problematica vocare, de quibus orthodoxi & ejusdem confessionis theologi diversum sentiunt; & se dissidiorum, turbatæ pacis, impeditæ concordię fraternæ, autores facere illos, qui sententiam e.gr. quęstionum problematicarum (secundum ipsum) partem suę opinioni oppositam pro cathedra docent, subjectis adhortationum aut dehortationum usibus. Quis color hic dici poterit? An ubi alicui placuerit de usu & abusu bonorum sacrorum sub N. T. aut de mordente usura, seu trapezitica, aut alias, quas antea tenuit, aut publicè pro concione tradidit, sententias, deserere: ilico dicendum erit, quæstionum illarum statum jam mutatum esse, diversas esse theologorum sententias. Itane ad variationem quorumcunque, quæstiones ad fidem moresque vivendi facientes, & hactenus utiliter, datâ occasione explicatæ, transformarentur in inutiles; de quibus tempore ab illo, pro concione aut aliter docendum aut saltem tacendum esset possidentibus & loqui consuetis: ut interea sine impedimento in novas formas mutatæ opiniones, per editos libellos, per scedulas manu scriptas, per susurros, per obreptiones, per instructiones κατ' οἶκον, spargantur in populum, & vires acquirant eundo;

donec

donec omnes & omnia occupaverint. Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ. Simile eccleſiaſticæ pacis & concordiæ fraternæ μορμολυκεῖον in ortu ſuo obtendebant Remonſtrantes; per quam & ſilentium in cathedris eccleſiaſticis per brachii ſæcularis decreta pro pace eccleſiarum imponi curabant miniſtris orthodoxis, qui poſſeſſionem & profeſſionem orthodoxię per conſcientiam Dei deſerere non poterant: Recolantur *acta eccleſiaſtica* annorum 1612. 1614. 1616. 1617. Hodie etiam ſerpit contagio, quod ſimulac quis peccato alicui invitis monitionibus eccleſiaſticis adhærens ſeduxerit an compulerit (quibus rationibus, ego non dicam) aut alicubi repererit, concionatorem quem, aut miniſterii candidatum, aut theologum, qui peccatum illud faciat adiaphorum, aut de eo dubitet, aut idem ſi non in totum, ſaltem in tantum excuſet: ilico conſcientiam ſuam ab emendatione, immo à ſeriâ in illum caſum ex verbo Dei inquiſitione, liberatam putet. Quare quæſo? quia eruditorum & theologorum ſententias hic variare prætendit; ſi modo unus aut alter torrenti theologorum ſe oppoſuerit. Sic ſcilicet prejudicia utrinq; deſumta quaſi in ęquilibrio poſita habentur. In promtu causâ eſt, quia pro carne, pro dilecto peccato, pro ventre, pro bono jucundo & utili vel unus atque alter teſtis ſi faciat, pręſtat ille millenis teſtibus, & quibuſcunque ſcripturis ac rationibus pro rigido honeſto militantibus. Magnus *Lutherus*, quamvis doctrina ejus anti-Papalis divini verbi veritate fulgeret, & quique Deum timentes ac ſalutis ſuæ cupidi eam amplecterentur; ne quidem in æquilibrio cum antagoniſtis ponendus videbatur pleriſque illis, qui ſuâ intereſſe putabant; quod dictâ doctrinâ coronam Papæ & ventrem monachorum tangendo, *duo magna flagitia commiſiſſet:* uti ironicè Sereniſſ. Electori Joh. Friderico ab *Eraſmo* reſponſum ferunt. Luſtremus nunc ipſas quęſtiones: *Priorem* eſſe problematicam, ipſe diſſertator non negabit: eandemque ad controverſiam, ſacrilegio jam inde ab initio reformationi per Pontificios exprobrato & à theologis noſtris *Calvino, Bucero, Muſculo, Vireto, Daneo*, &c. abſolutè non negato, nihil aut parum facere; ideoque prudentius iſtic loco potuiſſe præteriri. Eruditis tamen, hâc occaſione diſquirendum relinquo an bona ſub Gentiliſmo, idolis in uſus pauperum, hoſpitalis, gerontodochei, noſocomii donata piè, juſtè, decorè, ab uſibus illis averti, & in proprios uſus (permittente Magiſtratu Chriſtiano illic rerum potito) converti poſſint ab hominibus Chriſtianis, & quidem reformatis, nec pauperibus, nec peregrinis, nec ſenibus indigentibus, nec ægrotis: ſed talium titulo & ſpecie in collegia ſeu domios illas ſuccedentibus.

Poſteriorem quæſtionem ajebat à theologis quibuſdam affirmari, ab aliis negari; horum ſententiam ſe amplecti: ob rationes numero proximè ſequenti

quenti referendas. Quinam autem essent illi theologi, non indicabat. Ego unum solummodo novi, qui inter neotericos paradoxo hoc libris editis defenso, aliisque scriptis evulgatis, publicâ insuper professionis theologicæ per annos non paucos functione, inter theologos innotuit. Illum unum si synechdochicè aut per Hebraismum, plurali numero, designare voluerit: hac vice transeat. Qualiscunque autem dissertatori nostro videatur hic theologus, non arbitror tamen in staterâ eum ponderandum cum universo theologorum à primâ reformatione usque in hunc diem succedentium choro, cap. proximè sequenti à nobis educendo. Restat ergo, ut theologos indicet, si qui sint qui quæstionem in partem negantem determinent, & probent; ut tunc determinabatur & probabatur. Sed absint fallaciæ abductionis, ἑτεροζητήσις, perversi aut turbati status controversiæ: à quibus ne tunc quidem coram istis auditoribus (inter quos non pauci literati) abstinere poterat.

Cùm enim secunda quæstio in terminis supra indicatis proposita fuisset, eadem in cursu dissertationis mutata fuit in quæstionem, *de bonis sub Papatu ad falsum ejusdem cultum, specialiter ad missas, donatis.*

Atqui non sunt æquipollentia, aut reciproca: *Bona sub N. T. in Christianismo Deum unum & trinum agnoscente, donata Ecclesiæ & cultui divino.*

Et, *Bona in & sub Papatu ad falsum ejusdem cultum, specialiter ad missas, donata.*

Atqui supra ex *capp.* 5. 6. 7. 8. patet & mox infra monebimus, hæc distinguenda esse, & à nobis distingui.

* VI. Probatio an amplificatio subjiciebatur, quod bona hæc non ad verum cultum divinum, sed ad falsum, specialiter ad missam data essent: & quod consequenter essent profana, cultui dæmoniorum dedicata & appropriata, adeoque polluta seu impura; ideoque minimè pertinentia ad purum Dei cultum, & ad veram Ecclesiam.

Et si illa bona aliter applicentur aut usurpentur ab aliquo (non privatâ suâ autoritate) non esse hoc sacrilegium.

Resp. 1. Velim hypothesin illam solâ affirmatione dicentis probatam, absque ullâ historiarum, antiquitatum, diplomatum, juris antiqui ecclesiastici, juris canonici veteris & novi, juris Romano-civilis, juris particularis Belgici cognitione in proprii cerebri alembico ex atopicâ chimearum & phantasmatum materiâ distillatam in terminis describat, & nominis subscriptione munitam exhibeat: ut judicium orbis Protestantici & reformati super eâ exquiri possit.

Resp. 2. Quæro an omnia bona ecclesiastica, tempore novi Testamenti

in Christianismo (specialiter occidentali, aut Europeo) ad cultum falsum; ad cultum diabolorum, ad missas data sint?

Si omnia, ergo non debent nec possunt excipi bona pastoralia, nec bona pauperum, seu mensarum spiritus S. & piarum domuum, nec bona æditorum, scholarum, &c.; & consequenter bonis aut reditibus illis frui non possunt protestantici & reformati pastores, Doctores, pauperes, &c. in Germaniâ, Britanniâ, Daniâ, Sueciâ, Belgio. Sed bona illa sibi vindicare poterunt quicunque voluerint aut primo occupaverint; & quidem absque ullo sacrilegio: modo permittat aut velit Magistratus.

Rursum quæro, cur ab hominibus non-pastoribus, nec Doctoribus scholarum, nec pauperibus, nec ex mensâ spiritus S. (uti vulgo appellari solet) sustentatis aut sustentandis, illud *horma*, hoc est impurâ illâ & idololatricâ contagione atque intentione polluta bona (quidni dęmoniaca & maledicta?) absque sacrilegio absque ullo conscientiæ scrupulo usurpari possunt? cur non itidem à ministris reformatis? An quia reformati sunt aut debent esse & doctrinâ & vitâ; & quia sanctificare se debent, qui vasa Domini portant?

Sin negetur omnia bona sub N.T. etiam pastoralia, mensæ spiritus S. scholarum, collegiorum, piarum domuum esse æque polluta, abominanda, idololatrica, diabolica superstitiosa quippe sanctis dedicata, ad rosariales aliasque preces & suffragia pro defunctis. Nulla ergo ejusmodi bona, in veræ puræ, & reformatæ ecclesiæ, in verorum reformatorum, piorum pastorum, doctorum, orphanorum, senum, pauperum stipendia, & portiones impendi possunt; ne scil. pura religio *reformata*, & reformatorum pietas, sanctæ manus (1 *Tim.* 2. *v.* 1.) iis sordidentur, & Papales superstitiones atque idololatrias per immundum illum contactum participent. Sed otiosis potius hominibus relinquantur; qui & à reformatę religionis sensu, aut à genuinâ secundum reformatam religionem pietate, aut ab ἀκριβείᾳ ac teneritudine conscientiæ puri, depurati, purgati, vacui sint; nec tamen veris Papisticæ hierarchiæ partibus, placitis, officiis, implicati; sed externâ solummodo specie, larvâ, titulo, eam fingere solent; ut sub hoc formali tanto melius Papisticis in eodem collegio, ordine, titulo prædecessoribus, in easdem prębendas, distributiones quotidianas, aliaque ordinaria & extraordinaria emolumenta, privilegia, accidentalia, succedere videantur. Anabaptistarum & recentium quorundam scrupulum, quem movent circa stipendia ministrorum ex bonis sub Papatu ad idololatriam fundatis exolvenda, infra *tract.* 3. proximè sequenti expendemus. Venit mihi hic in mentem consuetudinis in Germaniâ aliisque Christianismi partibus, ubi nullis Christianis, sed tantum Judæis (quorum conscientia & vita immunda, fides & salus desperata

rata eſt) publicas ejuſmodi menſas fœnebres permittunt: ne ſcil. Chriſtianorum religio, conſcientia, nomen ejuſmodi injuſto & infami fœnore ſordidaretur.

Reſp. 4. Subtilibus an futilibus ejuſmodi commentis, videretur malum dici bonum, & bonum malum: hoc eſt à ſacrilegio purgari injuſti quique bonorum iſtorum poſſeſſores; inſuper ab omni alterius generis peccato, ſub umbrâ permiſſionis aut conceſſionis Magiſtratus patrato: contra gravis peccati condemnari, omnes pii & orthodoxi paſtores, profeſſores, lectores, æditui, collegiales, qui in poſſeſſionem ſeu commendam & uſum ſuorum quique bonorum à Pontificiis prædeceſſoribus antea poſſeſſorum ſucceſſerunt. Quod ſcil. veſcantur idolothytis hoc eſt, fruantur bonis idololatricis, diabolo dicatis, &c. De quo numero ſequ.

* VII. Feralis illa aſſertio, de omnibus bonis eccleſiaſticis antea à Papatu poſſeſſis, & poſt introductam ſuperiori ſęculo reformationem, eidem ereptis aut ab eodem derelictis, fulciebatur duabus rationibus: quarum una ex 1 *Corinth.* 10. altera ex *Math.* 23. ducebatur. 1 Corinth. 10. v. 20. 21. *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo: nolim autem vos conſortes dæmoniorum eſſe. Non poteſtis poculum Domini bibere, & dæmoniorum*, &c. Ergo non ſunt bona eccleſiaſtica, Deo ad uſus eccleſiaſticos, & cultus divini executionem dicata, & in illos uſus impendenda.

Reſp. 1. Hinc ſequeretur nullum pium Chriſtianum, nullum reformatę eccleſiæ membrum bona illa poſſidere, iiſque uti poſſe, quocunque titulo, quâcunque ratione: ne conſors ſit dæmoniorum. Si enim bonis illis uti, tantundem eſt, ac veſci idolothytis (de quibus 1 *Cor.* 10.) hoc eſt idololatriam indirectam committere: nunquam illa eſt licita nec licita fieri poteſt per Magiſtratus permiſſionem, aut mandatum, aut approbationem, aut proprium ipſorum exemplum: quia ex peccato non poſſunt facere non-peccatum. Vides, lector, hoc argumentum, retorqueri contra abuſum illorum ſive neutralium, ſive reformatorum, ſive Remonſtrantium, quos uſurpantes & abutentes unicè ab omni uſurpatione abuſu, conſcientiæ ſcrupulo, ſcandalo, ſpecie mali, hâc diſſertatione purgare & liberare voluerunt. Neque enim illis magis immunda & idolis, dęmoniis, idololatricæ miſſæ, conſecrata contrectare liceret; & conſequenter dæmoniorum conſortes fieri: quam reformatis paſtoribus, Doctoribus, lectoribus, miniſterii candidatis, &c. Quid ſit idolothytum, & quodnam in uſu illius committatur peccatum, abunde docuimus in 3. *part. ſelect. diſpp. tit.* de *Idololatriâ* indirectâ.

Reſp. 2. Hoc argumentum ſi ſolidum eſſet (uti revera non eſt, ſed mera Scripturæ 1 *Cor.* 10. detorſio, merus abuſus) faceret ad bona illa ab eccleſiaſticis & publicis eccleſiæ reformatæ uſibus avertenda: ſed minime ad

 poſſeſ

possessionem & usum quorumvis hominum privatorum, externè Apapisticorum, (neutralium scil., aut sectariorum, aut reformatorum) sub titulo & schemate Papistico-clericali, in foro poli, seu conscientiæ purganda & justificanda. Quin contra hoc uno argumento, quo ecclesiæ reformatæ, earumque ministros, Doctores, ædiles, pauperes ab esu idolothytων, hoc est, possessione & usu istorum idolicorum & diabolizatorum bonorum absterrere velle videntur; unà ligantur conscientiæ eorum, quos à conscientiæ scrupulo sibi sumsit liberandos. Credere ausim ejusmodi gladium Goliath, & αὐτόφωνον defensionem, ab illis non expeti: non magis quam à Balako Bileami carmen *Numer.* 23. *v.* 11. & 24. *v.* 1. Quid quæso commenti excogitabitur, ne defensione hâc propriâ vineta cædi videantur, & absurda absurdis cumulari? juxta illud philosophi, *Uno absurdo dato, multa accedunt.* Et, *Error parvus in principio, fit magnus in fine.* An ad sacram anchoram confugiet, de Magistratus permissione, aut ordinatione, ut tituli & schemata Romano-clericalia, & cum in sub iisdem titulis, bonorum illorum (idolicorum scil. & dæmoniacorum) possessio & usus aut prece, aut pretio, aut turno, aut quocunque alio negotiationis genere, acquirantur; Et sic genuinus legitimus, Christianus, pius eorum bonorum usus perennet, juxta pacta cum prædecessoribus Papisticis antehac inita, & inviolatè servanda.

Resp. 3. Quod si hoc argumentum teneret: sequeretur, ne ipsos quidem Magistratus in communes usus Reipublicæ, nec in usus ecclesiarum aut scholarum, aut pauperum, ea posse impendere. Illi enim si mensæ Domini sint participes, non possunt bonâ conscientiâ mensæ dæmoniorum participes esse, nec consortes dęmoniorum, nec cuiquam autores esse, ut eorum fiat consors. Nisi fortè, lustricum quid in tali permissione invenire se putent; aut statum idolothyti per illam concessionem sic mutari, ut sine idololatriâ aut alio quo peccato, omnes titulo & schemate Romano-clericali signati ea possidere & sibi appropriare possint: haut aliter ac Israelitæ vasa Ægypti, & bona Cananeorum per donationem Dei omnium Domini.

Resp. 4. Negamus hypothesin, de bonis omnibus relictis à Papatu aut ab ejusdem injustâ usurpatione vindicatis, quod omnia ex origine & fundatione sint pseudo-ecclesiastica, idololatrica, diabolica: sive ante Papatum, sive sub Papatu, sive post exactum Papatum acquisita, aut quocunque modo aucta fuerint. Uti supra per partes probatum fuit.

Resp. 5. Dato, (non concesso) bonam partem, immo majorem partem istorum bonorum in primâ origine tam vitiosè (uti prætenditur) fundata esse: quomodo probabitur ea formaliter ita esse, & manere idolizata

&

& diabolizata; ut ab ecclesiâ reformatâ, ejusque ministris, aut pauperibus, eorumve præfectis sine peccato in idolothyto & sine participatione idololatriæ, ac consortio cum Dæmonibus, contre stari, & in suos quoscunque usus, possideri atque applicari nequeant. Quæro quomodo quis reformatus, præsertim qui hoc telum ex 1 *Cor.* 10. intorquet, frumentum in agris olim idolis aut dæmonibus ad missarum celebrationes, ad Antichristi & Papismi promotionem datis & consecratis natum, boves & oves illic pastas, pisces in torrentibus aut rivis ibidem captos, poma illic crescentia gustare; & quomodo pastores plerique reformati tum alibi tum in Belgii Provinciis Geldriacâ, Frisicâ, Transisalanicâ, Groningo-Omlandicâ stipendia sua ex pastoralibus agris colligere ausint, & quomodo sibi non metuant ab idololatriâ & consortio dæmoniorum. Ubi hæc nobis probè expediverint, videbunt quam absurdè ex 1 *Cor.* 10. argutati fuerint. De hoc supra monuimus, & in 3. *part. select. dispp. tit.* de idololatriâ indirectâ.

Resp. 6. Si negare non possint, quin aliqua bona sub novo Testamento per tributum justitiæ & per spontaneas oblationes fundata sint Deo ad usum Ecclesiæ & cultum divinum (non idolis aut dæmonibus ad missas, aliasque horrendas idololatrias): quo jure & quâ conscientiâ, terriculamento suo de idolothytis ex 1 *Cor.* 10. ecclesias earumque pastores, Doctores, Ministros, pauperum præfectos, non tantum absterreant; sed & otiosis titularibus jam sæpe descriptis, totam eorum massam hic aut alibi relictam & inventam, sub adscititiis & simulatis illis titulis usurpandam, administrandam, in foro conscientiæ adjudicent?

Math. XXIII. v. 19. *Altare sanctificat munus.* Unde per regulam oppositorum inferebatur: Si altare Dei sanctificabat munus: ergo altare idoli, profanat, idolizat (& quidni diabolizat? siquidem idola sunt dæmonia; uti jam dictum) omnia munera super eo posita: hoc est omnia ad altare Papisticum & ad missas super eo celebrandas, data.

Resp. 1. Mira & contorta argumentatio. Videtur præsupponi, nos specialem & formalem aliquam sanctitatem bonorum istorum sive inhærentem, sive relativam agnoscere: quod negamus; & supra satis superque τὸ sacrum explicuimus. Sint & dicantur formaliter profana (si ita velis), inde tamen non sequitur, ea magis cujusvis privati direptioni objicienda aut relinquenda esse, quam bona in ærarium publicum congesta direptioni privatorum: nec sequitur alicui ἐν ἀρχῇ constituto sive satrapæ, sive consuli, sive senatori, sive rebus marinis, sive rationibus publicis præfecto, in conscientiâ licitum esse ærarium ecclesiasticum aut politicum sive in totum sive ex parte in privatos suos usus convertere: Quamvis enim bonorum publicorum præfectura, & dispensatio ipsis commissa sit, ideo tamen fraudu-

lenta eorundem contrectatio ipsis non competit. Sicuti quia patronatus, tutela, defensio ecclesię, & rerum ecclesiasticarum ipsis commissa est, ipsis non magis competit bonorum ecclesiasticorum in proprios usus conversio; quam tutori bonorum pupillarium.

Resp. 2. Ab altari sub V.T. dona sanctificante, mala est consequentia ad altare sub N.T. dona aut non sanctificans, aut insuper positivè idolizans. Vide quæ supra & alibi de sacro, & de consecratione dicta sunt. Altaria sub N.T. nulla sunt, aut esse debent *Heb.* 13. Nec dona seu bona ecclesiastica, de quibus hic quæritur, altaribus imposita sunt, nec imponi debent, nec etiam possunt: Consequenter, dato fuisse altaria mensis substituta, illa non fuerunt instituta aut usurpata ad sacrificium missaticum: uti videre est in *Plesseo de Missâ lib.*2. aut per compendium in Perkinsi problemate catholico. Et ubicunque & cum jam sub novitate Papatus altaribus uterentur ad sacrificii missatici celebrationem, non tamen usi sunt ab bona ecclesiastica tunc temporis donata, iis imponenda, & sic sanctificanda. Saltem bona omnia tunc temporis, & ante donata, non sunt per altaria profanata & idolizata: nec donationes sanctitatis & sanctificationis per altaria meminerunt; nedum ut eam per altaria introducendam stipulentur.

Resp. 3. Dato bona aliqua aut multa ecclesiastica per primam fundationem facta fuisse polluta & immunda; ut in Dei sacrarium & reformatum ac purum ejusdem cultum impendi non debeant, sed potius relinqui impuris & immundis: cur Gentilibus, Judæis, Muhammedistis, aut impurissimis sub Christiano nomine idololatris atque hæreticis ea non relinquunt: ne pii & reformati Christiani, immundi attactu sordidentur? Cur saltem hi malæ causæ patroni, non hortantur eos & Magistratus, ut bona quæ ex donationibus, historiis, archivis deprehendi possunt, ad abominandas missas, aut ad Antichristianismum specialiter non fuisse fundata; ut, inquam, ea separentur tanquam munda ab immundis; & restituantur cum tot annorum præteritorum fructibus usui illi, ad quem legitimè data sunt.

Resp. 4. Si quid convenienter hypothesi pro desperatâ causâ dicere quis velit, missâ scripturæ scandalosâ detorsione, dicat per lustrationem & sanctificationem Pontificum (juxta antiquam theologiam Romano-Ethnicam) impura & diabolica idolothyta illa, fieri sacra, munda, & sanctificata omnibus modo & more solito (jam sæpius descripto) sub umbrâ illâ lustricâ iisdem utentibus.

Atque hactenus operosè, forte & tædiosè, nova hęc malè feriatorum monstra persecuti sumus: ut malę causæ nuditatem ac desperationem, contra universum Christianismum desperatissimè defensam, omnes perspicerent; & ipsi heuretæ aliquando discant sapere, aut saltem majori cum mode-

deratione , verecundiâ , reverentiâ in rerum & literarum ſacrarum tractatione verſari.

Cap. XI.

Nubes teſtium de uſu & abuſu bonorum , adducitur.

QUamvis ex verbo Dei, & rationibus theologicis uſurpationes & abuſus bonorum iſtorum, ſatis ſuperque convicerimus; non tamen abſonum videbitur, ſi indicium aliquod teſtium veritatis indicaverimus : ut quivis, aliquem aut aliquos ex illis, datâ occaſione legere & conferre poſſit. Plerarumque formalia verba in noſtrum ſermonem tranſlata ante annos aliquot exhibuit *conſilium noſtrum theologicum.* Quia autem in majorem molem volumen hoc excreſceret, quam typographus convenire putat, in pręſenti contentus ero nuda nomina & loca autorum ſolummodo notare. Moneo autem lectores, me uti in *Conſilio*, ſic & hic à citandis ſcriptoribus theologis, Jureconſultis, Politicis Pontificiæ profeſſionis abſtinere : quod in confeſſo ſit eos vel ſolius juris canonici tum antiqui tum novi (poſt habitum Concil. Trid. introducti) placitis ad hanc ſententiam conſtringi : & quod aliqui ex noſtræ religionis conſortibus, quos hoc maximè tangit, immani præjudicio vel minimam Papalium theologorum, Juriſtarum, Canoniſtarum umbram, quippe hâc in parte ſibi ſiniſtram, ſe averſari oſtendunt. Tam puras, tam reformatas, tam ἀκριβεῖς credat animas illas, qui poteſt: præcipuè ſi conſideret, titulos, formas, ſpecies, ordines, mores, terminos, obſervationes hierarchiæ Papiſticæ, & variorum negotiorum ac cauſarum ſecundum juris canonici regulas ac conſuetudines determinationem, ab iis tam faſtidioſè non rejici. In lectione & collatione autorum lector cognoſcat curſivis (uti vocant) characteribus notatos, imprimis & pluribus teſtari: præterea in mente habeat ſequentes quæſtiones, & accuratè attendat, in quam partem determinent.

1. An bona eccleſiaſtica tempore reformationis partim Papæ ejuſque clericis erepta, partim ab iiſdem etiamnum poſſeſſa, vera ſint & dici poſſint bona eccleſiaſtica?

2. An ordinario, aut primo, aut principaliter in eccleſiaſticos, alioſque pios uſus impendenda ſint; quippe ex vi fundationis jure ad eos obligata?

3. An privati homines, qui nec eccleſia, nec clerici, nec miniſtri, nec pauperes ſint, in foro conſcientiæ eadem poſſidere, aut in privatos, ac proprios uſus ſuos impendere poſſint?

4. An per conſcientiam Dei hoc poſſint, ſi Magiſtratus conniveat, aut permittat, aut concedat?

5. An ipſe Magiſtratus Chriſtianus, & quidem reformatam religionem profeſſus, eadem pro arbitrio, in ſuos & ſuorum privatos & profanos uſus impendere poſſit?

6. Et ſi dicatur bonâ conſcientiâ, hoc poſſe; an jus illud fundetur in ipſo communi ac perpetuo jure & poteſtate Magiſtratus, quâ talis: an vero in peculiari privilegio Magiſtratibus ſub novo Teſtamento, aut ſaltem reformatis, quâ talibus, divinitus conceſſo?

7. An reformatus & pius Chriſtianus conformiter doctrinæ & diſciplinæ reformatorum, collegiis canonicalibus jam inde ab introductâ in terras illas reformatione continuatis, mediante emtione aut donatione nomen dare, atque ſub aſſumtis titulis & quaſi officiis, miniſteriis dignitatibus, *canonici*, *Decani*, *ſcholaſtici*, *præpoſiti*, *archidiaconi*, *ſacerdotis vicarii*, *ſacerdotis animarum primicerii*, &c. bona capitularia tanquam commendata poſſidere, inde portiones quiſque ſuas (annuas præbendas & diſtributiones quotidianas aliaque emolumenta) recipere poſſit, abſque ullo vero ſeu reali opere ac miniſterio eccleſiaſtico ſive Papali ſive reformato, titulis & ſchematis illis ſive directè ſive analogicè reſpondente: & an hâc ratione capitulum tale pro ſuâ parte per ſucceſſionem individuorum æternizare, inque ejuſmodi uſus bonorum eccleſiaſticorum, ac ſtatus canonicalis conſervationem & continuationem, contra quamvis intentam aut intendendam & capeſſendam, ab ipſis, aut ab aliis poteſtate inſtructis, mutationem aut reformationem ſolenniter jurare poſſit.

8. An, ſi quis reformatus & pius, præſertim eccleſiæ paſtor in caſu conſcientiæ, abuſivo ejuſmodi clerico, aut figuratum & abuſivum ejuſmodi clericatum emturienti, ſive ſponte ſive rogatus ſuadeat τὸ *abſtinere*, & non *tangere*: inde firmiori conſequentiâ accuſari poſſit, quod inhiet illis bonis eccleſiaſticis, quam Johannes Baptiſta, quod cupiverit ſibi Herodiadem, cum Herodi diceret: *Non licet tibi uxorem fratris*, &c. Math. 14. Vide de hoc *tract. ſequ. cap.* 2.

Theologi Proteſtantes & Reformati, qui de recto uſu bonorum Eccleſiaſticorum determinant.

Confeſſio Helvetica à multis aliis eccleſiis recepta aut approbata cap. 28.

Mart. Lutherus ad Gen. 47. 22. item in ſympoſiacis cap. 4. fol. 596.

Mart. Borrhaus ad Joſuæ 7.

Mart. Bucerus de Regno Chriſti lib. 2. cap. 13. & adverſus Latomum pag. 254. & in defenſ. Chriſtianæ Reformationis Herm. Archiepiſc. Colon. pag. 404.

Philip. Melanthon in Catecheſi tomo 3. operum pag. 243. edit. Baſil. &

Conſil.

Consil. theol. edit. in 8. parte 2. p. 186. & part. 1. p. 371. 427. 430. 431. & comm. in Danielis 5. & declam. de quęrela Lazari.

Petr. Viretus Instruct. Christ. dial. 9. ad 8. præc. Gall. & in dialogo tit. Reformation cap. 17.

Rud. Gualtherus hom. 12. in *Rom.* 2. item ad *Malach.* 3.

Petr. Martyr LL. CC. classe 3. cap. 2.

Nicol. Hemmingius Comm. ad *Jac.* 5. p. 973. 4. 5. item syntagm. instit. Christ. cap de Magistratu num. 278.

Lavaterus Hom. 5. & 29. in Ezram hom. 51. *Nehemiam* item ad *Josuæ* 7. & in 1 *Paralip.* 18.

Andreas Gerh. Hyperius Comm. ad 1 *Cor.* 9. & 1 *Tim.* 5. item in opusculis tractatu de sacris studiis non deserendis p. 123. 125. 6. 7. 285. 6. 7. 8. 9.

Nicol. Selneccerus Pœdagogię Christ. edit. in 8. Francof. ad Mœnum anno 1571. part. 1. ad 7. decalog. præc. de furto p. 256 - 265.

Joh. Calvinus epist. 34. 285. 299. & 369. ad Viretum epist. 13. 65. 66. ad Farellum; Epist. ad Sadoletum; Tract. de scandalis circa finem; Tract. de necess. Reform. Ecclesiæ, operum, edit. Genev. 1617. p. 66. 67. 68. & pag. 506. 515. Tract. de Christ. hom. officio in sacerdotiis Papalis Ecclesiæ vel administrandis vel abjiciendis, p. 483. in præfat. Antidoti c. Concilii Trid.; Institut. lib. 4. cap. 4. à 85. ad §. 10. Adde quæ de illo refert Beza in vita Calvini.

Theodor. Beza in epist. dedic. Homil. de resurrectione.

Zwickius in epist. ad Joh. Calvinum quæ extat inter Calvini epistolas num. 33.

Jodocus Nahumius ad Dominicam 33. p. 820. 821. & in Historia passionis p. 41.

Conrad. Mylius in Meletemat. Catecheticis ad 8. præc. de Sacrilegio.

Casp. Sibelius in pass. Christi conc. 2. edit. in 4. p. 48. 49. conc. 26. p. 345. 6. in epist. Judæ conc. 36. p. 382. 3. 4.

Bullingerus de Episcop. instit. & functione lib. 2.

Conr. Pellicanus comm. ad *Josuæ* 7. 13.

Tzegedinus in LL. CC. tit. furtum tab. 2.

Wolfg. Musculus in LL. CC. ad 8. pręceptum p. 134.

Lamb. Danæus lib. 3. polit. Christ. cap. 2. & comm. ad *Tim.* 3. 6. & Isagoges parte 4. lib. 1. cap. 5.

Franc. Junius quęst. theol. mss. quæst. 68.

Andr. Rivetus in animadversionibus ad notas Grotii in Consult. Cassandri Artic. 16. p. 130.

Joh. Schwebelius in tract. German. de proprietate & recto usu bonorum Ecclesiast. qui ętxtat in 1. parte operum p. 573.

Joh. Phil. Pareus in Vindiciis propoſ. Davidis Paræi de poteſt. Eccleſ. & Civili.

Thom. Cartwrichtus in Comm. ad *Prov.* 20. 25.

Robertus Rollocus in comm. ad *Dan.* 5. 2.

Wilh. Couper in ſermone ad *Pſal.* 121. 8. Angl.

Joh. Weemſe in expoſitione decalogi ad præc. 8. cap. 6. Angl.

Lancellotus Andrews in concione ad clerum ad *Prov.* 20. 25. exſtat in ipſius opuſculis in 4.

Thom. Adami in ſermone cui tit. Albus diabolus, ad *Joh.* 12. 6. Angl.

Eduard. Kellet miſcell. theol. lib. 2. cap. 9. p. 50. Angl.

Andr. Willetus in Comm. ad *Dan.* 5. quæſt. 12. Angl.

Robertus Abbotus in defenſione Catholici reform. Perkinſii parte 1. in refut. epiſt. ad Regem §. 9. 31. 36. Angl.

Joh. Rainoldus de libris Apocryphis lect. 131.

Guil. Ameſius de Conſcient. lib. 5. cap. 42. §. 14.

Hieron. Zanchius Confeſſionis ſuæ cap. 25. §. 29. & ad 4. decalogi præ.

Abraham. Schultetus in Annalib. Euangelii renovati ad Annum 1525. p. 331. & in concione 1. ad *Hebr.* 13.

Amand. Polanus in Comm. ad *Malach.* 3. & Symphonia Cathol. cap. 20. ubi & Patres adducit.

Chriſtoph. Pezelius parte 7. argum. & reſponſ. ex ſcriptis Melanthonis tit. de ſtipendiis Miniſtrorum, & bonis eccleſiaſticis p. 317. 318.

Rod. Hoſpinianus de templis lib. 5. in fine.

Arthur Hildersham in *Pſal.* 51. lect. 139. Angl. pag. Verſionis Belgicæ in 4. 984.

Joh. Wolphius in comment. ad *Eſræ* 8. p. 104. 105.

Wilh. Zepperus polit. eccleſ. lib. 1. cap. 23.

Abrahamus Mellinus in Martyrologio Belgico in hiſtoria Sixti Diaconi fol. 80. 81.

Anaſt. Veluanus in Hodego Laicorum Belg. p. 309. 310. 311.

Wilh. Teelinck ad *Malach.* 3. 8. 9. 10. p. 90. & p. 193. 194. & p. 204. 205. Belg.

Godefr. Udemans de fide, ſpe, & charitate, p. 348. ad 8. præc. item in clavo Mercatorum, cap. 6. fol. 334. b. Belg.

Synodus Nationalis Gallica habita Pariſiis a. 1556. art. 3. extat etiam latinè apud Schulting. Anacriſ. hierarch. p. 39.

Synod. Provincial. Gelrica habita Hardervici a. 1643. art. 23. Belg.

Politia Eccleſiaſtica eccleſ. Scotic. edit. in 4. a. 1621. p. 47. 48. p. 83. 84. 85. Scoticè.

Pa-

Pastores Provinciæ Ultrajectinæ in Remonstrantia potentibus DD.Ordinibus exhibita a. 1584. Belg.

Victorinus Strigelius in Comm. ad Ethicam Melanth. p. 396. & comm. ad Justinum, lib. 24. p. 250. 257.

David Chytreus Saxoniæ parte 2. p. 476. & in comm. in *Josua* 7.

Joh. Gerhardus confess. Catholicæ lib. 1. p. 914.

Joh. Himmelius de Canonicis cap. 9. qui ibidem complures alios citat.

Chemnitius citatus Himmelio cap. 10. p. 438.

Christoph. Binderus disp. de bonis ecclesiast. thes. 22.

Binderus & *Himmelius* in tract. de Canonicatu, Jure Canonico, &c. cap. §.20. ubi & §.23. complures alios Theologos & JCC. citant.

Andreas Rivetus in Jesuitâ vapulante c. Sylvestrum de Petrâ sanctâ cap. 27. §.2. & 11.

Casparus Streso in concionibus in Acta Apost. conc. 58.

Christ. Weberus de Episcopis *Act.* 11. §. 57. 58.

Joh. Conradus Danhauwerus Collegii decal. disp. 16. §.8.

Melchior Sylvester Eckhardus Pastor Stettensis in Christiano religioso Classe 4. quæst. 36. 37.

Jac. Schopperus Theol. Altorphinus in encomio Academiarum & Scholarum Christianarum.

* *Patres, & intermediæ ætatis scriptores.*

Tertullianus Apologetici cap. 39.

Ambrosius de Officiis lib. 2. cap. 28.

Hieronymus ad Nepotianum de vita Clericorum epist. 2. item quæst. 1. in epist. 180.

Augustinus in *Ps.* 48. in libro de bono disciplinæ tomo 9. Serm. 43. de diversis Serm. 36. & 237. de tempore.

Salvianus de providentia lib. 4.

Prosper apud Hyperium de studiis sacris, &c. p. 125.

Chrysostomus in sermone de gratiis reddendis Deo Serm. 18. in epist. ad *Rom.* homil. 84. in *Joh.* homil. 53. ad populum Antiochenum.

Concilium Aurelianense 1. a. 500. apud Bochellum in decretis eccles. Gall. lib. 4. tit. 16. cap. 1.

Concilium Antiochenum can. 24.

Agobardus Lugdunensis tract. de dispensatione ministerio, &c.

Concilium Aquisgranense anno 816. apud Goldastum tomo 3. constit. Imperial. cap. 10. p. 213.

* *Politici, Jurisconsulti, historici.*

Carolus M. in Capitulari lib. 1. cap. 50. lib. 7. cap. 104. & 105.

Ludov. Pius in Concilio Aquisgranensi vid. supr.

Justinianus l. omnem 42. §. 1. Cod. de Episc. & Clericis Novella 3. cap. 3.

Valentinianus & Martianus l. 12. §. 2. C. de sacr. eccles. Novella 7. cap. 1. 5.

Carolus V. & Principes Protestantes a. 1540. apud Melanth. in Consil. theol. parte 1. p. 15. & apud Sleidanum in historia.

Parlamentum Scotiæ anno 1640. actione 16. & 23.

Duces Wirtembergici apud Himmelium de Canonicis cap. 9. & Binderum in tract. de bonis ecclesiæ.

Philippus Senior Hassiæ Landgravius apud Conradum Matthæum J.C. in Oratione in Obitum Illustriss. Principis Philippi, habitâ Marpurgi a. 1567.

Fridericus 3. Elector Palatinus, in suo Testamento.

Jacobus Rex Magnæ Britanniæ apud Williams tunc Episcopum Linconiensem in Concione funebri ; & apud Richardum Zouchæum in Jurisprudentia Anglicana, de Jure Ecclesiastico parte 2. sect. 6.

Carolus Magnæ Britanniæ Rex in respons. quodam dato Parlamentariis.

Ordines Generales Belgici a. 1578. apud Meteranum lib. 8. fol. 155. item in epist. missa ad Ordines Provinciæ Ultrajectinę a. 1632. 14. Junii.

Ordines Ultrajectini a. 1580. 6. Junii art. 45. item 30. 37. item 19. Julii & 22. August. & 4. Septemb. eodem a. 1580.

Nobiles Ultrajectini in resolutione tradita a. 1606. 4. Novembris.

Mauritius Princeps Auriacus in epist. ad Coss. & Senatum Ultrajectinum 1619. 9. Maii.

Hieronymus Schurffius in Consil. 48. centur. 1. a. 1545. Consil. 90. centur. 1.

Matthæus Wesembecius Consil. 4. num. 23. parte 1. Consil. 37. num. 6. cum seqq. item in Paratitlis.

Ernestus Cothmannus Consil. 100. vol. 2.

Henr. Andręas Cranius de pace Religionis probl. 5.

Petrus Syringius de pace Relig. conclus. 38. p. 1280. 1281.

Dominic. Arumæus vol. 7. discursuum de Jure Publico cap. 7. item vol. 2. discurs. 10. p. 367. & seqq. item vol. 1. pag. 724.

Carpzovius de Lege Regia Germanorum cap. 4. sect. 4.

Matthias Stephani in lectionibus ad 13. priores titulos Codicis.

Michaël Havemannus in Helicè Hierotactica tit. 7. & 14.

Hugo Grotius in notis ad Consultationem Cassandri cap. 16. idem in Annalibus Belgicis ad annum 1598. p. 442. edit. in 12.

Joh. Althusius Politices cap. 37. §. 55. & 57.

Anthon.

Anthon. Matthæus in Oratione de jure Patronatus.
Joh. de Sande tract. de prohibita rerum alienatione cap. 7. §. 1.
Christoph. Besoldus de Jure Majestatis cap. 7. §. 3.
Phil. Henricus Hœnonius disp. Jurid. tit. de rerum divisione controvers. 4.
Henr. Petreius J. C. de Monasteriis pag. 55-76.
Harprechtus in Comm. ad §. Sacræ Institut. de rerum divis. ubi & alios JCC. citat.
Theodorus Reimkingk J. C. ac Reg. Daniæ Cancell. de Regim. sæcul. & eccles. lib. 3. classe 1. cap. 3.
Jurisconsulti Hagienses Novem in Consilio dato 1654. 16. Julii Belg.

LIBRI QUARTI
TRACATUS TERTIUS.
DE
STIPENDIIS MINISTRORUM.

CAP. I.

Ministris jure debentur stipendia; eaque illis ex justitiâ procuranda.



Quod ad rationem stipendiorum, I. veritas determinanda II. Beneficia Romano-ecclesiastica, conferenda & perstringenda. Vera stipendii ratio quinque capitibus seu punctis describitur & circumscribitur. 1. *An sint danda stipendia.* 2. *Qualia & quanta.* 3. *Quibus & qualibus.* 4. *A quibus & per quos.* 5. *Unde, seu ex quo.* Ad primum punctum pertinent sequentia problemata, & casus. §. 1.

I. *Probl. An ministris sint exolvenda stipendia; an verò jure divino absque ullis stipendiis gratis debeant ministrare, & quibusvis ecclesiis ἀδάπανον præstare Euangelium.* Controversiam reformatis ecclesiis antehac moverunt Anabaptistæ: forte ex nimio stipendiorum ecclesiasticorum studio & abusu in Papatu, in alterum extremum acti. Sed & altera motiva accessit, quod experirentur *se hac ratione multorum favorem & assensum sibi comparare; qui quamvis non essent Anabaptistæ, ministros tamen odio habebant iisque*

invidebant; uti bene obſervat *Bullingerus lib.* 3. contra Anabaptiſtas *cap.* 9. Confer & *Aret. tom.* 1. *Problem.* 10. Statuebant ergo, Miniſtros reformatos non eſſe veros miniſtros, ſed mercenarios, & miniſtros ventris, & homines otioſos; ut ibid. notat *Bullingerus.* Eaſdem calumnias efflant in celebri quadam, ſed inſulsâ cantilenâ a. 1591. in Hollandiâ & ab aliquo anonymo reformato refutatâ, ubi verſu 2. ſic de miniſtris noſtris:

Want om de wol en om de melck/
Sietmen dat zy de Schapen weyden:
Wilt u van ſulcken Herders ſcheyden.

In *confeſſione* fidei ſuæ à *Nicolao Nicolai* anno 1624. editâ ad declarationem & defenſionem communis confeſſionis anno 1620. contra Hermanni Faukelii, *Babel Anabaptiſtarum*, haut parum perturbant ſtatum controverſiæ à p. 238. uſque p. 243. hoc tamen determinant: Poſſe quem concionatorem ex miniſterio vivere, & eccleſiam teneri ad defectum ejus ſupplendum; ſiquidem ipſi non ſuppetat, unde familiam honeſtè ſuſtentare poſſit (ex patrimonialibus ſcil., aut ex mercaturâ, opificio, aliâque vocatione hujus ſæculi): ſed extra hunc caſum, teneri miniſtros ex caritate & gratis, prædicare. Et huic fundamento ſuperſtruunt confirmationem exprobrationum communis ſui Doctoris Mennonis Simonis, quibus reformatos concionatores faciunt mercenarios, qui miniſterium capeſſant per modum mercaturæ, & operam ſuam maximum ſtipendium offerentibus addicere ac locare ſoleant. Paulo aliter tamen in *colloquio Emdano Act.* 78. *ſect.* 4. ubi in genere & abſolutè concedere videntur, teneri eccleſiam miniſtris à ſe vocatis, de neceſſariis proſpicere. Sed non immerito ſi de omnibus, ſaltem de multis eorum præſumere licet, in antiqua ac primigenia paradoxa Mennonitica recidi & involvi τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης: ſubdolâ hâc diſtinctione adhibitâ; Quod poſſint ex euangelio vivere, non verò debeant inde vivere; *& alterâ*: Quod miniſtri illi, qui per Dei benedictionem poſſunt vivere abſque onere eccleſiæ, teneantur abſque ullo ſtipendio miniſtrare; ſiquidem rectè munere ſuo defungi velint. Non licebit ergo ſtipendio frui, niſi in caſu paupertatis ſeu depauperationis. Lucem etiam fœnerabitur ſtatus controverſiæ, à perpetuâ & ſtabilitâ ipſorum praxi. Nos contra iſtis concluſionibus determinamus. 1. *Concl.* Non tantum poſſe, ſed etiam debere miniſtrum verbi omnibus aliis vocationibus & operis ſepoſitis, huic labori & muneri vacare, ac ſe totum addicere. Prob. 1. *Ex* 1 Corinth. 9. v. 7. *Quis militat propriis ſtipendiis*, &c. 2. *Ex* rationibus deſumtis à difficultate, moleſtiâ, agendis & oneribus miniſterii, de quibus Apoſtolus, *Quis ad hæc idoneus?* Quæ alibi demonſtranda & amplificanda: infra ſcil *part.* 2. *lib.* 2. Suffecerit nunc indicaſſe, vocari κόπον & κοπιᾶν: cujus vocabuli emphaſis ex-

expendatur. II. *Concl.* Nemo muneri & laboribus illis sufficere, nec conscientiæ suæ in ejus fideli executione satisfacere potest, qui præter regimen familiæ, laboribus ordinariç alicujus vocationis (e.gr. mercaturæ, artis mechanicæ, praxios medicæ: illis enim ut plurimum addicti sunt Anabaptistici concionatores) distrahitur. Rationes sunt. 1. *Quia* occupationes istæ totum hominem requirunt. 2. *Quia*, imprimis impediunt ministrum *tum* in curâ ecclesiasticâ, *tum* in profundâ atque assiduâ rerum sacrarum meditatione, in præparatione ad conciones, ad hæresium elenchos, &c. *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.* III. *Concl.* potest ergo in casu necessitatis (cum scil. nec ab ecclesiâ cui inservit, nec ab aliis ecclesiis sustentari quis potest); immo etiam aliquando debet ἀδάπανον (exemplo Pauli 1 *Cor.* 9.v.12. 15. 18. 19.) præstare Euangelium, qui vel ex vocatione aliquâ aliâ, vel ex bonis hçreditariis se suosque alendi facultatem habet. IV. *Concl.* Potest etiam quis extra casum necessitatis, propter graves rationes ex caritate & prudentiâ Christianâ, ecclesiæ alicui debitum illud remittere, atque adeo illam liberali oblatâ atque eleëmosynâ suâ ad tempus aut in perpetuum refocillare? V. *Concl.* Non tamen absolutè tenetur jure divino aut humano: sed contra ecclesia tenetur ad procurationem & exolutionem justi stipendii; idque primò & immediatè pro vacatione, & consequenter ac mediatè pro labore quem impendit. Hanc conclusionem opponimus consuetudini Anabaptisticæ, & τῷ hypocritico, *gratis*, tum Monachorum quondam in Papatu, præsertim Jesuitarum: qui ubique gratis prçdicare, in Academiis & scholis trivialibus discipulos (etiam divitum, procerum, magnatum filios) gratis docere se simulant: interim si parentes ἀπομειβόμενοι electissimos agros, pinguia prædia, summas & reditus ingentes ipsis per modum doni gratuiti aut eleemosynæ, conferant, non repudiabunt, & sic omnia illa officia *gratis* (dativo scil. casu, secundæ declinationis) præstiterunt. Spondeo omnes prçceptores scholarum, professores Academiarum, Medicos, Jureconsultos, omnesque alios pragmaticos omnem operam suam *gratis* impensuros, si modo in tales *gratos* inciderent, quales Jesuitis hactenus obtigerunt, & per quorum munificentiam brevi tempore in tantum excreverunt & tantas sibi opes comparârunt. Lepidum exemplum refert *Hasenmullerus* in historiâ Jesuiticâ cap. 3. pag. 73. de patre Rectore *Gregor. Rosepho*, qui cum canonici pro concionandi laboribus in primariâ urbis æde 200. flor. annos ei offerrent, respondebat:

Hac conditione mihi eos recipere non licet. Nam mihi regula est, ut quç gratis accepi, gratis communicem. Si autem Domini nostrorum inopiam sua copia juvare cogitant, poterunt loco eleëmosynç, quicquid voluerint, ad nostrum collegium remittere. Nobis enim licet eleëmosynas,

non

„ non mercedem, recipere. Sicque singulos in annos in die nativitatis Chri-
„ sti ad illorum collegium deferuntur 500.floreni, quos isti gratis recipiunt,
„ pro gratuitis, vel potiùs frustraneis Gregorii concionibus.
„ Similis mihi videtur hic Gregorius Causidicis istis, quorum φιλαργυρίαν
„ quidam tali scommate notare solet. Dives quidam mercator causidico
„ aliquot coronatos offert, ut ex sua causa mala bonam faciat. Respondet
„ is: Ego, quod justum est, faciam, etiamsi nihil mihi donaveris: si autem
„ meæ conjugi aliquid donare volueris, per me licebit. Sic & ipsi sacram auri
„ famem tegere solent.
„ Ad eundem modum Jesuitarum Confessarii, nummum confessiona-
„ lem, (ut vocant) à nemine in templo recipiunt. Hortantur autem, ut
„ eleëmosynas ad illorum Collegia mittant: sicque pro nummo uno aut al-
„ tero sæpe florenum unum aut plures recipiunt. Nemo enim facile loco
„ Eleëmosynæ ad illorum collegium nummum saltem miserit. Sed cama-
rinam ultra non moveo. Libri de Jesuitarum ordine, ductu, moribus con-
scripti, & infra *part.2. lib.4. tr.4.* indicandi, ipsorum gratis detegunt: im-
primis *liber* titulum præferens *de Jesuitarum Gratis*, in Acad. Cracoviensi
editus: Confer infra *Probl.* 13.

§.2. Argumenta pro hâc sententiâ sunt. I. *Argum.* Ex 1 *Cor.9.v.4-19.* ubi est sedes hujus doctrinæ: nam non tantum hoc jus accipiendi debiti stipendii, & hanc potestatem sibi & omnibus ministris vindicat, sed & argumentis variis ex jure tum divino, tum naturali, & ex exemplis probatis confirmat. *Primum* ipsi sumitur ab exemplo Apostolorum Christi. *Secundum* ab analogiâ militis, agricolæ, pastoris: illis enim θρεπτήρια deberi, naturalis æquitas & ratio dictat; ergo & ministris. *Tertium* sub regulâ generali juris divini & naturalis, subsumit. Si enim omni operatio merces, imò & bovi trituranti pabulum debetur: Ergo non minus, sed multo magis ministris: nam propter eos hoc imprimis scriptum est. *Quartum*, ex analogiâ agricolæ laborantis & triturantis. *Quintum*, ex comparatione imparium, inter opus scil. & mercedem. *Sextum*, ex ordine à Deo constituto non tantum in V. T. sed & N. *vers.* 13. Qui solus versus totam hanc disputationem evidentissimè terminare potest. II. *Argum.* Adde huic testimonio Apostoli 1 Timoth. 5. v.18. *Qui bene præsunt*, &c. Galat. 6. v. 6. *Qui instituitur in sermone*, &c. Tit.3. v.13. 14. III. *Argum.* Ex mandato Christi Math. 10. v.10. 11. *Est enim operarius dignus*, &c. *illic manete*, &c. Luc.10. v.7. *In domo illa manete, edentes & bibentes*, &c. *dignus enim est operarius mercede suâ.* IV. *Argum.* Ex eo, quod Ecclesiæ illæ, quibus ab aliis ecclesiis communicatum & traditum est Euangelium, illis debent remunerationem in temporalibus, juxta *Rom.*15.27. Quidni ergo remuneratio debeatur ministris,

nistris, per quos ecclesiis verbum traditur. V. *Argum.* Ab exemplo Christi, & Apostolorum, nominatim etiam Pauli, *Luc.*8. *v.*3. *Philip.*4. *v.*10.15.16. 2 *Cor.*11. *v.*8. ubi dicit ab aliis ecclesiis cepisse se ὀψώνιον *stipendium*, ad Corinthiorum ministerium exequendum; & sic ipsis δωρεὰν *gratis* Euangelizasse. VI. *Argum.* Ex stipendiis ministrorum in V. T., de quibus *Num.*18. *v.*8.9.10.11.12. Cedebant ipsis ordinariò sacrificia, decimæ, primitię, pręter urbes quasdam, & agros suburbicarios (*Numer.*35.); & extraordinariò subinde quid ex spoliis, *Numer.*31.*v.*29. 30. nec non res Deo devotæ *Levit.* 27.21. Scimus non obligari ecclesiam N.T. iis legibus, quod ad speciem rei, seu specialem materiam ex quâ, & modum quo dabantur stipendia: manent tamen quod ad genus & analogiam. Vide argumenta inde ducta 1 *Cor.* 9.*v.*13. VII. *Arg.* Ex naturali justitiâ, & ęquitate, cujus regulam indicat Apostolus 2 *Cor.*8.*v.*13.14. quam in omnibus actibus justitiæ commutativę, pręsertim in solutione usurarum ex morâ & interesse agnoscunt, & applicari patiuntur Anabaptistæ; nec prætendunt, teneri quem in conscientiâ, & ex caritate ad perpetuum τὸ *gratis.* Non minus ergo cavendum in hoc negotio, ne unus (minister scil. solus) gravetur, & tota communitas sublevetur. VIII. *Arg.* Quia non exolvere ministris stipendia, numeratur inter gravissima peccata injustitiæ in proximum, & impietatis in Deum; cui Deus pœnas minatur, & contrarium facientibus benedictionem suam promittit *Malach.* 3. *v.*8. 10. 12. *Nehem.*13. *v.*10. 11. Galat. 6. v.6. 7. *Deus non irridetur.* IX. *Argum.* Ab absurdis consequentibus, & variis incommodis. Sequeretur enim 1. in electione ministrorum spectandas esse qualitates & pręrogativas carnis; illosque præferendos, qui tantum possiderent, aut quibus mercatura aut ars mechanica, aut praxis medicinę tam fertilis esset, ut gratis possint ministrare: quo fieret ut sæpenumero optimi in electione prætereundi essent. 2. Viliores & contemtos magis, sępe & magis odiosos ac minus gratos fore ministros illos, quibus depauperatis ecclesia stipendio aliquo cogeretur succurrere. Æquiori animo ferunt homines onera ordinaria, eaque minori cum difficultate pendunt. 3. Carnalem & periculosam discriminationem faceret inter ipsos ministros; quorum alii ex caritate & conscientiâ Dei ἀδάπανον præstarent Euangelium, alii necessitate suâ ecclesiam gravarent. 4. Denique mutantur stipendia in eleemosynas, & creduntur ministri vivere ex eleemosynis: quod absurdum est (uti infra dicetur,) & contemtam reddit eorum conditionem. X. *Argum.* Ad hominem, ex ipsâ praxi Anabaptistarum, partim analogicâ in re simili, partim in hoc eodem negotio, *rior* est, cum domum aut oratorium suum, in quo cœtus habent, unus non tenetur aut dare aut locare gratis, nec alia quævis utensilia donare aut commodare; sed illos aliosque sumptus ecclesiasticos fert tota communio.

munio. Detur ratio cur hic minus ἀδάπανον præstandum sit Euangelium, quam illic? *Posterior* gemina est: *una* exserit se in mercibus certatim & à totâ turbâ aut tantum aut frequentius emendis à suis monitorib., & episcopis easdem vendentibus: quod subinde, aut plerumque vicem stipendii prȩstare possit, *Altera* exserit se in ordinatione & usu *sacculi*, quem vocant, *caritatis* & *ampullæ necessitatis* seu subsidii. In his enim evidenter pellucet stipendium ministrorum, quamvis technicè occultatum, nec minus indecorè acceptum. Praxin hanc de sacculo & ampullulâ, detegit, ipsisque objicit *Anonymus in vernaculâ refutatione calumniosæ cantilenæ Anabaptistar.* edit.2.in 8.Roterodami apud Joh. Waesberge a.1591.qui in quintâ editione nomen suum prodit; uti docuit me *Herm. Faukelius in Babel Anabaptistarum art.14.p.202.* Nam editionem illam non vidi. Huic autem exprobrationi nihil responderunt Anabaptistæ (quod sciam); quamvis alioquin quidam eorum antehac satis fuerint vocales. Nisi quod *Nicolaus Nicolai* ignorantiam ejus profiteatur; non tamen neget a. 1624. in *Confessione art. 14. p. 243.* XI. *Arg.* à genere deducatur ad speciem. Omni labori & operi debetur merces ex justitiâ; ergo & huic labori, Dignus enim operarius mercede suâ. Ipse servator *Matth.10.* & *Luc. 10.* hoc argumento utitur: quod non fecisset, si quidem judicasset, repugnare hoc aut caritati aut conscientiæ ministrorum; XII. *Arg.* Æditius, ludimagistris & omnibus qui aliqua inferiori & remotiori ratione tabernaculo inserviunt, debetur merces; vel ipsis Anabaptistis fatentibus: ergo multo magis ministris verbi. Confirmari potest hoc argumentum ex præcepto Apostolico 1 *Timoth.5.* ubi duplici prȩmio dignos judicat presbyteros laborantes in verbo. XIII. *Argum.* Quia Apostolus vult episcopum familiam curare, hospitalem esse 1 *Timoth. 3. v. 2.* & 4. Quod fieri non potest sine reditibus. Eos autem habere non potest ex quotidiano labore manuum, seu quâvis honestâ occupatione, qui verbi ministerio vacare debet. XIV. *Argum.* Addi posset consensus antiquæ ecclesiæ jam inde post sæculum Apostolicum; si quidem Anabaptistæ illum alicujus facerent. Saltem Jesuitis aliisque prædicatoribus ꝰ *gratis*, & osoribus ꝰ *proprii*, opponi posset, quod sanctitatis & caritatis supererogatione supra Apostolos, quin & ipsum Christum, nec non antiquos patres ac martyres in primitivâ ecclesiâ, haut obscurè efferre se velint. Videant suum *Jus canonicum Caus.12.quæst.2.* Ubi *cap.26-31.* clericis ex reditibus ecclesiasticis portiones assignandæ statuuntur; & commentatores suos, cum antiquis ad *Math.10.Luc.10.* 1 *Cor.4.Galat.6.* qui sustentationem, mercedem, stipendium ministris sacrorum deberi asseverant. Patres indicat *Thomas in catena Math.10.*

§.3. Objectiones Anabaptistarum sunt partim idioticæ & insulsæ calumniæ (apud *Mennonem Simonis & in defensione confess. per Nicolaum Nicolai*, & apud

apud *Bullingerum loc. cit.*;) partim detorsiones locorum scripturæ. *Prioris generis sunt.*

I. *Object.* Concionatores stipendiarii sunt homines otiosi: *Resp.* Immo sunt maxime negotiosi, quippe κοπιῶντες, ἐργάται, vigiles, &c. 1 *Thessal.* 5. 1 *Timoth.* 5. *Matth.* 7. *Joan.* 4. Quamvis enim rusticas, aut mechanicas, aut similes operas non exerceant, minime tamen otiantur: immo prę omnibus aliis operariis, succum & spiritus vitales laborando in studiis, & operibus ministerii exhauriunt. Vide infra *part.* 2. *lib.* 2. ubi de ministerii difficultate.

II. *Object.* Sunt avari, mercenarii, ministri ventris, qui certa mercede seu pretio, quod stipulantur ab ecclesiis, Euangelium prædicant, per modum emtionis & venditionis: consequenter non sunt audiendi. *Resp.* Veri & pii ministri non stipendii causa (quod ministerii tantum consequens est & accessorium,) sed ἁγνῶς & ἐξ ἀγάπης, (*Philipp.* 1. coll. cum *Johan.* 21. 16.) munus hoc desiderant & amplectuntur; nec alio fine aut modo de ecclesiis ad alias ecclesias legitimè vocati subinde transeunt. Si qui aliter animati sint, illos Deus καρδιογνώστης judicabit; nec pro iis nos causam dicimus. Quod si non audiendi sint, sed tanquam lupi fugiendi omnes ministri, qui stipendia accipiunt; utique Christus, Apostoli, sacerdotes, & Prophetæ V. T. quin & ipsi Anabaptistici episcopi & monitores non pauci hoc nomine fugiendi essent. Hæc objectio distinctione Chrysostomi in Math. 10. (apud *Thomam in catenâ*) profligatur: *Non ergo est venale Euangelium, ut pro temporalibus prædicetur. Si enim sic vendunt, magnam rem vilipendunt. Accipiunt ergo prædicatores sustentationem necessitatis à populo; mercedem dispensationis à Deo.* Non enim à populo redditur quasi merces illis, *quod sibi in caritate Euangelii serviunt: sed tanquam stipendium datur; quo, ut possint laborare, pascantur.*

III. *Object.* Stipendia sunt & dicuntur præbendæ, & ex reditibus ecclesiasticis olim idololatriæ destinatis ac dicatis. *Resp.* Jam nihil concluditur contra stipendia, sed contra particularem quendam modum exolvendi stipendia: de quo infra. *Deinde* laboratur de nomine præbendæ, cum res ipsa controversa sit: quod absurdum. Quid autem sit de nomine præbendæ, paulo post videbimus. *Posterioris generis* objectiones sunt.

IV. *Object.* Ex *Matth.* 10. *v.* 8. *Resp.* Nihil ibi de verbi ministerio, aut Euangelii prędicatione; sed de charismatis & miraculis: pro iis vetat pretium accipi, nedum ut venderentur, *Actor.* 8. *v.* 20. 2 *Reg.* 5. *v.* 16. 17. Sed hoc non esse extendendum ad verbi ministerium constat ex *vers.* 10. ejusdem capitis *Mathæi.*

V. *Object.* Ex Pauli exemplo. *Actor.* 20. *v.* 33. 2 *Thessal.* 3. *v.* 8. 9. *Resp.* Particularis hic casus nec ministris in genere, nec ipsi Paulo regulam facit:

 su-

ſupra enim in Pauli exemplo contrarium oſtendimus. Simili in caſu, & talibus in circumſtantiis poſiti, eodem aut ſimili modo agent miniſtri. Manente enim jure & libertate, poſſunt exercitium ejus hic & nunc ſequeſtrare. *Deinde* gratis non prędicat, qui ab aliis eccleſiis ſtipendium recipit: uti Apoſtolus ipſe in ſuo facto hoc gratis diſtinguit 2 *Cor.* 11. *v.* 7. 8. 9. *Philipp.* 4. *v.* 15. 16. 17. *Denique* ipſe exſertè jus & poteſtatem ſibi aſſerit, quamvis hoc in caſu noluerit eâ uti 2 *Theſſal.* 3. *v.* 9. & 1 *Cor.* 9. *v.* 4. 5. 12. 19. Atque hæc de quæſtione principali; ſubjicis particularia aliquot problemata.

§. 4. II. *Probl. An miniſtri fruantur ſtipendiis per modum eleëmoſynæ ex caritate; an verò per modum mercedis debitæ ex juſtitiâ? Reſp. Neg. pr. aff. poſt.* ex textibus ſcripturæ ubi dicitur merces operarii, & ſtipendium, *Matth.* 10. 1 *Cor.* 9. Et quod ex jure debeatur miniſtris *Galat.* 6. 1 *Cor.* 9. Confer argumenta præced. problem. Unde conſtat quam abſurdè, indignè & improbè quidam malè feriati (forte peculatores, aut ſacrilegi, aut fœneratores, &c.) ſubinde fideles verbi miniſtros mendicorum ſeu mendicantium titulo inſigniant: quaſi ſcil. ex ſtipe victitarent. Qui tamen ſub nullius maxillis edunt, nec à quoquam offam petunt; ſed ſuis juſtè partis contenti ſunt. Fateor multos ex illis opibus non abundare: quibus à parentibus, ſoceris, aliiſve agnatis aut cognatis ampla hæreditas non obtigit, quique à vocatione ſuâ aliena agendo rem familiarem augere nolunt, ſtudiis ſuis & curæ eccleſiaſticæ unicè intenti. Minimè tamen mendicant; ſed parvo contenti & frugaliter vivendo ſuum cuique tribuunt, & inoffenſam conſcientiam coram Deo & hominibus conſervare ſtudent. Vidi in liberis eorum piè educatis impletas fuiſſe promiſſiones *Pſal.* 34. *v.* 10. & 112. *v.* 1. 2. &c. & 37. *v.* 25. 26. *Puer fui, etiam ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Omni die donat, & mutuat, & ſemen eius erit in benedictione.* v. 19. *non pudore afficientur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur.* In liberis & poſteris eorum, qui prædatione, aut mordente uſurâ, aut peculatu, aut ſacrilegio, aut fallaci ceſſione, aut δωροφαγίαις ditati ſunt, plerumque impletum vidimus Pſal. 37. v. 10. *& adhuc paululum, & non erit impius, & contemplaberis locum ejus, & non erit,* v. 21. *mutuum accipit impius, & non reddit*, v. 35. 36. *Vidi impium fortem, & vireſcentem ſicut laurus viridis. Et tranſivit, & ecce non fuit, & quæſivi eum, & non eſt inventus.*

Objicitur 1. *Object.* Miniſtri ſunt alumni Magiſtratuum, & de publico aluntur. *Reſp.* an & quomodo dici poſſint miniſtri à Magiſtratu ali, & de publico: infra cap 4. & 5. videbitur. *Reſp.* 2. Omnibus aut etiam pleriſque à Magiſtratu aut per manum Magiſtratus ſtipendia exolvi, falſiſſimum eſt. In unâ atque alterâ fœderati Belgii Provinciâ, ſtipendia per manus quę-

ſtorum

storum à Magistratu constitutorum exolvuntur: atqui non magis propterea dicendi sunt gratis ali, aut instar mendicorum stipe sustentari, quam omnes in togâ aut in sago, munerarii; omnes medici, omnes advocati & pragmatici, omnes in scholis Doctores & Professores; omnes judices & senatores in curiis superioribus & inferioribus; omnes legati, agentes, residentes; immo ipsi proceres & Magistratus, qui non suis, sed publicis patriæ expensis (& quidem jure meritoque) publica negotia tractant & curant. Illi jure divino, naturali, civili dicta *congiaria*, aut *stipendia*, aut *sportulas*, aut *salaria*, aut *vacationes*, aut *leges*, aut *erogationes*, aut *honoraria*, aut *emolumenta* justè (volente pretore) accipere se sciunt: nec tamen alumni Reipublicę, qui scil. gratis alantur, multo minus *mendici* audire velint. Ad diram, forte ad extremam paupertatem si ministri aliqui munere suo fideliter defuncti supra alios sæculares munerarios, redacti fuerint; id ipsis non imputandum, sed illis, qui justa stipendia non exolvunt *Mal.* 3.*v.*8.9.10.*Neh.*13.*v.*11.12., aut ea intervertunt, & novo quodam *sæcularizationis* jure novâ *metamorphosios* arte sibi vindicant; aut de illis partem (aliquando forte potiorem) νοσφίζουσι, id est, subtrahunt: *Jos.*7.*v.*1.11. *Actor.*5.*v.*1.2. Et cum ministri munera sua nec possint nec velint quocunque modo *lucrosa* reddere: (ut utar terminis artis) non mirum est eos, non suâ culpâ, depauperari; aut saltem non ditari.

2. *Object.* Alia ratio est stipendiorum sæcularium, alia ecclesiasticorum: hæc enim ex præsentibus aut præteritis oblatis & eleemosynis piorum, nonnunquam exsolvi contingit: tales ergo ministri possent dici, vivere ex eleemosynis. *Resp.* 1. Et cur non æque ex tributo justitię; per quod bona ecclesiastica etiam fundata sunt. *Resp.* 2. Eleemosynam illam & gratuitam donationem factam esse ecclesiæ; non vero ministro, qui ex manu aut ecclesiæ, aut patroni stipendium accipit. Quomodo fabri, qui templum ædificant, mercatores qui cibaria, medicamenta, vestes vendunt diaconis, orphano-tropheis, gerontodochiis, &c. non vivunt ex eleemosynis; quamvis ex iis seu mavis ex bonis per eleemosynas fundatis, debitum ipsis exsolvatur. Fruitur ergo ecclesia liberali dono, seu eleemosynâ, quâ sublevatur ab oneribus ex jure ferendis. *Resp.* 3. Quod si indecorum aut vile quid hic deprehendere se putant, imponant ergo ecclesię ut ex solis contributionibus pro rata capitatim collatis aut exactis conflетur peculium ecclesię; ita nulla donationum aut eleemosynarum umbra supererit. Sed non puto eos tam absurdos fore, ut virtutem liberalitatis & eleemosynæ ex ecclesiâ exterminare velint.

III. *Probl. An stipendium solvatur pro re laboratâ, seu effecto spirituali laboris: an vero pro ipso labore; an propriè pro vacatione? Resp. Primum* absolutè Neg. *Quia* spiritualia aut dona in nobis, aut effecta donorum per com-

municationem in aliis, nec vendi debent: esset enim peccatum simoniæ, de quo alibi in 4. *part. select. disp.* *Quia* pretio non possunt. Quod nam enim temporale pretium spiritualia vel minimum compensare potest. *Secundum*, dici potest, quia ministri non minus laborant, quam messores, milites, agricolæ, architecti, œconomi, &c. (*Matth.* 7. *Johan.* 4. 1 *Cor.* 3. & 4. & 9. 1 *Timoth.* 6.), ideoque labor ipsorum, quem & animo & corpore in bonum aliorum impendunt, mercedem meretur. *Tertium*, multò magis dici potest, quia dum vacant huic negotio, non possunt alteri vacare, ad hujus vitæ honestam sustentationem; quod tamen ipsis ex Dei præscripto incumbit *Genes.* 3. *Ephes.* 4. *v.* 28. 2 *Thessal.* 3. *v.* 7-13. Conferendi Scholastici & Casuistæ in titulo de *Simoniâ*, ubi stipendia ecclesiastica excusant à simoniâ.

IV. *Probl. An liceat pacisci justa stipendia, per modum contractus, & hæc rectè vocentur prabendæ? Resp. Bullingerus loc. cit. aff.* Nec video rationem cur dissentiam: si modo distinguatur inter τὸ licitum simpliciter, interque τὸ συμφέρον καὶ τὸ πρέπον, id est, quod conducit, & decorum est atque adeo ædificat. Sæpe hominum tanta est injustitia, fallacia, lubricitas, profanitas, ut expediat contractum intercedere. Extra illum casum præstat ordinariò abstinere: præsertim cum oporteat inter bonos benè agi. Hoc semper cavendum ne ipsa spiritualia materia fiant contractus; nec ipse labor in communicatione donorum spiritualium directè, primo, & per se: sed vacatio, hoc est, omissio & sequestratio cujuscunque alterius occupationis vitæ & legitimi modi acquirendi: quæ alioquin, posito hoc opere ministerii, illis æque ac aliis hominibus, non tantum libera essent, sed & necessaria. *Tertio* in usu vocis *præbendæ* non invenio difficultatem: siquidem originem spectemus; & non usum seu peculiarem abusum in Papatu: ubi otiosis ut plurimum canonicis appropriata fuit. Si ergo derivetur à verbo *præbeo*, utique sano sensu accipi potest; ut dicatur vocando seu vocato ministro præberi, offerri, & tribui tale stipendium. Alioquin dicatur cum scripturâ, *merces*, & *stipendium*, & *honor*.

V. *Prob. An ministri propriè fruantur stipendiis per modum beneficii, & hinc rectè dicantur beneficia ecclesiastica? Resp. Neg.* Nisi quis beneficia appellet respectu ejus qui confert. Terminatur enim propriè beneficentia illius ad ecclesiam Dei. Quod ad ministrum non quærit ille beneficium, sed officium: ad quod sequitur debitum stipendium, non beneficium propriè dictum. Papaliter ergo & catechresticè nimis loquerentur illi, qui de ministro usque ad sanguinem in studiis & functione suâ laborante dicerent illum satis *beneficiatum* esse, & non sine stomacho summam stipendii, quâ juxta cum collegis fruebatur, aliis referrent.

Quasi scil. præbendâ canonicali, ab ipsis in otio degentibus, absumendâ, donati fuissent.

VI. *Probl. An conducat, ut quis minister extra specialem necessitatis casum, gratis ordinario munere fungatur: ex patrimonio scil. vivendo, aut manibus laborando?* *Resp.* Vix audemus libertatem alicujus hic circumscribere, aut condemnare exemplum Spiridonis: quem *Ruffinus lib. 1. cap. 5.* testatur, episcopum factum, pastorem ovium mansisse. Posset tamen hoc ita intelligi, illum pastorem ovium fuisse, quales Reges, Principes, aliosque magnates; qui per præfectos & famulos suos hoc curabant. Hoc saltem cavendum est, ne quis utatur hac libertate suâ in præjudicium aliorum, aut juris communis. „Prudenter respondet Anabaptistis *Bullingerus loc. cit.* Si quis tantâ gratiâ „præditus est, ut ecclesiæ inservire & simul manibus laborare possit & velit, „atque ita nullum stipendium ab ecclesiâ accipere, huic hoc libenter con„cedimus: modo ne illorum, qui ex Christi instituto stipendium habent „ab ecclesiâ, autoritatem elevet. Quo tantundem videtur dicere, ac si negaret. Saltem de manibus laborante malim absolutè negare *Martyr locor.* *l.3. cap.2.* §.2. ubi satis innuit non conducere. Quocirca, inquit, judicio „meo posset hujusmodi vir usitata emolumenta percipere, sed pauperibus „erogare, atque in bonos usus convertere, quo scandalo infirmiorum, quo„ad ejus fieri potest, occurreretur. Expendendum præterea judico Christum „ipsum, &c. Quin & Apostolos, qui Spiritus S. fuerunt opulenter impleti, „neque opus habebant multo studio, facile potuissent utramque provin„ciam sustinere, nec tamen id fecerunt. Quod ideo factum fuisse opinor, ut non putaretur hoc institutum à ministris exigi debere. Præmiserat & hanc rationem, quæ satis superque τὸ μὴ συμφέρον evincere mihi videtur: „Si non capiat ordinarium emolumentum, illos gravabit & onerabit invi„dia, qui stipendia, &c. accipiunt. Et facile continget, ut homines ejus pa„rœciæ, cum ei non dederint solutam stipem, tali consuetudine illecti, eam „successori postea sint denegaturi.

VII. *Probl. Quando & quibus in casibus minister teneatur ad τὸ gratis: siquidem ipsi facultas suppetat.* *Resp.* 1. Cum ecclesia paupercula est, & pauculi divites, qui forte inveniuntur, non supplent defectus pauperum, aut ægrè supplent & cum murmuratione. 2. Quando ecclesia primum plantatur, aut adhuc tenella est, & nollet recipere Euangelium, nisi gratis. 3. Quando praxi τοῦ gratis adsuevit ecclesia. Hic locum habeat illud: ὁ κακὸν εὖ κείμενον μὴ κινεῖν. 4. Quando sectarii ibidem hoc faciunt, nostrisque ministris factum exprobrant; atque adeo honorem & autoritatem ministerii apud nostræ religionis homines ibidem degentes deprimere possunt. Eius tamen publicè privatimque datâ occasione (uti 1 *Cor.* 9.) doceatur;

quam-

quamvis eodem nunc non utatur. Anabaptistarum, & nostrorum, si qui ab illis seducantur, scandalum acceptum post tam diuturnam doctrinæ nostræ professionem, & tot ac tam evidentes juris ministrorum convictiones, amplius in Belgio nostro tanti faciendum non est, ut ministri propterea ab acceptione debiti stipendii abstinere debeant.

VIII. *Probl. Quid faciendum ministro, qui nec ab ecclesia paupercula; nec ex proprio peculio sustentari potest? Resp.* Ne ecclesiam, & opus domini deserere cogatur: necessariò aut honesta aliqua occupatio capessenda ipsi erit; aut ab aliis ecclesiis subsidia conquirenda exemplo Pauli *Philipp.4 v.10-18. 2 Cor.11.v.7.8.9.*; aut ad aliam ecclesiam transferendus, substituto ministro, cui tantum peculii, ut gratis ecclesię illi, saltem ad tempus, inservire queat.

IX. *Probl. Quæ vitæ occupationes tali in casu necessitatis potissimum cum ministerio conjungendæ? Resp.* Quæ propius cum ministerio conspirant, aut ad scopum ejus quodammodo faciunt; quæque insuper apud homines minus odiosæ, aut minus viles atque indecorę habentur. Qualis *prima* est linguarum (imprimis Græcæ & Hebraicæ illique affinium orientalium), historiarum, artium, philosophię professio privata aut publica in scholis; aut pragmatia notarii; aut ars pictoria. *Secunda* praxis medicinę, aut chirurgiæ; aut correctio librorum ad prœlum; aut descriptio librorum theologicorum & actorum ecclesiasticorum. Minus ergo conveniunt munera causidici, quęstoris, militis, sordidioris & vilioris artis mechanicæ, &c. nedum cursoris, curatoris negotiorum politicorum & œconomicorum, aulici parasiti & morionis, &c.

X. *Probl. Quid si ecclesia satis dives esset, nollet tamen aut ex avaritiâ aut ex contemtu & fastidio ministri sui necessarium stipendium tribuere; an liceret ecclesiam illam deserere, & ad alterius ecclesiæ ministerium se offerre? Resp.* de ministro tenuioris fortunæ nemo dubitabit. Ego etiam de eo, qui in re satis lautâ, ausim affirmare. Tanta enim *invidia erga ministrum, ne dicam scelus* (uti loquitur *Martyr. loc. cit.* §. 3.), suadet migrationem: pręsertim cum parum frugiferum ejus ministerium illic futurum sit. Videtur ratio posse desumi, ex *Matth.*10 14.41. coll. cum *v.*9.10. & *v.*15. Et altera ex *Jacob.* 5.4. coll. cum *Johan.*4.36.

XI. *Probl. An affine sit huic peccato, cacoëthes eorum qui fideles ministros appellant mendicos, iisque exprobrant quod alantur à Magistratibus, aut aliis bonorum ecclesiasticorum patronis, præfectis, quæstoribus? Resp. Affir.* Non enim aluntur ex privatis bonis Magistratuum; ne quidem ex ærario Reipubl. sed ex agris, decimis, aliisq; reditibus olim ministerio sacro donatis, optimo jure & justissimo titulo, *suis*: sive jure ea tanquam commendata ipsi possi-

possideant, sive sub manibus Magistratuum custodiantur. Non ali autem eos ex illis bonis gratis, aut tanquam inutilia terræ pondera, instar otiosorum quorundam monachorum & canonicorum, supra *probl.* 2. ostensum est.

XII. *Probl. An etiam factum eorum patronorum aut quæstorum, qui stipendia ministris ἀδάπανα non præstant, nec tempestivè exolvunt, cum alioquin possint, & debeant? Resp. Aff.* Illis cogitandum est illud *Galat.* 6. θεὸς οὐ μυκτηρίζεται, &c. Et *Malach.* 3. 10.

XIII. *Probl. Quid censendum de Monachorum, præsertim Jesuitarum gratis? quod ab Ignatio ordinis fundatore ipsis præscriptum regulâ* 17. *quodque in Vincentio Ferrerio suo deprædicat Corn. à Lapide in Matth.* 10. *Resp.* Esse non tantum crassam hypocrisin, sed & audacem ac subdolam nihil non corradendi licentiam. Vide quid de testamentariis venationibus olim in Papatu exercitis notet *Martyr loc. cit.* §. 4. Sed Jesuitæ nunc omnia ista superant. De quo præter *historiam Jesuiticam Hasenmulleri, Hospiniani, Ludovici Lucii lib.*4. *cap.* 5. tractatus nonnulli ab ipsis Pontificiis editi, qualis *Catechismus Jesuiticus anonymi (Stephani Paschasii I. C. Parisiensis)*; Jesuitarum gratis editum, in & pro Academiâ Cracoviensi anno 1624. *Casparis Schioppii astrum inexstinctum.* De mendicantium monachorum *non-proprio*, qui tamen functiones potentissimorum Episcoporum, Cardinalium, Papatum cum reditibus subire non verentur, alibi disquiritur.

XIV. *Probl. An Ecclesiæ Waldenses & Bohemicæ ante tempora reformationis, etiam postea in Poloniâ, ministros habeant sine stipendio, idque conscientiâ & sensu suo peculiari ad exemplum Pauli? Resp.* Ita quidem de iis refert *Martyr. loc. cit.* ubi addit nobiles ejus Provinciæ, ubi Waldensis seu Bohemicæ confessionis sunt, insultare aliis, quorum ministri stipendiis fruuntur, dicentes, se veros habere pastores, alios esse ventres. Sed aliter hæc explicant ipsi fratres *confessionis Bohemicæ præfat.* ad confessionem suam anno 1612. in 8. editam; ubi factum suum particulare referunt ad necessitatem ecclesiarum suarum, non autem ad jus divinum.

XV. *Probl. An Pontificii sine contradictione expedire se possint ab iis, quæ congeruntur in Jure Canonico, Caus.* 12. *q.* 1. *&* 2. *contra* τὸ *proprium Clericorum? Resp. Neg.* vide laborantes Canonistas, & Casuistas, ubi agunt de proprio Regularium, & Clericorum in commune viventium. Sed quidquid hic distinguant aut excipiant, non tamen liberant proprietatem clericorum sæcularium à contradictione antiquorum, quos ibi citat Jus Canonicum.

CAP. II.

Agitur de quantitate & qualitate ſtipendiorum.

§. 1. DE qualitate & quantitate ſtipendiorum quæruntur ſequentia.

I. *Probl. An exemtiones & immunitates miniſtrorum ab oneribus tam ordinariis quam extraordinariis, quæ Reſpubl. civibus imponit, partem faciant ſtipendii & τιμῆς miniſtrorum? Reſp. Aff.*

II. *Probl. An jure divino Magiſtratus teneatur eos eximere ab omnibus oneribus, aut ſaltem eccleſia ſuis ſumtibus immunitates illas redimere ac procurare, ſi poſſit? Reſp.* Quod ad prius, Dicimus in genere ex naturali æquitate deberi illis immunitates ab illis, quæ miniſterii executionem impediunt, aut non ita decorè cum dignitate miniſterii conſpirant. In ſpecie de his aut illis immunitatibus, & quidem hoc loco, hoc tempore, hac rerum facie, nulla certa regula præſcribi poteſt. Quod ad poſterius, dicimus ubi Reipubl., & populi conſtitutio ferre poteſt, convenire ut à quibuſdam oneribus vectigalium per eccleſiam aut per Magiſtratum immunes præſtentur. Ubi vero ferre non poteſt (uti hodie in Fœderato Belgio), tutius à Magiſtratu aut eccleſiâ, proportionatè augebitur ſtipendium, ut abſque rei familiaris ſubverſione, ea exolvere queant.

III. *Probl. An certa & definita ſtipendia annua, aut menſtrua ex certis & ſtabilitis reditibus aſſignanda ſint; an vero ex ſpontaneis fidelium oblationibus, aut inſtitutis, per occaſionem ac neceſſitate ita poſtulante, collectis, mutabilia & τύχοντα contingentia. Reſp.* Nos pr. aff. ſiquidem haberi poſſit: quidquid hic imperitè contradicant Anabaptiſtæ. Rationes plurimas congeſſit *Aretius probl. p. 1. loco* 10. Ex quibus iſtas excerpimus 1. *Rat.* Conſulitur autoritati & παῤῥησίᾳ miniſtrorum in reprehendendis peccatis; quod vel ita non facerent, aut ſi facerent, homines vix ita ferrent, ſiquidem ex quotidianis oblatis aut collectis illis vivendum eſſet. Quin metuendum ne quotidie ipſis ſubtraherent alimenta, aut illis exprobrarent, aut eos ſibi ſubjicerent. 2. *Rat.* Miniſtri magis immunes ſunt à ſuſpicione, quaſi ſcil. agerent & loquerentur ad gratiam eorum, qui in ſtipendia plurimum conferunt. 3. *Rat.* Non ita locus eſt, avaritiæ, & fraudibus circa helluationes oblationum, aut contributionum; aut malevolorum criminationibus ſuper occultâ ſtipendii magnitudine. 4. *Rat.* Sublevantur homines tenuioris fortunæ, etiam ditiores, ſed magis ad rem attenti, ab illis oneribus: quæ alioquin miniſterium & miniſtrum ipſis faſtidioſum reddunt. 5. *Rat.* Præveniuntur oſtentationes & vanæ contentiones, in officioſa teſtamenta (uti ea rectè

rectè appellat *Martyr loc. cit.*) quæ circa has oblationes antehac obtigerunt.
6. Rat. Denique nihil contra hæc ſtata, definita, ac certa ſtipendia determinavit ſcriptura; ita ut de jure divino permiſſivo minime ſit dubitandum. Quin & jure poſitivo in V. T. ſtata & certa erant ſtipendia ex decimis, primitiis, & agrorum portione ſacerdotibus aſſignatâ. Huc nonnulla applicanda quæ ex Jure civili & canonico pro certo peculio & ſtatis reditibus ſacris diſſeri ſolent: quamvis fatear ibi in alterum extremum ſæpe contendi.

IV. *Probl. An ipſa alimenta in ſpecie præbenda ex certis agris, e. gr. frumentum, vinum,* &c. *an potius ipſi agri eccleſiaſtici miniſtrorum culturæ & uſibus permittendi; an vero certa & parata nummorum ſumma iis numeranda. Reſp.* Quod ad ſummam rei, nihil intereſt jure divino, quocunque modo ſtipendiis fruantur. Primus & tertius tamen tutiſſimus videtur, & maximè decorus: eximit enim miniſtros magis ex rebus humanis & hujus vitæ negotiis, atque adeo ſubtrahit eos invidiæ, in agris locandis, in operis culturæ conducendis, in debitorum exactionibus. Ipſi autem miniſtri agros juxta cum reliquis colere nequeunt ſine jacturâ ſtudiorum & ædificationis eccleſiæ.

V. *Probl. An omnibus miniſtris æqualia ſtipendia tribuenda? Reſp. Neg.* Variare enim neceſſe eſt, pro ratione locorum, temporum, neceſſitatum familiæ: Illis enim ita proſpiciendum eſt, nequid deſit ad familiam honeſtè ſuſtentandam. Præterquam quod pro magnitudine operæ & laborum in hâc aut illâ eccleſiâ, augeri nihil vetet.

VI. *Probl. An danda ſint, quæ ſimpliciter ſufficiant ad præſentem neceſſitatem, hoc eſt, ut ſimpliciter ipſis detur quotidianus & neceſſarius victus & amictus (uti quidam perperam colligunt ex Matth. 10. 10.) an vero tanta, ut inde quid reponi, & liberis eorum proſpici queat. Reſp. Aff. poſt.* Idque exemplo Christi & Apoſtolorum, qui propria poſſederunt, uti *loc. cit.* oſtendunt *Bullingerus, & Aretius.* Accedit exemplum ſacerdotum & Levitarum in V. T. quibus tam liberaliter à domino proſpectum per decimas, primitias, ſacrificia, panes propoſitionis, conſecrationem & redemtionem, primogenitorum, anathemata & vota, reſtitutiones in caſu fraudationis, ſpolia ex hoſtibus, civitates & agros ſuburbicarios. Denique tenentur miniſtri domui ſuæ proſpicere, ne ſint deteriores infidelibus 1 *Timoth. 5. v. 8.* Accedat conſenſus Concil. & patrum quos adducit *Jus Canonicum loc. cit.* Et recentiores Pontificii cum defendunt opes eccleſiæ, & beneficia eccleſiaſtica: quamvis hic nimium diligentes ſint. Quod autem objicitur miniſtros tum ſua quærere & non quę eccleſiæ. *Reſp.* Eos quærere quæ eccleſię ſunt; ita tamen ut ſe & ſuos crudeliter non negligant. Nec pondus habet, quod

 Ana-

Anabaptistæ apud *Aretium loc. cit.* obtendunt paupertatem Christi, qui non habebat ubi caput reclinaret *Math.* 8. Quod enim Christus pauper factus fuerit propter nos 2 *Cor.* 8. id nec ministris nec ulli Christiano necessitatem imponit omnia sua sine aliquâ necessitate abjiciendi & paupertatem, aut angustiam rei familiaris sine necessitate affectandi.

VII. *Probl. An tanta debeant constitui, ut pastores luculentum quæstum inde faciant, & opes accumulent? Resp. Neg.* Docuit nos tristis experientia in Papatu, religionem peperisse divitias & matrem à filiâ devoratam. Hinc tandem enata regalia sacerdotia, pluralitates beneficiorum, &c. totidem allicia, quibus homines mundani minime theologi ad ecclesiasticas functiones attracti sunt, ut opibus illis se suosque cognatos saginarent. Allicia illa vir Dei *Calvinus* tam suspecta habebat, ut moderationem stipendiorum & doctrina & proprio exemplo semper suaserit, uti constat ex ejus vitâ à *Beza* descripta, & exsertis verbis in *epistola ad Sadoletum p.* 64. edit Neostadianæ apud Nicol. Schrammum, anno 1608. in 4. *Cum rationem ejus* (avaritiæ scil. clericorum Papisticorum) *corrigendæ esse ostenderent, ut nimiis opibus exonerarentur pastores, quò ad ecclesiæ curam magis essent expediti, an non sponte aditum ad opes sibi præcludebant?* Et paulo post: *Cur si vel minimâ habendi cupiditate titillantur, omni spe augendæ rei præcisâ, malunt perpetuo sic miseri esse, quam citra magnam difficultatem uno temporis momento ditescere?* Et pag. 29. *Quantum ad opes ecclesiasticas attinet,* &c. *cur non viam quærebamus, quâ ad nos devenirent? Ad nos cum clarâ voce pronunciavimus, episcopum furem esse, qui ex opibus ecclesiasticis plus in usum suum convertit, quam quod necesse est ad sobriam frugalemque vitam sustentandam: cum testati sumus ecclesiam pessimo veneno tentatam esse, dum tantâ opum affluentiâ onerati sunt pastores quæ ipsos postea obrueret; cum professi sumus non expedire, ut penes eos resideret: cum postremò consilium dedimus, ut ministris tantum erogaretur, quantum ad frugalitatem ordine suo dignam sufficeret: non quod ad luxum redundaret,* &c. Idem animus fuerat piissimis illis Theologis & Christianis crucis Waldensibus scil., Hussitis, & primis cum Luthero & post eum in Galliâ, Belgio, Helvetiâ, Germaniâ, &c. reformatoribus. Et quidquid pontificii pro pinguibus beneficiis contra eos contendant, ut inter alios *Nicol. le Maistre lib.* 1. de bonis & possessionibus ecclesiarum *cap.* 6. ubi tamen ad se redeunt, aut in scripturam commentantes, torrente ejus abducuntur, longè aliter loquuntur. Vide *A Lapide in Matth.* 10. 8. Nimium illud opum ecclesiasticarum in ecclesiâ Romanâ studium, & sacerdotum ac monachorum πλεονεξίαν, passim à domesticis ipsorum testibus proditum, compendio videre est in *Illyrici catalogo testium*, & *Mornæi Plessiaci Mysterio iniquitatis.* Quærelam illam de opum studio ex quibusdam ipsorum testibus

bus anno 1636. opportunè renovabat *Molinæus in Hyperaspiste contra Jesuitam Sylvestrum Petra sancta cap.* 1.; quem contra dictum Jesuitam egregiè tuetur *Rivetus in Jesuitâ Vapulante cap.* 8. Mihi semper idem animus fuit circa stipendia, qui Calvino aliisque reformationis nostræ luminibus: idque per Dei gratiam constanter in ecclesiâ & scholâ non tantum doctrinæ traditione, sed ipso opere ostendi. Vocatus ad ministerium ecclesiasticum in patriâ meâ a. 1617. caput meum periculo turpis ejectionis aut relegationis libenter objeci, ad juvandam ecclesiam patriam à factione Remonstrantica annis aliquot pressam: idque absque ullius stipendii petitione, aut stipulatione, aut assignatione. Cogitabam mihi divinitus dici, *Hoc age.* Stipendii assignationem & exolutionem Deo committebam; quamvis ejus, quippe à Deputatis DD. Ordinum Hollandię exspectandæ, vix ulla spes: quamdiu in medio eorum dominaretur minister eorum advocatus Joh. ab Oldenbarnevelt, orthodoxorum Anti-Remonstrantium (inter quos & ego) acerrimus adversarius. Evenit decimo mense post, ut facie cœli politici, & consequenter unius atque alterius deputati velificatione ad mutationem aliquam inclinante, à collegio illo Deputatorum ordinarium loci illius stipendium mihi demum assignaretur: quod alioquin post confirmationem in ministerio, intra primum trimestre ordinario assignari solet. Similiter cum anno 1634. ex ecclesiâ patriâ ad professionem theologiæ & linguæ Hebraicæ huc evocarer, & cum triennio post professioni scholasticæ adjungeretur ordinarium aliquod ministerium ecclesiasticum: nunquam aut istic in patriâ meâ aut hic Ultrajecti ullam stipendii mentionem feci; nedum ut illud, ejusve quantitatem directè aut indirectè petiissem, aut stipulatus essem. Putabam meum esse, Deum vocantem sequi, & laborem illum bono publico suscipere, atque in eo Ecclesiæ & Christo fidelem esse: stipendii curam Deo, & iis, qui me vocabant, relinquendam. Hinc statuant ęqui lectores, quo colore (non dico quà conscientiâ, quo judicio) aliqui calumniatores inter hæresios Remonstranto-Socinianę aut Arrianæ, aut Libertinismi aut Epicureismi, aut sacrilegæ avaritiæ, aut crudelis fœnoris, aut matris Diones, aut patris Bacchi, aut Mercurii, consecranei me & collegas meos nunc in Domino defunctos partim vino, fumo, aleâ stipatis susurris, partim libellis famosis, πλεονεξίας insimulârint, ob *responsum theologicum de bonis ecclesiasticis*, ad mandatum inclyti senatus anno 1645. conscriptum & anno 1653. ab alio aliquo typis editum. Quasi scil. hoc judicio nostro, ex jure divino atque humano, accedente totius Christianismi consensu, depromto, ostendissemus nos ipsos bonis ecclesiasticis inhiare; cum contra in ipso illo responso per prolepsin protestati simus, *nos non minus abhorrere præbendis & canonicatibus illis* (in *responso* nostro descriptis, & de quibus

quærebatur) , *quam Apostolus Petrus abhorrebat à Simonis Magi* pecuniâ corruptionis Actor. 8. v.20. *nosque per Dei gratiam* in hoc sic animatos esse, ac erat vir Dei *Calvinus in epistolâ suâ, quam contra similes Cardinalis Sadoleti calumnias, conscripsit.* Inter sociennos suos hæc susurrent; aut extra hanc urbem, ubi nos non nôrunt, γύμνῃ κεφαλῇ hęc deblaterent, & quidem qualitate quâ apud eos, qui hos Mercurii mystas non nôrunt: sed nobis in faciem tale quid dicere nec ausi sunt nec potuerunt; nec etiam apud eos profiteri, quorum testimonio nobis de eo constare possit. Ex animo suo nos judicare non debent, quorum Deus venter, quibus lucri bonus odor ex re quâlibet; quippe qui omnibus studiis, consiliis, actionibus coram Deo & hominibus ostendimus, nos longè ab illis dissidere. Quæ quæso umbra, quę species, non dico probationis, sed præsumtionis, cur hęc calumnia nobis magis aptetur, quam *Luthero, Melanthoni, Bucero, Musculo, Calvino, Vireto, Bezæ* (qui peculiariter bonorum abusum alicubi in fœderato Belgio, in dedicatione concionum de resurrectione, apud Ill. Ordines Generales perstrinxit), adhęc Gentileto, *Joh. Wolfio, Althusio, Hugoni Grotio*, aliisque Jureconsultis & politicis infra citandis? Quia scil. conscientias nostræ curæ commissas ex verbo Dei informare, & ab auri Tholosani, hoc est à turpi bonorum ecclesiasticorum usu revocare aut arcere studemus. Quid hic pręter officium & opus boni Euangelistæ fecimus? Et væ nobis, nisi hoc agamus? Ergone Christus substantiæ viduarum inhiavit, cum Pharisæos ab ejus devoratione dehortatus est? Et *Joh. Baptista* Herodiadem cupivit, quia Herodi dixerat: *Non licet tibi eam habere.* Math. 14. v.4. *Ergone* concionatores mœchas, meretrices domesticas seu focarias, publica prostibula, honestas hactenus fœminas, ad adulteria, ad stupra, venantur & sectantur ad vagas quasque libidines explendas: quia omnium conscientiis insinuant & insinuare tenentur: *Fugite scortationem*, 1 Cor. 6. v. 18.

An iidem ærario publico inhiant, aut bonis quoruncunque privatorum, aut lucro mensæ fœnebris Lombardorum (apud nos ita dictorum), aut flagellatorum annonæ, aut monopoliorum; cum contra peculatum, mordens fœnus, contra alia quævis aperti aut palliati furti genera, cum commentatoribus decalogicis, scriptoribus paręneticis, catechesi suâ quęst. 110. publicè privatimve dicunt aut scribunt? Ergone illi malint idololatriam, superstitionem, hæreses & blasphemias quasvis usurpare, profiteri, promovere: quia contra illa certant pro fide sanctis semel datâ?

CAP.

CAP. III.

Quibus & qualibus sint assignanda stipendia.



AD tertium punctum, quibus scil. & qualibus assignanda stipendia, pertinent hæc problemata. §. 1.

I. *Probl. An omnibus ministris promiscuè, stipendia exsolvenda; etiam divitibus, aut in cœlibatu viventibus, & consequenter parvo victitantibus? Resp. Aff.* Nam à parte ecclesiæ seu dantium, & de jure hic nulla exceptio. Quamvis à parte ministrorum seu accipientium, in certis casibus possit esse exceptio: ut supra dictum est. Et tum ecclesia fruitur beneficio, præstatque ei minister remittendo stipendium, liberalem oblationem & eleëmosynam.

II. *Probl. An doctoribus & lectoribus Theologis, nec non Catechistis, præceptoribus, ægrorum consolatoribus, similibusque in verbo laborantibus, & quasi coadjutoribus, debeantur. Resp. Aff.* ex regulâ & argumento generali: Dignus est operarius mercede suâ. Et *Galat.* 6. ὁ κατηχούμενος, &c.

III. *Probl. An etiam senioribus gubernantibus? Resp.* Non posset illis negari, siquidem totos se darent illi muneri, & peterent stipendia ex 1 *Tim.* 5. *v.* 17. Quamvis ecclesiis nostris non malè conveniat caritas & liberalitas nostrorum seniorum, qui gratis labores hos subeunt. De quo infra *part.* 2. *lib.* 2. *tit.* de *Senioribus.* Metuendum alioquin ne homines otiosi in fide & pietate minime προεστῶτες, propter stipendia προστασίαν illam turpiter affectarent: siquidem nemo est quamvis ignorantissimus & ignavissimus qui ad regimen aliquod se tanquam idoneum obtrudere non ausit: si scil. beneficium officio annexum sit; tunc enim sæpe quæritur non tam officium, quam beneficium.

IV. *Probl. An etiam diaconis? Resp.* Non ita convenire videtur: quia ministerium illorum particulariter & tantum versatur circa pauperes in ecclesiâ quâ tales, & circa negotia misericordiæ. Non ausim tamen absolutè negare nulla illis deberi: siquidem in ecclesiâ aliquâ viri tenuioris fortunę ad hoc munus eligerentur, quod forte nulli istic magis idonei: Esset enim contra justitiam, ut illi frequentibus circa pauperes occupationibus res suas cum damno rei familiaris negligerent, & dum nomine & mandato ecclesiæ aliorum rem familiarem curarent, ipsi interim ad incitas redigerentur.

V. *Probl. An stipendia etiam debeantur propter ætatem emeritis, aut illis, qui ministerio se totos consecrarunt, inque eo pro virili, quamdiu potuere, desudarunt;*

darunt; sed nunc propter morbum, aut tyrannidem & persecutionem, aut alia aliqua impedimenta coguntur quiescere? Resp. Aff.

VI. *Probl. Quid si propter heterodoxiam, aut malos mores legitimè exauctorati sint? Resp.* Video indulgentiam & clementiam nostrarum ecclesiarum, & Magistratuum certare cum improbitate quorundam mercenariorum: quò fit, ut tantò magis reddantur ἀναπολόγητοι; si exuperantia illa χρηστότητος in ruborem ipsos non det, & ad seriam peccatorum pœnitentiam provocet. Quidquid sit, præstat nummos profundi, quam ecclesias maculis & carcinomatis illis diutius dehonestari. Duo tamen cavenda videntur: ne stipendia carnalibus peccatorum illecebræ fiant; deinde ne damno & præjudicio piorum ministrorum profundantur, & his sive emeritis, sive etiamnum ad sudorem immo & ad sanguinem laborantibus injustè subtrahatur, quod in illos indulgenter erogatur.

VII. *Probl. An ministris aut Theologis ad alias ecclesias aut scholas, bono publico legitimè translatis, stipendia aut honoraria sive ab eâdem Ecclesiâ, cui inservierunt, sive à quavis aliâ, cui non inservierunt, conferri possint? Resp.* Quis hoc improbet? Siquidem hoc facit ecclesia ut succurrat illi ecclesiæ pauperculæ, cui nunc inservit, aut ut honorario illo gratitudinem suam erga illum pro fideli ministerio declaret. Non potest non laudari exemplum Argentinensium, qui Calvino Genevam revocato missionem volentes nolente animo decreverunt, sub hâc conditione, ut prębendæ theologicalis (uti vocant) reditus, qui ipsi à Senatu assignati erant, & quibus illic fruebatur, propter professionem theologicam, retineret: referente *Beza in vitâ Calvini.*

VIII. *Probl. Quid de ἐγκρατείᾳ & generoso animo Calvini, qui conditionem hanc constanter renuebat? Resp.* Præterquam quod in genere mundum & mundana illa pro stercoribus duceret cum Apostolo *Philipp.* 3. *v.* 7. 8. Et mores ejus essent alienissimi, à φιλαργυρίᾳ: Habuisse virum piissimum proculdubio rationes speciales, quæ persuaderent prudentiæ ipsius, omnia ista sibi licere quidem, sed non conducere. Haut aliter ac Paulus 1 *Cor.* 9. *v.* 15. 19. & 2 *Cor.* 11. *v.* 9. 10. 11. 12. 13.

IX. *Probl. An sacrilegium sit, & abusus peculii ecclesiastici contra voluntatem donatorum, si ex eo stipendia solvantur ludimagistris & Professoribus, qui non quidem Theologiam, sed alias honestas artes ac disciplinas tradunt? Resp. Neg.* Si prius ministeriis sacris, eorumque affinibus, & appendicibus satis prospectum sit: neque enim his subtrahi debet, ut illis prospiciatur. Atque hoc satis convenit cum voluntate atque intentione donatorum partim explicitâ & in specie, partim implicitâ seu virtuali & in genere atque analogicè. Voluerunt enim juvare religionem & ecclesiam. Extra illud

genus

genus aut proximum analogicum non evagatur ſuſtentatio ſcholarum, & propagatio eruditionis. In hâc latitudine voluntas & intentio donatorum ſemper accepta fuit in ipſo Papatu, ut ex *Concilio Tridentino* aliiſque teſtibus infra oſtendimus *part.2.lib.4 tit. de monachis*, ſubtit. de *Militibus Eccleſiæ.*

X. *Probl. An etiam filiis Prophetarum, & ſtudioſis, qui in ſpem miniſterii educantur, ſtipendia ex reditibus olim ad curam animarum & ſacrorum collatis erogari poſſint? Reſp. Aff.* Quia non receditur à genere, nec à generali intentione donatorum. Quod ſi autem nonnulli reditus in hunc uſum peculiariter conſtituti ſint (uti antehac inſtituti fuerunt, & etiamnum conſtituuntur): jam nulla eſt quæſtio: quin immo debent ordinario in unicum hunc uſum impendi.

XI. *Probl. An talia ſtipendia propriè ſint & dici debeant eleëmoſynæ, & tales ſtudioſi vivere ex eleëmoſynis? Reſp. Neg.* Quia operam ſuam addicunt eccleſiæ, & publico. Quod ſi fidem datam ſervent, & ſpem atque exſpectationem eccleſiæ impleant, & diligenter ad laborioſam illam functionem ſe ſanctificent, utique panem ſuum gratis non edunt: niſi dicere velimus mendicos fuiſſe filios prophetarum cum ſuo Elizæo 2 *Reg.4. v.42.* omneſque illos Principum, magnatum, & procerum filios, qui in pueritiâ, aut forte infantiâ honorariis ſtipendiis è publico gaudent, & in ſpem militiæ educantur; ut aliquando viri facti patriam ſuam præ omnibus aliis teneantur defendere.

XII. *Probl. Sed quid ſi fidem datam, aut ſpem eccleſiæ ignaviâ ſua, & malis moribus fallant: aut nihil minus curent, quam ſacrum miniſterium, aut debitam ad illud præparationem? Reſp.* Stipendia illis ſubtrahenda ſunt, & compellendi ad juſtam reſtitutionem. Quod quædam ejuſmodi burſarum fundationes, earumque collationes expreſsè ſtipulantur.

XIII. *Probl. Quid ſi propter impedimenta quædam extrinſecus intervenientia, aut ingenii ſui inclinationem ac ſingularem aptitudinem præſtaret aliquos ſtudia, & vitæ genus honeſtè mutare? Reſp.* Poſſe ab illis, penes quos hoc juris eſt, rationes omnes expendi, atque ex æquo & bono diſpenſari. Quod ſi fiat ſine præjudicio & fraude eorum, qui ſtudium theologiæ cum Deo incipiunt & perficiunt: utique de redituum eccleſiaſticorum erogatione in tales judicandum ferè & analogicè, ut de ſtipendiis ludimagiſtrorum & Profeſſorum, qui artes & diſciplinas profitentur. Accedit & hujus diſpenſationis ratio generalis; ne propter ſtipendia nonnulli inviti & ſine internâ tractione ac vocatione miniſterium amplecti cogantur, quorum animus alioquin ab eo averſus. Neſcimus enim quò deſperatio duceret, ubi res anguſta domi, aut parentum atque amicorum conſilia non impellerent; ſiquidem ſtipendia ſubtrahantur, immo & reſtitutio imperetur.

XIV. *Probl. An stipendiati studiosi theologiæ, omnibus aliis, qui non publicis, sed suis sumtibus ad ministerium se sanctificant, in promotione ad ministerium sint præferendi?* *Resp. Neg.* Quia simpliciter præferenda sunt præstantiora dona. Quò analogicè applicari potest illud 1 *Cor.* 14. *v.* 12. Quod si omnia sint paria, & extrinsecis ac περιστατικοῖς respectibus hic locus aliquis relinquendus videretur, potior ratio habenda eorum, qui suis sumtibus tam heroicum opus susceperunt, imprimis si diuturna protelatio promotionis sit cum jactura rei familiaris. Quis enim dubitet, quin horum caritas præ illis hâc in parte sit ἐκτενεστέρα, & magis se prodiderit. Atqui omni operi bono debetur suus honor. Hoc tamen non dico, ut si quis tenuioris fortunæ, publicę liberalitati de suo exiguo addere debuerit, forte ὅλον τὸν βίον, cum viduâ *Luc.* 21. *v.* 4. caritas ejus postponatur: posset enim fieri, ut talis servatâ proportione plus dederit, quam omnes divites.

XV. *Probl. An ministris ignavis, & parum laborantibus relinquenda stipendia.* *Resp.* Quod si ecclesia erga tales officio suo, probè fungeretur, hoc est, eos post debitas admonitiones (*Coloss.* 4. *v.* 16.) dimitteret, & in alios veros operarios stipendia transferret: utique huic quæstioni locus non esset. Sed quia nihil ab omni parte beatum, utile esset stipendia accidi pro imminutione laborum: quo compendioso compulsorio ab otio ad negotium facillimè revocandos ignavos ventres, minimè dubitandum.

XVI. *An ministris non residentibus debeantur stipendia:* *Resp. Neg.* Pendet hujus problematis determinatio, ex rationibus, quas contra non residentiam etiam in ipso Papatu instruxerunt. Ut Casuistas, quamvis ut plurimum hic incrustatores prætercam; videatur tract. peculiaris *Bartholomæi Caranzæ* in ipso *Concilio Tridentino* conscriptus, & Antwerpiæ a. 1564. apud Belleros editus. Sed de non residentiâ alibi.

XVII. *An jure competant stipendia ministrorum illis, qui ad personatus (uti alicubi vocantur) promoti, ministerio ecclesiæ alicujus initiantur, ejusque gradum & ordinationem solemniter suscipiunt, & fortè ad histrioniæ complementum, concionem unam privatim coram Episcopo, aut ejus vicario, aliisve ejus officiariis habent; Quo facto, alteri alicui vicario suo laborem ministerii committunt, solâ redituum fruitione, & qualicunque recturâ aut magisterio in res & negotia ejus ecclesiæ contenti?* *Resp. Neg.* Non unum hic peccatum committitur. *Primum,* horrenda sacrosancti ministerii profanatio, & ludificatio. *Secundò,* ecclesiæ defraudatio, dum debitis ministeriis & ministris non abundat, pro ratione tum redituum, tum necessariæ ædificationis. *Tertiò,* sacrilegus redituum illorum abusus; quos norunt à piis hominibus non esse donatos, aut ab ecclesiis viritim tributos, ad pascendos ignavos ventres. *Quarto,* quod totam rationem ministerii pervertant. Neque enim jurisdictionem

ctionem habet aut imperium, aut potestatem substituendi: quum potestas ejus tota sit ministerialis, non dominans aut αὐτοκρατορικὴ, quæ residet in solo Christo ecclesiæ capite. Vide *Luc.* 22. *v.* 25. 2 *Cor.* 1. *v.* 24. 12. 13. 1 *Cor.* 4. *v.* 1. & 1. *v.* 5. & 3. *v.* 3. & 1 *Petr.* 5. *v.* 3. *Quinto*, quod illegitimè dividant & divellant recturam & præsidentiam in ecclesiâ, à labore & functione privatim publiceque docendi, sacramenta administrandi, orandi, membra ecclesiæ visitandi, consolandi, &c.

XVIII. *Probl. An personatus illos, & umbratica ac titularia ministeria cum stipendiis minime umbraticis vendere liceat, sive in totum, sive ex parte per pensiones scilicet. Resp.* Ne ipse quidem corruptissimus Papatus neget, committi hic horrenda crimina simonię & sacrilegii. De pensionibus forte infra quid dicemus.

XIX. *Probl. An personatibus similes sint canonicatus otiosorum hominum, qui extra Papatum in terris Protestantium & reformatorum adhuc tolerantur? Resp. Aff.* cum dist. In eo enim longè dissimiles sunt aliqui eorum, (siquidem canonicatus ubivis non ejusdem sunt speciei aut conditionis) quod beneficia sint sine ullo officio aut opere sive ecclesiastico sive scholastico, sive inchoato sive continuato; & sine vicariis, qui opus ecclesiasticum peragerent. Nam vicariatuum beneficiis, absque opere & officio ecclesiastico, aut ipsi canonici aut liberi, nepotes, amici, necessarii, pari modo ac præbendis fruuntur: aut canonici vicariatus illos vendunt: uti memini studioso theologiæ aliquem venditum 2700. (ni fallor) florenis.

XX. *Probl. An in ecclesiis, ubi personatus & vicariatus adhuc obtinent, ministerii candidatis, aut ministris vicariam ecclesiæ curam suscipere liceat, & consequenter vicariatibus illis seu stipendiis à Rectore ecclesiæ assignatis, aut antiquitus per ecclesiæ benefactores ad id constitutis, pro ministerii labore frui? Resp. Affirm.* si modo ecclesia, quæ abusus illos etiamnum tolerare cogitur, vicarium illum legitimè vocet, aut saltem ministerium ejus expetat atque approbet.

XXI. *Probl. An pariter alicui vicariatum illum vendere, aut sine labore ministerii eodem frui, aut ipsum personatum gratis collatum expetere ac suscipere liceat: si modo Magistratus aut prætensa hierarchia ecclesiastica ita constituat, aut saltem toleret, & accedat ecclesiasticæ tolerantiæ consuetudo? Resp. Neg.* Quia nec Episcopi, nec Magistratus sive mandatum sive dispensatio magis ex peccato (de quo *probl.* 17.) non peccatum facere potest, quam Papa Romanus.

XXII. *Probl. An reditibus vicariatuum ad curas animarum constitutis, more antehac in Papatu recepto, frui possint studiosi Theologiæ, quamdiu ad ministerium ritè se præparant? Resp.* Siquidem non fiat in fraudem & cum prę-

judicio ædificationis ecclesię, & ministrorum, qui laborem suum in illâ ecclesiâ, in cujus usum vicariatus illi fundati sunt, impendunt: nolim repugnare. Vide paulo ante *probl.* 9. & 10. De donationibus illis, quæ factę sunt absque speciali respectu ad curas animarum, aut ad usum certæ alicujus ecclesiæ, tantum ut quis in studio Theologico aut etiam quovis alio enutriatur nulla difficultas est. Satis fit enim directæ & explicitæ intentioni donatorum. Sed tales si quę sint, putamus catechresticè aut impropriè vocari vicariatus.

XXIII. *Probl. An quis reditibus seu stipendiis pastoralis curæ, nudo titulo & prætenso jure parochi seu curati gaudere possit, absque ullâ ecclesiasticâ vocatione & functione juxta ordinem & in communione ecclesiæ sive Papalis, sive reformatæ? Resp. Neg.* committitur enim gemina ἀταξία. *Prima* est quod titulum & externam speciem parochi sibi vindicat, ac prę se fert, cum revera talis non sit nec voluntate suâ, nec electione ecclesiasticâ. *Secunda* est, quod stipendiis fruatur, quæ curæ pastorali in illâ ecclesiâ dicata: & consequenter aut subtrahat parochię, ut defectu stipendii ministro aut ministris careat, quos alioquin haberet; aut subtrahit ministro, si quis sit, si non totum stipendium, saltem bonam partem forte longè maximam. Quod si personatus sunt illiciti, tales umbratici & nominales curati multo magis.

XXIV. *Probl. Quid si stipendia sub Papatu in Sacerdotes & Vicecuratos pro missis, aliisque superstitiosis ministeriis in parochiali aliquâ ecclesiâ erogari solita, sub iisdem illis titulis cedant sacerdotibus una cum illâ parochiâ reformatis, & post obitum eorum succedant in ea alii reformati absque titulo, aut sub titulo sacerdotum? Resp.* 1. titulus sacerdotis missifici nullâ ratione assumendus est; nedum ut sub umbra illius tituli gaudeat quis jure redituum sacerdotalium. 2. Reditus illi quamvis in specie nulli pio usui sint consecrati, & consequenter una cum missis & sacerdotiis stipendia missatica sint abolita: in genere tamen & analogicè ad veram curam animarum converti possunt, & debent; prout ad curam animarum primum fundati sunt. 3. Tolerabile videtur, ut absque titulo & specie sacerdotali reditibus illis ad tempus gaudeant, iidem illi sacerdotes reformationem nunc amplexi, quamvis ministerio ecclesiastico non fungantur; sive quod ad illud nondum vocati sint, sive quod ecclesia operâ plurium istorum non indigeat, sive quod ad ministerium non sint idonei. Æquitatem hanc videtur suadere *Calvinus* casu clericorum Papalium, sed reformationi Scoticę non obsistentium *in epistola ad Johannem Knoxum.* Sed intolerandum esset, ut otiosorum hominum in illa stipendia ex prętenso jure titularis sacerdotis, perpetua stabiliretur successio. An simile quid in casu Cardinalis Castilionęi forte dici possit, contra Espencęum (in 3. *collatione*, gallicè), acerbè illi exprobrantem, quod religionem

gionem & ministerium suum tanquam Antichristianum abjecisset, titulum tamen, & sub illo titulo reditus sibi retineret, disquirendum esset. Quidquid hic statuerint reformati, saltem nefas ducerent, ut reformati in titulum ac speciem Cardinalis, & sub umbrâ illâ in reditus ecclesiasticos succederent.

XXV. *Probl. De reditibus monachorum, aut monialium, saltem de parte aliqua eorum, an non aliter judicandum sit? Resp. Aff.* modo tituli aboleantur, & in umbrâ ac specie illorum jus alimentorum ac stipendiorum de capite in caput succedentium non fundetur: sed in liberali dispensatione ecclesiæ ac politiæ & suâ aut honestâ occupatione, aut saltem honestâ necessitate.

CAP. IV.

A quibus & per quos sint exsolvenda stipendia.



AD quartum punctum, à quibus & per quos exsolvenda stipendia, pertinent hæc sequentia problemata.

I. *Probl. An stipendia immediatè ab ipsâ ecclesiâ per spontaneas oblationes seu contributiones semper exsolvi debeant; an vero à Magistratu seu potestate politicâ, aut potestate hierarchicâ, aut patrono, aut privati alicujus liberalitate. Resp.* Prius statuebant in Angliâ dicti *Separatistæ* aut *Brownistæ* thesi septimâ suæ apologiæ contra imputationes Oxoniensium anno 1612. editæ. Ubi improbant certos reditus agrorum tanquam à Papali hierarchia & decimis Judaicis exortos.

Nos sententiam nostram istis conclusionibus explicamus. I. *Concl.* Ecclesia potest curare stipendia; immo & tenetur jure divino: quod intelligendum est in casu defectus, cum nemo est qui hoc agit; & deinde cumulativè non exclusivè: sic ut non prohibeantur alii, si qui hac beneficentia absque præjudicio ædificationis & libertatis ecclesiasticæ defungi velint. Quicunque autem hoc agant, aut non agant, curent aut negligant: ecclesia non potest se subducere Galat. 6. v. 6. *communicet autem, qui instituitur in sermone, cum eo qui se instituit, omnia bona.* Et hinc est, quod constitutiones ecclesiasticæ Belgarum Emdæ, Dordraci, Middelburgi, Hagæ-comitis, Dordraci a. 1619. in Synodis Nationalibus conceptæ, & autoritate politicâ in variis fœderati Belgii Provinciis munitæ, curam stipendii ministrorum synedriis (quippe ecclesias repræsentantibus) imponant. Quale *Statutum Synodale artic.* XI. juri divino innixum non censemus mutandum, ut in Provinciâ aliquâ illud inter plura alia anno 1619. mutari volebant: ut scil. substitueretur, *Et nos aut respectivi Magistratus ministris debita stipendia curabunt.* Sed præstat verba à Synodis posita loco non moveri: quibus perpetuum

 jus,

jus, ejusque obligatio proponitur; quidquid sit de juris usu aut non usu, hic & nunc obtinente. Potest alicubi esse minister, cui una familia, aut unus ex ditioribus stipendium promittit & exsolvit. Sed hoc est mutabile & πρόσκαιρον. Jus vero divinum est perpetuum quod omnes, quod ubique, quod semper ecclesias obligat; quamdiu ecclesiæ sunt ecclesiæ. Illud jus perpetuo ecclesiis inculcandum, ne illa προσκαίρῳ non-usu ita in oblivionem & desuetudinem veniat; ut Principe aut Magistratu mutato aut mentem & religionem mutante, ac stipendia fidelibus ministris subtrahente, ad curam & exsolutionem eorundem vix adduci queat. Sæpe enim homines non satis distinguunt inter potestatem & usum ejusdem, inter jus & exercitium juris.

II. *Concl.* Hierarchię potestas ἐυτάκτως hoc agere nequit: quia non debet esse talis potestas; nedum ut ipsi cura peculii sacri & dispensatio stipendiorum committenda sit; quo fimbrias suas magis extendunt & dominatum in ministros stabiliunt. Ubi tamen aliter fieri nequit: tolerandum est, saltem quod ad stipendia, quæ pertinent ad τὰ βιωτικά. Apostoli tolerarunt in Juda Iscariota præfecturam τοῦ γλωσσοκόμου.

III. *Concl.* Magistratus aut sponte suâ, aut postulante id ecclesia, curamque hanc in ipsum devolvente, stipendia curare potest ex ærario publico; immo etiam jure divino atque humano tenetur, si reditus & peculium ecclesiæ in extremo necessitatis casu, in Republicæ usus impenderit. Hoc enim nihil aliud est, quam justissimæ restitutionis vicem pręstare.

IV. *Concl.* Non est in se illicitum, ut dicti patroni stipendia procurent prout ad hoc antiquitus obligati fuerunt: si modo nihil autoritatis aut dominationis in res & vocationes ecclesiasticas sibi sumant. Sed tamen non ita tutum esse, nec conducere, docuit nos eventus sub Papatu, & hodierna experientia. Videmus hic caritatem incipere à seipso, & quemque esse sibi proximum, & agitari contractus innominatos. *Do ut des*, *facio ut facias*, &c. De quo infra agimus *part.* 2. *lib.* 3. *tract.* de vocatione ministrorum.

V. *Concl.* Privati alicujus liberalitas stipendium pręstare potest. Si modo nihil autoritatis aut juris inde stipuletur sive erga ecclesiam, sive erga ministrum.

II. *Probl. An liceat cum patrono transigere de stipendio, aut ejus parte. Resp.* Mera tolerantia mali necessarii, quæ fiat de consilio & expresso mandato ac consensu ecclesiæ sponte vocantis ministrum, aut vocationem ejus approbantis: non est illicita. Ita stipendium suum, aut potiorem ejus partem postremis annis ministri aliquot in Palatinatu reliquerunt militaribus præfectis Leopoldicis & Hispanicis, hac spe & intentione, ut ipsis modo re-
lin-

linqueretur usus ministerii. Hoc enim nihil aliud erat, quam suo damno, & suo stipendio libertatem tacitè emere, aut potius vexam & impeditionem redimere. Extra hunc aut similem casum si fieret, ad subreptionem in ministerium, à turpissimâ simoniâ haut multum abludere videretur.

III. *Probl. An liceat ab aliis ecclesiis stipendium, aut ejus supplementa & subsidia recipere? Resp. Aff.* In casu necessitatis, & eâ occasione, quâ Paulus 2 *Cor.* 11. *Philipp.* 4. Sed ordinariò ut hoc fiat, minus videtur expedire, aut tutum esse. Hinc enim metuenda ministri ad ecclesiam alienam stipendii procuratricem major respectus quam ad propriam, immo & ecclesię illius in istam cum tempore autoritas & usurpatio aliqua cathedralis; quod repugnat ἰσότητι & ἰσοτιμίᾳ ecclesiarum jure divino stabilitæ. De quo vide supra *lib.* 1. *tract.* 1. *tit.* de Ecclesiis collegiatis, cathedralibus, &c.

IV. *Probl. Utrum præstet curam & dispensationem stipendiorum ex reditibus ecclesiasticis manere penes ecclesiam seu collegia ecclesiastica; an vero tradi & committi Magistratui. Resp.* Non quærimus hic in genere de curâ, præfectura, & dispensatione bonorum ecclesiasticorum, (de quo *Martyr locor. classe* 3. *cap.* 2. & nos *tract. praced.* (multo minus de eorum alienatione, & dominii in Magistratum translatione: sed tantum de stipendiis. Nos respondemus, ecclesiæ potestatem curandi, & dispensandi stipendia ex propriis reditibus antehac fundatis, aut ex præsentibus oblationibus fidelium eripi non magis posse aut debere, quam curam pauperum & erogationem eleëmosynarum per diaconos suos. Non tamen negandum, quin tempora talia incidere possint, ut cura istorum βιωτικῶν Magistratibus sponte commendanda esset; aut siquidem urgeat, tradenda. Et hoc respectu Calvinus totum hoc quidquid est Magistratui deferre maluit, ecclesiamque ab omni curâ immunem præstare. Idem sensus primorum ministrorum, qui in Hollandiâ, Zelandiâ, post religionem reformatam in publica templa introductam, Calvinum in hoc imitati sunt. Nolo tamen dicere, tutius & βέλτιον esse, ut ab omnibus, ubique, & semper hoc fiat.

V. *Probl. Quod si penes ipsam ecclesiam aut parochiam, aut ipsum pastorem sit dispensatio; utrum præstet eam exequi per ædiles, aut quæstorem à pastore, aut synedrio aut classe constitutum immediatè; an per synedrium scil. aut classem; an denique per singulos ministros, qui pastorales suos reditus & fructus ipsi sibi colligunt. Resp.* Ministris malim hoc relinquere, si non admodum odiosum esset & illi τὰ βιωτικὰ illa per alium aliquem exequerentur. Alioquin non videtur absurdum, ut ædilis, aut quæstor ecclesiasticus colligat, exigat, & distribuat: sed ad mandatum ministri aut ministrorum, aut synedrii aut classis; ubi etiam rationes reddendæ, & petitiones augmentorum stipendii, aut subsidiorum extra ordinem, instituendæ.

CAP.

CAP. V.

Unde exſolvenda ſint ſtipendia?

§. 1. DE quinto puncto, Unde ſint exſolvenda ſtipendia, hæc problemata.

I. *Probl. An jure divino & naturali miniſtris debeantur, decimæ, atque ex his exſolvenda ſtipendia? Reſp.* Affirmant communiter Canoniſtæ, ex *cap. Tua nobis 26. de Decimis, & cap. Parochianos. Extravag. de Decimis.* Vide plures citationes juris apud *Tholoſanum lib. 1. partit. Juris Canonici tit. 25. cap. 5.* Cum quibus facit *Baronius ad annum 17. §. 74.* & *Nicolaus le Maiſtre de bonis* & poſſeſſoribus eccleſiarum *part. 2. lib. 1.* Ex noſtris *Zepperus lib. 4.* explic. legum Moſaicarum cap. 10. *Hoſpinianus de Templis l. 5. cap. 3.* Et ex Anglicanis Theologis plerique, ni fallor, qui iſtic ab hiararchico regimine alieni non ſunt: quales *Lancelotus Andrewes* Epiſcopus Wintonienſis in determinatione de decimis editâ cum opuſculis poſthumis; *Kelletus in miſcellaneis Theologicis*, ſed patrio idiomate conſcriptis, lib. 2. p. 50. 51. *Richard. Montacutius tract. peculiari contra Seldenum.* Et *Giffardus* peculiari tractatu. *Prideaux in operibus, orat. 5. edit. in fol.* Quibus accenſeri poteſt *Marcus Ant. de Dominis* Archiepiſcopus Spalatenſis, natione quidem Italus, ſed qui in Anglicanæ eccleſiæ ſenſu & communione tum verſabatur, cum libros de Republ. eccleſ. ederet; ubi *lib. 9. cap. 2.* hanc cauſam agit. In eandem ſententiam inclinat *Willetus* commentar. ad *Levit. 27. doctr. 4.* Negantem ſententiam amplectuntur ex noſtris *Daneus, in Ethicâ Chriſt. lib. 2. c. 10. Martyr loc. claſſe 4. c. 13. 5. 18. Bucerus & Calvin. in commentariis, Zanchius* de *oper. redemtionis lib. 1. cap. 16.* Autor *altaris Damaſceni p. 447. Rivetus in Geneſin Exercit. 80.* & Pontificii theologi plerique; qui hic cum Canoniſtis tantopere digladiantur, ut mutuo ſibi hæreſin impingant. Vide *Bellarm. lib. 1. de Clericis cap. 25.* & *Johannem Majorem in 3. diſt. 37. qu. 36. Zwarez lib. 2. de legibus c. 14. Corn. à Lapide ad Levit. 27. 30. & Numer. 18. 12. 21.* Et ex ipſis Canoniſtis *Covarruviam* doctè diſputantem, Et *Petrum Monetam in tract. Beneficial., de Decimis cap. 1. Thomas* cum ſuis *22. quæſt. 87. artic. 1.* quaſi diſtinguit, quod decimæ in N. T. debeantur partim jure divino ac naturali, partim humano eccleſiaſtico, quod ad determinationem certæ portionis. Hanc conciliationem in tantum ſufficere perſuaſum velit Molanus in Oratione Quodlib. de Decimis cap. 7. ut: concludat, *parum ſibi probari quod nonnulli authores tam facile & audenter ſcribant repugnantiam eſſe inter Juriſconſultos & Theologos, in eo quod illi jure divino,*

divino, *hi vero jure ecclesiastico decimas deberi asserant*, *cum utraque sententia vera sit*, &c. Porro negantem sententiam hoc modo probamus. I. *Quia*, decimam partem determinatè ministris perpetuo competere potius, quam aliam partem, nullo modo ex principiis naturę colligitur. II. *Quia*, nulla est lex positiva, quæ illam partem ita determinet. Nam quod ex forensibus & ceremonialibus præceptis adfertur, illud non magis pertinet ad populum N. T., quam leges de primitiis, deque civitatibus sacerdotum & agris suburbicariis, de siclis sanctuarii, &c. Ad objectiones sic respondetur.

Ad I. *Object.* Quia decimæ fuerunt ante legem Mosis *Genes.* 28. & 14. coll. cum *Heb.* 7. ergo pertinent ad jus naturæ. Sic *Zepperus & Andrewes*. *Resp.* Fallit consequentia. Fuit enim tunc lex ceremonialis, quod ad principalia sua, uti patet ex *Genes.* 4. & 9. &c. Fuerunt etiam leges & consuetudines forenses seu politicæ in familiis patriarcharum, quæ non erant juris naturæ, aut generales & immutabiles. Unicum indico, de viduâ fratris primogeniti à fratre ducendâ *Genes.* 38. Non est ergo simpliciter dicendum, sed solidè probandum, pertinuisse hoc ad legem naturæ. *Deinde* excipi potest Abrahamum solvisse decimas non bonorum suorum, sed tantum prædæ: & dato solvisse decimas omnium bonorum, dici potest, illud non fecisse ex lege, sed ex voto, motu, arbitrio particulari. Sed instat *Lancel. Andrewes*: debuisse & solvisse Abrahamum sacerdoti decimas non ex jure sacrificii (quod nullum istic erat) sed ex jure benedictionis sacerdotalis *Genes.* 14. Sicut ergo illi Melchizedeko tanquam sacerdoti benedicenti debuit Abraham, sic nos in N.T. debemus Christo sacerdoti à quo & per quem omnis benedictio. Translato enim sacerdotio transfertur lex *Hebr.* 7. *v.* 12. pariter jus decimarum cum sacerdotio à Melchizedeko in Christum. Jam vero æquum ut illi nomine Christi decimas Christo debitas accipiant, qui Christi nomine nobis benedicunt. *Resp.* mirabilis consequentiarum concatenatio. Quas omnes dissolvimus negatis falsis hypothesibus. 1. Christo quà sacerdoti in N. T. deberi determinatè decimas. 2. In eo Christum esse successorem Melchizedeki, non jure sacrificii, sed benedictionis. 3. In N.T. esse sacerdotes vicarios Christi, qui in specie & formâ jus habent & mandatum benedicendi, itidem ut Melchizedek, & Levitici sacerdotes in V.T. 4. Esse sacerdotes, vicarios Christi in jure decimarum.

II. *Object.* Pharisæi solvebant decimas *Math.* 23. & *Luc.* 18. ex præscripto scil. legis *Exod.* 12. *Levitic.* 27. *Numer.* 18. *v.* 31. *Deuter.* 14.: atqui justitia nostra debet abundare plus quam Pharisæorum *Math.* 5. *Resp.* Negamus in abundantiâ observationum ceremonialium & forensium Mosis justitiam moralem, & consequenter nostram in N.T. consistere: immo ne quidem in actibus moralibus externis, abundantia illa quærenda est, sed in animo.

Quia tota justitia Pharisaica erat hypocritica. Urget Andrewes loca V.T. *Num.*18. & *Malach.*3. per se posita. *Resp.* sed potuisset eâdem consequentiâ ex *Malach.*1. addidisse de sacrificiis.

III. *Object.* Christus de decimis loquens *Math.*23. ait, hæc non omittenda esse. Sic Andrews. *Resp.* Approbat Christus solutionem decimarum tum, cum nondum abolita esset observatio legis Mosaicæ.

IV. *Object. Math.*22. *Date Deo, quæ Dei. Resp.* nihil determinatè dicitur de decimis. Deinde vigebat tunc lex Mosaica: quæ nunc non viget.

V. *Object. Baronius ad ann.* 57.exemplo Melchizedeki, quod urget, addit exemplum Gentilium (quæ ibi vide) inde exsculpit legem naturæ. *Resp.* κακοζηλία & superstitio Gentilium, quam diabolus Dei simia eos docuit in sacrificiis sacerdotiis, lustrationibus totoque sacrorum choragio non probat legem naturæ.

VI. *Object.* Ex *Galat.* 6. *v.*6. *Resp.* Sed nihil ibi in specie de decimis. Et applicationem suam per rhetoricas consequentias ipse Lancelotus, conjecturam vocat.

VII. *Object.* Et patribus. Inter alios citat *Lancelotus Chrysostom. homil.* 73. in *Matheum*, & *Augustini Enchiridion cap.*76. *Resp.*1. θεολογούμενα patrum non semper æque solida. 2. Uterque decimas facit eleëmosynas; quas tamen malit *Lancelotus* sacrum vectigal appellare. Si itaque contra suam sententiam non recipit horum patrum testimonia; quo jure aliis ipsorum sententiam contra ea obtrudit. Alios patres Cyprianum, Origenem, Ambrosium, Hieronymum, mediæ ætatis Concilia ab eodem producta omitto. Tantundem enim faciunt cum reliquis.

VIII. *Object.* Lanceloti contra responsiones, quod jus decimarum pertinuerit ad legem antiquatam, ceremonialem scil. *Lex*, inquit, *vetus nulla antiquanda est, nisi imbecillis sit, & inutilis.* Heb. 7. *Resp.* Quid si de legibus redemtionis primogenitorum, & census dimidii sicli, aliisque *Levit.* 27. pariter quis dicat cum Lanceloto: *Ostendat mihi quisquam in eâ sive* ἀσθενὲς *sive* ἀνωφελὲς, *manus dabo*, &c.

II. *Probl. An decimæ, ubi nunc sæculis aliquot tributæ fuerunt ad stipendia exsolvenda, aliosque usus ecclesiasticos, sint abrogandæ; iisque spontaneæ oblationes fidelium substituendæ? Resp.* Affirmant dicti Brouwnistæ, loco supra cit. Sed nos rationem nullam videmus. Cur enim liberes agros aliasque possessiones ab oneribus, quæ debentur ex jure; ut à gratuitâ liberalitate incertam eleëmosynam exspectes. Cur propriis bonis renunties, ut cum monachis mendicantibus quasi ostiatim stipem petas? Et hactenus facimus cum *Lanceloto Andrewes*, immo & cum theologis ac Canonistis in Papatu: qui communiter statuunt decimas jure esse solvendas, quamvis dissentiant circa

circa fundamentum hujus juris; quod alii quærunt partim in jure naturæ, partim in positivo Dei; alii vero in jure & præcepto ecclesiæ. Rationes utriusque partis vide, apud autores supra cit. & *Azorium tom. 2. lib. 7. c. 36.* præsertim & *Petrum Monetam, de decimis cap. 1.* & *Nicolaum le Maistre de bonis & possessionibus Ecclesiarum part. 2. lib. 1. c.* 3. & 4. quorum iste priorem, ille posteriorem sententiam strenuè tuetur. Nos autem recurrimus ad donationem eorum, ad quos dominium utile seu proprietatis agrorum & bonorum istorum olim pertinebat, aut ad quos quocunque alio jure, proprietas devoluta erat: sive illi Reges, Principes, proceres fuerint, sive privati cives. Ex hoc fundamento defendimus exactionem decimarum, ubi obtinent, convenire juri & ęquitati. Haut aliter ac exactionem annuorum censuum ex agris, aut domibus. Quod si alicubi usurpatâ potestate ecclesię, & prætenso jure sacro homines ad onera illa agris, jumentis, pecudibus, captis feris & piscibus imposita, olim compulsi essent: non tamen ideo privati ab onere decimarum se liberare possint, ne quidem in foro conscientię. Origo rei sæpe illegitima est, quæ tamen cum tempore, accedente consensu & approbatione eorum, quorum interest, exsolventium scil. decimas, aut Magistratuum, aut utrorumque, legitimatur. Æquitatem solutionis decimarum, ex fundamento potestatis ecclesiasticæ defendit *Azorius part. 2. lib. 7. cap.* 36. contra *Cajetanum 22. qu. 147. art. 1.* & *Soto de Justitia & jure qu. 4. art. 1.* Sunt & aliæ quęstiones de decimis, sed ad institutum nostrum non ita pertinentes. Interim, qui copiam istarum desiderat, is pręter autores jam citatos adeat Scholasticos ad *2. 2. qu.* 147. Casuistas, in voce *Decimæ*; *Tholosanum*, *Lancelotum*, *Canisium* aliosque in systematis Juris canonici; imprimis recentiores, qui novum jus canonicum compilarunt, quales *Honorius ab Axel*, & *Fr. Zypæus*; ubi antiquos & recentiores Canonistas citatos invenies. Denique inter eos qui peculiaribus tractatibus hanc materiam illustrant, *Nicol. le Maistre de bonis & possess. eccles. part. 1. lib. 1. cap.* 8. & *part. 2. lib. 1.* fere per totum; & *Petrum Monetam in tribus tract. beneficialibus de decimis,* de optione canonicâ, de distributionibus quotidianis; qui unus instar omnium erit, ubi & alii complures citantur. De decimis sub veteri testamento, *Zepperus loc. cit.*, aliique scriptores de politiâ Mosaicâ, & antiquitatibus Judaicis alibi indicati, denique *Jos. Scaliger*, & *Sixtinus Amama* in opusculis de decimis. Post omnes illos Jesuita *Menochius lib. 2. de republ. Hebræorum cap. 4.*

III. *Probl. An ex primitiis stipendia quærenda, & quo iure? Resp.* Idem hic respondendum quod de decimis. Apud Canonistas complures non tantum jure divino aut naturali deberi putantur; sed & olim in ecclesiis Gręcorum hęc opinio obtinuisse videtur: uti constat ex *Antiochi homiliâ* περὶ ἀπαρχῶν §. 2.

Mmmmm 2 tom.

tom.1. biblioth. patrum. Tholosanus lib. 1. *partit. tit.* 24. *cap.* 3. dicit Canonistas illos, qui jure divino deberi affirmant, à communi opinione nunc deseri; & hoc sibi magis placere. *A Lapide in Numer.* 18. *v.* 12. 21. & Theologi Pontificii communiter negant jure divino deberi. Vide ex nostris *Rivetum in comment. ad Exod.* 23. De Judæorum primitiis, & decimis earumque distinctione *Menochium lib.* 2. *de Republ. Hebr. cap.* 16.

IV. *Probl. An conveniat stata & recurrentia stipendia cogi, & promiscuè populo volenti, nolenti imperari? Resp.* Canonistæ & Theologi illi, qui decimarum exactionem defendunt, affirmare coguntur. Antiquitus in Græciâ erat καπνικὸν quod ex fumariis domatim pendebant; quodque sanctione sua reduxit *Immanuel Comnenus*, qui floruit anno 1057. Eruditiss. autor *altaris Damasceni p.*450. negat. Nos neminem absolutè cogendum putamus ad communionem fidei & ecclesiæ: sed cum quis per spontaneam confœderationem sive formalem sive virtualem ecclesiasticę communioni se inseruit, non est abjudicanda omnis coactio: hac tamen cum distinctione: Omnia stipendia immediatè & absolutè coacta ab ecclesia, seu potestate ecclesiastica sunt illicita, tum quod ad impositionem, tum quod ad exactionem: Caret enim ecclesia Imperio & potestate coactiva. Secus judicandum de stipendiis mediatè coactis ab ecclesia: cum ex vi conventionis & confœderationis ecclesiasticę à toto corpore seu collegio suscipiuntur & singulis contributiones imponuntur & exiguntur, intercedentę potestate Magistratus circa refractarios; siquidem necessitas requirat. Hoc enim non magis est illicitum, quam cum collegia quælibet immo & privati homines, per Magistratum debitores suos cogunt ad solutionem.

V. *Probl. An stipendia supplenda ex curâ funerum, puerperarum, nuptiarum,* &c. *Resp. Nicol. le Maistre lib.* 2. *cap.* 6. de funeribus affirmat. Et sic obtinet in communi praxi Papatus. Nos negamus hæc esse negotia seu agenda ecclesiastica (vide supra *lib.* 3.) & consequenter hinc colligendum peculium sacrum.

VI. *Probl. An ex administratione sacramentorum? Resp.* Olim quidem liberalitas fidelium, & gratuita oblatio consuetudinem & quasi legem introduxerat. Sed contraivit huic mori *Concil. Braccarense* 2. *can.* 7. & magis ac melius Concil. Eliberitanum can. 48. *Emendari placuit, ut hi qui baptizantur (ut fieri solebat) nummos in concham non mittant, ne sacerdos, quòd gratìs accepit, pretio distrahere videatur.* Nos putamus magis decorum & conveniens esse, ne fiat & sic tutius omnem speciem & occasionem mali averti. Præstat enim aliunde & alia ratione stipendia colligi. *Nicol. le Maistre* videtur dissentire *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5.

VII. *Probl. An conveniat ut ex sportulis, uti olim vocabant, victitent ministri; potius,*

potius, quam ex annuo proventu agrorum; an vero ex certâ stipe annuâ. Resp. Nos tertium & secundum modum primo præferendum jam supra diximus ad punctum secundum, ex *Martyre.* De collectis videatur *Aretius part. 1. Problem. tit. de collectis*, & de *sportulis p. 155. Lancel. Andrewes p. 155.* stipi annuæ (uti vocat) hoc est, certo stipendio, quod numerata pecuniâ penditur, longè prefert annuos agrorum proventus. Sed rationes ejus non sunt adamantinæ. *Postellus lib. 3. cap. 10. de orbis concordiâ* censet esse hanc φυζικὴν ἔννοιαν, 1. notionem à naturâ insitam. Et æquum est ut sit sacrum vectigal quotannis, quo Deo litemus ob incrementa rei familiaris, &c. Ex inscriptione vectigal distinguitur; jam vero in rebus creatis est imago atque (ita loquar) superscriptio Dei, ut in numismate Principis. Et inde merces ministro accipienda, unde συντυχία, id est, communio copię & inopiæ, συμπάθεια, communio gaudii atque mœstitiæ popularis, &c. Quę dilutę speculationes responsum non merentur.

VIII. *Probl. An & quæ stipendia in se & per se sint illicita? Resp. 1. ex subjecto recipiente*; qualia ex. gr. Papalia, Cardinalitia, episcopalia, & si quę similibus creaturis humanis & pseudo-sacris vocationibus tribuuntur. Huc refer stipendia intrusorum, ignavorum & mutorum concionatorum, non residentium, cœcorum speculatorum, &c. 2. *Ex causâ procatactica*; pro missis, scil. pro horis canonicis, pro benedictionibus sacerdotalibus, & consecrationibus episcopalibus, pro palliis archiepiscoporum, &c. Huc refer annatas seu thronistica, nec non cathedratica, de quibus *Nic. le Maistre part. 2. lib. 2.* Et procurationes pro visitatione Metropolitarum, Legatorum Apostolicorum. Ibid. Videatur & *Tholosanus ad cap. Conferentes* cap. 15. & 17. De stipendiis Missaticis *Paulus Fraxinellus in tract. de Obligationibus sacerdotum à quæst. 59.* usque 86. 3. *Ex principiis ac causis* procurantibus, quę scil. à pretensâ potestate ecclesiasticâ coguntur. 4. *Ex materiâ*; cum scil. ex injustis spoliis, aut ex rapto colliguntur.

IX. *Probl. An ergo licita sint ministrorum stipendia, ex reditibus & stipendiis, quæ olim uno aliquo ex prædictis modis illicitè quæsita, parta, & constituta sunt, in tenebris Papatus; & quibus antehac gaudebant parochi, sacerdotes, canonici, vicarii, aliique clerici Papales? Resp.* Negant, & nostris ecclesiis tanquam absurdum hoc objiciunt Anabaptistæ apud *Bullingerum lib. 3. contra Anabapt. cap. 9. fol. 102.* &c. *Mennonem Simonis* in Fundamento cap. de missione concionatorum, p. 58. Cum illis videntur convenire hâc in parte dicti Brouwnistæ, in confessione supra cit. p. 102. editionis Belgicæ. Nos cum Bullingero ibid. p. 104. & 105. aff. allato exemplo auri Midianitici Num. 32. & coronæ regis Ammonitarum 2 Samuel. 12. *Hæc scribimus*, inquit, *de illis opibus, quæ initio abusus gratiâ quæsitæ sunt, nunc non amplius*

in abusum conferuntur. Et paulo post: *Etsi temporis progressu propter publicum errorem ad abusum conversæ sint, nunc tamen reformatæ, hoc est, antiquo usui restitutæ sunt. Rectè Augustin. ait ad Public. epist. 153. opibus cum à Gentili idololatriâ ad Dei cultum transferuntur; idem quod hominibus accidere. Illi enim qui antea in infidelitate immundi erant, nunc in fide stantes immaculati, & puri sunt,* &c. *Primum* enim donatio, est legitimus modus acquirendi & alienandi, seu dominium transferendi. Hoc jus nulli privati homines rescindere possunt. Quisque enim est Dominus bonorum suorum. Querela inofficiosi testamenti non videtur hic locum habere; neque enim arbitror superesse in rerum natura, qui aliquo colore hic agere possint. *Deinde*, quamvis per communem errorem sui sæculi in genere, aut per dolosam circumventionem in specie inducti sint donatores aliqui: tamen de omnibus hoc probari nequit. *Adhæc* quidquid in prima origine vitii intercesserit, non tamen inde in totum, ipsa res dicenda est vitiosa aut nulla. Ἀτάκτως enim multa primum fiunt, quæ facta tenent, aut postea per subsequentem consensum & approbationem legitimantur. Est autem hic consensus communitatis tam politicæ quam ecclesiasticæ. *Denique* diuturna præscriptio hic præjudicat hæredibus, si qui superessent; imprimis consensus prædecessorum. Confer supra *tract. præced. cap.* 2. & 6.

X. *Probl. Ex quotâ portione redituum sacrorum solvenda sint. Resp.* Olim quarta pars cedebat ministro, seu episcopo. Nihil videtur definiendum; sed pro necessitate ministri, & quantitate redituum, aliisque circumstantiis ex æquo & bono hic statuendum.

XI. *Probl. An ex ærario diaconorum, aut portione redituum sacrorum in usus pauperum deputata? Resp.* Siquidem à donatoribus in specie usibus pauperum consecrati sint, Neg. Sin vero in genere ad usus quoslibet ecclesiasticos, aut in specie oblationes quædam ad subsidia ministrorum olim factæ, & diaconis commissę, aut quâcunque alia occasione in ærarium ipsorum illatę sint; Aff.

XII. *Probl. Sed quid si ecclesia non sit solvendis stipendiis, & ærarium diaconorum plus satis habeat, unde pauperes sustentet. Resp.* Videtur concedendum; siquidem minister non possit ἀδάπανον pręstare Euangelium. Nam intentioni donatorum satisfit non minus si communitati ecclesiæ illius depauperatæ ex donatis succurratur, quam si singulis membris ecclesię. Quinimmo communitati seu multitudini magis donatum intelligitur, quam paucis aliquot in illâ communitate. Et tunc Ecclesia fruitur bonis pauperum seu eleemosynâ; minister vero justo stipendio? Quod si speret ecclesia se emersuram aliquando ex paupertate, in quam casu quodam incidit, poterit ex ærario pauperum solummodo mutuo sumere quantum sufficit; & si Deus velit, aliquando restituere.

XIII.

XIII. *Probl. Siquidem canonia aut præbenda theologicalis (uti vocant) ex & à capitulo Papiſtico, aſſignetur concionatori aut Profeſſori Theologo; an licitè eâ frui poſſit? Reſp. Aff.* Siquidem abſolutè eam habeat tanquam ſtipendium aut honorarium pro labore ſuo; nec ad aliquid obſtringatur, quod repugnet conſcientiæ, nec præbeat ſcandalum; nec teneatur partem facere iſtius capituli, & ſua adſcriptione in illud, pſeudo-eccleſiaſticum collegium & Papalem ordinem approbare, ubi talia collegia & tales ordines clericorum, & quod ad rem & quod ad nomen, & quod ad cœnobium ſeu clauſtrales habitationes ſublati ſunt: juxta conſilium, quod Ziskæ ab aliquibus tributum memini: Auferendos eſſe nidos ciconiarum, ſi à rediturarum alioqui ciconiarum nidulatione quis liberari velit. Secus ſi ſit, eo in caſu imitandum eſſet potius exemplum Pauli 1 *Cor.9. v.15. coll.* cum 2 *Cor.11.v.9.10.* & 12. *v.16.17.* Ratio autem hujus determinationis eſt: quod, quamvis omnes illi Papales ſacerdotes & canonici totâ vocatione & functione ſuâ idololatricâ atque Antichriſtianâ ſint illegitimi, & conſequenter illegitima eorum ſtipendia, ita ut pro miniſterio idololatrico ac ſuperſtitioſo (miſſis ſcil. horis canonicis, confeſſionibus, regimine hierarchico) malè fruantur præbendis; hic tamen legitimè ſuâ fruantur, pro legitimâ functione. In hoc enim verus finis & rectus uſus iſtorum ſtipendiorum obtinetur, ſecundum primigeniam inſtitutionem. Fuerunt enim primum collegia Theologorum & miniſtrorum inſtituta ad fidei Chriſtianę in illâ eccleſiâ promotionem, & extra illam propagationem. Ut ipſi Pontificii *Molanus*, *Barboſa* aliique qui de Canonicis ſcribunt, fateri coguntur. Ne quid dicam, de noſtris, *Bulling. libr. & cap. cit. p.105. Hoſpiniano in tract. de Monachis*, *Melanthone*, *Bucero*, *Cythræo*, *Bindero*, *Himmelio*, ſupra *tract. præced. citatis.* Quod ſi autem contingat, reditus alicujus capituli aut omnes aut pleroſque, aut ſaltem ſpecialiter iſtam prębendam in tenebris Papatus fundatam fuiſſe ad miſſas, aliaſque ſuperſtitiones peragendas: nihilominus dicimus poſſe quem bonâ conſcientiâ inde ſtipendium accipere. Quia uſus redituum manet, ſi non in ſpecie à donationibus intentâ aut exſertè deſignatâ, ſaltem in eodem genere, ſeu intra terminos analogicos: quod ſufficit; ut alibi (*infra part.2. lib.4. tit. de monachis*) ex perpetuâ communique doctrinâ & praxi Pontificiorum oſtendimus.

XIV. *Probl. Quid ergo de præbendâ Calvini, quâ Argentorati loco ſtipendii pro profeſſione Theologicâ fruebatur, judicandum ſit? Reſp.* Quin legitimè fructus ejus acceperit, nemo dubitat: imprimis cum iſtic nullum daretur ſcandalum. Sed forte Genevæ eam non admiſiſſet; ubi prudenter, pro ratione circumſtantiarum reformationis, planè abſtinuerat ab omnibus reditibus & beneficiis eccleſiaſticis, eoſque à Magiſtratu in poteſtatem

teſtatem

testatem redigi & transformari malebat : uti constat ex epistolâ ejus ad Sadoletum, aliisque epistolis.

XV. *Probl. An ministris aliunde quam ex ecclesiâ, scilicet ex secularibus negotiis, peculium liceat acquirere. Resp. Tholosanus lib. 1. partit. Juris canonici tit. 26. cap. 3.* concedit clericis paupertatem non professis, si modo ex honesto & licito negotio lucrum procedat. A quibus varia excipit secundum antiquos canones & jus Pontificum. Quæ ibi videnda. Nos negamus, nisi in casu necessitatis, cum aut nullum, aut nimis tenue stipendium exsolvitur. Sed de occupationibus secularibus ministrorum infra *part. 2. lib. 2.* quærendum.

§. 3. Hactenus problematis anno 1643. disputationibus publicè propositis sententiam nostram de stipendiis ministrorum explicueram. Nunc (anno 1665.) occasione à novis adversariis, & scriptis novè editis datâ, aliqua addenda duximus.

Emerserunt ab aliquot annis novæ contentiones contra stipendia ministrorum ex decimis ecclesiasticis (quas scil. ecclesiæ tot seculis possederunt), aliisque bonis ecclesiasticis, censibus, agris, domibus, &c. exsolvenda. Autores earum sunt fanaticus Enthusiasta *Weigelius*, Neo-Anabaptistę, Æquatores seu Parilistæ (Angl. *Levellers*), Tremuli, Quæsitores, &c. in Angliâ. Cum quibus jungendi hæretici in praxi, qui vivunt contra fidem, & sacrilege decimas, aliaque bona ecclesiastica in privatos suos usus convertunt. Quorum causidici, prece, aut precio, aut spe gratiæ, favoris, laudis huc tracti; Achille suo de pseudo-ecclesiastico, idololatrico, diabolico, omnes reformatos, pręcipue verbi ministros, ab omnium bonorum ecclesiasticorum ante nostra tempora donatorum contrectatione & usu absterrere conati sunt. Weigelium refutavit *Johannes Crocius*; Anabaptistas, & Parilistas, Quæsitores, &c. Anglicanos, Thomas Hallus in tract. 1658. edito, hoc tit. *Apologia pro ministerio Euangelico*, &c. *contra Socinianos, Arminianos, Swenckfeldianos, Erastianos, Anarchas, Familistas, Quæristas, Anabaptistas, Antinomistas, Parilistas*, &c. *nec non quamplurimos alios ejusdem maniæ.* Qui cap. 8. & 9. specialiter decimarum causam agit tum contra Anabaptistas aliosque fanaticos, tum contra profanos decimarum harpages, qui tamen ob religionis reformatę professionem Anabaptistis, Libertinis, Enthusiastis, similibusve hęreticis non accensentur. Quod ad Weigelium, ille omne ministerium, omnemque vocationem rejicit; & negat res divinas & Christum crucifixum prædicari posse ab illis, qui per homines eliguntur & ordinantur. De quo nobis *part. 2. lib. 2.* & 3. agendum. Rationes contra stipendia, ante ab Anabaptistas allatas, & supra à nobis refutatas, non est quod denuo hic examinem. Interim videri poterit *Crocius in Anti-Weigelio part. 2. cap. 3.*

cap.3. qu.2. Neo-Anabaptiſtas, alioſque ſectarios Anglicanos refutat *Thomas Hallus*; qui ibidem tangit ſacrilegos decimarum (quæ hactenus in Angliâ peculium miniſtrorum fuerunt) raptores. Quos ante illum, *Georgius Carletonus*, poſtea factus epiſcopus Landafenſis, ad celebrem *Synodum Dordracenam* anno 1618. miſſus, libello peculiari, & *Wilhelmus Sclatter* peculiari tractatu linguâ vernacula anno 1623. edito validè convicerant, tit. *Quæſtio de decimis reviſa.* Eandem quæſtionem eâdem linguâ non ita diu ante Sclatterum tractaverat celebris *Gulielmus Prynne J. C.* Quibus ego aſſentior, quouſque pro decimis tanquam peculio ſeu portione miniſtrorum in Angliâ, à nemine in proprios aut alienos uſus ſine ſacrilegio convertendâ contendunt. De origine decimarum alia eſt quęſtio, de quâ ſupra mentem meam aperui. Si quis privatus aut emtione, aut permutatione, aut hęreditaria ſucceſſione, aut donatione aliquas decimas poſſideret, non magis ipſi eripi poſſent, quam quævis alia bona mobilia aut immobilia. Et quo jure ſolis eccleſiis & miniſtris decimæ, agri, cenſus eriperentur? In eandem ſententiam ſic *Lavaterus homil.47. in Nehemiam*, ubi cum pag.85. dixiſſet decimas, aliaque bona eccleſiis donata fuiſſe, nominatim à Conſtantino & Carolo Magno, ſubdit:

„ Sunt autem multi & magni abuſus circa decimas. Nam cum principio „ ſingulis ferè eccleſiis ab Imperatoribus & Principibus decimæ aſſignatæ „ eſſent, poſtea collapſa paulatim vera doctrina, monachi qui ſua merita ja-„ ctare inceperant, eas ſub titulo, ut barbarè vocant, incorporationis, ad ſe „ rapuerunt. Promiſerunt parrochianis quod miniſtrum verbi vellent alere: „ & ſi qui inter ipſos laborem exercere amplius non valerent, eos in ſua mo-„ naſteria recipere, & ad obitum uſque ſuſtentare. Et ſic paulatim multæ „ parochiæ decimis ſuis ſpoliatæ ſunt. Vendiderunt etiam parochiæ deci-„ mas ſuas Laicis, ut vocant, permittentibus Epiſcopis: Idem etiam fece-„ runt monachi. Quanquam quędam decimæ fuerunt, qua laici ſemper „ habuerunt. Quidam nobiles eccleſiis ſua bona eripuerunt, vel ad alios „ uſus tranſtulerunt. Parochiæ vero decimas non vendere, ſed retinere de-„ buerunt. Hodie monachi multi & potentes, illis opibus ſacris ad everſio-„ nem & oppreſſionem eccleſiarum abutuntur & ad alendam ſuam luxu-„ riam. Et quanquam utile eſſet, decimas ad verum & priſtinum uſum re-„ novari: tamen hoc in illa hominum corruptione ne ſperari quidem „ poteſt.

Hoc quod de monachis & regularibus dicit, applica ad canonicos irregulares, eorumque capitula. *Ibidem* indicat plura de decimis haberi *lib. 1. epiſt. Zwinglii & Oecolampadii fol. 21.* & aupd *Stuckium lib. 1. de conviviis cap.19.*

Objectiones Neo-Anabaptiſtarum, & fanaticarum ſectarum, contra ſtipendia ex dicimis, aliiſque bonis eccleſiaſticis hic non exhibebo; nec effugia αὐθηγατακρίτων raptorum: ſunt enim quod ad rem ipſam, mera crambe recocta. Obſervo ſolummodo, omnes illos cum aliis bonorum iſtorum uſurpatoribus, eorumque ſive voluntariis ſive conductitiis patronis, ad unum ex tribus ſcopulis in conſcientiæ naufragio adnatare & adhærere velle.

Primus ſcopulus eſt, Decimas earumque donationes ut & aliorum bonorum eccleſiis factas eſſe *Antichriſtianas.* Th. Hallus, p. 132. refert, *ſic blaterare* (in Angliâ) *nonnullos Antichriſtos.* Quos hic autor vocat *Antichriſtos*, alius theologus Anglus, *Kelletus in miſcellaneis theologicis* vocat atheos gluttones, ſeu helluones (Anglicè *atheiſtical cormorants.*) In eo ergo convenit bonorum eccleſiaſticorum inſeſſoribus & uſurpatoribus, eorumque patronis; cum fanaticis Libertinis, Enthuſiaſtis, Æquatoribus, antinomis, quæſitoribus, Eraſtianis, Neo-Anabaptiſtis, raptoribus decimarum in Angliâ: qui huc uſque rem perduxerant, ut in conventu Parlamentario potioribus ſuffragiis omnes decimas eccleſiaſticas aut paſtorales abrogârent; & ut vara urbiam ſequitur, ſequenti die omne miniſterium eccleſiaſticum publico decreto Parlamentario abrogaturi fuiſſent: ſi Capys, & quorum melior (hâc in parte) ſententia menti, peculiari aſtu per diſſolutionem Parlamenti, eos non præveniſſent. Hunc autem ſcopulum autores illi, aliique in fine *præced. tract.* magno numero indicati, per fidem meliorem loco moverunt: & nos ſupra *tract. præced. cap. penult.*

Secundus ſcopulus eſt, leges, conſilia, dicta, facta, ex exempla in libris V. T. propoſita ad uſus aut abuſus bonorum eccleſiaſti corum ſub N. T. applicanda non eſſe. Hæc enim erant in illo tempore: nos in N. T. libertate gaudemus. Tunc erat ſacrilegium decimas ſubducere aut eripere eccleſiis earumque miniſtris. *Malach.* 3. Nunc non eſt. In quo pejores mihi videntur Socinianis, qui quamvis autoritatem librorum V. T. haut parum elevent: nunquam tamen dixerunt, ſtrictiorem morum obſervantiam & diſciplinam fuiſſe in V. T. ac in N. T. Sed contrarium. Qui error eorum, quamvis gravis, non tamen tam gravis nec pietati Chriſtianorum tam noxius; ac eorum, qui ſtatuunt moralia aliqua in N. T. eſſe licita, quæ in V. T. non erant.

Sed excipient, ſpecialia quædam lege ceremoniali aut forenſi præſcribi aut prohiberi, quibus ſub N. T. non obligamur. *Reſp.* Nos loquimur de moralibus, eorumque ſubſtantialibus, non circumſtantialibus: uti *Sclatterus* rectè diſtinguit. Deinde dato aliquas ſpeciales legis ceremonialis aut forenſis determinationes, ſubinde à nonnullis allegatas fuiſſe: illæ tamen nobis præcipiunt aut prohibent quod ad genus ſeu generale inde extractum,

relicto

elicto Judæis τῷ speciali. Sic rectè theologi ex Achanis exemplo sacrilegos bonorum sacrorum usurpatores & voragines arguerunt. Idque præeunte Apostolo qui 1 Cor.9.v.8. 9. ex lege forensi Deuter. 23. v.4. argumentatur, *Bovi trituranti os non obligabis.* Et Ibid. v.13. ex eâdem lege aut ex lege ceremoniali Deuter.18. v.8. *An nescitis eos, qui sacris operantur, ea quæ ex sacrario sunt, edere? & qui altari assident, cum altari participare? Ita etiam Dominus constituit,* &c. Sed exceptionem hanc contra argumenta ex libris & doctrinâ V.T. deducta supra *tract. praced. cap. penult.* refutavimus.

Tertius scopulus est, A nobilibus, proceribus, Magistratibus decimas aliaque bona ecclesiastica posse auferri, atque in proprios usus converti; aut saltem ab iisdem posse permitti, ac concedi, ut alii homines ea sibi vendicent, & in proprios usus convertant. Sed hunc scopulum scriptores de decimis modo adducti aliisque supra *tract. praced. cap. ult.* indicati, forti fide removent; & ad Magistratus ac contra illos rationes & dehortationes suas intruunt: quin & peccantes hâc in parte, sacrilegii accusant. Jure divino, naturali, civili, suum cuique tribuendum, & relinquendum est: hoc ut fiat, Magistratus curare tenetur: in hunc finem à Deo potestatem accepit. Væ illis, si hoc non agant: non minus ac væ ministris, si non euangelizent. Quos quęso causidicos advocabunt, qui in horâ mortis coram Dei tribunali ex peccato quodammodo non-peccatum faciant? quos satellites, quas copias, quibus latrantem conscientiam compescant? quibus horribiles diras & execrationes multis donationibus additas averruncent? Sed metuo, ne frustra me his fatigem, cum auro loquente non polleat quęvis oratio. Non capit hęc magister artis ingenique largitor venter. *Curavimus Babylonem, sed non est sanata*, &c. Jerem.51. v.9. *Mathias Stephanus* juris antecessor Gripswaldensis & Illustriss. Ducis Pomeraniæ Consiliarius jampridem nos monuit in *prælect. ad priores 13. titulos Codicis.* anno 1623. Hoc vel angelum è cœlo euangelizantem non persuasurum *nostris hodiernis laico-clericis*; qui bona ecclesiastica in propriam utilitatem convertunt, &c. qui impendunt in usus sæculares, & non in munera & ministeria ecclesiastica; qui non serviunt altari, sed inutili suo otio.

Subjungo adhuc unum atque alterum problema supra præteritum,

I. *Probl. An ministris ex stipendio suo, aliquid reponere liceret? Resp.* Quidni? Quæstio hęc coincidit, cum duabus aliis: *An proprium possidere possint?* &, *An stipendia lautiora ipsis danda non sint, quam quæ ad frugalem victum quotidianum, & annuam, aut biennalem vestem præcisè sufficiant.* Nos prius affirmamus; posterius negamus. Quod *ad prius*, Ministri ad regulam monachorum, nedum mendicantium Capuchinorum redigendi non sunt. Quorum affectatum non-proprium, expugnârunt Antagonistæ Papatus,

in controversiis de Monachatu. Nec astringendi ad Canonicorum sive regulam sive consuetudinem, qui præcisè necessario victu & amictu contenti, quidquid superest, non sibi reponere, sed in communi relinquere, aut in pauperes erogare tenentur. Sed illud originem traxit ab antiquis canonicis cœnobitis, seu in commune & collegialiter tunc viventibus. Mutatâ autem vitâ communi, quidam ex canonicis jam factis irregularibus, ex conscientiâ status sui (uti putabant), moribus antiquis à proprio & à reponendo in posterum abstinuerunt. Ministris vero, cum in commune non vivant, uti nec parochi aliique sacerdotes sæculares in Papatu, talis abstinentia imponi non debet. Habent illi exemplum servatoris Christi & Apostolorum, qui proprium possederunt, & in futurum reposuerunt: uti hoc ab Antagonistis Papatus demonstratum est. Et pertinet hoc ad quemque patrem-familias, ut damni suæ prospiciat. Ad curam & industriam hanc pertinet reponere in futurum, augere rem familiarem. Quod autem Salvianus lib. 2. contra avaritiam pag. 69. dicit, nolle Deum nostrum ut *viventes in Euangelio clerici mundanis post se hæredibus derelinquant*: id cum cautione legendum; ut & verba proximè sequentia: *Salvator ipse in Euangelio, non, ut cæteris, voluntarium, sed imperativum officium perfectionis indicit.* Et paulo post: *Laico dixit* (Math. 19. v. 21.), *si vis, vende quæ possides: ministro autem* (Math. 10. v. 9. 10.) *nolo possideas.* Nec minus cautè legenda hyperbolica locutio Hieronymi ad Nepotianum: *Qui Dominum possidet, & cum Prophetâ dicit pars mea Dominus: nihil extra Deum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Deum, pars eius non erit Dominus v. g. si aurum, si argentum, si possessionea*, &c. Hæc ille de omnibus piis & fidelibus. Postea de se aliisque clericis: quasi *Levita & sacerdos vivo de decimis, & altari serviens, altaris oblatione sustentor: habens victum & amictum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar.* Scriptura non docet, ut hæc sponte quis affectet & subeat sive laicus (ita loquar) sive clericus absque necessitate, aut peculiari datâ occasione. Cum vero Christi aut justitiæ causâ etiam fames, nuditas, bonorum spoliatio, naufragia, flagellationes, lapidationes, &c. nobis obveniunt, in Domino ferenda sunt, juxta 2 *Corinth.* 11. *v.* 23.-28. *Hebr.* 10. *v.* 33. 34. Hæredibus nihil relinquendum esse, cum dicit *Salvianus*, respicit clericos sui temporis, in commune viventes, aut eos qui cum ingressu clericatus, bona sua ex stipendiis residua, clericis relinquere, non mundanis hæredibus, proposuerant, aut etiam promiserant. Sed illi clerici in communi vitâ, aut saltem in cœlibatu cum viverent, (quâ lege & quo jure, hic non disquiro), nec familiam alerent, hodiernis ministris legem non figunt: qui si mundanis, uti loquitur, hæredibus, hoc est, liberis, uxoribus, proximis agnatis, cognatis sua post se non relinquerent, certè pejores

jores essent illis qui fidem abnegârunt. 1 *Timoth.* 5. *v.* 8. Quod *ad posterius*, non esse præcisè ipsis mensuranda stipendia, ex sequentibus cognosci potest. *Primo*, quia honestè familiam in præsenti alere debent: etiam decorè, in iis, quæ sensibus aliorum exposita sunt. Nôrunt Ethici, quid sit, τὸ πρέπον, id est, *decorum*. *Secundo*, quia in eleemosynis erogandis, ecclesiæ suę præire debent. *Tertio*, quia præ omnibus aliis debent esse, hospitales 1 *Timoth.* 3. *v.* 2. *Quarto*, quia, liberos suos decorè in studiis, aut aliis honestis artibus, & vitę occupationibus educare debent. Quod præsertim in vicis & oppidis ministrantes, sine magnis expensis exequi non possunt. *Quinto*, quia studiis assiduo incumbere debent: ad quæ tractanda, qualia requirantur subsidia, quales impensæ, nôrunt literati; imprimis theologi qui theologicæ eruditionis latifundia perspexerunt. *Sexto*, quia vita sedentaria & studiis intenta, supra alias hominum vocationes, medicorum consiliis & medicamentorum auxiliis non raro indiget. Quod sine expensis fieri nequit. *Septimo*, Quia reponere debent, ut præter honestam & frugalem familiæ sustentationem, liberis suis particularem suam occupationem & vocationem, propriamque œconomiam, adituris, aut conjugium inituris aliquid erogare queant; aut post mortem suam aliquantulum relinquere, quo liberi ipsorum vocationem quique suam & œconomiam capessere, & conjugium inire possint. Neque enim ex jure divino aut naturali constare arbitror, functionem ministerii eximere patrem-familias, ab officio acquirendi sibi, uxori, liberis ea; quæ illis etiam factis viduis, istis factis orphanis necessario essent usui. Jus divinum hoc omnibus imponit 1 Timoth. 5. v. 8. *Si quis propriis, maximè domesticis suis non prospicit, fidem abnegavit, & pejor est infideli.* 2 Corinth. 12. v. 14. *Non enim debent liberi parentibus thesaurizare, sed parentes liberis.* Nec ministri per ministerium suum à jure condendi testamenti exclusi sunt. At quale testamentum conderet, qui nihil omnino post mortem relinqueret. Non-entis enim nulla est affectio. Nota est ex Jureconsultis definitio testamenti. Nulla hic patet exceptio, nisi quis ministros ad statum cœlibatus non tantum, sed & monachatus & quidem mendicantis, astringere velit. Atqui hoc repugnat qualitatibus ministri 1 *Timoth.* 3. *v.* 2. 4. 5. descriptis. Cum in antiquâ ecclesiâ ministrorum cœlibatus communiter obtineret: non tamen jure proprii & rei familiaris atqui alendæ familiæ, consequenter jure condendi testamenti desinebant uti. Exstat exemplum testamenti *Gregor. Nazianzeni*, vitæ ipsius insertum.

II. *Probl. An ubi agri, decimæ, census pastorales aliave bona ecclesiastica adhuc possidentur ab ecclesiis, & in manibus ac sub administratione Pastorum, Doctorum, scholarum, collegiorum, aut æditorum, quæstorum constituta sunt:*

ea tradenda & committenda sint Principibus, Magistratibus, eorumque ministris aut munerariis? Resp. Ut hoc sponte fiat, non videtur consultum; quia nos vestigia terrent: si ab iis, qui potestate coactivâ præditi, hoc imponatur, ferendum est. Rationes sunt: 1. *quia*, quæstores, aliique ministri & munerarii sæculares, sæpe sua hic quærunt; adeo ut miseri ministri opportunè importunè quasi mendicando ægrè ex manibus eorum debita stipendia frustulatim extrudere queant. 2. *Quia* subinde contractus innominatos subire coguntur ministri. *Do ut des.* 3. *Quia*, nullus privatus pater-familias agros suos, sive proprios sive emphyteuticos, aliave bona sua, superioribus tanquam universalibus aut particularibus tutoribus suis offert aut tradit: cum ipse ea sive per se sive per alios à se constitutos administrare possit. Et cur ministri minus bonos in hac parte œconomos se ostenderent alienando agros, aut census, aut decimas pastorales: ut ex aliorum manibus ea recipiant. *Alterius non sit, qui suus esse potest. Nunquam exspectes ab aliis, quod per te facere possis.* Minister ex hæreditate paternâ & uxoris dote admodum dives absque desertione ministerii sua custodit, & administrat. 4. *Quia*, quibus potestas & potentia adest, facile eâ utuntur ad minas de non exsolvendis stipendiis, & ad actualem stipendiorum sive suspensionem sive ablationem: quotiescunque ministri aliqua in usibus paræneticis pro concione dixisse videntur, quæ κνηθομένοις τὴν ἀκοὴν minus placere videntur. Exstat textus Jesa. 29. v. 20. *Peccare facientes hominem in verbo, & increpanti in portâ laqueos tendent, & declinare fecerunt inaniter justum.* Videri poterunt ex nostris de honesto & liberali stipendio ministrorum *Zanchius ad quartum decalogi præceptum*; *Melanthon & Pezelius in 7. part. object. & respons. tit. de stipendiis ministrorum,* imprimis pag. 307. unde paulo anteà me de liberali stipendio dicta confirmantur.

CAP. VI.

De Beneficiis Ecclesiasticis in Papatu.

§. 1.  Farraginem beneficiorum si cui compendiosè perlustrare libeat, is adeat aliquod compendium Juris Canonici, *Tholosani*, scil. & *Honorii ab Axel*; iisque jungat *Tholosani peculiares Institutiones*, quas novas appellat, de Beneficiis, aut ejusdem *syntagma Juris libr.* 17.; nec non ex recentioribus Casuistis, *Azorium* aut *Bonacinam.* Si cui vacat ex professo illa perscrutari, is jungat *Rebuffi praxin beneficiorum*, *Zypæi analyticam explicationem Juris Canonici*, & *Bullarium cum collectaneis Barbosa, ad Concil. Tridentinum*, & alteris ejusdem *collectaneis ad Bullarium*; alios-

aliosque autores, qui peculiares quosdam tractatus de Pensionibus, de Optione canonicâ, de distributionibus quotidianis, &c. scripsere. *Tholos. Instit. de beneficiis* alios quosdam citat & maximè commendat.

Nos breviter gustum aliquem istarum rerum studiosis nostris daturi I. Historicè ex Pontificiis beneficia delineabimus. II. Deinde censurâ ὡς ἐν παρόδῳ indicabimus, quid in iis ab Apostolicâ simplicitate recedat. Quod ad prius 1. definitionem beneficii explicabimus. 2. Causas. 3. partes & species. 4. Affectiones. 5. Opposita. Beneficium, est *distincta & spirituali muneri conjuncta jurium ecclesiasticorum portio, certis ædibus sacris in hoc assignata, ut perpetuò ad clericos per vitam utenda, clerico legitimè assignetur.* Sic *Tholosanus Syntagm. lib. 17. cap. 2.* Et in *Institut. novis rei beneficiariæ cap. 6.* A beneficio dicuntur *beneficiati & intitulati. Definitum* hic est *beneficium ecclesiasticum*, ut distinguatur à sæculari. Est enim aliud spirituale, aliud temporale. Et istud rursum vel purè sæculare, vel mixtum. Prius est, quod à sæcularibus seu laicis personis, de re sæculari, sæcularibus conceditur. Posterius rursum duplex est, vel quando à laicis res prophanæ donantur ecclesiis seu ecclesiasticis in causam piam; vel quando ex rebus & proventibus ecclesiæ quędam donantur personis laicis, ut feuda, & præbendæ seu mercedes laborantium. Spirituale ergo hic intelligitur & purè ecclesiasticum beneficium, quod viris ecclesiasticis, de rebus ecclesiasticis, per ecclesiasticos conceditur. *Definitio* duo habet *temporalia bona*, & *munus spirituale*: ita ut hęc duo conjuncta constituant essentiam beneficii. Temporalia bona intelliguntur quæ viritim sint distincta; tum enim faciunt beneficium, non vero ut communiter percepta, cap. ex *parte*, de *concessione præbend.* Munus spirituale est officium quod & animo & labore impendi debet ecclesiis ab his, qui titulum vel reditus beneficii capiunt. Ita ut tria requisita hinc resultent, quæ beneficio adesse debent. 1. Residentia. 2. titulus beneficii, unde beneficium & beneficiatus appelletur. Neque enim in Clerum olim admittebatur nisi in certâ ecclesiâ adscriptus esset, & dignus declaratus qui stipendiis ecclesiasticis nutriretur. 3. Ut possideatur beneficium ad vitam ab eo, cui confertur. De tribus istis *Tholosanus c. 7. 8. 9.*

Causæ beneficii dupliciter considerantur, ratione erectionis, & ratione §. 2. applicationis ad certam personam. Erectio seu nova creatio beneficii triplex est, per fundationem, restitutionem, transformationem. 1. Fundatio est prima creatio seu nova creatio: in quâ considerandæ sunt. Primo tres species personarum, fundantes scil., approbantes, seu autorantes, consentientes. *Illæ* sunt omnes non prohibitę utriusque sexus dummodo sint Christiani. *Istæ* sunt Episcopi, & superiores Episcopis. *Hæ* sunt quarum interest

non

non creari novum beneficium, ſeu non ædificari novam eccleſiam; qualis eſt Epiſcopus, in cujus territorio novus epiſcopatus, & parochus cum nova parochia erigitur: de quibus *Tholoſ. c.* 12. *Secundo*, Locus fundationis. De cujus qualitate & conditionibus, Idem cap. 14. *Tertio*, dotatio eccleſiæ; quæ fundationem neceſſario ſequitur aut in eâ includitur. Dici enim poteſt fundatio beneficii vel ratione fundi, in quo ædificatur eccleſia; vel ratione fundi, qui pro reditibus colligendis conſtituitur; vel ratione aliorum proventuum aſſignatorum. Porro de dotatione eccleſiæ, & de dote, ac in quo illa conſtitui debeat, Idem *Tholoſ. cap.* 15. *Quarto*, dedicatio ſeu conſecratio eccleſiæ: de qua ibid. cap. 16. & nos eam alibi examinamus. II. Reſtitutio eſt inſtauratio beneficii exſtincti. Præſupponit illa exſtitiſſe aliquando beneficium, quod tempore reſtitutionis non exiſtit. Exſtinguitur autem vel per ſuppreſſionem, vel per unionem, vel per deſtructionem ædium, vel ſublato omnino beneficio. Hinc pro ratione exſtinctionis ſpecialis fit, & in Jure Canonico nominatur reſtitutio, de quo ibid. cap. 18.-23. III. *Transformatio* ſeu *immutatio*, eſt, quę fit mutatione formæ primæ in aliam; ut cum ex abbatiâ fit epiſcopatus, ex parochiâ monaſterium, ex capellâ eccleſia, ex beneficio regulari ſęculare, vel contra. Cauſæ, quę ad collationes beneficii concurrunt ſunt. I. Jus patronatus, & collatio ſeu præſentatio patroni; De quo nos infra *part.* 2. *lib.* 3. II. *Electio*, quæ fit à collegio eccleſiaſtico, per ſcrutinium, aut tacitum conſenſum, aut per ſuffragia: Electionem hanc etiam collationem appellant. Ibid. cap. 39. Quæ autem legitima perſona ad conferendum, & qui modi conferendi, ibid. cap. 38. 39. Et in *partitionib. l.* 1. *tit.* 29. *c.* 5. Huc refer & *poſtulationem*. III. *Confirmatio*, aut *Autorizatio* collationis ſeu electionis, *Tholoſ. c.* 30. Huc pertinent ſignaturę & bullæ ibid. c. 39. IV. *Inthronizatio* & *inveſtitura*, & *conſecratio* ſeu *benedictio*. V. *Reſervatio*, collationis ſeu electionis eccleſiaſtici beneficii, quâ reſervantur collationi ſedis Romanæ, nihil aliud eſt quam beneficii per poteſtatem habentem ab ordinariis ad ſe facta evocatio. Breviter beneficium reſervatum dicitur collationi Pontificis, ubicunque Papa appoſuerit manum; tunc enim beneficium ita affectum dicitur, ut ab alio non poſſit conferri: de quâ ibidem: *Tholoſanus c.*24. & *Jacobus Simoneta* tractatu peculiari *de reſervatione beneficiorum*. VI. *Vacatio*, quę eſt cauſa ſine quâ non. Eſtque ea vel jure, vel facto. Modos & cauſas utriuſque perſequitur. *Ibid. à c.*24. uſque *c.* 34. VII. Huc refer *Renuntiationem*, quæ eſt vacatio ipſo jure & facto. Partiuntur hanc renuntiationem 1. in ſimplicem. 2. conditionalem, ſeu ſub modo reſervationis *penſionis*, ſive realis ſive perſonalis. 3. renuntiationem cum regreſſu, & acceſſu. 4. renuntiationem ex cauſâ permutationis. Porro renuntiatio etiam dicitur

tur *resignatio*, *& cessio*: Vide de hâc agentem *Tholosanum c.* 28. 29. 30. 31. & *tract. peculiarem*. Flaminii Parisii de resignatione beneficiorum. VIII. Inter media & causas acquisitionis seu collationis beneficiorum est *Optio*, seu *optio canonica*, quam definiunt, *jus capitulo seu ecclesiæ alicui collegiatæ ex statuto vel consuetudine competens, ut antiquiores gradatim vacantem præbendam, quæ reservata non sit, propriâ dimissâ intra certum tempus eligere possint.* De hâc prolixum tract. scripsit *Petrus Moneta* Mediolanensis. IX. Denique inter media, aut conditiones acquisitionis & collationis beneficiorum sunt qualitates, quæ requiruntur in persona idoneâ ad beneficium suscipiendum. Sunt autem 1. *Ut* legitimè nati sint. Quæ autem & quot dispensationes hic locum habeant, vide ibid. cap. 36. 2. *Ut* sint clerici, hoc est, personæ quæ inscriptæ sint matriculæ eorum, qui in sortem domini transierunt speciali ordinatione. Et hic probanda est tonsura. *Ibid.* cap. 36. Excipiuntur beneficia quæ debentur mulieribus, monialibus scil.: quibus conferuntur sine clericatu. 3. *Ut* habeant ætatem justam. 4. *Ut* mores integros, & ne sint infames. Qui autem dicantur in Papatu infames, indicatur breviter *ibid.* cap. 37. sed pluribus & ex professo à Casuistis, quando agunt de *Irregularitate*. 4. *Ne sint* excommunicati. 5. *Ut* habeant scientiam. De qualitate & quantitate hujus scientiæ, vide quid ferant nova jura *sess.* 22. *Concil. Trid. cap.* 2. de reformatione, & ibidem *collectanea Augustini Barbosæ*. Atque hæc quidem de acquisitione & collatione, ut & causis beneficiorum in universum. Quæ omnia cum necessariis allegationibus juris canonici breviter complexus est *Tholosanus tract. cit.*; brevissimè autem, & maximè perspicuè ac methodicè delineavit in partitionibus Juris Canonici. Quibus accedat, collatio novorum jurium *Concil. Trident.* & constitut. Papalium, ut & determinationum SS. congr. Cardinalium, apud *Barbosam in collectaneis Bullarii, & Honorium ac Zypeum.*

Subjiciamus nunc divisiones beneficiorum: quas nos melioris doctrinæ §. 3.
causa dispescimus in eas quæ fiunt in partes, & in eas quæ in species. Partes beneficii, quod ad temporalia sunt 1. *Stati reditus* ex agrorum proventu, ex decimis, ex primitiis, ex aliis censibus ac reditibus vel donatis, vel de novo in hunc finem institutis. 2. *Emolumenta ordinaria*, & in certum ordinem recurrentia; inter quę excellunt *distributiones quotidianæ*, quas vocant. De quibus multa Casuistę; & *Molanus*, *Barbosa*, similesque scriptores de Canonicis; imprimis Petrus Moneta peculiari & prolixo tractatu. 3. *Emolumenta incidentalia*, pro missis scil. defunctorum & curatione funerum, pro missis itinerantium, pro sacramentis, pro benedictionibus, aliisque agendis ecclesiasticis; quæ Rituali, Episcopali, Pontificali, Ceremoniali, pręscribuntur. 4. *Emolumenta extraordinaria*. De omnib. illis, videndus

N. le Maistre tract. de peculio sacro, seu bonis & reditibus Ecclesiasticis: & qui peculiaribus tractatibus, praxes, officia, & privilegia Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, parochorum, sacerdotum, omniumque aliorum Clericorum describunt.

Divisiones, quæ fiunt in species, sunt istæ vel beneficiorum propriè, vel impropriè sic dictorum. Beneficia propriè dicta sunt I. Alia majora, alia minora. *Illa* sunt & dicuntur talia vel dignitate, vel quantitate redituum: qualia ecclesiasticorum, quos vocant, gubernantium, & primariorum inter adjuvantes, ut canonicorum cathedralium, comparatè ad alios canonicos. Imprimis hic excellunt *sacerdotia*, quæ vocant, *regalia*. Breviter omnia beneficia distinctionis causâ dicta *pinguia*. II. Alia curata, alia non curata. *Curata* sunt duplicia, *vel* quæ tenentur ad ministerium verbi, sacramentorum, confessionum, &c. *vel*, quæ tenentur ad exercitium jurisdictionis contentiosæ; quales sunt excomnicationes, suspensiones, visitationes, &c. *Priora* subinde *latè* accipiuntur, ut omnia sacerdotia sive regularium sive sæcularium, omnesque clericos complectatur; quibus aliquod regimen, aut ministerium, aut auxilium, circa ecclesiam, & doctrinæ ac sacramentorum dispensationem commissum est. Subinde *strictè*: ut solos ecclesiasticos gubernantes, & rectores ecclesiarum quarumcunque parochialium & collegiatarum complectatur. *Non-curata* dicuntur *simplicia*, quæ nulli curæ animarum obnoxia sunt, sed tantum recitandis horis canonicis. Hanc divisionem pluribus subdividit *Honor. ab Axel in Summâ Decretalium lib.* 3. *tit.* 5. III. Alia regularia, alia sæcularia, alia mixta, quæ *commendæ* dicuntur, seu *commendata;* quæ à Pontifice dantur sęcularibus cum regularia sint, aut cum sæcularia sint dantur regularibus in perpetuum possidenda. IV. Alia villæ muratæ, alia villæ non muratæ. *Illa* requirunt sibi clericos graduatos in aliquo jurium. Hæc distinctio ex vi sanctionis pragmaticæ obtinet in Galliâ. V. Alia collegialia, alia non collegialia. *Illa* sunt in ecclesiâ collegiatâ, eâque vel sæculari, sive capitulo sive cathedrali; vel regulari, conventuali scil., aut cœnobio, aut monasterio. *Illa* sunt in ecclesiâ parochiali, aut capellâ. VI. Alia sunt 1. *dignitates*, ut Abbas, præpositus, decanus, archidiaconus, archipresbyter. 2. Personatus, dignitates scil. minores, quippe honores quidam sine administratione, ut qui habent stallum in choro honorificum præ aliis. 3. *Officia*, ut Sacristæ, thesaurarii, custodis, cellariæ, eleëmosynariæ. 4. *Administrationes*, quæ sunt spiritualium & temporalium, ut prelaturæ, & beneficia curam animarum habentia. VII. Alia innominata, alia nominata. *Illa* sunt præbendæ & canonicatus, quibus *Tholosanus* annumerandum censet monachatum, *part. l.* 1. *tit.* 27. *c.* 4. Præbendæ rursum vel sacerdotales vel non sacerdotales, integræ vel dimidiatę. Canonicatuum subdivisiones alibi

alibi indicandæ. *Ista* ſunt quæ proprio & ſingulari nomine & titulo inſigniuntur, ut Papatus, Cardinalatus, patriarchatus, primarus, archiepiſcopatus, Epiſcopatus, chorepiſcopatus, Abbatia, Prioratus, præpoſitura, archidiaconatus, archipresbyteratus, primiceratus ſeu præcentoriatus, ſuccentoriatus, decanatus, cancellariatus, Theologalis præbenda, rectoria, vicaria perpetua, plebania, majoratus. VIII. Alia (ſæcularia ſcil. beneficia) ſunt libera, alia patrimonialia, alia affecta. De quibus *Honorius lib.* 3. *tit.* 5. §. 52.-57. IX. Alia principalia, alia ſubjecta. Alia Dependentia, alia annexa, alia monocularia. De quibus *ibid.* §. 59. Beneficia impropriè dicta ſunt 1. *Coadjutoria*. 2. Feuda eccleſiaſtica, & *Penſiones*; de quibus prolixum tractatum edidit *Hieronymus Gigas*, ubi quęſt. 1. penſionem definit, *certam portionem ex aliquâ menſâ ſeu beneficio, ex causâ ad tempus, non in perpetuum, ſeparatam.* De iiſdem penſionibus etiam ſcripſit celebris Canoniſta, *Auguſtinus Barboſa*. 3. Xenodochia, leproſariæ, eleëmoſynariæ, operaria: quę non dantur in titulum; ideo non ſunt beneficia propriè dicta. 4. *Præſtimonia*, quæ capellanis adjuncta ſunt. Dicuntur autem præſtimonia ſeu pręſtimoniales portiones, annui proventus ex beneficiorum reditibus detracti, ad ſuſtentandos juvenes, qui literis operam dant. Non fuerunt illa ex primâ inſtitutione & à primâ origine beneficia eccleſiaſtica, ſed poſtea progreſſu temporis in ea tranſierunt. Vide de his *Choquier part.* 2. *de permutationibus beneficiorum cap.* 7. *pag.* 120. 5. *Oratoria, altaria, vicariæ, capellaniæ*: quæ *Honorius lib.* & *tit. cit.* §. 43. probat numeranda inter beneficia eccleſiaſtica, ſiquidem clerico dentur in titulum perpetuum. 6. Beneficia manualia ſeu amovibilia, & non perpetua; quæ de menſâ, aut de pleno jure alteri ſubjecta ſunt. 7. Præceptorię equitum eccleſię, de quibus infra part. 2. lib. 4. 8. Vicariæ temporales. 9. Vicariatus, & officialatus Epiſcopi. 10. Commendæ beneficii vacantis. 11. Annatæ, pallia, cathedratica, viſitatoria, quindennia, quarta epiſcopalis, quarta parochialis, menſes Pontificis in capitulis canonicorum. Quæ nomina ipſo ſono timenda, in jure canonico, in ſanctione pragmaticâ, in *bullario*, &c. quærenda. Exſtat *tract. Campegii de inſtitutione annatarum.* De iiſdem breviter & doctè *Galleſius*. 12. denique extraordinaria & tranſeuntia (ita loquar) beneficia. Qualia ſunt quæ per mendicationes & collectas à parochis ære alieno gravatis ſubinde in propriis parochiis, aut in alienis (pręcipuè clandeſtinis, in Belgio fœderato) acquiruntur. Qualia etiam caritativa epiſcoporum ſubſidia: apud *Nicol. le Maiſtre part.* 2. *pag.* 194. 195. Quorum Canoniſtæ quatuordecim caſus enumerant.

Affectiones aliquot beneficii breviter indicamus. Conſiderantur autem §. 4.
I. Quaſi requiſita, tum ad erectionem, tum ad collationem & acquiſitio-

nem beneficii: quę ex dictis supra §.2. colligi possunt. II. Quasi signa, unde sc. constare possit, aliquod esse beneficium. Quæ numero quatuor allegat & explicat *Honorius tit. cit.* §.5. III. Quasi accessoria 1. *Circa ortum*, Provisio, dispositio, ordinatio, gratia, exspectativa. Vide hic imprimis *Honorium tit. cit. parte quartâ*, per totum. Exstat peculiaris tract. *Caccialupi*, de *Unionibus. Honorius* distinctè omnes provisionis modos explicat, *translationem; collationem; unionem annexionem & incorporationem ecclesiarum & beneficiorum; commendam seu gubernationem; Oeconomatum; rationem coadjutoris; devolutionem; administrationem sive procurationem; vicaritatum seu visitationem; optionem; creationem in canonicum supernumerarium*, Explicat ibid. d. t. parte 5. provisionum & gratiarum rescripta in curiâ Romanâ: ubi occurrunt *gratificatio, Nova provisio, reformatio, surrogatio, primariæ preces, Indulgentia sive tolerantia, alternativa, Indultum*, &c. De *signaturâ gratiæ* exstat Mandosii tract. peculiaris. Præter hæc jam nominata, incidunt etiam circa ortum beneficiorum *præventio, præscriptio.* Item, *resignatio, cessio, permutatio.* De hâc tract. *Choquier*; ubi plures alii citantur. Denique *pensionis stipulatio*, & *societas Officiorum*: de quo postremo symptomate recentiores Casuistæ, inter alios plenè & perspicuè *Toletus lib. 5. de Instruct. sacerd. cap.* 40. 2. *Circa actum* & possessionem, *pluralitas, non residentia, confidentia.* De nonresidentiâ tractatus *Barthol. Caranza*: de *confidentiâ tract. Flaminii Parisii.* 3. *Circa utraque*, Controversiæ, *lites, judicia, transactiones*, de beneficiis. De quibus Tholosanus in Institut. de beneficiis duobus capp. postremis.

§.5. Opposita beneficiorum sunt. I. *Privatio*: de quâ Tholos. & Honorius, quando agunt de Vacatione. II. *Simonia* aut *intrusio*: quę verbis, & primâ specie condemnantur; sed re ipsa & sub velo exceptionum ac distinctionum vulgò illic obtinent. De intrusis *Gigas tract. de pensionibus*, in fine. III. *Abalienatio.* Contra quam prolixus tractatus Alphonsi Villagut. IV. *Mortificatio* seu *abolitio*; quæ fit per reformationem ecclesiarum, & per Principes seculares. Cladem hanc patiuntur imprimis regalia sacerdotia, & beneficia regularia. Quæ an & quomodo postliminio restitui & vivificari debeant, aut non debeant, siquidem sub potestatem Papalem denuo redigantur fundi & reditus, acriter & subtiliter inter se occasione mutationis, quæ in Palatinatu aliisque partibus Germaniæ evenit, digladiantur Benedictini & Jesuitæ; pro illis causam agentibus *Romano Hay*, & *Gaspare Schioppio in libr. cui tit. Astrum inexstinctum*, pro istis *Paulo Layman*, & *Johanne Crusio in astri Inexstincti Ecclipsi seu deliquio.* V. denique opponuntur, secundum ipsos, *regales Oblatæ, & infeudationes decimarum*: quarum jus tanquam unum ex præstantissimis floribus coronę Gallicæ annexis explicat & tuetur,

Ste-

Stephanus Paschasius lib. 3. *de ses Recherces cap.* 35. quem ibi & seqq. capp. videat, cujus interest. Nobis nihil hic seritur aut metitur.

Instituamus nunc censuram hujus farraginis I. nomen beneficii preter stylum scripturę, & satis indecorè hic usurpatur. Sed ut officia ecclesiastica in Papatu ut plurimum otii & ventris insignia sunt, à re non abludit phrasis: conveniunt rebus nomina sæpe suis. Scriptura vocat ministerium, laborem, opus, præfecturam, &c. II. Quidquid stipendii aut beneficii tribuitur in titulos pseudo-sacros seu idolica ministeria, ἄπακτον est & illegitimum. Omnia autem sunt talia, exceptis titulis & officiis *Theologi*, seu *lectoris Theologi*, item *Catechistæ*, *præcentoris*, imprimis & *parochi*, aut *curati*, aut *rectoris*, aut *pastoris ecclesiæ*; quæ officia ad genuinam institutionem & praxin revocata, usum suum habent. III. Quidquid tribuitur stipendii missatici, aut pro benedictionibus, pro precibus & suffragiis, pro mortuis, aliisque agendis pseudosacris, ἄτακτον & illegitimum est. Huc refer annatas, investituras, pallia archiepiscopalia. IV. Malum est, quidquid impenditur in curiam Romanam & Curiales, pro beneficiis, aut negotiis ecclesiasticis. A malo enim sunt omnes ejus reservationes, gratiæ, indulta, &c. V. Idem dico de curiis, curialibus, & toto choragio jurisdictionis Episcoporum. VI. Etiam de collegiis & capitulis ecclesiarum collegiatarum, cathedralium, Metropolitanarum. VII. Et de pensionibus, resignationibus, regressibus, societatibus officiorum, non residentiis, pluralitatibus beneficiorum, unionibus, dependentiis, & subjectionibus ecclesiarum. Qua occasione quæsita & dubia hæc proponi possunt. 1. *Quid statuendum de combinationibus ecclesiarum apud reformatos? An hic sit unio?* 2. *Quid de pastoribus qui non cohabitant ecclesiæ suæ, sed in vicinâ aliquâ civitate? An hic sit non residentia.* 3. *Quid de stipendio inter viduam ministri, aut inter emeritum ministrum, & novum partito? An hic sit pensio?* 4. *Quid de ecclesiis per absentiam ministri, alibi ad novum stipendium lucrandum tantisper ministerio fungentis, vacantibus ad biennium aut triennium, & curæ candidatorum ministerii commendatis? An hic sit simile quid vicariatui, aut personatui, aut non residentiæ, aut pluralitati beneficiorum.* Infinitas quæstiones, de quibus inter se Pontificii circa materiam beneficiorum disquirunt, videat, cui vacat, in autoribus à nobis citatis.

§. 6.


LIBRI QUARTI

TRACTATUS QUARTUS.

DE Externis agendorum ſacrorum requiſitis & adjunctis.

CAP. I.

De agendorum ſacrorum temporibus.

§. 1. Xterna agendorum ſacrorum requiſita & adjuncta tribus ſectionibus abſolvimus: quarum

I. *De temporibus*
II. *De locis*
III. *De Utenſilibus*
} ſacrorum.

Tempora agendorum ſacrorum propriè hic ſpectantur, quæ circumſtant exercitia pietatis, non ſolitaria & perſonalia ſingulorum fidelium; ſed ſocia, eccleſiaſtica, conventialia: ſive ea publica ſint, ſive privato-publica, ſive clandeſtina; pro variante eccleſiæ ſtatu.

Phraſi ſcripturæ dici poſſunt מועד *moYed*, id eſt, tempus certum, ſtatutum, conſtitutum, condictum. Metonymicè ſignificat conventum, vocatum cœtum, *Jeſa.* 14. *v.* 31. & locum conventus *Pſal.* 74. *v.* 8. *Thren.* 2. *v.* 6. Etiam ſacrificium ſolenne, 2 *Paralip.* 30. *v.* 22. interprete *R. D. Kimchi in libro radicum.* 2 *Sam.* 24. *v.* 15. conſtruitur cum עדת, id eſt, tempus עדת מועד *Yet moYed*, id eſt, tempus conſtitutionis, hoc eſt, conſtitutum. Grȩcus interpres ſæpe exponit per Καιρόν, *Geneſ.* 1. *v.* 14. & 17. *v.* 21. & 18. *v.* 14. &c. Aliquando per ὥραν *Numer.* 9. *v.* 2. Frequenter per ἑορτὴν, quando agitur de conſtitutis temporibus ſacrorum.

Tempus conſtitutum ſeu condictum requiri ad ſocia, eccleſiaſtica, conventualia pietatis, ſeu religionis exercitia obſervanda; eſt neceſſitatis & juris naturalis.

Quale autem, & quantum tempus definitè obſervandum ſit, eſt juris divini, vel poſitivi, vel permiſſivi: quorum iſtud coincidit cum jure humano. Uti enim Deus permittit communitati politicæ, ejuſque præfectis, tempora ad res agendas determinare: ſic etiam communitati eccleſiaſticæ, ejuſ-

ejuſque præfectis : hâc tamen conditione, ut circumſtantiarum & ſecundum particulares circumſtantias, determinata non repugnent juri divino aut naturali. Ita ut immediatum fundamentum obſervandi certi & ſtatuti temporis, ſit lex & ſtatutum poteſtatis legiſlatoriæ : mediatum, Dei conceſſio, quâ communitati eccleſiaſticæ ejuſque præfectis ; quibus poteſtatem doctrinę, regiminis, legiſlationis, diſciplinæ conceſſit.

His ita præcognitis, apparet omnia tempora eccleſiaſtica recte diſtingui in divina & humana, *Divina* ſunt quæ ipſe Deus poſuit, definivit, præſcripſit.

Humana ſeu humano eccleſiaſtica ſunt, quæ à particularibus eccleſiis earumque prępfectis, bono publico definiuntur, & obſervanda pręſcribuntur.

Divina rurſum diſtinguimus, in immutabilia ; & in mutabilia, ambulatoria, πρόσκαιρα. *Iſta* ſunt omnia ſtata tempora ſub Veteri Teſtamento, uſque ad tempus correctionis (*Hebr. 9.* cum *Coloſſ. 2. v. 12.*) inſtituta & in foro conſcientię obſervanda. Quæ etiam vocantur ceremonialia, typica, adumbrantia : denominatione deſumtâ à parte potiori. Aliqua enim fuiſſe tempora jejunii à Deo immediatè Prophetis, & per eos populo indicta & pręſcripta conſtat ex *Joël. 2.* Vide 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de ſabbatho & feſtis:* ubi & autores indicantur.

Immutabilia: ſic perpetuum, & juris moralis, (quod ſcil. communiter omnes, ubique & ſemper concernit) eſt ſabbathum hebdomadale, quarto legis moralis ſeu decalogi præcepto præſcriptum. De quo egimus diſp. modo citatâ.

Humana, ſeu humano-eccleſiaſtica tempora tum ſub veteri, tum ſub novo Teſtamento, ſunt vel ordinaria vel extraordinaria. *Ordinaria* ſunt, menſtrua hebdomadalia, horaria ; quę ſub V.T. exercitiis lectionum, precationum, prophetiarum ac collationum in ſynagogis ; & ſub novo in templis, ſacellis, & quibuſcunque aliis locis conventuum, ab autoritate eccleſiarum, & præfectorum præſtituta ſunt.

Extraordinaria ſunt, jejunia & euchariſtica tam ſub veteri, quam ſub novo Teſtamento inſtituta. De quibus ſupra *lib. 2. tract. 3.*

Ad penitiorem hujus rei intelligentiam quæſtiones aliquot propo- §. 2.
nimus.

I. *Quæſt. An præter perpetuum hebdomadale ſabbathum, aliqua tempora ſacra anniverſaria, menſtrua, hebdomadalia, diurna, nocturna in Apoſtolicas eccleſiis ab Apoſtolis inſtituta, & ex præſcripto eorum obſervata ſint ? Reſp.* Neg. Hactenus neminem comparuiſſe memini, qui ex ſcripturis probationem promittere aut tenere auſus fuerit : excepto uno atque altero, qui ſi cauſam prodere voluiſſent, non potuiſſent abſurdius argumentari.

ri. Vide hæc detecta in 3. *part. select. dispp. tit. de sabbatho & festis* Adeo ut mirari subeat, quâ reformatæ religionis scientiâ quâ theologicâ ἀκριβείᾳ unus atque alter in locis communibus, aut in postillis dominicalibus, festa anniversaria tanquam genus univocum dividant in ea quæ veteris, & in ea quæ novi Testamenti. Ut illa sint, festa tabernaculorum, Pentecostes, azymorum, neomeniarum: ista, festa nativitatis, Paschæ, ascensionis, &c. Exhibeo hic verba nonneminis ex *Domin.* 17. *post Trinit. conc.* 2. *Luc.* 14. *v.* 3. *pag.*483. ex vernaculo sermone in Latinum translata:

„ In ecclesiâ, inquit, quoque novi Testamenti noluit divina majestas „ omnibus penitus festis ac solemnitatibus festivis carere, in quibus bene„ ficia ejus in humanum genus collata gratâ ac piâ memoriâ devotè cele„ brarentur; verùm eadem ipsa quoad substantiam, mutatis tantùm vel cir„ cumstantiis, vel ritibus ac ceremoniis renovavit, substituens illis anni„ versariam Incarnationis & Nativitatis Filii sui Jesu Christi miraculosæ, „ passionis ac mortis ignominiosæ, resurrectionis a mortuis gloriosæ, ascen„ sionis in cœlos ac sessionis ipsius triumphalis, missionis denique Spiritûs „ Sancti gratiosissimæ, celebrationem, sabbathis verò septimi diei cultum „ diei à Domino Christo sic denominati.

Quid aliud dicere possent Pontificii? nisi quod aliqua allegant, traditionem scil., antiquitatem, autoritatem Papę, aut ecclesiæ universalis, aut Conciliorum: postillistâ citato, non nisi ex propriâ affirmatione thesin suam defendente. Tam turpiter se dare solent ex æmulatione aut alio aliquo pravo affectu funem contentionis trahentes.

II. *Quæst. An non diu post tempora Apostolorum, præviis Concilii œcumenici, aut conciliorum particularium sive nationalium sive provincialium deliberationibus, judiciis, decretis, canonibus, tempora solennia, præsertim anniversaria, (e.gr. nativitatis Christi, circumcisionis, ascensionis) instituta & ecclesiis imposita sint? Resp. Neg.* Nec tale quid unquam probatum vidimus. Si quis Pyrgopolinices, post dejectum *Rich. Montacutium* omnium rancidarum antiquitatum venatorem, in odium Puritanismi Genevensis denuo se quid pręstiturum putat, incipiat modo. Interim concludimus catholicismum, antiquitatem, perpetuam successionem dictis ejusmodi festis minimè tribui posse. Probari quidem poterit, ab unâ atque altera particulari ecclesiâ, aut doctore primum tale quid observatum aut introductum; & inde paulatim serpsisse ad alios, donec communis seu universalis consuetudinis legem obtineret. Sed hoc dicta illa festa non facit antiqua & catholica in-interruptè succedentia. Alioquin deberent, omnes superstitiones in ritibus, omnes ἀταξίαι in regimine, omnes errores in dogmatis, sensim sine

sensu

sensu concepti, gestati, editi, foti; subrepticiè obrepticiè pervadentes, donec ad ἀκμὴν devenirent; catholicismo gaudere. Quod absurdum. Legendi hic autores de Origine & progressu errorum quales *Bullingerus*, *Perkinsus in probl. catholico*, *Mornæus Plessiacus in Mysterio iniquitatis*, &c.

III. *Quæst. An aliqua autoritate sive ecclesiasticâ sive politicâ, ecclesiis totius orbis, usque ad finem observatio certi temporis sive annui, sive menstrui, sive hebdomadalis, sive diurni sive nocturni, ad sacros conventus celebrandos præscribi possit? Resp. Neg.* 1. *Quia* tempus huic ecclesiæ opportunum alteri importunum est: quod hoc tempore, hoc ecclesiæ statu conveniens esset, alias & alio rerum statu non esset. 2. *quia*, nunquam talis fuit, nec est, nec erit autoritas, sive ecclesiastica sive politica: nisi in imaginatione & spe illorum, qui catholicum omnium ecclesiarum pastorem, & catholicum populorum monarcham combinatos vovent & somniant. Non fuisse unquam universalem totius orbis monarcham, politiæ speciales & historiarum monumenta loquuntur. Quatuor illas monarchias communiter sic dictas docebunt te hodierni geographi, orbis partem minimè majorem, immo & exiguam solummodo occupasse: quamvis comparatè ad alia regna magnam. Nullum enim commonstrari posset, cujus latifundia tunc temporis paria cum ipsis facerent. Nec fuit post tempora Apostolica, ullum universale ecclesiarum omnium repræsentamen sive in concilio sive extra concilium potestate delegatâ ad talem temporum sacrorum (uti vocant) determinationem instructum. Quidquid enim conciliorum *œcumenicorum* apud antiquos aut recentiores jactari audis; cogita illud catachresticè & stylo ac typho Imperii Romani sic dici; & ecclesias orbis Romani solummodo complecti. Quibus subinde se jungebant episcopi ecclesiarum in confiniis imperii, quos episcopos ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς appellat *Concil. Chalcedonense anno* 451. *can.* 28. *Barbaricum* (subintellige *solum*) & *Barbariam* dicebant scriptores Romani, quidquid erat ultra limites Imperii Romani. Hâc significatione occurrit apud *Ammianum Marcellinum lib.* 18. *Lampridium in Alexandro Severo*, *Rufum Festum in breviario*, *A Gellium lib.* 14. *cap.* 12. & *L.* 2. *C. de commerc.*

IV. *Probl. An ecclesia crucis, clandestinos suos conventus extra diem dominicum celebrare possit: ut evitent persecutorum insidias; qui illo die attendunt? Resp.* Quidni? sic tamen ut dominicum quisque intra privatos parietes servet: nec tempus à Deo designatum Exod. 20. *Sex diebus operaberis*, &c. abroget. Quod si alio quovis die, æque ac dominico, attentio hostium & pericula circumstent, nec cœtus haberi possent; illâ in necessitate, peregre subinde in alieno solo conciones audiendæ, & cœna percipienda: donec desæviat tempestas. Si non desæviat, de solo vertendo cogitandum.

V. *Quæst. An quavis horæ diei, aut noctis, exercitiis & conventibus præfigendæ sint? Resp.* De nocturnis horis, non videtur consultum; nisi persecutionum atque insidiarum æstus ecclesiis clandestinis inevitabilem hanc necessitatem imponant. Ratio est, quia *nox*, nihil moderabile suadet, saltem suspecta est. Occasio ergo omnis diabolo, carni & mundo pręscindenda. Scimus etiam, quam calumniandi occasionem hinc olim & superiori sæculo arripere solent. Hinc est, quod in antiquâ ecclesiâ dictas *vigilias* seu *pervigilia* (de quibus alibi) abrogarent. De antelucanis antiquorum Christianorum conventibus, videndi *Justinus* & *Tertullianus* in Apologiis & in Plinii epistolâ cum notis *Vossii pag.* 39 - 47. Imprimis præjudicabat Christianis lex lata contra nocturna sacra, & quod *Valentiniani* & *Carpocratiani* ad fœda sua sacra nocte convenirent, & Gentiles pervigilia Veneris, festa Ceteris & similia abominanda nocte celebrarent: uti ex *Vossii* commentar. modo cit. & scriptoribus de Festis cognosci potest. In Galliâ & Belgio plurimis mendaciis & calumniis nocturnos reformatorum conventus ex inevitabili necessitate habitatos prosciderunt. In Galliâ nomen Hugonotorum ex comparatione cum spectro nocturno circa civitatem Turonensem grassantem nomine *le Roy Hugon*, desumtum, hac occasione reformatis impositum putatur. De quo *Stephani Paschasii* sententiam in epistolis Gallicis, *lib.*4. *fol.*119. supra *lib.*2. retuli. De concionibus matutinis & vespertinis, quæ in variis Belgii civitatibus hyemali tempestate habentur, dubium non est, quin ad nostratem diem civilem, non ad noctem referendæ sint.

VI. *Quæst. An agenda ecclesiastica tum ordinaria tum extraordinaria, certis & statis mensibus, hebdomadibus, diebus, horis, per totum orbem Christianum, affigenda sint? Resp. Neg.* Ex universali & legitimo consensu Christianismi tale quid factum probari non potest. Et tale quid posse aut debere ordinari negamus.

VII. *Quæst. An tempora quædam anniversaria, quæ apud nos etiamnum observantur, præjudicio libertatis Christianæ, & ad deprimendam observationem sabbathi hebdomadalis, & ad odium quorundam imperitorum, aut neutralium, aut Semi-Papistarum, aut hierarchicorum & ceremonialium in fratres suos concitandum, contentiosè urgeri debeant? Resp. Neg.* quosdam hoc facere & fecisse, nullus dubito. Imitantur illos ęmulos, & accusatores *Daniel.c.*6.*v.*5.6. & audacter mentiuntur; ministros in celebri aliquâ ecclesiâ Belgicâ privato suo arbitrio voluisse abrogare omnem temporum istorum observationem. Sed unde probant, hoc unquam tentatum, in synedrio aut classe propositum, deliberationes ibidem institutas, suffragia rogata aut collecta, nedum ut decretum sit factum. Atqui, ajunt, dictum à quibusdam, si illorum temporum observatio introducta non esset, se suffragio suo eam non introducturos.

Sic

ic est, & hoc etiamnum affirmo : immo profiteor, me optare ut nunquam oc ita ecclesiis impositum fuisset; & etiamnum malle, ut si ordinatè & decorè erî posset, modo & more debito aliquando mutaretur, & omnis species & ccasio rudioribus & imprudentioribus perversè ex praxi & observatione eterodoxam theoriam à reformatâ alienam concludendi. Expertus sum ım alibi, tum imprimis in hoc nostro districtui plebem non tantum, sed & omines literatos (utinam non aliquos ministros!) vix aliâ quam Papisticâ pinione de anniversariis festis nativitatis, circumcisionis, diei passionis, censionis, &c. fuisse imbutos. Errorem illum evellere conabor. Rectâ suo loco sacrorum illis diebus frequentatione, & consuetorum texıum historicorum explicatione. Publicè semper in lectionibus meis, & riptis (3.*part. select. dispp. tit. de sabbatho & festis*,) docui non posse non deere à concionatore, aut à synedrio particulari, quæ communi corresponentiæ & ordini nationali, aut districtuali alligata est, observationem hanc a positam & receptam loco moveri. Vide cit. modo disputationem de sabtho & festis.

TRACT. IV. SECT. II.

De Templis.

CAP. I.

De Templis, & locis sacrorum sub veteri & novo Testamento.

DE Templis acturi primo nomen, deinde rem ipsam considerabimus. §. I.

Loca in quibus Ecclesia convenit ad cultum Dei peragendum, variis nominibus appellari solent; ac I. *Templum*, de cujus tymologiâ conjectant *Varro lib. 6. & Scaliger ad Varronem ibid.* Signifiat hęc vox apud profanos autores I. locum quemvis in terrâ augurii aut uspicii causâ conceptis verbis consecratum: sic apud Romanos, Campus Martius & comitium forum erant templa; & hinc *Varro* notat tribus mois dici templum, ab natura in cœlo scil.; ab auspiciis in terrâ; à similituine sub terrâ. II. *Ædes sacra* publicè Deo & religioni consecrata. Conerri hic potest vocabulum *tesca* seu *tesqua*, loca augurio designata, seu oca Deo alicui consecrata, non ut templum sint, sed ut sint undique septa. Inde transfertur ad significanda loca aspera, aditu difficilia. Vide de hâc voce *Jos. Scaligerum in notis ad Festum*; & de ejusdem originatione *Math.*

Martinium in lexico philologico. III. Architectonicè notat *tigillum* quod transversum ponitur supra cantherios, &c. apud *Vitruvium lib.4. c. 2. & 7.* Philander ad Vitruvium exponit, *assamenta, quæ transversa supra cantherios ponantur, supra quos collocantur asseres*, &c. Daniel Barbarus ad Vitruvii lib.4. cap.2. *Supra cantherios, quorum dispositio universam triremem ostendit, templa imponuntur*, templalia *quæ Itali vocant, quæ sunt trabeculæ ad canthe-rios transversæ contra tecti frontes.* Hanc templi significationem habet *Festus. In sacris literis notat* I. *Ecclesiam Dei* seu cœtum fidelium. 2 *Thess.*2. 5. *Ephes.*2.21. II. *Fidelem* 1 *Corinth.*3. 16. 17. & 2 *Cor.*5. 16. consequenter ejus animam & corpus 1 *Corinth.*6. 19. Hinc Hieronymus in epistola ad Paulinum de Vita Eremitica: *Verum Christi templum animæ credentis est: illam exorna, illi offer donaria, in illam Christum suscipe.* III. *Corpus* Christi *Johann.*2. atque adeo totam humanam naturam Christi, in quâ habitat plenitudo Deitatis *Coloss.*2. tanquam in proprio templo suo, &, sic habitavit filius Dei inter nos Johann.1. v. 14. Ὁ λόγος σαρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. IV. *Ædem vero Deo consecratam* 1 Reg.7. & 8. Quæ Hebraicè dicitur היכל, quod quidam derivant à voce יכל *potuit*; alii à radice inusitatâ הכל; nonnemo ab הלך *ambulavit*, quasi הליך per metathesin quia vetus sc. tabernaculum erat templum mobile & quasi ambulatorium per desertum, sic *Villalpand. in Ezec. tom.2. p.256.* quem sequitur *Corn. à Lapide in* 2 *Cor.6.* 16. Sed conjectura hęc nimis longè quæsita, ne dicam, absurda mihi videtur: *tum*, quia nusquam, quod sciam, in toto pentateucho, tabernaculum vocatur היכל, cum tamen tunc ambularet: sed tum demum ita vocari cœptum est, cum quiesceret in Siloh, 1 *Sam.*1. 9. & 3. 3. nedum ut ab istâ ambulatione nomen hoc primitus illi fuisset impositum; *tum* quia nondum probârunt nomen hoc propriè & primo fuisse tributum sanctuario Dei deinde translatum ad regalia & quæcunque splendida ædificia: immo probabilius quis conjiceret contrarium verum esse: *tum*, quod de aliis profanis ædificiis usurpetur 2 *Reg.*20. 18. 2 *Paralip.*36. 7. &c, at illa non sunt portatilia & ambulatoria: *tum* denique quia nimis dura & aliena hæc est metathesis; siquidem tales fingere liceat, quas non origines nominum verbalium Hebraicorum comminiscemur? Sed è diverticulo in viam.

Hebraicum היכל notat I. palatium, atrium, basilicam. II. tabernaculum. III. templum à Salomone exstructum. IV. Peculiariter partem templi majorem, à quâ distinguitur דביר oraculum, & אולם Porticus. 1 *Reg.* 6. 3. 5. cum 7. 21. Nonnunquam absolutè usurpatur, aliquando adjuncta voce *sanctitatis*, aut, *domini. Targum* ut & *Paraphrastæ Syri* ac *Arabes* hanc vocem retinent tam in V. quam in N. T. more suo vocali-bus

bus paululum mutatis. Arabes utuntur & aliis vocabulis, de quibus infra.

Autores Græci profani & ſacri habent vocem ναός quam definitione ὀνοματώδει explicat *Heſychius*, ἔνθα θεὸς προσκυνεῖται. Derivatur à ναίω hoc eſt *habito* οἰκῶ juxta Etymologicum magnum. Diminitivum eſt ναΐσκος & ναϊσκάριον, id eſt, *ædicula*, *ſacellum*. Porro Græcus V. T. Interpres Hebr. היכל cum notat templum Dei, plerumque transfert ναόν, aliquando tamen οἶκον *Eſdr.* 3. 6. 10. & 5. 14. &c. ſemel ubi idoleia intelliguntur, τεμένη, id eſt, delubra *Hoſe.* 8. 14. 11. Latinè *Ædes ſacra*; & abſolutè *Ædes*, unde Ædiles; quam ſcriptura Hebraicè vocat בית *domus.* 1 *Reg.* 6. 4. 5. *Pſal.* 93. 5. ubi Arabs tranfert בַיְעָה quod primo notat tabernam mercatorum, *Deinde* templum, ſynagogam, Eccleſiam ſeu cœtum *Math.* 18. 17. Et בית ליהוה *domus quam ædificavit domino*, & *nomini domini* 1 *Reg.* 5. 3. 5. Præterea בית יהוה *domum domini Pſal.* 23. 9. & 122. 1. Adhæc מעון, id eſt, habitaculum, ubi Targum explicat בית מקדשי *domum ſanctuarii mei*. Sic in N.T. οἶκος Dei *Joh.* 2. 16. 17. hinc apud *Nazianz. Orat. Funebr. in Baſilium*; apud *Euſeb. lib.* 7. *c.* 29. & Græcos paſſim ἱερὸς οἶκος, τῆς ἐκκλησίας, &c. 2 Sam. 7. v. 6. *domus Dei* Nec prętereundum ναός *Actor.* 17. *v.* 24. ſignificare, arculas aut thecas quibus ſimulacra Deorum includebantur: uti vocem illam exponunt *Eraſmus* & *Bullingerus* ad *Actor.* 19. Vide de ædiculis illis *Pricæum in notis* ad *Actor.* 19. *v.* 24. aut *Jac. Ouzelium ad Minutium pag.* 198. 111. *Sacrum*, *ſacrarium*, ſanctuarium, gr. ἱερὸν apud profanos autores; & paſſim in N. T. *Mat.* 4. 5. & 21. 12. &c. & *Actor.* 19. *v.* 27. de templo Dianæ. Gr. 70. Heb. קדש *kodeſch* & מקדש *mikdaſch* vertunt ἅγιον, ἁγίασμα, ἁγιαστήριον. Quomodo autem apud autores latinos diſtinguantur loca, ſacra, ſancta, religioſa, indicavimus in 3. *part. ſel. diſpp. tit. de Benedictionibus*. Hic ſuffecerit obſervare diverſas acceptiones ſacrarii; notat enim 1. aulam principis *l. ult. D. de Muner. & honorib.* 2. locum etiam privatum in quo ſacra reponuntur *L.* 9. *D. de Diviſ. rer.* 3. locum templi in quo ſacra reponuntur *Iſidor. lib.* 15. *c.* 5. 4. partem illam templi, in quâ ſunt Clerici ad celebranda ſacramenta. Extrav. *de Conſecrat. Eccleſiar.* 5. locum templi ubi ſe prępar at ſacerdos, vernaculè, de *Sacriſtye*, de *garwekamer*. 6. Ædiculum, lararium, in gloſſis Philoxeni. 7. Quodcunque templum: & ſic templum Dei, ἱερόν 1 *Corinth.* 9. 13. quod vulgatus, *Beza*, *Ar. Montanus* exponunt *ſacrarium*. Nec prætereundum Sanctuarium quod plerumque in ſcriptura ſignificat templum, aliquando ſignificare locum refugii *Exod.* 15. 17. *Jeſa.* 8. 14. Apud Thalmudicos vero בית המקדש complectitur una cum templo omnia loca in ſacro monte extructa, quæ aliqua ratione ad templi miniſterium referrentur: ut videre eſt in *Maſſechet Middot* cap. בשלשה. IV. *Tabernaculum*, quod propriè notat portatile

 illud

illud ſanctuarium, & in Gr. V.T. verſione, & in N.T. dicitur σκήνη, σκήνωμα, σκῆνος, uſurpaturque 1. *de* vera Dei Eccleſia *Actor.* 15. 16. 2. *de* corpore cujuſlibet fidelis 2 *Cor.* 5. 1. 2. *Petr.* 1. 13. 14. 3. *de* corpore ſeu humanitate Chriſti *Hebr.* 9. 21. 4. *de* tabernaculis illis, quæ fiebant in feſto ſcenopegiæ *Levit.* 23. 42. 43. cum *Johann.* 7. 2. 5. *de* communione Dei cum fidelibus *Apoc.* 21. 3. 6. *de* vulgaribus quibuſque tentoriis & tabernaculis *Geneſ.* 4. 19. *Hebr.* 11. 9. *Actor.* 18. 3. 7. *de* cœlo beatorum *Hebr.* 8. 2. *Luc.* 16. 9. 8. *de* tabernaculo idolorum *Actor.* 7. 43. 9. *de* tabernaculo per Moſen erecto *Hebr.* 8. 5. & 9. 1. 2. 6. 8. ubi vocatur, πρώτη σκήνη: Hebr. dicitur abſolutè אהל *Exod.* 26. 13. 14. & cum adjectione אהל מועד, id eſt, *tabernaculum conventus* ſeu Eccleſiæ; Targum משכן זמנא, id eſt, tabernaculum ſtatuti temporis, ſolennitatis, ſcil. conventus, (*Hieronymus* vertit, *teſtimonii*, ſecutus Gr. interpretes; quorum verſio exhibetur etiam *Actor.* 7. 44.) *Exod.* 27. & 31. abſolutè etiam dicitur משכן *Exod.* 26. 1. & משכן אהל מועד *Exod.* 39. *v.* 32. à rad שכן, id eſt, habitavit; quo ſpectat Targumiſtarum & Rabbinorum שכינא *ſchechina* aut שכינתא *ſchechinta*, id eſt, majeſtas divina, præſentia ſeu inhabitatio Dei, gloria divina inter homines habitans: ad quem Targumiſmum videri poſſet alludere Euangeliſta Johann. 1. v. 14. καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, &c. collat. cum *Hebr.* 9. 21. 2 *Corinth.* 6. 16. & *Apocal.* 21. 3. In incarnatione primus gradus eſt unionis noſtri cum Deo; in ſanctificatione & inhabitatione per fidem *Epheſ.* 3. 17. ſecundus gradus; & ſic tabernaculum Dei cum hominibus *Apocal.* 21. 3. communio noſtra cum filio & per eum cum patre 1 *Joh.* 1. *v.* 3. cum *Hebr.* 2. 11. 12. 13. *Johann.* 17. *v.* 21. hic quidem in gratiâ, poſt hanc vitam in gloriâ. v. *Synagoga*, quam nonnulli putant Hebraicè dici מועד *móed*, *Pſal.* 74. 8. Ubi Aquila מועדי-אל vertit συναγωγάς quem ſequitur *Munſterus*, *Felix Pratenſis*, *Buxdorf. in lexico*, & *Simeon Muis in commentar.* quamvis in tranſlatione cum pleriſque recentioribus ſecutus Targum & Gr. 70. exponat de ſolennitatibus. *R. David Kimchi in commentar.* accipit plurale. מועדים pro domibus Apud Gr. 70. ſemper, ni fallor & in N. T. raro ſignificat cœtum ſeu conventum, ut *Actor.* 13. 43. *Apocal.* 2. 9. & 3. 9. *Hebr.* 10. 25. ubi ἐπισυναγωγή: plerumque vero locum conventus. Rabbinis קהלה *kehilla* ſignificat & locum particularem conventus ſeu Eccleſiæ, & locum univerſalem, hoc eſt, urbem, ubi ſynagoga verſatur; etiam cœmiterium: ex rad. קהל, unde verbale *kahal* Eccleſia *Pſal.* 22. *Numer.* 15. &c. Porro ſynagogæ Judæorum initio etiam inſerviebant exercitiis Chriſtianorum *Actor.* 13. 14. & 15. 21. & 19. 9. quo etiam nonnulli referunt *Jacob.* 2. 2. Sed conſummatâ apoſtaſiâ & rejectione Judæorum, & factâ cœtuum ac locorum ſeparatione, diſtinctio

ſtinctio appellationum introducta eſt, nomine ſynagogæ Judaicis conventiculis relicto. VI. *Dominicum*, apud *Hieronym.* in cynomico, *Cyprianum de Opere & Eleemoſynis*, *Hilarium c. Cordant.* *Ruffinum lib.* 10. *c.* 3. *& lib.* 9. *c.* 9. Gr. κυριακὴ ſcil. οἶκος, & abſolutè κυριακόν *Concil. Neo-Cæſar. cap.* 5. Ex Latino deflexum videtur German. & Belgic. **Dom** (quod appropriatè de Templis Cathedralibus uſurpatur) & **Dom-Kerck.** Ex Græco κυριακόν, deflexum videtur Belg. **Kerck**, Angl. *Church*, Scotic. *Kirck*, Germ. *Kirch*, pro quo Helvetii *Kilch.* VII. *Oratorium*, apud *Ruffinum lib.* 9. *c.* 9. in edicto Maximini *domus orationis*: quod convenit cum *Jerem.* 7. *v.* 11. *Luc.* 19. *v.* 36. Gr. εὐκτήριον apud *Euſebium hiſtor. Eccleſ. lib.* 8. *c.* 1. Reſpondet huic Arabicum מסגד *maſgid* & *maſgida* à rad. Chald. Syr. Arabic. סגד *ſagada* προσκυνεῖν, *adorare*, &c. Occurit in Alcorano: Græci corruptè ſcribunt μασγίδιον, & longe corruptius μεῖζιτον. Galli *Moſque* & *moſquette*, Hiſpani *Meſquita.* Notat Theodoſius Zygomala apud Saracenos templum diſtingui in ἰμαρέζιον & μεῖζιτον quorum illud ſit magnum, hoc vero parvum. Schindlerus in lexico Pentagloto ait *maſgida* ſignificare ipſis templum è lignis fabricatum; *guma* vero ex lapidibus: VIII. *Martyrium* Μαρτύριον templum à martyre aliquo denominatum & in memoriam ejus ædificatum. *Sozomenus l.* 2. *c.* 26. *Hieronym. in chronico. Walafridus Strabo de rebus, eccleſ. c.* 6. *Primo* cœmiteria martyrum ita dicta ſunt, quo fideles ad conciones & orationes conveniebant *Concil. Laodic. c.* 9. εἰς τὰ κοιμητήρια ἢ εἰς τὰ λεγόμενα μαρτύρια, &c. confer *Euſeb. l.* 5. *c.* 3. *Pontium Paulinum in actis paſſionis Cypriani.* *Deinde* ædificia ſeu oratoria in cœmiteriis illis ædificata. IX. *Baſilica*, ſubintellige οἰκία, id eſt regia. Sic *Primum* dicta regum habitacula: *Deinde* & alia loca publica, ampla ac ſpatioſa, ubi jus diceretur, aut negotiatores convenirent, aut homines deambularent (iſtius ſcil. generis ædificia, quę hodie *ſalas* appellant, ut vult *Andr. Palladius architect. lib.* 3. *c.* 19.) quales variæ fuerunt Romæ, de quarum forma, origine, & numero conſulendi *Vitruvius architect. l.* 5. *c.* 1. *Roſinus antiq. Roman. lib.* 9. *c.* 7. *Lexicon Juris Prateoli, aut Calvini.* *Denique* loca illa hoc nomen ſortita ſunt, ubi Chriſtiani ad cultum convenirent; non propter ſtructuræ magnificentiam (ut conjicit *Martinius* in lexico); nec, quod Deo ſummo regi ibi cultus exhiberetur: ſed quod ſtructurâ & formâ ſuâ (ut quidem eam loc. cit. exhibet *Vitruvius*) cum hodiernis ſalis, & templis anguſtioribus (qualia ſunt vetuſtiſſima templa primitus à Chriſtianis ædificata) convenirent; vel quod baſilicæ illæ Romanę in eccleſiarum uſum converſæ fuerint, ut vult *Albericus de Roſare*, & poſt illum *Abbas Bernardin. Baldus ad Vitruvium.* X. *Eccleſia*, ἐκκλησία *Euſeb. lib.* 8. *c.* 1. *Auguſtin. quæſt. ſuper Levitic. libr.* 3. *qu.* 57. & poſtea vox illa uſu eccleſiaſtico, & in Jure canonico obtinuit; etiam in Jure civili,

ut

ut vel imprimis constat ex tit. C. de *Sacrosanctis Ecclesiis*, & *de iis qui ad Eccles. confug.* Quod autem *Augustinus loco cit.* & ex eo *Fullerus Miscellan. lib.2. cap.9.* ex 1 *Corinth.*11.22. colligunt, jam inde à temporibus Apostolorum fuisse vocem Ecclesiæ ita usurpatam, id infra expendemus. XI. *Idoleium*, εἰδωλεῖον 1 *Cor.*8. 10. quod locis pseudo-sacris Gentilium, &c. propriè convenit.

Ejusdem generis sunt nomina illa quæ ipsi Idololatriæ templis suis imposuerunt, à quorum usu utpote profanato propterea pii abstinuerunt, æque ac à nominibus *Baalim Hos.*2. De quo in 3. *part. sel. dispp. tit. de Idololatriâ indirectâ.* Sunt autem nomina illa 1. *Delubrum* (τέμενος, & secundum glossas, veteres καθίδρυμα, ξόανον, ἀνάθημα); quod à templo distinguit *Arnobius lib.*6. cujus etymologiam & varias significationes venantur *Festus*, *Servius in Æneid.*2. & 3. *Macrob. Saturnal. lib.* 3. *c.*4. *Agellius lib.*14. *c.*7. *Isidor. lib. c.*4. 2. *Lararium* Gr. ἡρῷον, lares enim sunt heroës, de quibus commentatores ad *Horatii satyr. ult. Turnebus adversar. lib.*18. *c.*1. & *lib.*20. *c.*35. *Ausonius Popma, libr. de Differentiis vocum*, *Desid. Heraldus in Tertulliani apolog. c.*13. 3. *Fanum*, de cujus etymologiâ variè conjectantes vide *Varronem*, *Festum*, *Frontonem*, *Isidorum*. 4. *Templum augustum*; de quo *Corrasius miscellan. lib.*3. *c.*22. *n.*7. 5. *Lucus.* 6. Excelsum, mons. Cujus frequens mentio in sacrâ scripturâ. 7. Statua seu titulus, seu columna. 8. Lapis *Levit.*26. 1. 9. Domus Pehor *Deut.* 34. De quibus quinque posterioribus, consulenda scriptura & philologi atque antiquarii sacri: *Seldenus syntagm.* 1. *de Diis Syris* 5. &c. XII. Sunt & nomina, quæ cum speciebus, tum partibus templorum tributa sunt; de iis infra, ubi ad divisionem ventum fuerit.

§.2. Ut autem veritatem in hoc capite dextrè percipiamus præmittendę erunt distinctiones.

Prima est, vox *templi* sumitur vel *strictè* & *propriè* pro loco & ædificio ex peculiari & speciali mandato Dei ad cultum divinum consecrato, adeo ut cultus alibi non posset peragi, nec etiam illud ædificium aliis usibus inservire. *Laxè* sumitur pro loco aut ædificio pro re natâ ad cœtus ecclesiasticos habendos assumpto, aut etiam liberè solo beneplacito humano ad talem usum sive solum sive juxta cum alio aut aliis, deputato & constituto tamdiu, quamdiu ipsis visum est, aut necessitas nulla suadet mutationem hic fieri.

Secunda distinctio est: Loca sacra dicuntur. 1. *Laxè* & impropriè per extrinsecam scil. denominationem, omnia illa ubi Ecclesia quęlibet secundum libertatem suam aut per occasionem aut ex consuetudine, aut ex statuto sive ad tempus sive perpetuo (quamdiu nihil impedit) convenire solet ad com-

communia religionis exercitia. 2. ſtrictè & propriè, quæ ex inſtituto & mandato Dei conſecrata ſunt ſolis eccleſiæ conventibus, & religionis exercitiis.

Differunt autem inter ſe Materiâ & formâ externâ, efficiente, fine, adjunctis circumſtantiis, effectis. 1. *Materiâ & formâ externâ:* quam iſta habebant certam ac definitam *Exod.* 25. 40. illa vero vagam pro re natâ & hominum beneplacito. Quod idem de quantitate, partibus, utenſilibus, ornatu, &c. dici poteſt.

II. *Causâ efficiente*, quæ hic erat immediata revelatio Dei, inſtitutum & jus divinum *Exod.* 25. *v.* 8. 2 *Samuel* 7. *v.* 12. *Aggæi* 4. *v.* 14. Illic vero voluntas cujuſque hominis, quę fundatur in neceſſitate & jure naturali. Pofitis enim conventibus Eccleſiaſticis & communibus pietatis exercitiis, requiruntur loca aut ædificia iis accommodata.

III. *Fine & uſu* 1. *Quia* iſta erant certo cuidam cultui, ſacrificiis, incenſis, &c. peculiariter deſtinata *Exod.* 40. 20. 35. & 1 *Reg.* 8. 43. ita ut nullis aliis uſibus inſervirent aut applicari poſſent, idque ex mandato Dei: nec viciſſim cultus ille alibi extra illa loca peragi poſſet. 2. *Quia* iſtis orationes, etiam privatæ, extra cœtum Eccleſię, peculiariter erant aſtrictæ, tanquam loco à Deo electo & peculiari ſymbolo gratioſæ ipſius præſentiæ inſtructo: ita ut preces illic fuſæ peculiarem haberent efficaciam atque exauditionis promiſſionem 1 *Reg. cap.* 8. *v.* 43. 44. *Daniel.* 6. 10. *Luc.* 18. 10. & 19. 36. cum *Joh.* 4. 3. *Quia* in iſtis ſimul peragi poterat cultus ceremonialis (ſacrificia, ſuffitus, ellychnia, panes propoſitionis, &c.), & moralis, lectio ſcil. auditio, prædicatio verbi, cum publicis præcibus; quamvis ſecundum partes diſtinctè: ſacrificia ſcil. in veſtibulo tantum & circa illud; ſuffumigatio, ellychnia, panes propoſitionis, in ſancto: comparitio ſacerdotis quotannis in ſancto ſanctorum; at lectio & prædicatio verbi in atrio: ubi nihil niſi lectio verbi, preces & ſimilia toti plebi communia exercitia, locum habebant. 4. *Quia* iſta ſunt peculiaria præſentiæ divinæ ſymbola. 1 *Reg.* 8., adhæc typi & umbræ *Hebr. cap.* 9. & *cap.* 10. Illa vero minime.

IV. *Adjunctis:* neceſſitate, dedicatione, ſanctitate, appropriatione, reverentiâ. 1. *Neceſſitate, quod* iſta ad cultum ceremonialem erant ſimpliciter neceſſaria ita ut cultus ille ſine iis non conſtaret: Illa vero, loca ſcil. artificialia ſeu ædificia manufacta (nam locum omnem naturalem abeſſe ab actionibus & hominibus individuis impoſſibile eſt) ad conventus Eccleſiæ & exercitia verbi ac precum non ſint abſolutè neceſſaria. 2. *Dedicatione*, *Quod* iſta ex mandato Dei peculiarem requirerent conſecrationem, ejuſque certum modum ac formam *Exod.* 39. 1 *Reg.* 8. *Eſdr.* 3. Illa non indigeant aliâ dedicatione ſeu conſecratione, quam applicatione ad hunc ſuum uſum, idque cum fide & gratiarum actione 1 *Timoth.* 4. *v.* 3. 4. Cujus generis ſancti-

ficatio & dedicatio formaliter ita dicta, illis cum omnibus aliis creaturis, specialiter cum privatis aut publicis ædificiis, domo, horto, horreo, Scholâ, foro, basilicâ, armamentario, &c. communis est. 3. *Sanctitate*; quæ in istis est relativa & symbolica; idque ex instituto Dei, propter præsentiæ & gratiæ divinæ symbola, & usum peculiariter sanctum: erant enim divinitus electa cultus divini media atque instrumenta. Contra in illis nulla talis sanctitas, nisi quod impropriè per denominationem externam ab adjunctis seu contentis hominibus & actionibus loca illa dicuntur sacra: pari modo quo sacra via, porta, &c. posset dici, qua itur ad preces; sacra crypta, cubiculum, sylva, curia, stabulum, spelunca, platea, campus &c. ubi habentur conciones; sacrum cubile ubi æger ille *Joh.* 5. orationes suas annis 38. fuderat; quod idem de nosocomiis dicendum; sacrę officinæ, thecæ, &c. ubi biblia asservantur aut prostant; sacrum auditorium Academicum, ubi Theologia docetur. 4. *Appropriatione* mutuâ ac reciprocâ; quod pars cultus divini supra memorata, & peculiaris precum efficacia istis locis necessario esset affixa, & vicissim illa cultui tali essent consecrata atque appropriata: ita ut locus non fuisset formaliter talis, si aliis usibus subinde inserviisset; nec cultus fuisset cultus, si alibi fuisset peractus, aut orantes ad alium locum respexissent ex. gr. tabernaculum Moloch, aut excelsum aliquod, aut templum Samaritanum, aut heliopolitanum, aut domum suam. 5. *Reverentiâ*, eique oppositâ profanatione; quod ista non liceret cuiquam ex populo intrare; nedum à religione extraneis (sanctum, & oraculum intelligo, quæ peculiariter templum & sanctuarium dicuntur,) nec partes ejus interiores cum utensilibus contueri, aut ea tractare absque profanatione; adhæc nefas esset ea aut tota aut secundum partes in alia ædificia publica ad alios usus convertere, aut ea demoliri si publica utilitas aut commoditas ita tulisset, ea etiam aliò transferre, aut pręter exercitia sacra etiam alios conventus & alia negotia ex. gr. publica comitia, judicia, &c. sive datâ occasione sive ordinariò in iis celebrare. Quæ omnia longè aliter in illis se habent; ubi reverentia decori tantum spectanda, nulla verò religiosa; non aliter ac in curiâ, scholâ, dicasterio, basilicâ, &c.

V. *Circumstantiis* 1. *locorum*, quod ista non deberent erigi aut ædificari nisi iis locis, quæ Deus ipse commonstrasset *Deut.* 12. 5. Illa verò promiscuè quovis in loco, quem Ecclesiæ cuivis particulari placuerit eligere. 2. *Temporum*, quod ista instituta essent tantum usque ad tempus correctionis *Hebr.* 9. 1. 10. atque adeo nulla sint in N. T. *Joh.* 4. 21. Illorum vero usus futurus sit perpetuus usque ad finem mundi.

VI. *Effectis*, quod istorum religiosa ex instituto & promissione Dei sit efficientia seu efficacia ad effectus gratiæ supernaturales: quia sunt gratiæ divinæ

divinæ instrumentum morale: Illorum verò nulla sit, quia ad actus religiosos ibi exercitos habent se ut mera circumstantia: cujus per se nulla est efficacia. Quamvis ad homines externos quà tales eorumque aggregationem ibi cultus illos exercentem dici possint se habere ut instrumentum remotum & commune: sed hęc causalitas & subordinatio, respectu actuum religionis tota est per accidens; haut aliter ac influxus cœli ad actus statuarii, aut domus Academica ad actus sapientiæ, speculationes scil. disputationes, lectiones, discentias, reminiscentias, &c.

Prioris generis loca aut ædificia semper fuerunt, ubicunque aliqua fuit §. 3.
Ecclesia; eaque possumus distribuere I. in naturalia, & artificialia. *Naturalia* quando res ecclesiæ aliter non ferunt, aut hostium persecutiones ita cogunt, aut præsentes occasiones hoc suadent. Sunt autem ejusmodi loca montes, sylvę, saltus, speluncæ, valles, &c. *Gen.* 21. 33. *Exod.* 15. 1. cum 14. 30. 1 *Reg.* 18. 4. 2 *Par.* 20. 26. *Actor.* 16. *v.* 13. *Hebr.* 11. *v.* 38. II. *Artificialia* occasionata, & consequenter indefinita, quę sæpius, si non indies, mutantur, quod fieri solet aut peregrinantibus, aut ecclesiis navalibus, aut castrensibus, aut tempore persecutionis; & sunt plerumque *domus privatæ*; aut naves, aut tentoria, aut stabula, &c. III. *Artificialia stata & certa*; quæ vel clandestina vel aperta. Illa sunt, cryptæ, domus, &c. *Ista*, ædificia quævis publica, aut quasi publica ordinariis conventibus destinata. Qualia in V.T. erant synagogę, non tantum in Judæâ per civitates *Math.* 8. *Luc.* 7. 5. & 4. 15. 16. sed etiam in Syriâ, Ægypto, Grȩciâ, &c. ubicunque essent Judæi ἐκ τῆς διασπορᾶς *Actor.* 13. 14. & 19. 8. De Synagogis *Eusebius præpar. Euang. lib.* 8. *c.* 12. ex *Philone*; & scriptores Reipubl. atque antiquitatum Judaicarum, alibi nobis laudati. In N. T. scholæ *Actor.* 19. 9. oratoria, basilicę, Ecclesię, etiam dicta templa. *Posterioris* generis ædificia celebria, de quibus abunde nobis constat ex scripturâ, sunt tabernaculum, & templum.

Problem. I. *An vero ante tabernaculum Mosaicum Patriarchales Ecclesiæ loca symbolicè sacra, quibus & orationes & sacrificia erant astricta, habuerint; sive illa pars ædium aliqua fuerint, sive ædificia iis contigua, sive tentoria, sive luci, sive excelsa naturâ aut arte ita facta? Resp. Aff. Altaria enim & loca sacra, sequuntur sacrificia*, *Genes.* 21. *v.* 33. dicitur Abrahamus plantasse *arboretum* (vel *nemus*) in Betseba, & invocasse ibi nomen domini Dei æterni. Idem *Genes.* 13. *v.* 4. dicitur certo in loco commorationis suæ erexisse Domino altare.

II. *An certo alicui sive uni permanenti (cum permanens esset ecclesia) sive per successionem (cum ambulatoria esset Ecclesia) astricti fuerint, eique non propriâ electione sed de extraordinario signo, apparitione, aut internâ inspira-*

tione designato? *Resp.* Inclinamus in *aff.* Dirigebatur etiam ecclesia ab extraordinario & infallibili spiritu ac ministerio Patriarcharum. Vide de Patriarchis infra *part. 2. lib. 2. Saltem ad negationem nulla ratio nos cogit.*

III. *An loca illa una eademque fuerint, cùm iis, quæ quotidianis & sabbathicis exercitiis lectionis & prædicationis verbi inserviebant; an vero sanctitate, appropriatione, reverentiâ,* &c. *ab iis distincta?* Resp. *probabilius putamus affirmari posterius.* Quomodo stante tabernaculo & templo, synagogę, & scholæ prophetantium, ab illo distinctæ fuerunt.

§. 4. Porro justam descriptionem tabernaculi & templi hic non exhibebimus: nec putamus fore opere pretium: præsertim cum ex scripturis adhibito judicio & artificio logico cuivis descriptionem moliri facillimum sit. Dubia textualia, & problemata ad architectonicam, antiquitates, & philologiam sacram pertinentia, excusserunt satis *tum* commentatores, *tum* antiquarii sacri, quales *Arias Montanus: tum* Reipubl. Judaicæ scriptores; imprimis multum hic juvabit φιλομαθεῖ, *Riberæ tract. de templo*, qui editus cum *commentar.* ejus *in Apocalypsin*; *Pineda de rebus Salomonis libro 5. Calvinus, Junius, Lavaterus*, in *commentar. ad Ezechielem, Villalpandus*, & ejus hac in parte epitomator *Corn. à Lapide commentar. in Ezechielem, Ludovicus Capellus in historiæ Judaicæ compendio cum spicilegio Cameronis edito, Constantinus l'Empereur in luculentis commentariis ad tractat. Thalmudicum Middot. Zepperus in explicat. legum Mosaicar. Hospinianus de Templis.* Conferri etiam possunt nonnulla apud *Galatin. de Arcanis Catholic. verit. lib. 4. cap. 8. 9. Hæc ego in thesibus de Templis anno 1638. publicè propositis.* Quibus indicatis nunc addo *Fl. Josephum* in *antiquitat. Menochium de Republ. Hebræorum lib. 5.* recentiorem Judæum R. *Jac. Judam Leon*, qui duobus libellis Belgicis templum & tabernaculum descripsit. Suffecerit ergo indicare pugnantia tabernaculi & templi, quod maximè facit ad institutum nostrum.

Sunt autem illa, 1. Excelsa, luci, arbores, montes, columnæ idololatrarum *Levit. 26. 1. Jer. 2. 20. 23.* & *3 6. Hos. 4. 13. 2 Reg. 17. 9. 10. 11.* Columnę, Templa Gentilium 1. antiqua, inter quæ celeberrima Dianæ Ephesinum, Apollinis Delphicum, &c., aliaque à *Pausania* & *Strabone* passim notata: De Ephesino inter septem orbis miracula numerato *Strabo, Pausanias, Mela, Plinius:* & inter recentiores *Gyraldus in histor. Deorum syntagm. 12. Joach. Vadianus ad Melæ lib. 2. tit. Jonia:* qui ibi imprimis notat quomodo asylum fuerit; *Frischlinus ad Callimachi hymnum in Dianam*; Post omnes *Leo Allatius in notis ad Philonem Byzantium de septem orbis spectaculis*, ubi antiqui scriptores indicantur.

2. Intermedię ætatis; ut Saxonum templa in quibus idolum *Irmesuli*, id est, Martis colebatur, & columna illa in arce Herciniâ, cui nudis pedibus

bus inſiſtebat idolum dictum *Crodo* , & fanum Veneris Magdeburgi , & ſeptem arces, quas à Julio Cæſare planetis in Germaniâ ædificatas ferunt, & mons Rotenburgum in quo idolum *Buſterix* à Thuringis colebatur (de quibus *Cl. Henr. Ernſtius in variis obſervationibus*) & rudera antiquorum templorum in noſtro Belgio , quę olim Gentilium idoleia fuerunt.

3. Hodierna fana in Americâ , Chinâ, Japoniâ , &c. de quibus conſulendi ſcriptores hiſtorici & topographici iſtarum gentium & regionum. Indicium Gentilium in antiquo orbe templorum compendio diſces ex *Carolini* deſcriptione hodierni Gentiliſmi belgicè.

4. Inter *Muhammedica templa* , ſplendidiſſimum & celeberrimum eſt Meccanum : de quo in deſcriptione Geographo Nubienſi ſubjectâ cap. 7. Admirandum templum Sophiæ Conſtantinopolit. de quo mox infra. Frequentia ſunt templa Muhammedanis ſeu oratoria : in una urbe Tunetanâ dicuntur eſſe 700.

5. *Hodierna* in Chriſtianiſmo , pleraque ſub Papatu ædificata mole & ſtructurâ maximè celebria ſunt , Laurentanum B. Mariæ , Venetum S. Marci , Senenſe B. Marię , S. Laurentii Eſcuriale in Hiſpaniâ (vide Nonium in ſuâ Hiſpaniâ cap. 17.) Adde Vaticanum Romæ B. virginis Florentiæ , B. virginis Lutetiæ. De tribus poſtremis *Allatius in notis ad Philonem Byzantium pag.* 93. „ Epheſini , inquit , nihilominus templi magnitu-„ dinem à Vaticana Baſilica , tempore Silveſtri Papę extructa , nec non à „ Florentino templo D. Virginis , *Floris* nuncupatæ vinci , Franciſcus Alber-„ tinus lib. 3. de mirab. Novę & Veteris Urbis : Et Robertus Cenalis Abri-„ cenſis Epiſcopus in Hiſtor. Gall. ut mihi retulit Naudęus noſter , templum „ B. Virgini Lutetiis dicatum majus eſſe , & ſplendidius , utriuſque menſuris „ inter ſe collatis , magiſque operosè fabricatum probare conantur.

Templa quæ Romæ videntur , Ex Itinerariis Italicis , & topographiâ urbis Romæ cognoſci poterunt. Exſtat tract. Italicus *Andreæ Fulvii de antiquitatibus Romanis* , *qui lib. 5. à cap.* 1. - 28. Templa à Gentilibus Romæ ædificata recenſet. De antiquorum Chriſtianorum ſubterraneis templis ac ſacellis & cœmeteriis prolixè *Boſius in Româ ſubterraneâ* ; Quis autem & qualis fuerit hic *Boſius* indicat *Janus Nicius Erythræus* in *Pannacthecâ* Ital. Quis *pag.* 235. *Onuphrius Panuinus* peculiari libello ſeptem urbis Eccleſias deſcripſit. Omnia hodierna templa majora & minora per urbis regiones enumerat libellus anonymus anno 1589. Romæ editus tit. *Le Coſe meraviglioſe dellalma citta di Roma.* Non eſt prætereundum templum Sophiæ : quod captâ Conſtantinopoli Turcæ cultui ſuo vindicârunt , referente hiſtorico anonymo apud *Cruſium in Turco-Græciâ lib.* 1. *pag.* 15. *Georg. Douſa in Itinere Conſtantinopolit. pag.* 361. 367. fatetur ,

secum illud perlustraret stupore quodam attonitum fuisse. Est, inquit, „ moles, tam magnificatam excellens, at eâ nihil angustius, aut in speciem magnificentius solem illuxisse arbitrer. Si quis pro amplitudine ejus aliquid dicere instituere, in cassum laboraret, nunquam utique ad orationis suæ scopum perventurus. *Petrus Gyllius lib.* 2. *topograph. Constantinopolit. cap.* 3. 4. 5. prolixius illud describit. In anonymo Geographo Arabe, quem Nubiens. in appellant, climatis 3. part. 5. maxima aliquot templa Hierosolymitana referuntur: quæ tunc, cum scriberet, exstabant, circa annum 1150. III. Pseudo Israelitica 1. Excelsa, quorum jam meminimus, ad imitationem Gentilium constituta. 2. Samaritarum templum Garizitarum, quod stetit 200. annis, *Joseph. antiquit. lib.* 11. *c.*8. *commentar. in Johann.*4. 3. Templum Heliopolitanum in Ægypto ad similitudinem Hierosolymitani exstructum, quo conveniebant Judæi in Ægypto. *Fl. Joseph. antiquit. lib.* 13. *c.*6. IV. Templa Saracenica, de quibus scriptores rerum Turcicarum. V. Hodiernæ synagogę Judaicæ, quæ quales sint, & quid illis à Judæis tribuatur, discant studiosi ex *Buxdorfii synagogâ Judaicâ.* VI. Templum Delphicum. VII. denique templa Papistica, quorum descriptionem in gratiam Juniorum hic subjicimus.

CAP. II.

De Templis Papisticis.

§. 1. Considerenda eorum 1. Materia & partes. 2. Forma externa. 3. Causę efficientes. 4. Fines. 5. Adjuncta. 6. Consentanea. 7. Pugnantia. 8. Divisio. Est ergo.

1. *Materia* seu partes ejus, unde constat 1. *continentes* tres, chorus, ipsum templum quod navem quidam appellant, & turris seu vestibulum. 2. *Contentæ*, sunt vel σεβάσματα, vel receptacula, vel utensilia sacra. *Illa sunt*, reliquiæ, imagines, cruces, imprimis Deus missaticus; quibus adde res consecratas, oleum, salem, aquam benedictam, cereos seu candelas, & similia.

Problem. *Ad quam classem referendæ sint statuæ Sibyllarum in templo Capuchinorum Venetiis.* Resp. Disq. permittimus.

Receptacula sunt *tum* cryptæ in choris, *tum* sepulcra magnificè exstructa, imprimis sanctorum Clericorum.

Utensilia sunt altaria, thuribulum, calix, ampulla, campanæ, anathemata, candelabra, baptisteria, ταμεῖα seu ciboria, Organa, sellæ confessionum, ambones, &c.

3. *Partes*

3. *Partes adhærentes* aut extrinsecus adjunctę (quæ quasi partes) sunt, cœmiterium, porta, ossuarium, sacella, ædes sacerdotum, carcer Episcopalis, scholæ, crux & gallus in turri, alicubi etiam stella, &c. de quibus infra. Interim, si quis penitius hæc perspicere desideret, consulat *Durantis rationale*, *Josephi Vicecomitis observationes Ecclesiasticas*, *Viviani Rationale Juris canonici*, *Pontificale & Episcopale Romanum*, *Bartholomæi Gavanti thesaurum sacrorum rituum*: & nostris *Hospinian. de templis lib.* 2. & 3.

II. *Forma* consideratur vel architectonicè, vel religiosè. *Illa est*, 1. ut sint ad similitudinem templi Salomonis in tres partes distributa: πρόναον, ναὸν, βῆμα seu ἱεράτειον. 2. cum domuncula connexa, quæ ædicula salutatoria dicebatur. 3. ut ad orientem sint conversa, & quatuor latera habeant. Pro formâ hac vide disputantem *Bellarminum lib.* 3. *de cultu Sanctor. c.* 3. *Ista*, est forma relativa, ita ordinata ad honorem & cultum Dei ac sanctorum. De quo mox dicendum, & infra in problematibus.

III. *Efficientes* 1. laxè & impropriè dictę sunt occasiones quas imprudenter dederunt antiqui, imprimis post sęculum Constantini. Cum enim ipse magnificentiâ suâ contendens pro Christianismo adversus Gentiles, templorum necessitati ac commoditati splendorem addere cœpisset (*Euseb. lib.* 2. *de vitâ Constantini.* Et *lib.* 3. ubi de templis Salvatoris, Theophaniæ, Assumtionis in Judeâ ut & de templis partus virginis, Ascensionis Christi, à matre ejus ibidem exstructis) facile fuit posteris ex κακοζηλίᾳ Gentilium (quorum superstitio externâ illâ templorum pompa superbiebat & potissimum plebi se commendabat) inventis illis aliquid addere. Non est tamen negandum antea sub Maximino ambitionis & κακοζηλίας istius stricturas alicubi emicuisse, de quo vide *Euseb. lib.* 10. *c.* 2.

Ut autem occasiones superstitionis papisticæ juniores in numerato habeant observent hosce actus antiquorum 1. Templa Ethnicorum minimè apta concionibus, aliisque pietatis exercitiis in usum suum converterunt: quod tamen culpandum non fuit, imprimis quia alia ædificia ipsis non suppetebant. 2. Quod factum tamen in illâ instanti necessitate cum legem & imitationem ipsis minimè præscribere debuisset, aliud aliquod excepit; novorum scil. templorum ædificatio, aut antiquorum instauratio, quæ cum Gentilium templis certarent numero, magnitudine, pretio & splendore. In *numero* peccabant, quia ibi locorum erigebant, ubi nulla hominum frequentia illorum usum aut necessitatem requireret. In *quantitate*, quia mole suâ, & altitudine non tam erant commensurata & proportionata conventibus & exercitiis Ecclesiasticis (quod tamen unicè requirebatur) quam otiosæ ęmulationi, contentioni, ostentationi, & typho sæculi. *De*

precio

precio & splendore idem judicandum. Prӕstitisset sane ad alium aliquem splendorem & pulchritudinem ipsius scil. Ecclesiæ, & singulorum membrorum tam internam quam externam sanctâ quadam æmulatione contendere. 3. Accessit, quod sepulcris martyrum, quæ prius ad loca conventus selegerant, templa passim inӕdificarent, idque ad imitationem Gentilium. 4. Hinc tandem ornatus, & utensilium nimis pompaticus apparatus; una cum dedicationibus. Originem & progressum istorum vide ex patribus & historicis annotatum apud *Hospinianum lib.* 1. *de templis cap.* 6.

Efficientes causæ propriè dictӕ *Remotæ*, & quidem *principales* sunt Papales Episcopi, sine quorum consensu non licet exstruere juxta decreta Juris Canonici *c.nemo de consecrat. dist.* 1. Idem obtinuisse in Orientalibus constat, ex ipsorum jure, & probavit hoc ex variis autoribus *Meursius in Glossario Græco barbaro* in voce σταυροπήγιον. Post eum plura ide hodiernis. Græcorum templis nos docuit *Jac. Goar in notis ad Euchologium* seu *Rituale Græcorum pag.* 13. & *seqq.* Minus *Principales* & subordinatæ sunt *patroni* sive clerici sive laici, & jura patronatus hunc in finem concessa: de quibus infra *part.* 2. *lib.* 3. Ut nunc non dicam de collectis & donariis aut simpliciter, aut etiam per illicia novorum sanctorum, reliquiarum, miraculorum, indulgentiarum, &c. technicè corrasis; quibus pleraque vana illa idoleia in tantam molem & splendorem excrevêre. Quin & aliquando pœna canonicâ potentioribus impositâ, eos pœnali & tamen pio opere templa ædificare coëgit. *Efficiens* proxima templi est dedicatio solennis ab Episcopo facta; de quâ ut & de *hilariis Encænialibus infra*.

IV. *Fines* sunt primarii vel secundarii. *Primarios* habet *Bellarminus* hos quatuor *cap.* 4. 1. ad sacrificandum Deo, & hinc dicuntur *templa*. 2. ad orandum, & hinc dicuntur *oratoria*. 3. ad martyrum reliquias honorificè conservandas, & hinc dicuntur *basilicæ*, seu *memoriæ* seu *martyria*. 4. ad populum verbo & sacramentis pascendum, & hinc dicuntur *Ecclesiæ*. *Fines secundarios* voco omnes illos, quos Bellarminus præteriit: quales sunt 1. Ut mortui in iis, & in sacellis ac cœmiteriis adjunctis sepeliantur. Rationes has commenti sunt Canonistӕ. 1. *Quia* minus ibi vexantur ab immundis spiritibus: 2. & *quia* sanctorum illorum, quibus Ecclesia consecrata, commendantur patrociniis: 3. *denique, quia* defunctorum proximi ad loca sacra venientes sepulturamque conspicientes, suorum recordantur, & pro iis preces fundunt *can. cum gravia* 13. *qu.* 2 *Lancelotus Institut. lib.* 2. *tit.* 24. 2. Ut sint asyla, de quo alibi dicendum; & forte infra. 3. Ut coronationes Regum & Principum in iis peragantur. 4. De Comœdiis, ludis fatuorum, & similibus antiquis templorum usibus sive abusibus nihil dicemus; quia videntur aliquando voluisse hӕc reformare, ut in *Concil. Basileensi* seu Sanctione pragmatic., & *Concil. Tridentin. sess.* 22. *cap.* 9.

V. *Ad-*

v. *Adjuncta* ſunt 1. *Magnitudo*, ſplendor, pompa, ornatus; de quo infra in problematis. 2. *Opulentia*, & immenſi ſæpe reditus; atque adeo dotatio; ad quam tenetur ille qui templum fecit conſecrari *c. nemo de Conſec. diſt.* 1. & *c. placuit*, 1. *qu.* 2. 3. *Reconciliatio*, quæ eſt quaſi altera dedicatio, per ſolum Epiſcopum peragenda. Modum & formam ejus exhibet *Pontificale Romanum.* Caſus, in quibus reconciliatio neceſſaria, deſcribit Jus canonicum: quando ſcil. polluitur ſanguine, vulnere, homicidio, ſepulturâ excommunicati. Quod ita intelligendum, ut polluto templo etiam cœmiterium pollutum ſit, non contra. De quibus vid. *Viviani Rationale Juris Canonici lib.* 3. *tit.* 40. 4. *Immunitas* Eccleſiarum triplex eſt, localis, perſonalis, realis. Localis, de qua hic agendum, eſt templorum, cœmiteriorum, & ædificiorum; quam *Vivianus* explicat eod. libro ſit. 49. Non debet ergo judex laicus in iis judicare aut hoſpitium quærere, & ſententiæ ibi habitæ ſunt nullę; non debent collectæ aut talliæ aut exactiones iis imponi, ſub pœnâ excommunicationis; cauſa ſanguinis illic agi non debet; reus criminis fugiens ad ea non eſt violenter inde extrahendus, nec debet amplius prętextu criminis commiſſi damnari ad mortem. (Excipiuntur tamen publicus latro, & nocturnus depopulator agrorum.) Quin immo, judices Eccleſiaſtici, qualis eſt vicarius cum adjunctis, non poſſunt intra corpus Eccleſiæ judicium exercere, ut declaravit congregatio Cardinalitium ad *Concil. Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 9. Porro de Immunitate Eccleſiarum operosè diſputat. *Zwarez tom.* 1. *de Religione tract.* 2. *lib.* 3. 5. *Peregrinationes*, non quidem ad omnia loca ſacra, ſed ad quędam, de quibus alibi, in 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de peregrinationibus Campoſtellanis* 6. *Stationes*, ſeu Proceſſiones. 7. Pervigilia, vel ſub prætextu cuſtodiæ templi, vel ſub prætextu devoti alicujus operis. Sic e.gr. ſolent in vico Boxtel diœceſeos Sylvæ ducenſis, pervigilia ſanguinis Chriſti celebrari; ſic paſſim nocte (quam vocant) Nativitatis Chriſti infantem in cunis agitare. 8. *Officium* divinum, ſeu horæ canonicæ à Clericis in choro recitandæ. Adde & litanias, roſaria aliaque, ſi quæ ſunt, orationum genera: quæ omnia ad finem primarium tertium ſupra memoratum reduci poſſunt. Nos de iis agimus *in* 3. *part. ſelect. diſpp. tit. proceſſiones*, *Jubilea*, de *Roſariis*, &c.

Cognata templorum ſunt 1. *domus*, quas vocant, religioſâ: quales imprimis ipſis ſunt monaſteria; deinde, & Xenodochia, orphanotropheia, ſeu brephotrophia, noſocomia, gerontocomia, aliaque ſimilia, de quibus 1. *decretal. de religioſis domibus*, & *Vivianus lib. cit. tit.* 36. 2. *Templa*, ut nos melius arbitramur, Gentilium, & Saracenorum: lac lacti non magis ſimile. 3. Etiam templa antiqua Hieroſolymitanum, Samaritanum, Heliopolitanum. 4. Denique templa Chriſtianorum quorundam extra Papatum, in

Oriente ſcil. quę externa forma, ornatu, &c. cum illis conveniunt. Vide de templis Græcorum *Meurſii Gloßarium* in voce πρόθεσις, & σκευοφυλάκιον, &c. Imprimis *Goar in notis ac Euchologium Gr. p.* 13. & ſeqq.

VII. *Locus*, ubi templa fundantur, debet eſſe utilis, ſalubris, ab omni onere & ſervitute liber; quamvis ſolitarius fuerit & ab hominum conſortio prorſus remotus, *Paulus de Citadin. de Jure patronat. part.* 3. *cauſ.* 1. *n.* 64. Et poteſt quilibet ad vendendum locum, ubi quis conſtituit templum fundare, favore religionis invitus compelli. *Idem ib. n.* 87. *Covarruv. lib.* 3. *variar. reſolut. c.* 14. *n.* 7.

VIII. *Opponuntur* 1. *Eccleſia* illegitimè fundata: quæ talis eſt, vel quia non habitus fuit conſenſus ſeu authoritas Diœceſiani juxta c. *Nemo.* 9. de conſecr. diſt. 1. *Henric. Boich de Jure patronat. c.* 2. *num.* 2. 3. *Novell.* 67. *c.* 1. & 2. vel quia fundator eſt hæreticus, ſciſmaticus, Apoſtata, Judæus, juxta Citadinis *part.* 3. *cauſa* 1. *n.* 13. 15. 16. *Anton. de Butrio de Jure patronatus cap.* 25. *n.* 11. vel quia non adfuerunt ſolennitates in fundatione adhibendæ, juxta c. *Nemo* de conſecr. diſt. 1. *Citadinis cauſ. cit. n.* 3. *&* 6. *Joh. Nicol. Delphin. de Jure patronat. lib.* 1. *n.* 112. vel quia in præjudicium antiquæ Eccleſiæ conſtructa eſt, quod fieri non debet juxta c. *Eccleſiæ* c. *Quicunque* cauſ. 16. qu. 1. *Citadin. part.* 3. *cauſ.* 1. *n.* 66. vel quia non eſt dotata, quod tamen neceſſario ad fundationem prærequiritur c. *Nemo* & Novellæ, & *Henricus Boich modo cit.* 2. *Eccleſia* non conſectata; nam conſecrationem requiri ad hoc ut ſit eccleſia, docent uno conſenſu Papales & Legiſtæ & Canoniſtæ. 3. *Eccleſia* profanata ſeu polluta, & non reconciliata; de quo *Zwarez de Religione tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 3. *c.* 2. Huc refer omnes eccleſias eorum, quos illi vocant hæreticos, aut ſciſmaticos. 4. *Repurgatio* templorum ab omnibus idolis, utenſilibus minime neceſſariis; quę à noſtris inſtitui ſolet, cum templa olim Papiſtica uſibus ſuis aptant. 5. Addunt illi templorum demolitiones, incendia, &c. quæ nobis tribuere ſolent. Sed calumnia eſt, nullibi enim demoliri ea permittimus, niſi cum neceſſitas publica, imprimis bellica hoc ſuadet: in quo caſu & ipſi permittunt, ſaltem ipſorum Hyperaſpiſtæ hoc promptiſſimè exequuntur. De converſione templorum in alios uſus publicos, infra dicemus. Porro pluribus templariam hanc calumniam retundimus *Deſperat. cauſæ Papat. lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 11. 6. *Antichriſti* fictitii (quem Papiſtæ exſpectant) adventus & victoria; quem templa omnia deſtructurum, miſſarum celebrationes abrogaturum opinantur.

IX. *Dividunt* ſeu potius diſtinguit Eccleſias *Zwarezius tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 3. *c.* 1. in eas quę autoritate Epiſcopi ſunt ædificatæ ac conſecratæ ad cultum divinum, imprimis orationem & ſacrificium; & in eas quæ

quæ eundem in finem eâdemque autoritate erectæ sunt, sed nondum consecratæ; & in eas quæ autoritate privatâ destinantur ad munera sacra. *Illas* dicit propriè & absolutè dici ecclesias; *istas* cum adjectione Ecclesias non benedictas; has verò æquivocè: quæ propterea loca sacra simpliciter dici nequeant, sed vel *Oratoria*, si sint in domibus privatis; vel *eremitoria*, si sint separata; vel *capellæ*. De cujus Etymologia vide *Lexicon Mathiæ Martinii, & Juridic. Calv.* Porro nomen *capellæ* notat apud Canonistas (ad *Caus.* 16. & 3. *Decretal. tit.* 37. & *Extravag.* de *Capellis*) 1. locum intra ecclesiam constitutum, ad divina benedictum, quæ pars ejus sit. 2. integram ecclesiam propriam ac benedictam, non parochialem nec matricem, sed simplicem. 3. Promiscuè Ecclesiam. 4. privatum oratorium. *Ecclesia* propriè & absolutè ita dicta, ut capellę contradistinguitur, dividitur in *regularem & sæcularem. Illa* est monasterialis, seu monasterii, ut e. gr. Minoritarum, Dominicanorum, Carmelitarum, Jesuitarum, Pręmonstratensium, &c. Quibus affines sunt ecclesiæ Beginagiorum; equitum sacrorum Johannicatum, Marianorum, &c. *Ista* dividitur in *Matrem*, seu matricem, & *non matrem. Hæc* est, quæ omni dignitate caret, quippe nullas sub se habens capellas nec clericos, sed tantum sacerdotem cum clerico. *Illa* est quadruplex cathedralis, collegiata, baptismalis, parochialis. *Cathedralis*, plerumque κατ' ἐξοχὴν *matrix* dicta est, vel quæ est majoris capituli; vel in quâ sedem habet Episcopus, eamque immediatè gubernat, unde & *Episcopalis* dicitur. *Collegiata*, quæ & *conventualis* dicitur, est in quâ plures, ad minimum, tres sunt, qui collegium constituunt, conventus collegiales celebrant, sigillum & arcam communem habent & fraternitatem inter se colunt. *Baptismalis* (quæ etiam *mater* dicitur) in quâ baptizandi sunt parochiani: nam una parochia, quamvis plures possit habere ecclesias parochiales, tamen non nisi unam baptismalem. *Parochialis* strictè dicta, in quâ parochiani verbum Dei audiunt, preces fundunt, & usum sacramentorum (excepto baptismo) percipiunt. De his canonistæ ad textus cit. & authores de Jure patronatus duobus tomis editi Francofurti anno 1609. quorum aliquos supra indicavimus, imprimis *Zwarezius tom. cit. de relig. tract.* 2. *lib.* 1. *c.* 24.: Nos supra *lib.* 1. *cap.* 5. & 6.

CAP. III.

Perstringuntur quæstiones de Templis, inter nos & Pontificios controversæ.

§. 1. Ccedamus nunc ad controversias: quæ vel *principales* inter nos scil. & Pontificios, quas *Bellarminus lib.* 3. *de cultu sanctor.* proponit; vel partim minus principales, partim hypotheticæ aut particulares, partim problematicæ. Illæ sunt quinque.

I. *An in* N. T. *sint aut debeant esse templa propriè dicta.*
II. *An eorum certa sit forma, & partes.*
III. *An sint dedicanda.*
IV. *An sanctis consecranda.*
V. *De eorum ornatu.*

Quod ad primam controversiam, *Bellarminus cap.* 2. & 4. affirmat templa talia esse quibus insit peculiaris sanctitas & efficacia, ad sacrificia scil. ad orationes privatas, ad martyrum reliquias honorificè conservandas. Nostri negant, ut videre est apud *Centuriator. Magdeburg. cent.*4. *c.*6. *Calvinum lib.*3. *Institut. c.*20. §. 30. Rationes sint istæ I. Quia ejusdem generis utensile erat templum constans sanctuario & oraculo, cujus tabernaculum, arca fœderis, propitiatorium, candelabrum, mensa, altare, &c. nec potest ulla ratio dissimilitudinis adferri, (vide *Hebr.*9. per totum) atqui negari non potest, illa fuisse symbolicè sancta, *tum* quatenus signabant peculiarem Dei inhabitationem & cum illo communicationem symbolicam; *tum* quatenus erant typica præfigurantia futura bona in Christo; *tum* quatenus consequenter faciebant partem cultus œconomici & ceremonialis instituti tantum usque ad tempus correctionis. *Hebr.* 9. & 10. *Col.*2. II. *Si loca* aut ædificia ejusmodi sacra sunt in N.T. erit sanctitas eorum relativa: atqui omnis relatio fundamentum suum habet: Hæc vero religiosa quæ prętenditur sanctitas, *nec* fundatur in jure divino (uti sanctitas tabernaculi, templi, arcæ, &c.) nusquam enim scriptura docet loca conventuum sacrorum esse sanctiora aliis; *nec* fundari potest in jure humano, quia partem cultus religiosi determinare & alicui rei religiosam sanctitatem tribuere est solius Dei, ut, ex. gr. aquam sanctificare ad baptismum, panem, & vinum ad cœnam. Si enim unum actum aut partem cultus divini instituti ordinare potest homo, quidni & alias quascunque. Et sic nullus sacrorum, sacramentalium, cultuum esset finis. Confer 3. *part. sel. dispp. tit: de Benedictionibus.* III. Quia in N.T. cultus noster verbi & sacramentorum nulli certo loco tanquam ad illud unice sanctificato, alligari potest, ut nec gratiosa

Dei præsentia. *Joh.4. 21. 24.* Confer rationes Peregrinationibus religiosis alibi (in 3. *part. select. dispp.*) oppositas. IV. Quia specialiter orationes privatæ nulli loco tanquam sanctiori alligatæ sunt 1 *Timoth.2.* 8. Immo non debent privatæ preces, & quidem statæ ac solennes in locis publicis fundi, sed in loco solitario, secreto, & occulto, *Math. 6. 5. 6.* V. Quia nulla sunt sacrificia externa, & propriè dicta in N. T. postquam jam semel oblatus fuit Christus, ut alibi ex professo disputatur. VI. Quia reliquias martyrum asservari ad sanctitatem aliquam aut cultum religiosum, nulla fides scripturæ, nulla pietas suadet. Quod à nostris probatur in controversiâ de *Reliquiis.* VII. Accedit consensus & praxis antiquorum: proximi enim Apostolicis temporibus nec habuerunt ejusmodi templa, nec etiam desiderârunt. De quo infra in problematibus dicemus. De Waldensibus, primis reformatoribus & reformatis in Galliâ, Belgio, Ducatibus Cliviæ, Montensi, Juliacensi, &c. & ubicunque corpus Ecclesiæ aut saltem maxima pars una cum Magistratu primitus non suscepit reformationem, notissimum est fuisse, & etiam alicubi esse absque externo & pompatico templorum apparatu Ecclesias præstantissimas. Doctrina reformata quænam fuerit hâc in parte, constat ex *Calvino* supra cit. Antagonistis Bellarmini *Junio*, *Amesio*, &c. *Hospiniano de Templis lib.* 1. *c.* 1. 2. &c. *Aretio problem. part.* 3. *p.* 229. *Plessæo de Missâ lib.* 2. *cap.* 1. *Zeppero de Polit. Ecclesiastic.*, *Polano syntagm. lib.* 9. *c.* 34. imprimis ex eruditiss. autore *Altaris Damasceni*, & *Riveto Catholic. Orthod. tom.* 1. *tract.* 2. *qu.*27.

Secunda controversia est de *formâ Templorum. Bellarminus cap.* 3. ridiculè admodum non tam probat jus, quam narrat factum, solere ea scil. exstrui 1. ad similitudinem templi Salomonis. 2. ad Orientem. Nos negamus ducti his rationibus. I. Quia est, ἐθελοθρησκεία & vacua observatio. II. Quia David & Salomon fuerunt prophetæ, qui divino instinctu templo talem formam tribuerunt, haut aliter ac Moses tabernaculo, ad cujus similitudinem principales partes & situs templi fuit constitutus: atqui tales architectos θεοπνεύστους non habent templa Christianorum. III. Quia nulli certo ædificii generi, nulli loco Ecclesia N.T. est astricta *Joh.4.v.*20.21.23. ergo nulli formæ templi. IV. Quia talis formæ imitatio si non Judaizat & Gentilizat, saltem speciem mali præ se fert. V. Denique præjudicat libertati Christianæ. §.2.

Tertia Controversia est de *dedicatione. Bellarmin. cap.* 5. histrionicas suorum dedicationes & earum effectum, quod templum inde *sit sanctum*, *venerabile & divina virtute præditum*, propugnat argumentis tam ineptis, ut mirum sit virum eruditum potuisse ea à pudore suo impetrare. Nos contra negamus templa aliter (quod ad formam & speciem actionis) §.3

dedicari posse aut debere, quam domos privatas, curias, scholas &c. juxta 1 *Timoth.* 4. Rationes sunt I. Quia quidquid non sit ex fide, est peccatum *Rom.* 15. *v. ult.* atqui formulę, ceremoniæ, & intentio istius dedicationis omnes sunt sine fide: nusquam enim Deus tale quid petiit à nobis. II. Quia est mera effossio & κακοζηλία ceremoniarum V. T., ut & Ethnicismi. Videatur *Rivetus loc. cit.* III. Denique multa falsa & absurda in illis dedicationibus præsupponuntur, multa ridicula, otiosa, & superstitiosa committuntur: quæ sigillatim alibi exponenda. Interim videndi *Rivetus loc. cit. Hospinianus lib.* 4. *Martyr. locor. comm. class.* 4. *c.* 9. *& class.* 3. *c.* 5. *Junius & Amesius in Bellarmin. Polanus loc. cit. Lavater. in Nehemiam, Aretius loc. cit.*

Quarta controversia est, *An sanctis sint templa dedicanda.* Aff. *Bellarm. c.* 4. ubi duplicem Papistarum expositionem adfert. *Una* vult, sacras ædes non posse erigi nisi Deo; denominari verò à sanctis, quod ibi præcipuè colantur ipsorum memoriæ, & ipsi tanquam patroni advocentur. *Altera*, eas verè & propriè sanctis ædificari, non tamen sub ratione templi; sed basilicæ; vel memoriæ. Sed Andabatarum pugnam, & utrorumque errorem detegunt autores nostri jam citati.

Quinta conttoversia est, de ornatu templorum: quam tractat *Bellarminus* 6. *cap.* libri cit. Nos absolutè templa, eorumque ornatum non rejicimus: sed ornatum 1. *redundantem sive excessivum* in superbâ structura, in calicibus, vestibus, aliisque ornamentis. 2. *Alienum*, in raris, admirandis, & pompaticis quibusdam spectaculis; qualia potentissimorum monarcharum & Regum sæculari pompæ, magnificentiæ, & aulæ potius conveniunt, quam oratoriis Christianorum. 3. *Superstitiosum*, in pretiosis crucibus, imaginibus, earumque vestitu & ornatu. Videamus nunc quid *Bellarminus* ornatui suo prætendat. Nos ex ipso has rationes excerpimus.

1. *Object.* Est opus bonum & pium ex genere suo, ingentibus sumtibus, &c. *Resp.* Non est quęstio in genere an ingentes sumtus ad gloriam & cultum Dei in aut ad utilitatem proximi sint faciendi: sed in specie, an ingentes sumtus ad talem ornatum templorum, qualis est Papisticus, sint faciendi.

2. *Object.* A magnificentissimâ ædificatione templi & tabernaculi. *Resp.* Est inconsequens. In ornatu illo erat ratio typica; uti in sacrificiis altaribus, lotionibus, lustrationibus, &c. *Deinde* nitebatur ornatus ille expresso Dei mandato. Sed de oratoriis sub novo Testamento, talique eorum ornatu juxta sensum & praxin Papistarum, hoc dici nequit.

3. *Object.* Argui non possunt, qui donant partem bonorum suorum ad ornandam Dei domum? *Resp.* Argui possunt, si donent ad redundantem, aut

aut alienum, aut ſuperſtitioſum & idololatricum ornatum, aut ex opinione meriti.

4. *Object.* Ex facto mulieris *Math.* 26.*v.*12. quod Chriſtus laudat tanquam bonum opus; *Reſp.* A facto quod ex inſtinctu extraordinario mulier *fecit, ad funerandum* Chriſtum (ut *ibidem verſ.*12. loquitur); nulla eſt conſequentia ad ordinarium fidelium officium in procurando templorum ornatu, qualem Papiſtæ prætendunt. *Deinde* nulla eſt conſequentia à Chriſto in terris verſante, ad templum; à funeratione Chriſti ad ornatum templorum; ab expenſis in funerationem Chriſti (quales etiam erant Nicodemi & Joſephi Arimathenſis *Joh.* 19.), ad expenſas in Papiſticum ornatum templorum.

5. *Object.* Apud Prophetas prædictus fuit hic ornatus ſub novo Teſtamento futurus. Ergo procuratione talis ornatus, prophetia illa ad literam tempore Conſtantini impleta eſt? *Reſp.* Prophetæ gloriam Chriſti, & Euangelii, nec non eccleſiæ pulcritudinem & ornatum ſpiritualem prędicunt, ſub involucris, parabolis, & ſchematibus à ſplendore, excellentia, magnificentiâ, gloriâ rerum ſæcularium deſumtis. Qui iſtas aliaſque ſimiles prophetias ſecundum analogiam contextus, ſcripturæ, & fidei ſic non intelligit, is nihil intelligit, & Judæis כמשמעו *cemaſchmegno*, h. e. *ut verba ſonant*, & ſecundum literam omnia illa *Jeſ.* 2. & 11. & 19. *Ezech.* 47. &c. accipientibus accedit, iiſque totam cauſam tradit. Illi enim quamplurima colligunt argumenta ex Prophetiis ſecundum literam nondum impletis, quibus probent Meſſiam non veniſſe.

6. *Object.* Domus quo majori principi ædificatur, eo debet eſſe major? *Reſp.* A factis, rebus & apparatu ſæculari ejuſque adjunctis principum ſive ex vanâ gloriâ, ſive ex neceſſitate ſeu indigentià quæſitis & conſtitutis; ad res & apparatum, cultus divini, abſurdiſſima eſt conſequentia. 1. *Quia* Deus talibus non indiget *Actor.* 17. *v.* 24. 25. 2. *Quia* Deus talia non poſtulat à manibus eccleſiæ ſub N. T.: corpore enim adveniente umbræ ceſſare debent. Poſſet alioquin quis argumentari; Regibus magna & multa munera offeruntur: ergo multa & pinguia ne ſacrificia, immo & plurimæ hecatombæ Deo ſub N.T. offerendę ſunt. 3. *Quia* regnum Chriſti, nec eccleſia eſt de hoc mundo; quamvis ſit in mundo: ergo cultu divino mundum in mundano regum cultu imitari non debet; & typhum ſęculi in eccleſiam & ſimplicem fidem ac religionem inferre.

CAP. IV.

Problemata textualia & historica de Templis explicantur.

§. 1. PRoblemata nostra de Templis distribuemus in tres classes 1. in textualia, & historica. 2. in dogmatica. 3. in practica. Primę classis sint nobis ista, & quidem.

1. *An & quæ sanctitas sit tribuenda tum tabernaculo & templo (de quibus supra cap. 2.) tum viis & locis*, ut *Coloss.* 4. 13. *Exod.* 3. 5. 2 *Petr.* 1. 18. &c. *Resp.* Quædam *nuncupativè* & ex usu communi hominum consueto nomine ita dicuntur tantum, ut civitas illa Hierapolis *Coloss.* 4. 13. haut aliter ac Bethsemes, Abednego, Belzazar, &c. Erant enim hæc nomina à Gentilibus ex superstitione ita imposita. Quædam *revera sunt sacra*, non quidem in se aut inhærenter, sed relativè & talia dicuntur metonymicè, *tum* quia aut continent aut etiam tanquam causa minus principalis producunt res sanctas & sanctitatem, *tum* quia eam signant. Quæ *tantum continent* ad momentum, ut *Exod.* 3. 2 *Pet.* 1. vel ad tempus ut Bethel *Gen.* 28. 16. 17. 18. dum ibi durabat apparitio divina, aut signum & monumentum ejus ibi erectum: quomodo mons Hebal *Deuter.* 27. 4. 5. 6. poterat dici sanctus, quia ex mandato Dei in eo erectum erat altare: vel *ordinario*, idque vel ad tempus seu provisionaliter, vel in perpetuum usque ad tempus correctionis. Illius generis loca sacra fuerunt, Mispa, Silo, Gibeon, civitas Davidis, ubi fuit arca aut tabernaculum. Istius, Hierosolyma & mons Sion *Psal.* 2. 1. *Math.* 4 5. *Loca sacra* quæ non tantum continent sed & producunt sanctitatem seu cooperantur rebus sacris sunt duplicia; vel quæ physicè, vel quæ moraliter agunt. Priori modo concurrebat altare ad sacrificia, haut aliter ac charta ad scriptionem, via ad profectionem, incus ad fabricationem clavis; quam philosophi nonnulli vocant instrumentum passivum; intellige magis passivum, comparativè scil. ad calamum, aut malleum. Posteriori modo nonnulla concurrunt *per modum impetrationis*, ut templum ad efficaciam & exauditionem precum; & propitiatorium ad obtinendum responsum Dei: alia per modum instrumenti moralis, signi scil. significantis præsentem, & typicè præfigurantis futuram Dei gratiam. Et hâc postremâ denominatione omnia loca sacra tum ordinaria tum extraordinaria; tum mutabilia tum permanentia; tum nudè continentia, tum cooperantia, possunt dici instrumenta moralia sanctitatis, quia significando ex instituto divino gratiosam Dei præsentiam in & per sacram aliquam Dei erga homines, aut hominum erga

erga Deum operationem ibi peractam aut ex ſpeciali electione & conſecratione Dei peragendam, producebant & promovebant ſuo modo ſanctitatem in hominibus: breviter erant ſanctificationis & religionis organa divinitus ſelecta.

II. *An loca extraordinariò ſacra, talia fuerint & verè dici potuerint, poſtquam tranſiiſſet res ſacra ibi exhibita, aut ſignum ſacrum ibi erectum. Reſp.* Neg. ex. gr. Bethel, Machanaim, Mons Hebal, Mons Horeb. Aliter ſe res habet in Prophetis Dei, qui recedente apparitione aut revelatione, manebant tamen ſacro illo dono ab aliis diſtincti: de quo alibi.

III. *An Hieroſolyma & locus templi fuerit ſacer 70. annis captivitatis Babylonicæ, etiam urbe & templo everſis. Reſp. Aff.* ex *Danielis* 6. 10.

IV. *An poſt crucem Chriſti, imprimis poſt rejectos Judæos, & propagatum Euangelium inter gentes, terra ſancta, Hieroſolyma urbs ſancta, loca ſacra ibidem fuerint, & propriè ita potuerint dici, ſive propter apparitionem & præſentiam Dei, quâ olim ante adventum Chriſti ornata fuerunt Pſal.* 68. 17. & 8. 2. 3. & 76. 2. 3., *ſive propter præſentiam Chriſti, qui loca illa calcaverat, & actionibus, paſſionibus, miraculis ſuis inſigniverat. Reſp. Neg.* Immo potius loca illa rejectanea & maledicta eſſent dicenda, non minus quam illa *Malach.* 1. 4. metonymicè ſcil. tum ratione abominationis ibi perpetratæ à Judæis, tum ratione judiciorum divinorum, quæ ibi exſecutus eſt. Vide *Math.* 23. 39. & 24. 15. 16. *Hebr.* 13. 12. 13. 14. *Luc.* 19. 44. & 21. 5. 6.

V. *An ergo ſatis ex fide, abſque errore & ſuperſtitione, bella ſacra olim ſic dicta ſint, & Chriſtianiſmo tantopere commendata, expeditiones in terram ſanctam ſuſceptæ, ordo militum templariorum inſtitutus, tot peregrinationes Hieroſolymitanæ à privatis hominibus devotionis ergo peractæ? Reſp. Neg.* Et merito Deus iram ſuam de cœlo oſtendit bellorum iſtorum tam infelici exitu, ut & ordinis Templariorum ſeu Hoſpitalariorum tam luctuoſo (nihilominus ratione perpetrantium crudeli & injuſto, ut nos putamus: de quo infra *part.* 2. *lib.* 4.) excidio, adhęc peregrinationum iſtarum abolitione, dum locis illis Turcam impoſuit. De *bello ſacro* conſulendi *Wilhelmus Tyrius*, cum ſupplemento *Johannis Beroldi*, adhæc *anonymi Chronicon Hieroſolymitanum à Reineccio* editum, ut & epitome edita à *Caniſio tom.* VI. *antiq. lectionum. De Templariis* Uſpergenſis & Cuſpinianus in Friderico II. *Volaterianus lib.* 21. *Albericus de Roſare in Dictionario, Paulus Æmilius in Philippo Pulchro*, ex recentioribus *Pleſſeus in Myſterio Iniquitatis* ad annum 1308. ubi autores citantur qui innocentiæ templariorum patrocinantur *Bocacius, Villanus, Antoninus, Nauclerus, Aventinus*, &c. adde *Albericum in Dictionario*, ex quo *Spiegelius*, & *Calvinus in lexicis ſuis juridicis*. De Templariis aliiſque equitibus ſacris,

 infra

infra *part.2. lib.4.* nonnulla exhibemus. De *Peregrinationibus* ad terram ſanctam, elegans epiſtola Nyſſeni, cum diatribe Molinęi ei ſubjectâ, Hoſpinian. Chamier. Rivetus, &c. alibi citandi. Nos de cruciatis expeditionibus in 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de Staurolatria.*

VI. *Quid de altari à Rubenitis erecto Joſuæ 22. ſentiendum? Reſp.* Nullo modo fuiſſe ſacrum, ſed tantum monumentum & ſignum humanum ac politicum ex intentione eorum qui ædificârant; ut conſtat ex *v.*23. 28. 29. Negamus tamen prudenter ſignum illud conſtitutum fuiſſe in formâ altaris, propter ſpeciem ſcil. & occaſionem mali: præſertim cum abſque ullâ difficultate alio aliquo monumento poſteros potuiſſent commonefacere.

VII. *An Iſraelitæ decem tribuum poſt apoſtaſiam Jeroboami fuerint ſine omni loco ſacro atque adeo ſine ſacrificio, ſine verâ religione & Eccleſiâ. Reſp. Neg.* Quamvis enim non fuerit populus ille (ſiquidem communitas ejus materialiter & formaliter, imprimis repræſentativè in potioribus ſuffragiis primorum & ſacerdotum; & ſi ratione demeriti conſideretur) unica illa viſibilis Dei eccleſia in terris: non tamen fuit ſine omni eccleſiâ, nec libellum repudii ante captivitatem Aſſyriam accepit; ſed in eo remanſerunt ſemper aliquot veſtigia fœderis, atque hâc ratione conſervatæ fuerunt in mediâ illâ apoſtaſiâ Jeroboamica & Baalitica reliquiæ purioris Eccleſiæ: quod probamus. *Primo*, ex exſertis ſcripturę teſtimoniis 1 *Reg.*10. 18. cum *Rom.*11.3. 4. 5. cujus eccleſiæ reſpectu aliquo modo cum populo illo, in quo erat Eccleſia, fœdus Dei continuatum ac tenui quaſi filo alligatum fuiſſe dicendum eſt 2 *Reg* 13. 23. & 14.26. 27. *Secundo*, ex eo, quod demum libellum repudii populo illi datum, eumque finaliter & eccleſiaſticè & politicè diſſipatum ac rejectum fuiſſe conſtet ex *Hoſeæ* 1. 6. 9. cum 2 *Reg.*17. 18. 24. *Tertio*, quod Deus externa media & ſigna fœderis non plane ſubſtraxerit: ut per partes demonſtrari poteſt. 1. Non enim fuerunt plane ſine lege & verbo Dei, ſine paſtoribus & Doctoribus *tum* extraordinariis (quales *Amos*, *Jonas* 2 *Reg.*14. 25. Michas filius Jemla 2 *Reg.*22. 7. 8. Elias, Elizæus, Ahias Silonites, Obed 2 *Paral.* 28. 9. *tum* ordinariis, quales arbitror fuiſſe pleroſque illos prophetas & filios prophetarum 1 *Reg.*19. 10. & 18. 4. 2 *Reg.*2. 8. 15. 16. Adde ſcholas à Prophetis Dei apertas 2 *Reg.*2. 15. & cœtus ſive publicè ſive privatim habitos. Ita ut teſtes, præcones, Doctores, diſcipuli veritatis nunquam defuerint, quod ex variis indiciis jam allatis & porro adferendis tum imprimis ex facto populi 1 *Reg.*18. 39. 40. deprehendimus. 2. Non fuerunt ſine orationibus Deo placentibus; ne quidem ſecundum œconomiam V. T. Poterant enim preces ſuas fundere cogitando templum Hieroſolymitanum, haut aliter ac Judæos in captivitate Babylonicâ, & Danielem *Dan.*6. & poſtea ſæculis aliquot ἐν διασπορᾷ feciſſe credendum eſt

3. Pii

3. Pii etiam ſubinde orandi cauſa, imprimis feſta celebrandi ad templum aſcendebant: quod colligimus ex 2 *Paral.* 30. 11. 18. *Deinde* ex ſimili facto Judæorum & proſelytorum, qui feſta reliquumque cultum Moſaicum ita obſervabant. Et hoc putamus potuiſſe fieri abſque difficultate tempore pacis; tempore verò belli, quamvis difficilius, impetrato ſalvo conductu. Ex Rabbinis Sel Jarchi, Aben Ezra, Kimchi exponunt *Hoſ.* 5. 1. populum iviſſe ad ſtatas ferias 4. Quia autem religio poſt lapſum hominis nulla fine ſacrificio, dicimus eos à Deo hic non plane relictos: Quamvis enim ſubinde eclipſes interceſſerint, (quod & Judęis in captivitate, & tempore Antiochi evenit) non tamen fuerunt totaliter deſtituti. Nam *primo* fide participabant ſacrificia in templo quotidie oblata, eâ ratione quâ Judæi in exiliis & διασποραῖς. *Deinde* & ſuo in loco habebant ſacrificia ſive ſubinde ſive ordinariis & ſtatis temporibus: nec deerant miniſtri & ſacerdotes ſi non ordinarii, reſidui ſcil. ex familiâ Aaronis ab erroribus puri, idque mandato & ductu prophetarum, (quod tamen non videtur omnino negandum): ſaltem extraordinarii, prophetæ ſcil. (quales ex. gr. Elias 1 *Reg.* 18.): nec denique ignis cum locis & inſtrumentis ſacris analogicè κτ̃ τὴν κἰνοχὴν τοῦ θεοῦ, & ſecundum peculiarem atque extraordinariam œconomiam ſic dictis, & per Prophetas ſanctificatis. 1 *Reg.* 18. 30. 32. & 19. 10. 14. *Rom.* 11. 3.

Probl. 1. *An in excelſis Juda, & altaribus Iſrael in Dan & Bethel legitima & Deo accepta ſacrificia oblata fuerint? Reſp.* Neg. 11. *An obſcuritati ſucceſſionis eccleſiarum in occidente, imprimis poſt decimum ſæculum, rectè opponantur Pontificiis loca* 1 *Reg.* 19. 18. *& Rom.* 11. 4. *Reſp. Aff.*

VIII. *An in* N. T. *tempore Chriſti & Apoſtolorum fuerint templa, hoc eſt ædificia publica eccleſiaſticis conventibus dicata? Reſp.* Affirmant Pontificii *Baronius anno* 57. *n.* 98. *Corn. à Lapide in* 1 *Cor.* 11. *Bellarminus lib.* 3. c. 4. *Bayllius in catecheſi*, adductis locis *Math.* 21. 13. *Luc.* 7. 4. 1 *Cor.* 11. & 14. 34. Noſtri, qui ex profeſſo rem hanc penſitârunt, negant: ut videre eſt in notis *Fr. Junii ad Bellarmin. lib.* 3. *c.* 4. *n.* 6. & 22. *Hoſpinian. lib.* 1. *de Templis cap.* 6. Solus fere, quod ſciam, quaſi aliud agens contrarium innuere videtur *Bucanus in locis commun. loco* 41. *pag.* 458. ubi ἐκκλησίαν 1 *Cor.* 14. 34. exponit per ἐκκλησιαστήριον. Ulterius progreſſus eruditiſſ. *Fullerus Miſcell. lib.* 2. *c.* 19. opinionem hanc ex profeſſo propugnat, inſiſtens potiſſimum 1 *Cor.* 11. 18. quem citat & ἀβασανίστως in Onomaſtico ſuo, in voce Eccleſia ſequitur *Mat. Martinius.* Nos, ut verum fateamur non videmus cur hujus loci explicatio à noſtris modo cit. & à *Bezâ*, *Martyre*, &c. in commentar. propoſita, ſit deſerenda. Præſertim cum nec Syrus aut Arabs Paraphraſtes, immo nec *Cajetanus*, *Lyranus*, gloſſa interlinearis, &c.

 tale

tale quid exprimant, nec ipsa phrasis Græca nos cogat, quin & temporum istorum facies contrarium suadeat, & exsertis scripturæ testimoniis doceamur præter synagogas Judęorum & porticus templi, privatas ædes inserviisse conventibus fidelium, aut loca quævis, quæ se offerebant *Joh.*20. 19. *Actor.*1. 13. & 5. 42. & 4. 23. 31. & 12. 12. & 13. 42. & 14. 1. & 16. 13. 16. & 20. 8. 9. & 19. 9. 10. & 28. 30. 31.

Fullerus objicit vers. 20. ejusdem capitis haberi ἐπὶ τὸ αὐτό, id est, eodem loci: & *vers.*22. 34. domos privatas singulorum opponi domui publicæ, hoc est, templo, & legem antitheseos requirere ut intelligatur ædes sacra. Resp. *ad prius*, nimis illud esse infirmum. Nam *primo* ἐπὶ τὸ αὐτό, etiam exponi potest, *unà*, ut observat *Beza* ad *Actor.*2. 1. & sic transfert vulgata 1 *Cor.*14. 23. *Deinde*, nihil aliud inferri posset, quam locum fuisse, ubi conveniebat Ecclesia. Sed quæ consequentia à loco in genere, ad ędem sacram ad omnes fideles spectantem, non verò privati juris, seu ædificium publicum & juris divini sacris cœtibus peculiariter assignatum. Resp. *ad posterius:* Esse plane inconsequens. Hoc quidem infertur conviviorum esse differentiam, & convivarum, & societatum, & locorum (per extrinsecam scil. denominationem) ut de fine nihil dicam. Nam illic privata erant convivia & unius familiæ convivæ, & privata triclinia seu domus; hic vero publica convivia, & totius communitatis ecclesiasticæ convivæ, & loca usu publica, quippe ubi ecclesia jam convenerat & sacra communia peragebat, quamvis mancipio manerent privata. Sed quæ consequentia à genere ad speciem affirmativè: ab eo quod in scripturâ dicitur, ad aliud aliquid præterea quod nec dicitur nec inde colligitur, sed fingitur, & in textum θύραθεν intruditur, ædificium scil. statum ac publicum, quod sit nullius in bonis, ad quod fideles concurrere solent aut verbi audiendi causâ, aut precum effundendarum, hoc est, ut Fullerus loquitur, ad *ædem sacram, domum Dei, sacris cœtibus peculiariter assignatam*, *totius cœtus Christiani communem, quæ humani & privati juris non sit*, *sed divini.* Ego puto, sic argumentando peti id quod in quęstione est.

Sed Instat *Fullerus*: Necessariò intelligendum esse ita alterum antitheseos membrum, ne claudicet; sed ut certa consistat antithesis. *Resp.* Quasi verò cum senatus civilis, aut militaris extra statas basilicas alicubi convenit, non valeret ratio dehortandi aliquem ab indecora actione ibi committenda (quæ tamen fieret in privatis ædibus); nisi locus ille usu mancipio publicus sed privatus prius transformetur in statam & ordinariam aulam, curiam, &c. Quod verò cum Pontificiis Fullerus pro hâc interpretatione & consequentiâ suâ adducit *Augustinum Quæst. super Levitic. lib.* 3. *qu.* 57. id responsum non meretur. Subtilis quidem & profundus disputator fuit *Augustinus*; nec

non

non eximius practicus: sed in textualibus scripturę interpretationibus non usque adeo felix: quod Pontificii alias fatentur. Locus *Jacobi 2. v. 2.* quem causę fulciendæ adducit *Fullerus*, à receptâ nostrorum sententiâ minimè nos dimovebit: potest enim per synagogam intelligi aut idem quod *Hebr.* 10. 52. hoc est cœtus; aut synagoga antiqua à Judæis olim exstructa, quâ adhuc utebantur Christiani ex Judæis conversi tanquam ædificio publico; cujus χρήσει non exciderant conversione suâ. Hanc posteriorem interpretationem non esse inconcinnam docet inscriptio epistolę *cap. 1. v. 1.* ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ. Conferantur loca *Act.* 13. & 14. 1. & 17. 1. 2. 10. & 18. 4. 8. 17. 26. 28. & 19. 8.

Objiciunt præterea Pontificii 1 *Corinth.* 14. 34. 35. Sed nihil inde conficitur, quam in cœtu ecclesiastico non esse loquendum (id est, docendum 1 *Timoth.* 2. 12.) fæminis, quod per se illicitum; & consequenter nec in loco illo (quicunque tandem ille sit) ubi & dum scil. ecclesiæ conventus ibi esset. Quod si quis instet ratione loci, & non ratione ecclesiæ hoc dici; sequeretur hoc absurdum, non posse fœminam docere, ibi ex. gr. liberos suos, etiam cum non habetur conventus. Dato locum per se respici, nondum tamen evincitur esse illum ędem sacram, aut domum publicam, de quâ quęritur. Quę ex *Luc.* 7. 5. & 19. 46. proferunt, nihil faciunt ad statum N. T., de quo quæritur: cum agatur ibi de synagoga & templo veteris testamenti.

IX. *An & quomodo synagogæ sub V. T. possint dici ædes sacræ, & domus Dei. Resp.* saltem majori ratione dici non possunt, quam ædificia ecclesiastica sub N. T, (quę quomodo sint & non sint dicenda sancta, mox videbimus) si non minori ratione. Nam totus cultus publicus qui nunc obtinet in nostris templis peragitur: in synagogis totus cultus, qui tunc obtinebat, peragi non poterat. *Deinde* synagogæ etiam aliis usibus inserviebant ex. gr. scholasticis; hinc etiam promiscuè synagoga apud Rabbinos notat scholam & ecclesiasterion. Vide *Drusii præterit. lib.* 3. *p.* 83. & *lib.* 5. *p.* 186. *Philonem de vitâ Mosis lib.* 3. Saltem nec locus cultui omni, nec vicissim cultus omnis loco erat alligatus & consecratus jure divino; consequenter non erat sanctus. Unde putamus cautè accipiendum, quod ait Fullerus; dictas fuisse *synagogas Dei Ps.* 74. 8. *non solum ex fine, utpote cultui divino dedicatas, verum etiam ex efficiente, utpote secundum Dei voluntatem exstructas.* Si directam, aut immediatam aut specialem Dei voluntatem intelligit, qualis fuit de tabernaculo, templo, altari, &c. utique probationem desideramus: sin vero consequentem, aut mediatam aut generalem, qualis ex, gr. de Academia, curia, Xenodochio, porta, foro, &c. ubi scil. determinatio specialis libertati & potestati hominum permittitur, utique concedimus.

X. *An jam inde ab Apostolico sæculo usque ad Constantinum fuerint templa seu ædes sacræ ? Resp.* Domus quidem *tum* privati juris sed usu publicas; *tum* publici juris, usu vero privato publicas, aut etiam publicas fuisse concedimus: sed de templis seu ædibus sacris materialiter & formaliter sic dictis negamus cum *Centuriatoribus Magdeburg. Junio in Bellarm. Plessæo de Euchar.lib.2.c.1. Hospiniano lib.1.c.6. Zeppero Polit. Ecclesiast. lib.1.c.25. Aretio problem. tom. 3. Riveto catholici Orthodoxi tom. 1. Bullinger. lib.1. de orig. err. c.20. Vedelio exercit. ad epistolam Ignatii ad Magnes. cap.4. Justello in notis ad canones Eccles. Universæ canon.* 113. Contra affirmant Pontificii *Baronius ann.57.n.99. & ann.109.n. 25. Bellarminus, Bayllius loc. cit.* & cum iis *Fullerus.*

Nos rationes istas opponimus. I. quia *Origenes libr.* 8. contra Celsum exprobrantem Christianis quod *aras, simulacra, delubra* fugerent & non fundarent; id concedit. Et *Minutius in Octavio*, fatetur, se *delubra & aras* non habere. Qui autores scripserunt post annum 200. *Arnobius lib.*6. itidem fatetur, *ædes sacras venerationis ad officia non exstrui* à Christianis. Lactantius lib.1.c.2. Gentiles ita urget: *Cur oculos in cœlum non tollitis? & advocatis Deorum nominibus in aperto sacrificia non celebratis ? cur ad parietes, & ligna & lapides potissimum quam illo spectatis, ubi eos esse creditis ? Quid sibi templa ? quid aræ volunt?* &c. & scripserunt hi autores post ann.300. II. *Quia* in cœmiteriis seu ad sepulcra martyrum conventus (cum per adversarios poterant) ordinarios habebant, ut constat ex *Concil. Laodic. c.9.* ex verbis Æmiliani præsidis apud *Euseb.l.7.c.10.* & *l.9.c.2.* ubi refert Maximinum conatum id Christianis adimere: pręterea ex *Cassiodori histor.tripart. lib.5.c.3.* & ex edicto Valeriani apud Pontium Paulinum in *actis passionis Cypriani.* Grassante persecutione conveniebant in cryptis, montibus, sylvis, privatis domibus, *Euseb.l.9.c.10.* quod Pontificii ex parte agnoscunt, inter quos *Corn. à Lapide in Heb.*11.38. Adde *historiam de Româ subterraneâ, à Bosio* descriptam. Ubi nunc ædes sacræ ab Apostolis usque ad Constantinum? III. Quia persecutiones illorum temporum (quæ decem generales solent numerari; ne quid dicam de particularibus) materiata ejusmodi templa non permittebant. IV. Quia Constantini Imperio & munificentiæ Templa Christianis concessa adscribuntur ab *Eusebio, in ejus vitâ lib.2.* & 3.

Exceptiones & objectiones *Baronii* solidè diluit *Videlius loc.cit.* Notentur modo contra Pontificios & *Fullerum* hi fontes solutionum.

I. Ædificia quæ subinde concessa respiratione, alicubi excitata dicuntur ex *Euseb. lib.7.c.29.* & *lib.10.c.2.* (ubi domus, ædificia, & ecclesias appellat) non fuisse *templa Papistica*, nec *ædes sacras* Fulleri, ut quidem ea de-

definiri audivimus. Atqui hoc probandum fuisset : alioquin multa dicendo nihil dicunt. 2. Patres à nobis citatos non tantum loqui de templis seu ædibus sacris Gentilium, sed absolutè de omnibus. 3. Nec loqui tantum de facto suo, sed etiam de jure: non negare tantum defectum templorum propter persecutionem, sed & laudare. 4. Quod Fullerus paradoxum illud opponit : *Nascentis Ecclesiæ exordio rariorem fuisse persecutionem, & plurimum privatam* : id alibi excutiendum. Consequentia tamen non valet; ergo privatæ persecutiones non potuerunt impedire ædificationes templorum. Certe si potuerunt dissipare Ecclesias *Actor.* 8. 1. profligare Doctores *Actor.* 14. & 19. quidni hoc impedire. *Deinde* non valet consequentia, à primo sæculo, ad secundum & tertium usque ad Constantinum. 5. Grammaticum argumentum ex τοῖς πάλαι οἰκοδόμασι (apud *Euseb. lib.* 20 *c.* 2.) perpetuam successionem & antiquitatem, jam inde ab Apostolis usque ad annum circiter 300. minimè demonstrat: ut quidem vult Fullerus. Judicium deferimus ad quemvis Græcæ linguæ mediocriter peritum : nec in re tam manifestâ & minutulâ diutius moramur.

XII. *An Constantinus & qui illum secuti sunt una cum Doctoribus ecclesiæ, facta illa probantibus aut ad ea conniventibus, in ædificatione templorum à vacuâ observatione*, κακοζηλίᾳ *Gentilium, zelo non secundum scientiam, typho carnali, denique* ἐθελοθρησκείᾳ *aut specie mali plane fuerint immunes. Resp.* Neg. cum Fr. Junio ad *Bellarm. cap.* 6. *n.* 9. *Accessionibus*, inquit, *res magis magisque fuit constuprata inde à patrum temporibus.* Nam 1. majora fecerunt, quam usus requireret: quasi scil. hoc faceret ad gloriam Dei, & splendorem ecclesiæ. 2. Nimis magnis impensis pretensiora fecerunt, quam simplicitas Christiana postularet. Ut de Constantini profusione nihil dicam, Justinianus partem redituum Imperii in fabricam eorum impendi voluit, teste Procopio. De quo Theologi nostri non tantum conquesti, *Martyr. loc. classe* 3. *c.* 5. *Bullingerus de Origine erroris lib.* 1. *c.* 21. *Lavaterus homil.* 5. *in Nehemiam, Junius*, aliique supra citati; sed etiam ex Politicis & JCC. *Joach. Vadianus*, (quem citat *Lavaterus, & Bulling.*) *Plessæus de Eucharistiâ* libr. 2. cap. 1., & Salmasius ad Tertull. de Pallio pag. 21. *Pro paupertate divitiæ magno agmine intrârunt*, &c. *tum magnificè ac sumptuosè templa ædificari cœpta sunt, atque auro argentoque ornari.* 3. Plura etiam ædificârunt, & pluribus in locis, sæpe desertis, quam necessitas ferret : tantum scil. ut Deum & ecclesiam magnificentiâ suâ honorarent, aut potius nomen sibi compararent, ut habetur *novell.* 67. 4. Ut antea oratoria in sepulcris martyrum ad imitationem simul & confusionem Gentilium sic & templa post Constantinum, intentione quidem bonâ sed conatu periculoso & eventu damnoso, in iisdem inædificârunt, ut memorias eorum lapideis

illis monumentis conservarent; hinc etiam nomina martyrum iis imposita *Augustin. de civit. lib. 22. c. 10. Athanas. ad solitar.* vitam agentes, *Chrysostom. homil. 28. ad pop. Antioch. Basil. in Psal. 114. 5.* addiderunt & dedicationes quasdam; easque demegoricis concionibus suis nimis buccinârunt.

XIII. *An ergo templa illa patrum fuerint formaliter Papistica, & rectè ex citatis dictis & factis patrum (quæ nostri non negant) pro suis concludant Bellarminus, Baronius*, &c. *Resp.* Quamvis illa per omnia approbare, nedum imitari nolimus; negamus tamen fuisse & verè dici posse Papistica, non magis quam ovum est pullus, aut embryo est animal, aut lapides & ligna quædam congesta sunt ædificium, aut prima lineamenta ducta sunt imago Cæsaris. Et Materiâ partibusque materialibus, & forma, & fine, & efficiente multum differunt: nam 1. imagines in iis non erexerunt, ut docetur in controvers. de Imaginibus. 2. nec tam multiplici & pretiosa supellectile partim inutili, partim idololatricâ ea ornârunt: quin exsertè talem ornatum ad typos Mosaicos & superstitionem Gentilium ablegârunt, ut videre est apud *Lactantium lib. 5. c. 8. Hieronymum ad Nepotian. Ephrem de sanctiss. cruce Domini, Isidor. Pelusiot. lib. 2. ep. 246. Ambros. Offic. lib. 2. c. 21.* 3. nec tam superstitiosas & histrionicas dedicationes instituerunt. 4. nec destinârunt ea sepulturis mortuorum, ad animarum scil. solatium, ut ex Jure Canonico supra indicavimus. 5. nec dedicârunt ea sanctis. *Eusebius in Orat. de laudibus Constantini, Augustin. contra Maximinum Arrianum lib. 1.* probat Deitatem Spiritu sancti ex eo quod ipse habeat templa; & dicit sacrilegium esse si angelo aut ulli creaturæ templum fieret. Augustin. lib. 22. de civit. Dei 10. *Nos autem martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum vivunt spiritus apud Deum, fabricamus: nec ibi erigimus altaria in quibus sacrificemus martyribus*, &c. 6. Denique facta sua aut dicta quædam demegorica, secundum istius temporis tolerantiam, in fervore subinde effusa, non fecerunt partem cultus divini aut catholicæ fidei necessariam, quæ omnibus in posterum Christianis legem figeret; nec cultum Dei & orationes templis alligârunt. Hieronym. ad Demetriad. epist. 8. cap. 7. *Alii ædificent ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant*, &c. *non reprehendo, non abnuo, unusquisque in suo sensu abundet*, &c. *sed aliud tibi propositum est Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus.* Idem in Psal. 133. ait: *Ecclesiam in parietibus non consistere, sed in dogmatum veritate.* Hilarius contra Auxentium: *Malè vos parietum amor cœpit: male vos ecclesiam in tectis ædificiisque veneramini*, &c. *Anne ambiguum est in his Antichristum esse sessurum? Montes mihi & sylvæ, & lacus, & carceres, & vora-*

gines

gines sunt tutiores in his enim propheta aut manentes aut demersi Dei spiritu prophetabant.

XIV. *An templum potius locum sacrificii, quam orationis seu cultus religiosi significet? Resp.* Ita volunt *Bellarmin.* & *Bayllius.* Sed quo usu Latinè loquentium hoc probabunt. Saltem usu sacro Hebr. היכל & Gr. ναὸς aliquando sanctuarium, plerumque totam ędem (cujus pars prima orationibus & conventibus destinata) significat.

XV. *An apud patres distinguantur basilica, oratorium, templum, Ecclesia: ut quidem ea distinguit Bellarminus. Resp. Neg.* Sunt enim ipsis synonyma.

XVI. *An Templum Judaicum sub impiis regibus Juda, & sub Antiocho, idololatriâ pollutum, desierit esse locus sacer, & de novo debuerit consecrari, non minus quam tempore Salomonis & Ezra. Resp. Neg.* Alia enim ratio fuit templi de novo exstructi *Ezra* 2. & templi à sordibus & alienis utensilibus in illud illatis (e. gr. statuâ Jovis Olympii, aut Imperatoris Caligulæ) repurgati. De novâ tempore Judæ Machabæi dedicatione, & festi anniversarii in ejus memoriam celebratione, infra dicendum erit.

XVII. *An Judæi exspectent, tertium Templum. Resp.* Ita quidem hodie sibi persuadent, adductâ visione *Ezechiel* 40. & inde concludunt contra nos Messiam nondum venisse. Sed opponimus illis hæc argumenta 1. Templi Judaici eversio per Romanos *Daniel* 9. dicitur duratura usque ad finem. Et frustra Julianus Apostata cum Judæis prędictionem servatoris nostri *Matth.* 23.38. & 24.2. mendacii arguere conatus. De quo vide ad annum 363.§.5. 13.§. *annales Baronii.* 2. *Aggæus c.* 2. *vers.* 8. 10. coll. cum *Malach.* 3 1. ait Messiam versaturum in templo secundo. Quomodo ergo secundo everso demum adveniens, tertium ædificabit? 3. *Templum* hoc & parietes spirituales Ezechielis fore spiritualia non materialia, testatur *Rabbi Alschech.* in *Hagg.* 2. 10.; idemque constat ex multis attributis & circumstantiis ejus. *Erit* enim extra Hierosolymam *c.* 45.48. atqui civitatem illam & in eâ montem sacrum Deus elegerat. *Deinde*, habitabunt circa novam hanc urbem, cujus templum describitur, etiam decem tribus: at illæ post captivitatem Assyriam evanuerunt, nec amplius redituræ sunt: ut diximus 2. *part. select. dispp. tit.* de *Conversione Judæorum. Adhæc*, dicuntur aquę egressuræ è templo & ingressuræ in mare mortuum, &c. portam orientalem fore clausam, arbores fructus laturas singulis mensibus, &c. cap 47. 8. 12. & 44. 2. Quæ nunquam fuerunt in templo primo, aut secundo, nec esse possunt sine mutatione naturæ rerum, & innovationis in operibus creationis, quod tamen negant *Thalmudici de Sabbatho fol.* 63. edit. Venetæ in *Gemara*; & exsertè *Maymonidos in Jad Chasaka* cap. ult. *Deinque* repugnant forma & dimensiones il-

lius templi in multis exemplari divinitus præscripto 1 *Chron.* 28. 11. 12. &c.; ut & quantitas civitatis sc. 18000. leucarum cap. 47. 22. & 48. 35. quæ esset major quantitate totius orbis; nam terræ ambitum non continere ultra 5400. milliaria Germanica supputant Geographi. 4. Ad hominem argumentari possemus, hypotyposin illam templi Prophetæ exhibitam anno 14. post excidium templi respicere ædificationem factam per Zorobabelem; eamque visionem datam ad consolationem Judæorum in captivitate. Quæ enim ratio coget eventum illum viciniorem transilire, & alteri alicui remotissimo visionem applicare? 5. Rabbini fatentur initium *Ezechiel cap.* 1. & finem ejusdem *cap.* 40. 41. &c. continere arcana; inexplicabilia, & à nemine intellecta. Unde ergo illi hauserunt expositionem illam de tertio suo templo. 6. Ex ipsis Rabbinis, nonnulla proferuntur à *Fino lib.* 2. *flagelli Judæorum c.* 6. & *Galatino de arcanis cathol. Verit. lib.* 5. *c.* 10. quæ commentum hoc evertant.

CAP. V.

Explicantur problemata quædam de Templis magis dogmaticâ.


PRoblemata magis dogmatica sunt.

I. *An tabernaculum Mosis fuerit figura templorum Christianorum, ut vult Jesuita Bayllius loc. cit. Resp. Neg.* Fuit figura Christi, ut explicatur *Hebr.* 9. & corporis ejus mystici, hoc est, Ecclesiæ: quomodo templum *Ezech.* 40. exponunt patres & Pontificii à *Corn.* à *Lapide* ibidem cit. significare ecclesiam Christianam: & sic tabernaculum apud eundem à *Lapide in Ezechiel* 37. 27. & 2 *Cor.* 6. 16.

II. *An templa & altaria V. T. habuerint sanctitatem inhærentem; an verò solam relativam, atque ita tantum sanctiora fuerit aliis ædificiis. Resp. Affir.* posterius cum *Calvino lib.* 3. *Institut. c.* 20. §. 30.

III. *An Pontificii, saltem eruditi, hodie aliam sanctitatem Templis suis adscribant, quam relativam, in ratione medii, causæ impulsivæ, & instrumenti moralis, religiosam pietatem, devotionem, & symbolicam atque adeo evidentiorem faciliorem que nostri cum Deo communionem; & aliud quid in iis nostri nunc oppugnent aut jure oppugnare queant? Resp. Neg.* & patet hoc ex disputationibus Bellarmini. Si qui inter ipsos antehac crassè & imperitè locuti sunt: illud non amplius sententiæ ipsorum imputandum. Modo illi qui theologi audiunt, aut in authoritate constituti sunt talia rejiciant, & ne quid posthac tale quid fiat, impediant. Imprudentiores ergo inter nostros non satisfaciunt, cum in concionibus & precibus publicis loco conventus sancti-

ſanctitatem formulis iſtis : *convenimus hac in ſanctam domum tuam, in locum hunc ſanctum, in ſanctam tuam domum orationis*, &c. adſcribunt. Et poſtea excuſant hæc dicta ſua, limitatione de ſanctitate relativâ.

IV. *An in N.T. ullus locus ſit, aut verè (ſive propriè ſive analogicè) poſſit dici ſanctus, ſanctitate ſcil. religioſa? Reſp. Neg.* 1. *arg.* Quia ſanctitas interna, aut externa verbi & ſacramentorum tanquam inſtrumentorum ſaluti nulli loco ex inſtituto Dei eſt alligata, & viciſſim nullus locus illi conſecratus; ſed tantum ex libero arbitrio, conſenſu, & uſu hominum illi deputatus & applicatus, quoties & quamdiu ipſis viſum fuerit: ita ut nullum ſacrum, nulla dedicatio, nulla conſecratio hic ſit, quam communis, civilis; qualis Academiæ, Curiæ, &c. & in jure civili, portis, muris, civitatis æque competit ac templo. Et ſic autores noſtri ſupra nobis laudati ęquivocè aut catachreſticè ſanctitatem templis tributam, accipiunt & explicant. Quibus addimus *Daneum Ethic.Chriſtianæ lib.* 2. *c.*10. *p.*160. Quæſitum eſt, inquit, de loco, *utrum certus aliquis locus ad eos conventus ſolennes deſtinati debeat.* Reſpond. *Politiæ publicæ causâ debere, non ſanctitatis cuiuſpiam loco tribuendæ. Jubet enim Paulus ut manus puras in omni loco tollamus ad Deum* 1 Tim.2.8. *& terra eſt domini, ait Paulus & David* Pſal.24. 1 Cor.9. 28. *& Chriſtus omnem locum ad precandum ſanctum eſſe docet hodie* Joh.4. 21. Confer huc *Junium in Bellarmin. c.*5. *n.*24., imprimis *Bullinger. de origin. error. libr.* 1. *c.*21. & quæ adverſus prætenſa ſacra, res conſecratas diximus 3. *part. ſel.diſpp. tit.* de *Benedictionibus & Sacramentalibus.* 2.*arg.* Quia ex communi ſenſu Reformatorum, temporibus, hoc eſt, horis & diebus, quibus habentur conciones (excepto die dominico) nulla relativa ſanctitas competit, ut oſtenſum eſt 3. *part. ſel. diſpp. tit. de Feſtis:* ergo nec locis, in quibus convenire ſolet eccleſia. 3. Quia utenſilibus in prædicatione verbi & adminiſtratione ſacramentorum, uti & veſtibus miniſtrorum nulla ſanctitas adſcribitur (ut alibi oſtenſum eſt, *part.* 3. *ſelect. diſpp. tit. de ſuperſtitione app.* 2. 3. ergo nec templis ſeu locis. 4. Quia ſi loca illa eſſent ſacra, eſſent vel ut objectum ſanctè ſcil. & religiosè colendum, vel ut ſymbolum ſeu ſacramentale ſignificans, atque adeo ut inſtrumentum morale, vel denique ut cauſa impulſiva ſeu impetratoria religioſę ſive internę ſanctitatis, idque ex ordinatione divinâ. Sed probari nequit, eſſe ullum iſtorum: immo contrarium probatu facillimum, & ſatis evidenter ex iis quæ hactenus à nobis diſputata ſunt & quæ porro ſequenti problemate dicentur, colligent φιλαλήθεις, ne prolixis, & non-neceſſariis repetitionibus lectores obtundamus.

V. *An poſſit ſaltem domus aliqua, aut publicum templum dici ſanctum, cum convenit & adhuc adeſt ibi ſancta Dei Eccleſia, & ſacra exercitia peraguntur? Reſp. Neg.* Nam ſicut regalia non communicantur plateis, domi-

 bus,

bus, hortis, ſylvis, montibus, fluviis, hominibus, in quibus & inter quos & dum verſatur Rex: ſic nec ſanctitas inhęrens, aut actualis filiorum Dei, nec ſanctitas relativa verbi & ſacramentorum communicatur locis, ubi ſunt fideles, verbum, ſacramenta. Rationes ſunt 1. *Quia* adjunctis ſeu continentibus propioribus non communicatur & adſcribitur ſanctitas: qualia ſunt ſcamna, veſtes, ſedilia ſanctorum, qui religionem ibi exercent; item vaſa, patinæ, menſæ, calices, quibus aqua baptiſmi, & panis ac vinum euchariſtiæ continentur: nedum ut adjunctis remotioribus & communioribus, hoc eſt, templis adſcribenda ſit. 2. *Quia* pari ratione aëri, terræ, plateis, civitatibus, campis, ſaltibus, vallibus, montibus, navigiis, omnibus ædificiis privatis, &c. tribuenda eſſet ſanctitas, ubicunque Eccleſia, aut ſinguli fideles vera templa Spiritus ſancti pręſentes ſunt, & pietatem internè aut etiam externè exercent. Addo & infelicia ligna, & pegmata, & Golgotha (ne dicam de laqueo, equuleo, carnifice, forcipibus, &c.) multo magis eſſe habenda, & dicenda ſancta, ac devotè veneranda, ſi non ſemper homonymiâ κτ̃ μνήμlω, ſaltem tum cum ibi tantâ cum ſanctitatis contentione, & oſtenſione patiuntur ſancti martyres: quorum ἄσκησιν quotidiana Eccleſię aut piorum exercitia longè ſuperare, nemo, ut opinor, inficias ibit. Adde & loca Babylonis, per quæ & in quæ unquam illata ſunt vaſa templi, quæ Nebucadnezar abſtulerat. 3. Sequeretur loca quęlibet & adjuncta, tum publica tum privata (ex.gr.) ſynagogas, ſtabulum & præſepe Bethleemiticum, fabricam Joſephi, vicos, caſtella, civitates, triclinia & domos privatas, plateas, montes, deſerta, &c.) ubi quid egit, dixit, paſſus eſt ſanctus ſanctorum, Eccleſiæ caput Jeſus Chriſtus, ſancta, ſi non ſemper, ſaltem illo tempore fuiſſe dicenda & reverenter honoranda. Atqui hoc eſſet latam portam λειψανοθρεσκείαις aperire. 4. Sequeretur non minori ratione circumſtantiam ſeu adjunctum pręſentis cujuſque temporis, quando à piis aut ab Eccleſiâ quid ſancti agitur, ſanctum dicendum & honorandum, quam adjunctum loci, ubi ſancti quid agitur. Ratio diſparitatis nulla adſignari poteſt. Sed quam abſurdum, ſi quis dicat & veneretur ſanctam horam octavam, felicem horam ſecundam, ſanctum & felicem diem ex. gr. Martis aut Jovis: quia in hâc aut illâ Eccleſiâ habeantur tunc conciones, aut quia ſint horæ & dies precationis publicæ. Hæc enim eſſet Ethnico-Magica ſuperſtitio illa, quæ languet circa temporum obſervationem & diſtinctionem: de quâ ſupra egimus *lib.2.tract.1.* & in 3: *part. ſelect. diſp. tit. de ſuperſtitione.* Quod ſi quis ἀκυρολόγως & prædicatione per accidens ædem propter ſanctorum conventum & ſacra, quæ ibi peraguntur, velit dicere ſanctam, (quia ſcil. Deus peculiari ratione præſens eſt in Eccleſiâ, & per eccleſiam per accidens in illo loco, haut aliter ac eſt in homine fideli templo ſuo, & ſic per accidens

in

in vestibus, curribus, navibus, carcere, cubili, &c. in quo est ille fidelis) is fruantur sensu suo: modo ne distinctionis nunc inculcaræ aliquando obliviscatur, aut aliis obscurâ & periculosâ phrasi suâ erroris ansam præbeat.

VI. *Cum nostri nulla loca dici sacra admittant, nisi aut per accidens, aut communi & politicâ quâdam ratione: quomodo ergo disputant contra Pontificios, Templa soli Deo esse ædificanda & dicanda, non vero creaturis?* *Resp.* Dicantur Deo & consecrantur propriè & per se conventus ecclesiastici, qui sunt à Deo, in Deo, per Deum, ad Deum, & quorum vicissim ac in quibus est Deus in sanctuario 2 *Cor.* 6. Habet autem se consecratio illa ad loca sive stata sive occasionata, ubi cœtus conveniunt, plane per accidens, quia accidit fidelibus & Templis Spiritus sancti, ut ibi secundum externum hominem & non alibi tunc existant. Est ergo tota illa disputatio ad hominem, dato scil. non concesso, per παρομολογίαν hoc est fiduciarum concessionem, dupliciter hypothetica.

Prima hypothesis præsupponit datum hoc Pontificium (quod tamen ante absolutè reprobatum fuit): Esse loca sacra, & templa propriè dicta in N. T. Detur hoc, tamen errant gravissimè, cum docent creaturis angelis, aut sanctis dicanda esse: ut disputat *Bellarmin cap.* 4. Quomodo ex abundanti & præsupposito aliquo dato, disputant nostri, Missas & sacrificia non esse offerenda sanctis, nec esse celebranda pro bobus, porcis, canibus venaticis, venatione, &c. Quod cum dicunt, tamen ex proprio suo sensu non præsupponunt, aut concedunt esse aliquod sacrificium externum & quidem propitiatorium in N. T.

Secunda hypothesis præsupponit hypothesin & argumentum patrum (ad quos provocant Pontificii) qui contendebant contra Arrianos Spiritum sanctum esse Deum, quia ejus dicimur templum 1 *Corinth.* 6. 19. cum 3. 16. 17. & 2 *Corinth.* 6. 16. Jam vero templa sunt solius Dei, & illi soli dicantur, Ergo. Sic *Augustin. contra Maximinum lib.* 1. *Ambros. de Spiritu sancto lib.* 3. *c.* 13. Quo argumento non inferunt an & quæ debeat esse sanctitas templi Christiani, sed respiciunt propriè templum Salomonicum: quomodo exsertè se explicat *Ambrosius loc. cit.*

Ad hominem etiam poterat stringere hoc argumentum, quia Gentiles (quorum proximi cognati erant Arriani) nullis templa dedicabant, nisi Diis. Quod si ad mores sui sæculi, quo nimis forte metaphoricè & ἀκυρολόγως templa titulis ad imitationem Judæorum & Gentilium cohonestabant, respexerunt: transeat hoc cum cæteris zeli & συγκαταβάσεως ipsorum περιεργίαις; atque ipsis in solidum relinquatur. Nobis nunc non licet esse tam disertis & tam securis: qui vidimus quantam occasionem er-

randi posteri eorum ex acurologiis & rhetoricationibus illis attribuerint.

VII. *An certa & stata ædificia possint appropriari cœtibus Ecclesiasticis, & exercitiis pietatis ibi habendis? Resp. Aff.* non minus quam eriguntur Academiæ, dicasteria, basilicæ, &c. aut quam vestes sarciuntur & aptantur ministro ecclesiæ, aut domus illi ędificatur, quam inhabitet, aut proprium perspicillum paratur quo textum scripturæ legat. Sic tamen ne putentur actus illi eorumque effectus esse religionis, aut directè per se, & propriè religiosi. Cum enim sartor sarcit & aptat pallium concionatori, & ecclesia aut Magistratus eidem numerari curat stipendium, quo comparet pannum & pallium; bene quidem faciunt: non tamen directè illorum actus sunt religionis seu religiosi, sed actus justitiæ; nec pallium est adjunctum, aut instrumentum religiosum (prout ex. gr. verbum Dei, seu biblia): quamvis palliati concionatoris, qui hic & nunc absque illo conciones non habebit, sacramenta administrabit, & precibus publicis in ecclesiâ præibit, actus sint religiosi.

VIII. *An alia unquam fuerit Reformatorum, immo & Waldensium, Albigensium, Petrobrusianorum sententia. Resp.Neg.* Et mera est calumnia aut sophisticatio. *Bellarmini c.* 1. Repudiarunt illi finem & usum templorum Papisticum, ut & necessitatem eorum & quidem tali materia ac forma, qualem Papismus σκιογραφεῖ. De Anabaptistis, quibus errorem hic adscribit *Bellarminus*, & ex nostris *Hospinianus*, mihi non liquet. Quinam & ubi fuerint Anabaptistæ, qui statas ædes simpliciter improbent, velim quis indicet. In Belgio saltem ubicunque cœtus ipsorum conveniunt, habent statas ædes. Si tam magnifica & sumptuosa ædificia non erigunt, qualia sunt templa reformatorum à majoribus accepta, aut de novo alicubi ędificata, hoc non faciunt per conscientiam religionis, ut opinor, sed quia fortè rationes eorum non ferunt; & quia publica exercitia ipsis non ita conceduntur: sed privato-publica (ita loquar) nec etiam publica templa. Alioquin à magnificis basilicis seu bursis Mercatorum, à splendidis ædibus, à pretiosâ suppellectile non solent abhorrere, quamvis simplicitatem præferant in vestibus. Breviter nostri, ut adiaphorum ducunt & ædificiis privatis & publicis uti ad conventus suos, cæteris scil. paribus: sic præferunt domos privatas publicis templis, ubi puritas religionis & temporum necessitas ita suadet; quod factum in Gallia, Belgio, & ubicunque sub cruce Ecclesiæ reformatæ primum plantari, & convenire debuerunt: quo pertinet factum Ecclesiarum multarum in Hollandiâ, cum dominaretur ibi scisma Sociniano-Remónstranticum; ad exemplum Pauli *Actor.* 19. 9. 10. cum *Roman.* 26. *v.*17. 18. Et Apostolorum *Actor.* 1. 13. Et antiquæ ecclesiæ cum Arriani

tiani passim templa occuparent. *Victor de persecut.Vandal. l. 3. Adde Socrat. l.6.c.18. Sozom. l.8. c.21.* & 27.

CAP. VI.

Explicantur problemata aliis aliquot de Templis, magis moralia & practica.

ACcedimus nunc ad problemata magis moralia seu practica.

I. *An Templa idololatrica sint diruenda ; an verò tantum ab inutilibus instrumentis & in utensilibus idololatricis repurganda & ; siquidem commoda sint ædificia, cœtibus Ecclesiasticis destinanda, aut etiam aliis usibus pro arbitrio. Resp. Pr.* Affirmant nonnulli, quos in Angliâ appellant Separatistas, ut videre est in ipsorum *confessione* & *apologiâ thesi controv.* 12. ubi sententiam suam septem rationibus ex scripturâ confirmant. *Robinsonus apologiæ c.9.* distinguit inter *Templum* Deo vel sancto, cujus nomen refert, dicatum, quod structuræ magnificentiâ & formæ superstitione melius convenit religioni Pontificiæ (pomposæ & idololatricæ) quam reformatæ, & Apostolicæ simplicitate : & inter *locum* partim naturalem, partim civilem, in quo ecclesia honestè & commodè convenire possit. Hunc putat retinendum & usibus suis applicandum ; illud verò destruendum tanquam idololatriæ monumentum & incitamentum, adductis testimoniis *Calvini in Psal.*102. 15. *Martyris in 2 Reg.*10. 27. & *Wolphii in 2 Reg.*17. 19. & 19.6. *Scharpius in cursu Theologico. de lege Dei ad 4. præcept. p.*334. adductis utrinque rationibus in medio relinquit, & nihil determinat. *Amesius in Manuductione ad Robinsonum* pr. negat & aff. post. & cum eo *Parkerus in tract.* adversus separationem Brouwnisticam à *cap.*7. usque 8. ubi plenissimè & solidissimè totam hanc controversiam exhaurit. Ita ut Jesuita *Henricus Fitz Simon in Britannomachia Ministrorum lib.2.c.7.p.*214. strenuè calumnietur, cum impingit Anglicanis ministris (quos Puritanos appellat) : *Templa* (saltem formæ consuetæ) *non esse adeunda.* Contrarium vincit & doctrina & praxis eorum in Anglia, & Belgio, ubi omnia ferè templa, quibus utuntur, inservierunt olim idololatriæ Papisticæ.

Nos veritatem hujus sententiæ rationibus istis probamus. I. *Quia* licet omni loco Deum orare 1 *Timoth.*2.8. *Joh.*4.25. quidni ergo liceat ad publicas orationes convenire in locum illum, quo usi sunt olim idololatræ. II. *Quia* mundis omnia munda, & omnia sanctificantur fide & gratiarum actione *Tit.*1. 1 *Timoth.*4. & licet vesci carnibus idolo consecratis, modo in macello venditæ ad communem statum essent redactæ, & à sigillo idoli absolutæ 1 *Corinth.*10. III. *Quia* quę usum habere possunt com-

munem

munem & indifferentem, sive quod ad materiam suam, sive quod ad formam artificialem, ut sedilia, mappæ, candelabra, calices, suggesta, turres, campanæ, cuprum, ferrum, aurum, argentum, pavimentum, parietes, tectum, & ex iis consurgens integrum ædificium; si reserventur & applicentur ad usus civiles, aut ecclesiasticos (prout ratio cultus publici hoc requirit) non est idololatria participata. *Quia* etiam Deus ex spoliis Ægypti tabernaculum exstrui, & pretiosa vasa Jerichuntina in sacrum thesaurum inferri voluit. *Josuæ* 6. 19. Quibus tamen ad Idololatriam incolas publicè privatimve subinde abusos esse indubium est. IV. *Quia* pari ratione nec curiis, nec scholis aut Academiis, nec plerisque domibus privatis olim exstructis, nec civitatibus, nec plateis esset utendum ad opera civilia, nedum ad religionis exercitia tum domestica, tum privato publica, tum publica: & de omnibus antiquis ædificiis & civitatibus semper scrupulus hic hęreret Christianis, an non fuerint olim dicata idolis Gentilibus aut Papisticis, an non imagines ibi erectæ, & idololatria exercita; & consequenter an loca illa non sint diruenda.

Fontes præcipui solutionum sunt isti.

I. Argumenta pleraque adversariorum tantum concludunt de utensilibus & instrumentis, quæ quod ad formam artificialem tantum adaptata & appropriata erant usui idololatrico: non vero communia erant aut fieri poterant (illæsa formâ) aliis usibus. Itaque exempli gratia, non opus erat destrui formam securis, aut cultri, &c. quo usi erant idololatræ in mactationibus sacrificiorum; quamvis illi peculiariter soli isti usui ea destinassent.

II. Argumenta, quæ referunt destructionem idolorum, excelsorum, &c. non sunt directè & per omnia applicanda ad loca ecclesiastica in N.T.; quia non est eadem ratio. Nam in V.T. unus tantum erat locus sacer, unum templum: quęcunque alibi dicebantur sacra extra illud unum, abominatio erant Jehovæ: itaque non mirum si funditus excinderentur. Hæc ego a. 1638. Quæ postea contra calumniosam opponentis, alicujus censuram denuo explicui in *dispp. de selectis probl.*

II. *An & quæ repurgatio adhibenda, siquidem visum fuerit templum aut sacellum aliquod sive Ethnicum sive Papisticum in usus ecclesiasticos convertere? Resp.* I. Ea quæ sufficienter tollat omnem occasionem, immo & deceptoriam speciem mali 2. quæ formam & partes templi aut sacelli ita mutet (siquidem missis aliisque idolorum cultibus adaptata tantum, parum aut nullo modo conveniant ecclesiæ congregandæ, & concionibus audiendis) ut verè sint & dicantur ædificia ecclesiastica, politiæ, & necessitatis, & decori usus causa instituta.

III. *An*

III. *An in repurgatione chori ſint relinquendi, & ſacella. Reſp.* Quidni? Poſſunt enim aut diruta macerie continuæ unius ejuſdemque templi partes eſſe, & cœtibus eccleſiaſticis optimè inſervire; quod pleriſque in locis factum videmus: aut ſeparata ſi maneant, ad alios uſus civiles applicari: ita ut ſubverſione & jacturâ iſtius ædificii minime opus ſit. Hoc tamen cavendum ut abſit omne veſtigium antiquæ ſuperſtitionis, cujus hoc axioma: *Separatio chori denotat unius loci ab altero majorem ſanctitatem,* & eſt veluti ſanctum ſanctorum. Jeſuita *Fitz. Simon in Britannomachiâ miniſtrorum lib. 2. c. 7. Bellarm. cap.* 3. Videndum etiam imprimis ne hâc occaſione orantes in templo putent neceſſitatem reſpiciendi orientem verſus (quod choris annectunt Pontificii, *Bellarmin. loc. cit.*) à nobis vel minimâ ſpecie approbari.

IV. *An ubi chori incendio aut aliquâ aliâ calamitate everſi ſunt, præſtet eos ædificari; nec ne? Reſp. Neg. pr. aff. poſt.* niſi conditio Eccleſiæ, & templi, & loci (cui inædificatum eſt) tanquam neceſſariam partem inſtaurandam ſuadeat; aut etiam ſitus & ſoli commoditas chorum ædificatum & omnino ab æde eccleſiaſticâ diſtinctum alio titulo alteri uſui optimè applicari poſſe doceat: alioquin ſolius ornatus, aut faſtus & typhi mundani, aut decori civilis causâ ædificare titulo chorum, re ipſa vacuam & inutilem molem, haut eſt operæ pretium. Poteſt alibi & aliis in ædificiis publicis decorum & magnificentia politica commodius & tutius oſtendi: ne dicam opes in alios pios, aut politicos uſus melius profundi; quam in vitra templorum rariſſimis & pretioſiſſimis picturis fulgentia, in pompatica pulpita, ſedilia, organa.

V. *An cum de novo ædificantur Templa, conducat formam Papiſticam imitari, & choris ac concameratis tortuoſiſque aditis & latibulis ea onerare? Reſp. Neg.* Quia ea nulli nobis ſunt uſui; cum exulent ſacrificia miſſatica, confeſſiones auriculares, ſuffragia pro mortuis, proceſſiones, choralium exercitia, ſodalitatum & fraternitatum concurſus, &c. Breviter apparatus, & quantitas, & forma tam interna quam externa tum totius tum ſingularum partium debet eſſe talis, ut maximè inſerviat illi Eccleſiæ, in cujus gratiam templum ædificatur. Quo nomine laudanda ſunt nova aliquot templa ante paucos annos Amſtelodami exſtructa; & novum (quod vocant) templum Dordrechtanum. Ubi vero auditores per vicinias & parochias minores diſtribuuntur (quod alibi fit) quantitas templorum longè minor requiritur: nec de formâ ſeu figurâ ovali, aut circulari, aut octogonâ aut ſimili (quæ ſono ad aures omnium deducendo, & aſpectui concionatoris omnibus aut pleriſque auditoribus præbendo, maximè idonea) ita laborandum eſt: quia facile vox concionantis à ſingulis exaudiri poteſt.

VI. *An liceat ingredi & perluſtrare Templa idololatrica Gentilium aut*

Papistarum ? Resp. Licet: modò fiat absque scandalo proximi, & participatione Idololatrię: bonum scil. aliquem ob finem; ut admiranda quædam illic propriis oculis contemplemur; admiranda dico, aut naturę, aut artis, aut superstitionis. Idem puto non esse aliquo in casu plane illicitum; etiam cum sacra ibi peraguntur: præsertim si hoc fiat ab illis, quorum maximè interesset ea coram vidisse. Sed si capitis apertione, aut aliquo alio reverentiæ signo colludendum sit cum Idololatris, aut proximo scandalum præbeatur; absolutè nefas ducimus. De quo agimus *part. 3. select. dispp. tit. de idololatriâ indirectâ & participatâ.* Interim studiosi conferant tractatum *Teellingii* vernaculè editum, de *Spectaculo idolorum*; ejusque *apologiam* contra Jesuitam *Joh. Davidem tit. Larvati Bileami.*

VII. *An ullo in casu liceat reformatori aut reformato concionatori habere conciones, aut auditori eas audire in Templo idololatricâ supellectile etiamnum ornato? Resp. aff.* cum versatur in præparatoriis ad reformationem, aut in primâ reformatione tum doctrinæ tum corporis ecclesiastici; & stat per eos, penes quos adhuc rerum summa, quo minus templum repurgetur: ita ut prædicatione ex animis Ecclesiæ & Magistratus prius tolli illa debeant, quam ex templis per eos tolli possint. Præter hunc est adhuc alius casus, in quo idem liceat: cum scil. nullum aliud est templum, & expedit omnino, ut pro tempore eodem in loco habeantur cœtus reformati, quo Papistici, ex ordinatione aut concessione Magistratus; qui tamen mutationem aut repurgationem nullam concedit. Exemplum hujus tolerantiæ præbuerunt plerique primi reformatores; & etiamnum hodie, ni fallor, prębent Ecclesię nostrę in præfecturis seu agris illis, qui subsunt communi imperio Cantonum Helveticorum.

VIII. *An ergo in conscientiâ coram Deo excusantur Magistratus, si qui Templa non repurgant, cum possint; aut Theologi, qui repurgationem illam non urgent, sed potius impediunt aut dissuadent: quales hodie inter Germanos non pauci, qui imagines, & similem inutilem apparatum defendunt. Resp. Neg.*

IX. *An Templa apertione capitis, aut aliquo alio externo honoris signo sint honoranda? Aff.* Pontificii, & confirmat perpetua ipsorum praxis. Quinimmo in genere, reverentem tractationem templi pertinere ad cultum religiosum Deo debitum disputant Scholastici ad *Thomæ 22. qu. 99. art. 1. & 3.* & repetit ac prolixis suis dissertationibus de reverentiâ locis sacris debitâ tanquam generalem hypothesin substernit *Zwarez de Rel. tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 1.* Porro totus hic templorum cultus nititur falsis hypothesibus, de religiosâ consecratione & sanctitate templorum, de peculiari inhabitatione Dei, de Deo missatico, reliquiis, imagine crucifixi, Mariæ, & sanctorum religiose

ligiose colendis, &c. Quæ omnia cum negentur à reformatis, nulla inter illos poterit esse controversia de religiosâ veneratione templorum. Quod si autem cui dubium suboriatur, an non reverentia civilis, decori, & quasi religiosa templis sit exhibenda, idque apertione capitis, suggerimus istas rationes 1. quia non est verbum Dei aut sacramentum, & consequenter nullum sacrum divinitus institutum, in cujus tractatione & usu, reverentia, observantia, & veneratio adhibenda, quasi Deus nos in illo & per illud alloquatur & se peculiari ratione communicet, quomodo se communicat in exhibitione verbi aut sacramentorum: ubi tamen externa capitis apertio non est de necessitate. Neque enim peccat, qui tecto capite studet in bibliis, etiam ea prælegi audit sive privatim sive publicè; modo non sit absque internâ reverentiâ, & externis gestibus ad attentionem, gravitatem, & modestiam, quantum fieri potest, compositis; insuper non præbeat communitati scandalum. Ut contra, non peccaret si quis stans aut aperto capite domi legeret, aut audiret scripturam: modo ne sibi necessitatem, nedum aliis imponat. 2. Honor externus civilis non exhibetur alicui, nisi ad quem est præsentia & conversatio civilis tanquam superiorem, aut ęqualem, aut inferiorem. At talis præsentia & conversatio non intercedit inter nos, & inter angelos absentes aut etiam præsentes, sed nobis non conspicuos, nec inter homines absentes, nec inter cœlum quod est thronus Dei, nec inter animas beatorum, nedum inter materiata templa aut partes templorum quâcunque ratione considerâtas. Breviter consideretur quid sit honor civilis, quid decorum, & ilico patescet hujus παρεργίας τὸ ἄτοπον. 3. Quia adjuncta cultus divini multò propiora & magis immediata ac necessaria (sive instrumentalia, sive continentia, sive concomitantia seu connexa) non putamus ex pręscripto τῆς λογικῆς λατρείας nostrę tali externo honore afficienda, ut sunt mensa, calices, patinæ, vasa seu labra, mappæ, amphoræ, quorum usus in sacramentis; item pulpitum, suggestum, hypopodion concionatoris, adde & perspicillum sine quo provectior ætate textum sacrum non prælegit; nec non campanę, quę ad cultum publicum nos evocant; adhęc manus eorum qui panem cœnæ in frustra dissecant, qui aquam baptismi & vinum cœnæ fundunt; imprimis concionatoris manus aut anteriores digiti, quibus aquam spargit, panem frangit aut distribuit. Denique scamna quibus insidentes, & vestes, calceique quibus induti fideles audiunt, legunt, meditantur verbum Dei, orant, psallunt, sacramenta percipiunt: imprimis hic consideranda vestimenta & calcei concionatoris in quibus sacra omnia peragit: quæ duplici ratione essent honoranda, *tum* quia minister & angelus Dei, cujus speciosi pedes *Jesa.* 52. tum quia cum aliis fidelibus templum Spiritus sancti. Quin templum sit remotius & communius adjunctum aut continens istis

jam nominatis nemo dubitat. 4. Quia aquam baptiſmi ſeu aſperſionis, ſi quæ adhuc adhæreat veſtibus aut faciei infantis modo baptizati, & vas aut labrum baptiſmatis, quod continet ſanguinem domini, (ad hominem nunc loquor) non minori ratione, quam menſa aut altare ejus corpus; nec ipſum baptizatum infantem, aut quemvis fidelem jam à cœna domini & è templo redeuntem honore illo proſequimur: quamvis ipſe ſit vivum templum Dei, & in ipſo nunc ſint corpus & ſanguis domini modo recepta; ſymbolicè, & ſpiritualiter. Atqui hæc jam enumerata majori ratione ſunt adjuncta aut continentia, aut inſtrumenta rerum ſacrarum, quam pavimentum, aut veſtibulum, aut tectum, aut parietes templorum. 5. Tum, biblia ſacra, Pſalteria, immò & plutei bibliothecarum, & officinę bibliopolarum, magis eſſent honoranda, ubi biblia illa continentur. 6. Denique non video quomodo à facto otioſo, vacuâ obſervatione, ſpecie aut umbrâ ἐθελοθρησκείας Papiſticæ, apertio illa capitis planè purgari poſſit: imprimis cum quis conſcientiâ aliquâ putat ſe ad eam teneri. Sed de hac quæſtione pluribus agitur in 3. *part. ſelect. diſp. tit. de ſuperſtitione*, in append. ubi de genuflexione ad menſam.

X. *An à ſanctis templa ſint denominanda. Reſp.* In primâ impoſitione. *Neg.* quomodo determinant noſtri de nominibus perſonarum. Ubi uſu nomina illa obtinuerint, agendum ut mutentur per eos qui debent & poſſint, *Pſalm.* 16. *v.* 4. *Hoſ.* 2. 16. 17. *Zachar.* 13. 2. ſi non eſt in poteſtate Eccleſię & Magiſtratus, aut uſus & conſuetudinis tyrannis vicerit (quòd plerumque fit, ubi Idololatræ rerum potiuntur) noſtri, ut intelligantur, utentur appellationibus uſu receptis, exemplo ſanctorum; qui à nominibus idola referentibus eo in caſu non abſtinuerunt, ex. gr. perſonarum *Apollo*, *zenas Tit.* 3. 13. 1 *Corinth.* 1. 3. *Hermes Rom.* 16. 14. *Belzazar*, &c. & locorum, *Betſemes*, *Ciriath Baal* Joſ. 15. 60. *Baalherith* Judic. 9. 4. *Baal Gad* Joſ. 11. 17. *Baal haſor* 2 Sam. 15. 23. *Baal hermon* Judic. 3. 3. *Baalpehor* Deuter. 4. 3. *Nebo & Baalmeon* 1 Chronic. 5. 8. *Apollonia* Actor. 17. 1.

XI. *An reditus ad fabricam Templorum tempore Papatus conflati ſive ex oblatis, ſive ex collectis aliiſque eleemoſynis ſive ex legatis, ſive ex Principum aut civitatum ærario publico, juſto titulo à reformatis (ubi templa nunc poſſident) retineantur, & ad frugalem ac decoram ædis publicæ inſtaurationem applicentur; etiam ad pauperum, miniſterii eccleſiaſtici, ſcholarum ſuſtentationem, ubi ſatis ſuperque abundant? Reſp. Aff.* Quamvis enim tam inutilia & ſuperba templa non ædificent, nec altaribus, imaginibus, ciboriis, cereis, &c. ex mente eorum, qui reditus contulerunt, non exornent, vim tamen non inferunt aut teſtamento donatorum, aut communitati populi ſeu eccleſiæ, in cujus gratiam & uſum reditus fundati ſunt. *Non illis*; quia manent

nent nostri in eodem genere, & quidem ex principali, directâ, sanâ sobriâque, ac plerumque formaliter expresſâ, saltem virtualiter subintellectâ eorum intentione, quæ erat gloria Dei, salus animarum, propagatio & conservatio fidei Christianæ, commoditas ecclesiæ, &c. Cui nihil præjudicatur, si quid idololatricum & Antichristianum in usu redituum templi (verè abusu) resecetur & omittatur. Intenderunt religionem non superstitionem, cultum Dei non idoli, fidem Christi, non Antichristi perfidiam: quamvis omnes non satis perviderint, fuisse in illo templorum apparatu quid superstitiosi. *Non istis*, quia communitas Christianorum loci cujusque, in cujus usum templa ædificata, reditus illos jam hoc modo applicari vult: communitas, inquam, si ecclesiasticè consideretur, repræsentata in corpore ecclesiastico eorum qui publicè & publicis in locis Christianam Catholicam, antiquam religionem profitentur. Sin vero politicè consideretur (quod ibi it, ubi corpus ecclesiasticum reformationem non recepit) repræsentatur communitas illa in Principibus aut Magistratibus reformatis, in quos potestas populi translata intelligitur.

Rationes alias ad causę hujus apologiam nullas nunc depromam, quam videntem illam Papistis æque ac nobis probatam: Quia scil. Constantinus, & sequentes Imperatores, cum templa Gentilium, & opimos reditus ac vectigalia (quorum meminit *Tertull. apol. c.* 42. *& de Idolol. c.* 17.) ipsis erepta Christianis conferret contra renitente sæpe Senatu & populo putarunt illi sine sacrilegio eo possidere, quamvis idolis non studerent. At remotior rat distantia inter ipsorum ac Gentilium, quam inter nostram & majorum nostrorum sub Papatu intentionem. Breviter magnâ ex parte in Germaniâ, Belgio, &c. & templa Papistica & reditus eorum divino cultui dedicata, Gentilibus erepta, Christianis (quos prędecessores suos jactant) esserunt.

XII. *An templa profanentur sanguinis effusione, judiciis, comitiis, armistriis, militum, peregrinorum, exulum receptionibus, mercaturâ, aliisque actionibus civilibus; item si quis armatus, aut ocreatus ea ingrediatur*, &c. *Resp. leg.* contra infrunitas Canonistarum ad tit. *de Immunitatibus Ecclesiarum*, & Casuistarum (*Navarri cap.* 5.) & Scholasticorum (*Zwarez cap.* 3. & 4.) disputationes; quibus ex parte accedit *Ælfricus Hunnius in disput.* 2. Prætensa profanatio præsupponit sanctitatem templariam ex sensu Judaico Ethnico Papistico; & post se trahit reconciliationem mediantibus illis peragendam à solo Episcopo: cujus artis argentariæ exempla aliquot refert *Hospinianus.* Fatemur tamen templo ejusque possessoribus damnum & injuriam posse inferri, & contra decorum ordinis ac politiæ alieno atque indecoro usu peccari: quæ profanatio ejusdem generis censenda est, cujus curiæ, Academiæ, dicasterii, &c.

XIII. *An leprosi debeant habere templum & presbyterum proprium? Resp.* Ita quidem statuit *Jus Canonicum Decretal. de Eccles. ædific. c. 2. cum dicat.* Vivianus in Rationali lib. 3. tit. 46. hanc adfert rationem: *quia cum lepra sit morbus contagiosus, non decet leprosos habitare cum sanis, & non leprosis, ne isti inficiantur ab eis, Levitic.* 13. Sed ratio illa non sufficit. Aliud enim fuit contagium lepræ in V. T. & aliud lepræ hodiernæ, Illud erat partim ceremoniale, partim naturale idque tam malignum ut etiam vestes & parietes inficeret: at hodierna lepra nihil habet ceremoniale, nec tam peculiaris plaga Dei, nec eminus tam contagiosa, ut habitationem in eâdem civitate & auditionem verbi in eodem templo (nam seorsim ad mensam domini, aut in eâdem mensâ distincto calice usuri accedere possunt); aut manducationem proprii panis (per mendicitatem scil. non sanctificati) prohibere necesse sit. Antiquitus in Papatu ignorantiâ naturæ & scripturæ, & κακοζηλία Judaicâ, immunditiem & separationem ecclesiasticam tum leprosorum, tum puerperarum, similesque inanias introducta arbitror. Si quis lęmas antiquę ignorantiæ de Leprâ & Leprosis abstersas velit, is adeat *Vallesii Philosoph. sacr. c.* 19. & 20. & *Forestii observat. chirurg. lib.* 4. *obser.* 7. ubi prolixè in hodiernam lepram inquirit; aliosve, qui ex professo hoc agunt. Addat commentar. in *Levit.* 13. imprimis *Corn. à Lapide.* Confer supra *lib.* 2. *tr.* 2. *sect.* 4. ubi pluribus de leprâ & leprosis agitur.

TRACT. IV. SECT. III.

De Utensilibus, aliisque Templorum adjunctis.

CAP. I.

De Campanis.

§. 1. TEmplorum utensilia, aliaque adjuncta, sunt 1. Campanæ. 2. Alia utensilia & magis externa turrium adjuncta atque ornamenta. 3. Alia utensilia & vasa partim choro partim ipso templo contenta. 4. Altaria. 5. candelabra, cerei, lampades, thuribula, libri, vestes. 6. cœmeteria. 7. Dedicationes & encœnia.

De Campanis variæ quęstiones institui possent, Philologicę scil. & historicę; physicæ & mathematicæ; technicæ seu mechanicæ: Theologicæ: Politicæ: & Politico-Ecclesiasticæ. Nos Theologica, & Politico-ecclesiastica, cum nonnullis historicis hic attingemus: Reliqua si quis nosse cupiat, is adeat Marini Mersenni Harmonica, ubi physicè & mathematicè de sonis

nis & consonantiis campanatum agitur. De iisdem ante ipsum aliqua notârant Angelus *Rocca de Campanis*, & *Hieronymus Magius de Tintinnabulis.* Historica & antiquaria tractantur ab eodem *Magio & Roccha:* ex quibus breviter non pauca repetuntur à *Lorino commentar. in Psalm.* 150. & longe plura à *Salmutho ad Pancirollæ* novè reperta *tit.* 9. ubi & alii autores citantur. Ante omnes illos hoc egerat *Rhodiginus lib.* 19. *c.* 11. & *Hadr. Junius in animadv.* Adde illis *Joh. Steph. Durantum de ritib. eccles. lib.* 1. *c.* 22. *& Barthol. Gavantum* passim in thesauro sacrorum rituum; qui duo antiquitates, in primis Romano ecclesiasticas, & ritualia consectantur; autoresque ejusdem commatis indicant: inter quos agmen ducunt *Amalarius*, *Rupertus Tuitensis*, *Gulielmus Durantes*, infra datâ occasione cum aliis ritualibus & Canonistis nobis citandi. Technica & mechanica huc spectantia, tribus verbis perstringit *Thomas Garzoni* in libro Italico tit. *Piazza Universale di tutte le professioni del Mondo*, *discurs.* 70. in fine; ubi lectorem istarum rerum avidum ablegat ad *Vannucium*, qui in *pyrotechniâ suâ lib.* 6. *cap.* 10. omnia illa plenè tractaverit. Nonnulla etiam attingit *Pomp. Gauricus de sculpturâ cap.* 8. Et *Weckerus in secretis p.* 448. Ut nostra agamus; theticè & vice præcognitorum, prius nonnulla de campanis delineabimus, ex sensu Romano. Deinde problemata aliquot subjiciemus.

Ut ergo à nomine incipiamus, campanę aliter vocari possunt, & solent, §. 2.
cymbala (Hebr. צלצלים) tintinnabula, κώδωνες, petasi, nolæ, æramenta, seu æra, lebetes, squillæ, crotali, crepitacula, acetabula, signa, clocę. Quod ad figuram earum, notum est esse rotundas & cavas. Quod ad materiam, constant ex metallis inter se permixtis. Quamvis constet olim aliquas fuisse lapideas. Quin & lignorum crepitaculis populum convocatum fuisse: uti adhuc hodie: de quo infra. Inventorem earum ante hac fecerunt Paulinum Episcopum Nolanum, Hieronymi contemporaneum: sed recentiores errorem hunc castigant; uti infra videbitur.

Principium constitutivum, seu fundamentum sanctitatis mysticæ & efficaciæ, quæ campanis tribuitur, est benedictio, quę (per modum administrationis baptismi. (Quos ritus hodie aliter exponunt & excusant; de quo infra, in problematis) & confirmationis peragi videtur: ita ut ipsorum idiotæ non tantum Baptismum esse putent, & sic appellent, sed & eruditi ab illâ appellatione ne hodie quidem abstineant.

Ratio & forma Baptizandi campanas, describitur in *Ordine Romano pag.* 26. (edit. Hittorpii) & in Pontificali Romano part. 2. titulo de benedictione signi seu campanæ: ubi pag. 165. 1. (edit. Venetæ apud Juntas 1561.) *Signum, vel campana benedicenda: debet benedici, antequam ponatur in campanili: hoc ordine. In primis debet campana ipsa ita suspendi & si-*

ſituari : ut commode poſſit intus & extra tangi : tractari : & circuiri: deinde prope ipſam campanam benedicendam : paratur Pontifici faldiſtorium. Vas aquæ benedicendæ. Aſperſorium. Vas cum ſale. Lintea munda ad extergendam campanam, quando opus erit. Vas olei ſancti infirmorum, ſanctum chriſma. Thymiama. thus. mirra. & thuribulum cum igne. Diaconis etiam accipit amictum : albas, cingulum : manipulum: ſtolam & dalmaticam albi coloris. Quibus ordinatis : Pontifex in ſacriſtia, aut alio convenienti loco paratus amictu: alba, cingulo, ſtola, pluviali albi coloris, & mitra ſimplici, baculum paſtoralem manu geſtans : venit prope campanam : ubi ſedens ſuper faldiſtorium ibidem ſibi paratum, dicit cum miniſtris Pſalmos ſequentes : videlicet &. Et ſic intermixtis lectionibus, cantibus, & benedictionum atque exorciſmorum formulis, totum hunc ritum abſolvit Epiſcopus 1. benedicendo ſal & aquam. 2. mittendo ſal in aquam. 3. campanam intus & extra lavando, eamque poſtea extergendo. 4. faciendo ſignum crucis ſuper campanam ab extra, cum pollice intincto in oleo infirmorum. 5. Hanc crucem à ſe factam abſtergendo linteo mundo. 6. faciendo ſeptem cruces ſuper campanam exterius de oleo infirmorum; & quatuor cruces ſuper campanam interius de ſacro chriſmate. 7. thuribulum cum thure & myrrhâ ſupponendo campanæ, ut totum fumum recipiat. 8. oſculando librum Euangeliorum, & producendo ſignum crucis ſuper campanam. Prout hæc omnia in Pontificali cit. deſcribuntur.

Fines, ſeu uſus, & effecta campanarum ſeu eccleſiaſtica, complexi ſunt gloſſatores juris canonici his verſibus ad extravar. commun. lib. 1. tit. de officio cuſtodis :

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum.
Defunctos ploro, peſtem (al. nimbum) fugo, feſta decoro.

Eoſdem verſus reperies apud *Gerſonem part.* 3. tract. de canticis alphabet 78. ubi dicit, *eccleſiam iis uti plus aliis ſectis ad domini laudes tanquam vice tubarum veteris legis*, &c. Sed uſus illi campanarum partim multiplicantur, partim deducuntur apud *Durantem in rationali divinor. officior. lib.* 1. *cap.* 4. qui videndus ; & conferendi cum illo recentiores ſupra citati. Quibus adde *Martinum Delrio lib.* 6. *diſquiſit. Magicar. cap.* 2. *ſect.* 3. *pag.* 10. 22. ubi amplificat uſum in fugandis dæmonibus ; & maleficiis magicis.

Nos uſus omnes Papiſtico ſacros ſeu myſticos ad hæc duo genera revocamus, *operativos* ſcil. & purè *ſignificativos* ſeu *myſticoallegorico-didacticos*.

Significativi, ſeu allegoricè didactici ſecundum totam campanam ejuſque formam, partes, affectiones, actiones, minutim exponuntur, & additis ſcripturę teſtimoniis demonſtrantur (more ſolito) à *Durante loco cit.* quę huc tranſſcribere nimis operoſum eſſet.

Ope-

Operativi plerique in *Ordine Romano*, & à Durante ibid. fol. 10. enumerantur: *Pulsatur autem & benedicitur campana. Ut per illius tactum & sonitum fideles invicem invitentur ad premium & crescat in eis devotio fidei, fruges, mentes & corpora credentium serventur, procul pellantur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum & fulgurum, tempestates infestaque tonitrua & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum & aëreæ potestates prosternantur. Ut hoc audientes fugiant ad sanctæ matris ecclesiæ gremium ante sanctæ crucis vexillum cui flectitur omne genu*, &c. *sicut hæc singula in benedictionibus campanæ habentur.*

Ut ordine aliquo adhibito memoriam nostrorum circa chaos illud juvemus, distribuimus omnes usus operativos secundum objecta, Deum scil. angelos, sanctos, fideles viventes, dæmones, inanimata, ut fulmina, ventos, tempestates, &c.

I. *Deus* campanarum pulsu religiosè honoratur *Gerson loc. cit.* idemque ad misericordiam inflectitur. Sic *Joh. Steph. Durantus loc. cit.* qui illud probat ex *Numer.* 10.

II. *Sancti in cœlis*, & imprimis Maria, religiosè colitur. Sic *Possevinus in apparatu* sacro in voce, Maria.

III. *Fideles* viventes, *quod ad mentes & corpora servantur*; convocantur & *invitantur ad præmium*, ut *crescat in iis devotio fidei*. Sic *Durantes*, Specialiter excitantur ad celebrationem festorum, processionum, Jubilæorum, &c. ad missarum solemnia, ad officia divina, ad lætitiam exprimendam. Sic *Amal. lib. 1. de div. offic. c. 1.* & *Rupertus Tuitensis lib. 1. c. 16.* Ad hęc, duodecies de die pulsandas, non sine magno mysterio notat ibid. *Durantes fol.* 10. b. *Et nota quod ad divina officia*, &c. Præter convocationem ad missas, in ipsa missæ celebratione quomodo, quoties & cur campanæ seu nolæ pulsentur, & quo primo autore explicat *Gavantus tom. 5. p.* 138. & 151.

IV. *Defuncti* in purgatorio existentes plorantur, & suo modo quasi suffragiis juvantur.

V. Procul pelluntur *hostiles dæmonum exercitus*, & omnes eorum insidiæ, *spiritus procellarum* & aëriæ potestates prosternuntur. Sic *Durantes*, *Pontificale* in benedictione campanæ, & *Binsfeldius*, *Delrio modo cit.*

VI. *Fruges* servantur; fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum temperantur, infestaque tonitrua, & ventorum flamina suspenduntur. Sic *Durantes*, & *Pontificale loc. cit.* Atque hęc de usibus campanarum.

Ad quos reducimus earum silentium seu non-usum. Qui duplex notatur,

tatur, *totalis*, scil. & *partialis* seu ad tempus. *Totalis* obtinet apud Saracenos seu Muhammedistas: ubi exulant campanæ. Ipsi enim non utuntur in civilibus aut sacris. Ad sacra enim convocant populum per vocem præconis. Christianis inter ipsos habitantibus nullum earum usum permittunt: testibus *Joh. Hesron. in appendice ad Geographiam Nubensem p.* 16. Et *Cuspiniano de religione Turcicâ* : forte ob rationes purè politicas. Saracenis Pontificii conjungunt reformatos tanquam campanarum hostes; *Joh. Steph. Durantus loc. cit. Delrio loc. cit. p.* 1021. dicit, hæreticos magis oblectari tonitruis bombardarum, quam pulsatione campanarum ecclesiæ Catholicæ. Sed de hac calumniâ infra in problematis. *Partialis* locum habet in Papatu, ubi à die Jovis ante Pascha usque ad pascha silent campanæ. *Durantes cap. cit.* & *Gavantus tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 8. *p.* 246. Rationes allegantur istæ: Ut excelsa nostra & turrium nostrarum taceant in humilitate Christi. Sic *Alcuinus*. Et quia tunc Apostoli prædicatores per castella non circuibant, &c. tacebant, *Rupertus Tuitens. lib.* 1. *de divinis offic. c.* 39. Et quia silentium indicitur populo. Ibid. Egregiæ illæ rationes æque demonstrativæ sunt, ac illę, quæ ibidem à *Gavanto* allegantur ex *Alcuino : pax non datur* (feriâ scil. quintâ in cœnâ domini) *in detestationem osculi Judæ*. Ex hoc campanarum silentio puto diem Mercurii, qui proximè diem Jovis ante pascha præcedit, Belgis nostris dici **schortel-Woensdagh** / à suspensione (vernaculè **schorten**) sonitus seu pulsus campanarum. Cur tunc lignis pulsent, vide infra in problematis. Est & alius casus silentii tempore interdicti: de quo ibid. *Durantes*.

Campanæ secundum quantitatem, item usum variè dividi solent: Durantes subtiliter omnia distinxisse videtur: *Et nota sex eße genera tintinnabulorum, quibus in Ecclesia pulsatur, scil. squilla, cimbalum, nola, nolula, seu dupla, campana, & signum.* „ *Squilla* pulsatur in tricli- „ nio, id est, refectorio. *Cimbalum* in claustro. *Nola* in Choro. *Nolula* „ seu *dupla* in horologio. *Campana* in campanili. *Signum* in turri. Idem Durantes ibid. sonos seu strepitus campanarum varios & distinctos proponit, idque ex lege ecclesiasticâ, & non sine mysterio; *sane, inquit, in tota septuagesimâ, scil quæ quadragesima continetur, in diebus profestis non debet propulsari, nec compulsari, nec depulsari, nec simpulsari*, &c. Præstantiores aliquot campanas, magnitudine scil. & sono, notavit *Kornmannus in Templo naturæ parte* 4. *cap.* 27. *p.* 273. Et magnitudine maximè celebrem dicit *Ersordianam*; & post eam, *Coloniensem*, &c. Maximam totius Franciæ dicit *Rhotomagensem*. Pretiosissimam dicit *Hildesianam*, quæ est argentea. Habet ibidem fabulosè miraculosas; de quibus & *Nierenbergius lib.* 1. *de miraculos. naturis cap.* 8. & 12.

De turribus.

Atque

Atque hæc quidem de campanis. Addamus nunc aliquid de loco earum continente, turri scil. seu campanili. Eam sacram appellat *Joh. Steph. Durant. lib. 1. c. 22.* in titulo capitis. Et convenienter Theologiæ Romanæ: secundum quam omnia utensilia, omnesque partes, usque ad materiam remotam (lapides scil. templorum) inter sacra munerantur. Ejus ornatus seu adjunctum sunt crux & gallus, supra pinnaculum constituta: *ad prælatorum & curionum alliciendam, atque excitandam vigilantiam*, ut loquitur *Joh. Stephanus Durantus lib. 1. cap. 22.* Et ad commonefaciendos homines ad pœnitentiam (exemplo Petri *Matth. 27.*) & refugium ad crucem Christi; ut hæc ex Gretsero aliisque Pontificiis indicamus in 3. *part. select. dispp. tit. de Staurolatriâ.*

Celebriores aliquot templares turres describit Kornmannus in Templo naturæ historico pag. 289. ubi Cremonensem dicit totius orbis altissimam esse, exhibito ibi vulgari proverbio: *Unus Petrus in Româ; unus portus in Anconâ: una turris in Cremonâ.* Altis turribus Venetæ & Argentinensi pedum 574. ibidem recensitis, proximè forte accedere posset nostra Ultrajectina magno templo adjuncta, nuper aeri insculpta & excusa, quam urbis nostræ decus Celeberrima Virgo *Anna Maria à Schurman* his versiculis decantavit:

En Trajectinum sublimi mole colossum,
Vertice qui celsi provocat astra poli.
Jam taceat priscus septem miracula mundus,
Unius par est omnibus urbis opus.
Dousiacæ, lector, debes id iure Camœnæ
Quod turres similes, queis caret orbis, habes.

De turribus & molibus quibusdam à Cornmanno ibid. recensitis, quia non sunt templares, hoc loco nihil notandum. Inter eas murium turrim in Rheno propè Bingam, & historiam Hattonis Episcopi Moguntini, vindicatam vide contra Nicol. Serrarium à Wendelino post tract. de Admirandis Nili. Unum semper mirari subiit; quod Pontificum Romanorum, iisque addictorum potentiss. Imperatorum & regum devota ambitio & ambitiosa devotio, moles non excitârint pyramidibus aut obeliscis ex monte excisis æquales: quarum descriptionem habes in Athanasii Kircheri Oedipo Ægyptiaco, & Obelisco Pamphilio.

Accedimus nunc ad problemata, Theologica; sive Ecclesiastica & Canonistica; Historico-Theologica, aut Historico Ecclesiastica: quæ duplicis generis; aut enim inter nos & Pontificios, aut inter solos Pontificios controversa sunt. Prioris generis sunt ista. §. 3.

I. *Probl. An campanæ sint sacræ? Resp. Aff.* Pontificii de campanis eccle-

 siasticis.

siasticis. Et ratio manifesta est, quia benedictę & consecratæ sunt. Nos negamus: est enim campana commune instrumentum, quo signum dari & homines ad quemque actum convocari possunt; sive in curiâ, sive in scholâ, sive in aulâ, sive in foro, sive in templo. Tubarum in V.T. à Deo institutarum longe alia ratio erat: nec tamen illæ peculiari formâ benedictionis consecratę erant, uti campanæ in Papatu.

II. *Probl. An usus earum sit necessarius in Ecclesia* N. T. *Resp.* Pontificii per consequentiam satis affirmant; cum eas non tantum comparant tubis sacris. V.T. (de quibus *Numer.* 10. *v.* 2.) iisque similem efficaciam mysticam in significando & operando attribuunt; sed etiam iis successisse, imò & per easdem tubas fuisse præsignificatas *Delrio*, *Joh. Steph. Durantus loco cit.* Addit *Thomas Garzoni in Piazza cap. cit.* usum campanarum necessarium esse propter duo exempla, quorum unum est Sacerdotum in V. T. *Numer.* 18. alterum est Christi (1 *Corinth.* 15.) Nos contra Neg. istis ducti rationibus. 1. *Quia* Deus nusquam lege sua campanas ad usus sacros præscripsit; sicuti tubas in V. T. 2. *Quia* Ecclesia apostolica & primitiva antiquissima, post apostolicam iis caruit. 3. *Quia* aliis instrumentis signum dari & populus ad sacra convocari potest: prout etiam de facto olim convocatus fuit, lignis scil. uti fatentur & probant *Baronius*, & *Joh. Stephanus Durantus infra cit.* Et *Baillius in Catechesi tract.* 2. *qu.* 17. Quin & hodie omnes Christiani (Maronitis in monte Libano & Ungaris Budensibus exceptis) sub Imperio scil. Turcico, Persico, Tartarico, Magni Mogul; ipsi denique Pontificii in illis Imperiis sine pulsu campanarum cœtus & sacra celebrant. A Saracenis ubique, simulac aliqua loca subjugaverint, usus omnis campanarum abrogatur, & severe interdicitur. *Gabriel Sionita*, & *Johannes Hesronita*, editores Geographi Arabis Nubiensis *in appendice c.* 6. hujus instituti causam assignant, quod in primordiis Mahumedismi, ad campanarum signum collecti Christiani Saracenos invasissent, & magna clade affecissent.

III. *Probl. An sonitu earum Deus celebretur, ita ut partem faciat cultus divini seu religiosi. Resp.* Ita velint Pontificii: uti patet ex *ordine Romano*, ex *Pontificali*, ex *Rationali Durantis*, *Joh. Stephano Dutanto*, *Gersone*, &c. Nos nullam celebrationem, nullum cultum Dei formaliter, & proprie ita dictum hic agnoscimus: nullum actum religionis elicitum, sive internum sive externum. Sed communiter directionem seu ordinationem illius pulsus seu soni ad Dei gloriam admittimus: non minus quam omnium actuum humanorum 1 *Cor.* 10. 31.

IV. *Probl. An vim & efficaciam habeat adversus dæmonum insultus, & maleficia magica? Resp.* Ita quidem volunt Pontificii: ut videre est in

Pon-

Pontificali, Duranto, Officio Romano p.126. 127. Delrio lib. 6. disq. Magicar. p.1023. hac limitatione: *quod effectus illi non tribuantur formæ seu arti, vel naturæ metalli.* Et paulo post: *Tribuimus ergo vim, efficientiamque omnem consecrationi seu benedictioni, seu divino jussu seu dispositione operanti,* &c. Rationibus nullis suam thesin defendit, contra adversarios (Reformatos, quos oppugnat) quod experientia quotidiana testetur dæmonibus adeo infestam & inimicam esse hanc pulsationem & c. uti probatur autoritate *Concil. Coloniensis c.24.* exemplo quodam ex *Petro Abbate* Cluniacensi lib. 1. de miraculis cap. 13. quod ibidem prolixè describit. 2. *confessione* ipsarum maleficarum ex *Arles, Binsfelsio, Remigio:* ubi tamen eodem halitu monet cavendum esse à technis lamiarum mendacio consutis. Denique remittit lectorem ad *Gulielm. Parisiensem*; *Joh. Steph. Durantum, Binsfelsium:* Atque hæc à viro alioquin doctissimo, allata, satis produnt causæ hujus nuditatem: ut non opus sit verbum addere. Communes rationes contra Magiam indirectam, superstitionem, &c. alibi in *disput. de Magia, Superstitione, Exorcismis, Benedictionibus* propositæ, huc transferri possunt. Quibus accedat, quod à Gentilibus amuletum hoc contra maleficia & spectra profluxisse videtur. Confer de more Gentilium observata à *Magio lib.4. miscellan. c.14.* & *Salmutho ad Pancirollam.*

V. *Probl. An valeat contra tempestates, & ad protectionem hominum, jumentorum, frugum, aliarumque rerum? Resp. Aff.* Pontificii, apud Durantem. Et in *ordine Romano* edit. Hittorpii pag.127. tit. *Benedictio aquæ.* Et in *Pontificali tit. cit.* & apud *Johannem Stephanum Durantum cap. cit.* Atque in hoc imitantur Gentiles: quorum mores vide descriptos apud Macrobium lib. 5. Saturnal. cap. 19. *Omnino ad rem divinam pleraque acta adhiberi solita, multa indicio sunt & in his maximè sacris, quibus delinire aliquos, aut devovere, aut exigere morbos volebant.* Nos Neg. rationibus iisdem adducti, quas in *dispp. modo cit.* antehac exhibuimus.

VI. *Probl. An usum habeat ad sublevandos aut juvandos mortuos: ita ut partem faciat aut saltem necessarium & religiosum apparatum suffragiorum pro mortuis. Resp.* Affirmans sententia Pontificiorum, ex missis pro defunctis, horis canonicis, aliisque suffragiis pro mortuis colligitur: Ubi partem facit aut saltem sacrum medium præstat pulsus campanarum. Imprimis ingentum auxilium & suffragium se exerit in frequenti pulsu & quidem plurium campanarum; quo ditiores in Papatu honorari solent. Hæc etiam ratio pro ipsorum opinione & praxi militare debet. Quod Deus sono illo flectitur ad misericordiam: atqui eâ indigent defuncti non minus, quam vivi, immo multò magis. Sed hæc commenta, profligantur partim in *dispp. modo cit.* partim in *2. part. sel. dispp. tit.* de *purgatorio & Indulgentiis.*

VII. *Probl. An campanæ per benedictionem constituantur in ordine sacramentalium ad producendos effectus illos de quibus supra? Resp. Aff.* Pontificii in *ordine Romano*, *Pontificali*, *Durante*: & defendunt aut excusant hunc ritum *Bayllius* & *Delrio loc. cit.* Nos neg. rationibus iisdem, quibus benedictiones omnes & sacramentalia in genere oppugnamus in 3. *part. select. dispp. tit.* de *Benedictionibus*. Accedant & hæ rationes, 1. quod nec templa, nec utensilia ulla templorum nobis sint sacra, 2. quodque nullum verbum mandati & promissionis exstet, quo ad rem hanc seu ad elementum campanæ accedente, fiat sacramentale seu signum sacrum. 3. Quod in V.T. tubæ & cornua arietina nulla peculiari benedictione consecrata fuerint.

VIII. *Probl. An pulsus campanarum, ad conventus ecclesiasticos, & ad sacra aliosque usus, certo numero astringendus sit: sive propter significationem sive propter operationem mysticam? Resp. Aff.* Pontificii apud *Durantem loc. cit. de conventibus ecclesiasticis* & de *divinis officiis*. Ibidem & ex illo (uti arbitror.) *Joh. Sylva tract. de beneficiis* apud *Petrum Bongum in mysteriis numerorum p.* 153. dicitur ad designandam trinitatem bis pulsari moriente muliere, ter moriente viro. Nos plus quam cabalisticas & superstitiosas insania illas toto pectore detestamur.

IX. *Probl. An reformati hostes sint campanarum, nullumque earum usum ex forma & lege suæ religionis agnoscant? Resp. Aff.* Pontificii apud *Joh. Steph. Durantum cap. cit. p.* 214. Et *Mart. Delrio loc. cit.* p. 1021. edit. in 4. Sed hanc calumniam refutat quotidiana praxis nostrorum; & usus illi, quos infra explicabimus. Nos rejicimus solummodo necessitatem, & opinionem cultus, seu τὸ formale campanæ, signum scil. sacrum & mysticum cum omnibus effectis & significationibus mysticis, eorum fundamento, benedictione scil. & baptismo; aliisque omnibus superstitionibus & vanis observantiis.

X. *Probl. An reformati Pontificiis adscribant baptismum campanarum; & an tantopere in eo peccarint, ut à crimine falsi & calumniæ absolvi nequeant. Resp.* 1. ad prius; nonnullos talis baptismi meminisse sive generalem quandam ablutionem consecratoriam & mysticam intellexerint, quæ inter sacramentalia distinctè & proprie sic dicta numeranda erat; sive sacramentum baptismi propriè sic dictum. Vide *Hospinianum de Templis c.* 26. *Resp.* 2. Ad posterius Neg. contra criminationes Cardinalis *Hosii lib.* 5. contra *prolegom. Brentii*; Martini Delrio lib. 6. disquis. Magic. c. 2. sect. 3. qu. 3. pag. 1023. ubi nostros accusat, quod *more suo ecclesiæ* Romanæ *affingant errores idiotarum*; *ut scismati & transfugio nefario & monstruoso colorem aliquem inducant.* Atqui ipse ibidem fatetur, ut & *Baillius in catechesi*, indocti vulgi in Papatu errorem antiquum etiam hodiernum, de baptismo campanarum.

An

An non liceat illum errorem imputare ecclesiæ Romanæ, cum nunquam illum reprehenderit, nedum ut publicè à Papis & Conciliis ante tempora reformationis immo & post damnatus sit. Et quo argumento evincent, fuisse solius vulgi, & non etiam communem ac passivum cleri errorem. Liceat ergo hoc, si non imponere, saltem ingerere ecclesiæ Romanæ: ut discat non tam infallibilem semper fuisse illam ecclesiam, nec tantam præfectorum vigilantiam, ut nulli errores, nullæ superstitiones irrepserint. *Secundo* dicimus, antiquitus talem superstitionem obtinuisse. Uti patet ex 100. gravaminibus nationis Germanicę per Maximilian. 1. quæ vide in *fasciculo rerum expetendarum.* Et ex capitulari Caroli Magni. Quod etiam citatur à *Joh. Stephano Duranto lib.1. de ritib. eccles. c.22.* Et agnoscit Delrio loc. cit. *fortassis tum irrepserat superstitiosa quædam baptizatio & intinctio campanarum.* Quod si recentiores abusus illos nunc demum vident, & vulgi errores notant, ac linguam suam corrigunt: utique nihil præjudicatur candori, fidei, & necessariæ admonitioni Brentii, Calvini, &c. Si nunc viverent, & viderent ad rem ipsam, & phrases accuratius in Papatu attendi; utique & ipsi sermonem suum mutarent, aut se ulterius explicarent. *Tertio*, Non tantum ante hac (quidquid nunc protestentur *Bayllius* & *Delrio loc. cit.*) nomen baptismi & sacramenti adhibitum fuit in *Pontificali* p.166. edit. in fol. Venetiis apud Juntas anno 1570. Et in *ordine Romano* p.15. (edit. Hittorpii) sed & hodie post censuras nostrorum, & post prætensam reformationem *Concil. Trident.* etiamnum adhibetur. Sic enim Joh. Steph. Durantus. *Baptizantur campanæ.* Et Paulo post: *Formula vero baptizandi, sive benedicendi antiqua est.* Et Garsoni in Piazza disc. 70. p.249. dicit campanam esse *benedictam & baptizatam.* Præterea nomen sancti alicujus etiamnum hodie campanæ imponitur; susceptores advocantur & astant; nomen patris filii & spiritus sancti super ea nominatur; aquâ lavatur; chrismate inungitur; sal miscetur; abstergitur; exorcizatur. Non mirum ergo si, ut populum in errorem superstitionis ipsi præfecti, tum loquentibus ceremoniis baptismalibus seu baptismo-formis & mimicis, tum silente debitâ institutione abduxerunt; sic etiam aliquos nostrum in errorem historiæ induxissent. Nam quod *Bayllius* excipit, etiam naves benedici, & nomina iis imponi: id longè disparem habet rationem; uti constabit iis, qui ritus benedictionis navium & campanarum conferre voluerint. Quod idem excipit, *non esse baptismum, qui sit sacramentum*; proprissimè scil. dictum: non liberat ecclesiam Romanam ab errore & superstitione, nec dubiam facit fidem & candorem nostrorum. Nostri non distinxerunt sacramentum aut baptismum propriè dictum; nec campanas eodem baptismo baptizari dixerunt, quo homines: sed talem, qualem baptismum campanarum in Papatu usitatum tanquam

super-

ſuperſtitioſum, & ſacramentis, ſeu ritibus ſacramentalibus à Chriſto inſtitutis præjudicantem, reprehenderunt. Sit ergo baptiſmus latè acceptus, qualem à Gallis ſcriptoribus (nominatim *Ivone Carnutenſi de ſacr. dedicat.*) templo, aliiſque rebus conſecrandis tribui obſervat *Joh. Steph. Durantus* & *Delrio loc. cit.* reus tamen eſt Papatus, & merito à noſtris reprehenditur. Vide ſupra.

XI. *Probl. An & cur in officio tenebrarum, campanæ ſilere debeant; & loco earum tabulis ligneis ſignum dandum, quò ad officium illud pulſetur. Reſp.* Utriuſque rationem reddit Belethus in explic. divinor. officior. cap. 100. Prioris quidem, *quia campanæ ſignificant concionatores. Atque ideo campanis non pulſatur, quia concionatores, hoc eſt, diſcipuli domini non ſolum nomen ejus non prædicarunt, ſed & negaverunt, ut Petius, & fugerunt,* &c. Poſterioris hanc rationem ibidem aſſignat: *Magnus tamen ex ligno editur ſonus. Tabula lignea Chriſtum ſignificat, qui in ligno clamabat, prædicabat, orabat,* &c. *Pulſatur igitur ligno, quod tum ſolus Chriſtus extitit concionator. Durantes lib. 6. Rationalis fol.* 156. b. tit. de *quinta feriâ* quinque rationes congerit, Quas videat, cui vacat. Ibidem refert uſum lignorum ſacrorum etiamnum obtinere in eccleſiâ Græcâ. Ante ipſum idem ſcripſerat *Amalarius lib. 4. de offic. eccleſiaſt. c.* 21. Ibidem *Belethus* explicat, officium dictum *tenebras*, celebrari tribus noctibus continuis, ut repreſententur tres illę horæ, quibus tenebræ erant in crucifixione Chriſti. Nos illas pluſquam theatrales & inſulſas nugas rejicimus.

§.4. Problemata aliquot inter Pontificios agitata aut agitanda hic ſubnotamus & ſpectatores agimus.

I. *Probl. An prima inventio campanarum referenda ſit ad Papam Sabinianum aut ad Paulinum Epiſcopum Nolanum. Reſp. Strabus lib. de rebus Eccleſiaſticis*, aliique videntur hoc affirmaſſe. Idem habet *Pancirollus* in novè repertit *tit.* 9. Delrio tamen aliter: *putatur ante mille annos D. Paulinus Nolanus Epiſcopus inſtituiſſe, ut tubis veteris Teſtamenti argenteis & corneis ſuccederent, & populus ad feſtorum cultum*, &c. Et *Polydor. Virgil. lib.* 3. *c.* 18. Et directè reclamat *Hadr. Junius lib.* 3. animadverſion. c. 11. Poſt quem notarunt eundem errorem *Hieronym. Magius, Angelus Rocca, Lorinus in Pſ.* 150. Et ex noſtris, *Hoſpinianus de Templis c.* 26. *Salmuthus in commentar. ad Pancirollam.* Qui omnes quamplurimis autorum teſtimoniis docent jam ante apud Gentiles variis uſibus deputatas fuiſſe campanas, Videat, cui vacat, aliquem ex illis modo cit. *Gavantus tom.* 1. *p.* 76. 77. Roccam ſecutus probat ante tempus Paulini uſum earum fuiſſe. Quicquid ſit, conſtat uſum non eſſe tam antiquum; & primam originem non ita certam.

II. *Probl. An campanæ in tempeſtate rectè pulſentur; quod hac ratione per*

vim

vim & operationem Physicam, aër discuti, & tonitrua, tempestates sedari, frangi, aut minui possint? Resp. Aff. Petrus Messias in variis lection. lib. 2. cap. 9. Et *Thomas Garzoni* in *Piazza*, &c. *discursu* 70. Sed merito hoc commentum explodit *Kornmannus, in Templo naturæ.* Et Delrio in disquisit. Magic. lib. 6. pag. 1023. ubi nominatim taxat Petrum Messiam; & hanc rationem subjicit: *Foret in Gentilium opiniones deliras incidere, de æris sonitu dæmonum fugatore: de quib. vide Alexandri Aphrodisæi probl. 43. lib. 2. Macrobium lib. 2.* c. 19. Hæc quidem rectè ab illo disputantur: Sed non video, quomodo *Durantes* eodem telo non confodiatur, tum dicit loc. cit. „ Cęterum campa-„næ in processionibus pulsantur, ut dæmones timentes fugiant, &c. Ti-„ment enim auditis tubis ecclesiæ militantis, scil. campanis: sicut aliquis „tyrannus timet audiens in terrâ suâ tubas alicujus potentis regis inimici „sui. Et hæc etiam est causa, quare ecclesia videns concitari tempestatem, „campanas pulsat, ut scil. dæmones tubas æterni regis, id est, campanas „audientes territi fugiant, & à tempestatis concitatione quiescant. De aëris attenuatione, nubium discussione, & tonitrui resistentiâ, quæ *Garsoni* & *Messias loc. cit.* philosophantur, planè ridicula sunt. Tantilla scil. commotio & discussio aëris, nubium vastas moles dissipabit, tonitruum & fulminum immersos fragores atque impetus sistet? Et quomodo ad nubes usque aëris illa agitatio pertinget? alia ratio discussionis & ventilationis illius, quàm per tormentorum displosionem alicubi factam, & quâ pestem fugatam, refert *Lævinus Lemnius* in tract. de complexionibus: si bene memini.

III. *Probl. An sacris superpelliceis indui debeant, qui pulsant campanas? & an officium pulsandi ad solum æditum pertineat, sitque ex gradibus sacris minoribus? Resp. Aff. Concil. Coloniense part. 3. c. 31. L.* & cum eo *Joh. Stephanus Durantus cap. cit.* & Gavantus tom. 1. Thesauri sacrorum rituum pag. 77. & rationem adfert ex *Concil. Colonienf. quod misericordiam Dei annunciant campanæ, ut olim Hebræorum tubæ clangentes Numer. 10. Synodus Aquensis* in Gallia anno 1581. (apud *Bochellum in decretis* eccles. Gallicanæ *lib. 4. tit. 3.*) antiqua hæc statuta confirmat, & ubi commodè fieri potest, ne ab alio, quàm à Clericis, pulsari permittantur.

IV. *Probl. An ad usus civiles seu sæculares pulsandæ. Resp.* Negant Pontificii apud *Bochellum loc. cit.* ubi ita statuit Synodus Aquensis: *neque earum sonitu & clangore, quæ consecratæ sunt, convocentur homines ad sæcularia pertractanda, neve reis ad patibula perducendis.* Mores tamen & consuetudo à legibus hic discedunt.

V. *Probl. An universitas vocari possit per sonum campanæ? Resp. Aff.* à Panormitano c. *causis, de Elect.*

VI. *Probl. An pulsans tempore interdicti fiat irregularis? Resp. Aff.* com-

 muniter

muniter Canonistæ. Et cum iis *Quaranta in constitut. Pontificum* in voce *campana*. *Ratio* autem cur tempore interdicti silere debeat adfertur à Durante loc. cit. *Quia sæpe ob delicta subditorum impeditur lingua prædicatorum , juxta illud Prophetæ* , linguam tuam adhærere faciam palato tuo , &c.

VII. *Probl. An pulsans seu pulsari jubens ad arma sumenda pro captione rebellis, vel malefactoris, incurrat irregularitatem? si scil. ob illum socium ille reus fuerit captus, deinde morte, vel mutilatione membrorum damnatus? Resp. Aff. Majolus in tract. de irregularitate lib.2. c.10.*

VIII. *Probl. An irregularitatem incurrat pulsans , ut convocetur populus, quando reus ducitur ad supplicium? Resp. Aff.* Ibidem Majolus, sed cum distinctione: si scil. pulset in eum finem, ut reus securius ducatur ad mortem; non vero si tantum pulset ad signum & publicum exemplum.

IX. *Probl. An pulsans campanam , si ipsa aut ejus malleus cadens aliquem interficiat , fiat irregularis? Resp. Aff.* Cum distinctione *Majolus tract. cit. lib.5. cap.48. 5.3. Zabarella* Panormit. aliique canonistæ ad c. *Johannes de Homicidio.* Sylvester in summa in voce *Homicidium 2.v.10.*

X. *Probl. An campanæ consecratæ etiam in turri profanâ , usui profano inservire possint? Resp.* Negatur: etiamsi in hunc usum à sæcularibus fabricatæ prætenderentur. Ex *decreto SS. congr.* apud *Barbosam in collectam* in voce *campanæ.*

XI. *Probl. An citatio rei in judicio ecclesiastico per sonum campanæ fieri possit? Resp. Aff.* canonistæ, apud *Tholosan. lib. 5. partit.* Juris Canonici *tit.5.cap.5.*

XII. *Probl. An liceat pulsare campanam in celebratione Missæ; ut illo signo declaret sacerdos astantium communionem? Resp.* Ita quidem alicubi fieri *Aff. Gavantus tom.1.p.167.* 6. sed *nulla*, inquit, *autoritate majorum.*

XIII. *Probl. An pulsari debeat campanula , ad elevationem hostiæ consecratæ, & calicis? Resp. Aff.* Ita enim instituit Gregorius undecimus , apud *Nauclerum* generat.42. anno 1240. quamvis hunc ritum adscribat Honorio tertio *Schultingius tom. 1. antiquit. ecclesiastic. c. 18. Udoni* Cardinali anno 1207. & *Abbas Arspergensis*; *Cæsarius lib. 9. cap. 31.* Rationem hujus ritus assignat *Durantes lib.4. cap.41.* & ex eo Gavantus tom. 1. pag. 151. *Sicut in V.T. Levitæ tubas clangebat argenteus quarum sonitu populus provocabatur ad adorandum.*

XIV. *Probl. An campanula continuatè sit pulsanda; an vero ter ad quamque elevationem: cum scil. sacerdos adorat, & cum hostiam elevat? aut cum eandem aut calicem reponit? Resp.* Uterque modus ponitur in *Missali part. 2. tit.8. rubrica* 7. Ad quam ibidem notat Gavantus tom. 1. pag. 161. posteriorem

riorem modum decentiorem esse priori: *ternario namque numero gaudet Deus, ut alias cum Innocentio tertio diximus.*

XV. *Probl. An in Missâ solenni pulsari possit cum campanis majoribus? Resp. Aff. Gavantus* ad *rubricas missalis part. 2. tit. 8. num. 8. p.* 153.

XVI. *Probl. Quandoquidem tempore interdicti non licet pulsare ad divina officia, & ad missas, ne quidem in sacrificio missæ tintinnabulo, uti licet cum hostia elevatur, vel ad sanctos; quod loco campanæ adhibendum? Resp.* Tabula cum matracâ vel tubâ; quia hæc instrumenta non sunt vetita, cùm non veniant nomine campanarum. Sic recentissimus Casuista *Elegius Basseus*, in voce *interdictum* 2. 5. 14.

XVII. *Probl. An hæc regula nullam habeat exceptionem. Resp. Aff.* Nam in aliquibus festivitatibus licitum est, tempore interdicti localis generalis (non vero specialis) missas & officia divina celebrare januis apertis, altâ voce, cum sono campanarum &c. licitum etiam toto tempore interdicti pulsare campanas ad conciones, ad comitandam eucharistiam, &c. Vide *Basseum loc. cit.* 5. 14. 16.

XVIII. *Probl. An Minoritæ, aliique monachi, possunt uti campanis? Resp. Neg.* ex c. *patentibus, de privilegiis & excess. privilegiat.* Et *nunc in extravag. com. de offic. de cust.*; sed possunt in oratoriis & refectoriis suis habere campanellas. Quando autem possint monachi in ecclesiis suis plures campanas publicè adhibere, ibidem determinatur.

XIX. *Probl. An privata oratoria? Resp. Neg.* Ex statutis Juris canonici modò cit Rationes has adfert *Panormitanus ad loc. cit.* & ex eo *Vivianus lib.* 5. rationalis juris canonici, tit. 32. c. 10. patentib. „Quia habere „campanam publicè in loco, & pulsare publicè, est signum loci publici & „sacrati. Et quoniam oratoria privata non sunt loca publica (*unicuique* de „consecr. dist. 1.) Quomodo autem differant oratoria privata ab ecclesiis, & an, ac quando in oratoriis publicè celebrari possit, determinat cit. cap. & tit. decretal. *Panormitanus fol.* 153. *b.*

XX. *Probl. An in Sabbatho sancto pulsari possint confratriarum, regularium, aut quæcunque aliæ sæcularium ecclesiarum campanæ, ante pulsum campanarum ecclesiæ matricis, seu majoris? Resp. Neg.* idque ex *decreto Concilii Lateranensis* sub Leone X. *sess.* 2. & ex decretis *S. S. congregat. rituum*, apud *Gavantum tom.* 1. *p.* 270. imprimis apud *Augustinum Barbosam*, in collectan. bullarii, in voce *campana*: ubi addit decretum 23. Februar. 1614. quod extendit hoc ad ecclesias collegiatas, quæ omnimodam præcedentiam habent supra ecclesiam matricem.

XXI. *Probl. An campanæ aliis diebus præter Sabbathum sanctum, indifferenter pulsari possint ante vel post pulsationem in ecclesiâ cathedrali, vel matrice?*

trice? Resp. Aff. ex *decreto SS. congreg rituum:* nisi forte adesset consuetudo, ut non pulsentur in aliquâ ecclesiâ, ante pulsationem in matrice; quæ consuetudo servanda erit. *Barbosa loc. cit.*

XXII. *Probl. Quot campanæ possint, aut debeant esse in singulis ecclesiis parochialibus? Resp. Synodus Aquensis* in Galliâ apud *Bochellum loc. cit.* decernit, ut tres sint, scil. grandior, media, minima; aut saltem duæ, ubi fieri potest. Sed hoc ita accipiendum puto, ut ad minimum, si fieri possit, sint tres. In plerisque magnarum civitatum turribus sunt plures. Hæ duæ (referente *Cornmanno pag.* 274.) in ecclesiâ S. Lazari in insigni illo campanili *sunt viginti & ultra; quarum duæ sunt magna molis, una ponderis est* 18000. *altera vero* 16000. Sed longè magnitudine & pondere (eodem ibid. referente) superat Rhotomagensis, quæ tenet libras 36000. Quam tamen ab Erfordianâ superari, colligere possumus ex eodem p. 273. ubi ait, *hanc omnes superare, quas viderat.* Viderat autem Rhotomagensem & Erfordianam.

XXIII. *Probl. An religiosis, præsertim ordinis Prædicatorum liceat habere plures campanas? Resp. Neg.* constitutiones illius ordinis. Sed hodiè tenent huic constitutioni derogatum generali consuetudine. Vide de hac quæstione *Albericum in dictionario,* in voce *campana*, imprimis *Oldradum consil.* 228.

XXIV. *Probl. An campanæ non benedictæ pulsandæ non sint; & si pulsentur, Episcopus hoc prohibere possit? Resp. Aff. pr. ex Pontificali, Durante, synodo Aquensi loc. cit.* quæ vetat eas etiam in *Turrim aut pinnas sustolli, antequam consecratæ* sint, &c. Aff. poster. ex *decreto SS. congreg. Rit.* 5. *Julii.* 1614. apud *Barbosam in collectan. loc. cit.*

§. 5. Addimus adhuc problemata quædam partim historica, partim mixta seu historico theologica.

I. *Probl. An in V. T. fuerit usus campanarum in Ecclesiâ? Resp.* De nullis legimus; sed quidem de tubis *Numer.* 10. Addit *Josephus lib.* 5. *de bello Judaico cap.* 9. sacerdotem ex altâ turri sonitu tubæ sabbatha indicare consuevisse. Fides sit penes ipsum. Tintinnabula illa *Exod.* 28. 34. 35. nihil ad nostras campanas: nedum ut tubarum clangor *Josuæ* 6. 5. (quem pro benedictione & efficaciâ campanarum allegat *Coccius in thesauro tom.* 2. *lib.* 3. *artic.* 6.) huc quidquam faceret.

II. *Probl. Quomodo primitiva ecclesia absque campanis cœtum convocaverit? Resp.* Primò per cursores; cum scil. cœtus haberentur clandestini. Postea data libertate, & cessante persecutione, putantur lignis quibusdam strepitum excitasse. Exemplum adfertur 2. *Concil. Nicen. act.* 4. & vult *Amalarius lib.* 4. *de offic. ecclesiastic. c.* 21. antiquo tempore usum lignorum fuisse.

fuisse. Ubi addit Ecclesiam Græcam eundem usum tenere, *non propter æris pænuriam, sed propter antiquitatem.* Quod non improbare videtur liber de processionibus ecclesiasticis, à *Claudio Episcopo Andegavensi editus* anno 1641. *cap.* 3. *p.* 28. Nos non videmus, quomodo dici possit, in primitivâ ecclesiâ, sub cruce constitutâ, lignis ejusmodi signum datum fuisse. Contradicit etiam apertè *Amalario Baronius ad ann.* 51. §. 103. tum ob hanc eandem rationem, tum quod probari non possit, ecclesiam aliquam signis illis usam. Ad exemplum ex *actis* 2. *Concil. Nic.* (quod tamen primæ antiquitatis non est) respondet signum illud tunc datum fuisse à monachis; Et sic monachos alibi pulsu lignorum convocatos, sive quod una pulsatione hoc fieret, sive quod singulorum fores pulsarentur.

III. *Probl. An præter usus campanarum politicos (qui varii esse possent, ut docet praxis quotidiana; inter quos excellit usus horologiorum) & ecclesiasticos, ad convocandum cœtum, licitus sit usus ille, qui in Angliâ obtinuit; ut pulsu campanæ parochialis indicaretur aliquem ex parochianis versari in agone mortis? Resp.* Constat usum illum non fuisse sine abusu in Papatu. Sed abusibus repurgatis, non video cur usus ille simpliciter improbandus sit: ut scil. membra ejusdem ecclesiæ parochialis in suis precibus memores sint agonizantis.

IV. *Probl. An earum usus aliquis sit in funeribus? Resp.* Alium non video pro quo ratio aliqua allegari possit, quam ut deducturi funus convocentur. Alioquin reformati nostri jam inde à primâ reformatione, & etiamnum hodie in Galliâ, Scotiâ, & in Belgio nostro non pauci putarunt, tanti non esse illum usum: Ita ut maluerint omittere, & vel hac ratione à superstitionum Ethnicarum, & Pontificiarum (quibus hunc pulsum implicuerant) vel minimâ specie quam longissime recedere. Pulsus & strepitus, qui diebus aut horis aliquot ante deductionem funeris, aut in ipsâ deductione, aut post excitari solent, si non fiat ex superstitione Ethnicâ aut Pontificiâ, sed tantum ad luctum augendum seu potius ostentandum, ut ad pompam, ad vanitates; saltem ad facta otiosa referendos putamus. Quid Pontificii hoc pulsu sibi velint, ex parte indicat *Joh. Steph. Durantus op. cit. p.* 212. ,,Pulsantur etiam campanæ, ait *Alb. Pighius* ad finem lib. 7. in exequiis & justis defunctorum, ut excitentur & præmoneantur, nedum necessarii, sed & ceteri cives ad præstanda officia defunctis eorum opem implorantibus, ac si dicerent: Miseremini mei, saltem vos amici mei. Apud Gentiles, si quis excessisset, aëra pulsabantur; quod sonus crederetur esse καθαρτικὸς καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων ut loquitur Scholiastes Theocriti ad Pharmacentriam. Sed de ritibus funerum alibi disquirendum. Aliqua supra *lib.* 3. *tract.* 2. attigimus.

V. *Probl. An strepitus campanarum inhiberi possit aut debeat propter ægros & decumbentes? Resp. Aff.* de immodico & de non necessario strepitu; & ex jure probat *Salmuthus ad Pancirollæ novè reperta tit. 9. p. 164.* De doctore & scholari sano, qui contra strepitum campanæ, & quorumcunque fabrorum ac malleatorum actionem institueret, aliter ibid. determinat cum *Oldrado consil. 228. ac Bartolus, Jason. Ripa, Alciatus ibid. cit.* Vide ipsum.

VI. *Probl. An religionis, aut peculiaris* εὐταξίας *& decori ecclesiastici intersit; ut campanarum pulsu potius, quam signo tubæ, aut indicio horæ per pulsum horologii, aut quocunque alio signo convocetur ecclesia? Resp. Neg.* Totum hoc adiaphorum est: nec ulla ratio ab usu & necessitate politicâ aut ecclesiasticâ in contrarium adduci potest. Recepta consuetudo & praxis, nihil hic præjudicare debet libertati Christianæ. Quam nostri etiam reipsa usurpant, ubi ita usu venit: uti in præsidiis & castris auditores tympanis & tubis ad conciones convocantur.

VII. *Probl. Quodnam est* τὸ *nimium, & quæ* περιεργία, *quisve excessus in usu campanarum, à quibus sedulo cavendum? Resp.* Opinio cultus & necessitatis, tanquam instrumenti aut signi formaliter sacri aut religiosi. Et usus earum sive ad auxilium viventium contra Satanam, tempestates, &c.; sive ad suffragia pro mortuis in funerum solennitatibus; sive ad otiosam & vanam pompam ac περιεργίαν in morte aut in sepulturâ fidelium; sive ad solemnitates & celebrationes festorum: instar cornu arietini, cujus clangore jubilea nuntiabantur. Festa in N.T. propriè nulla sunt; quamvis stylo Romano dicantur esse. Nullus ergo usus earum ecclesiasticus restat, quam convocatio populi ad conciones, seu ad publica religionis exercitia: quem solum etiam admittunt nostri in disputationibus contra Pontificios. Vide *Riveti catholicum orthodoxum.* Usum autem illum & quidem communem ejusdemque ordinis, generis, atque efficaciæ cum omnibus aliis usibus civilibus, accuratè distinguendum, omniaque superflua & superstitiosa resecanda, ex primis reformatoribus inculcat *Oecolampadius in Respons. ad confession. Lutheri part. 3.* (verba cito fide Jod. Coccii in Thesauro: Liber Oecolampadii mihi ad manum non est.) „De campanis dicimus, quatenus hæ eo „loci, & superstitionis per abusum devenerunt, ut boni alicujus operis „aut meriti spem inde concipiant homines, eatenus relinqui & omitti debere. Quod sic accipio, ac demolitionem templorum; quam cogente necessitate reformati nonnulli suasisse videntur. De quo supra in *qu. de Templis.*

VIII. *Probl. An Coccius in Thesauro catholico promissum & jactatum usus campanarum in Papatu recepti catholicismum, & antiquitatem sive antiquissimam, sive antiquam, sive novissimam, hoc est mediæ ætatis, probaverit, aut saltem*

tem probare conatus sit ? *Resp. Neg.* Ex ſcriptura enim nihil citat præter *Numer.* 10. & *Joſuæ* 6. 5. Ex prima ſeu antiquiſſimâ antiquitate nihil omnino. Ex antiquitate neminem producit, præter Ephremum anno 370. qui parænesi 23. qui tamen *benedictionis*, *& pulſus adverſus tonitrua & tempeſtates* (uti habet titulus ſeu lemma articuli 6. apud *Coccium*), non meminit; immo ne quidem campanæ, aut campanulę: ſed tantum *ſigni ad ſynaxin & officium dati.* Ex noviſſimâ ſeu infimâ antiquitate *primus* omnium producitur *Gregorius Turonenſis* : de cujus judicio & autoritate quid ſtatuant ipſi Pontificii, notavimus in *deſper. cauſa Papatus.* Videatur *Bellarminus* de ſcriptoribus eccleſiaſticis. *Secundus* eſt *Audoënus Epiſcopus Rhotomagenſis*, in vita S. Eligii. Sed quę fides adhibenda ſit vitarum ſcriptoribus, alibi dictum eſt. Quidquid ſit de autoritate hujus obſcuri ſcriptoris; nihil ille de benedictione & pulſu campanæ contra tonitrua, &c. ſed tantum de convocatione ad preces canonicas, & ſacrificium in baſilica celebrandum. *Tertius* eſt *Beda* anno 700. qui hiſtor. Anglic. lib. 4. c. 13. nihil refert, quam quod ſono campanæ in monaſterio aliquo *ad preces excitari & convocari ſolerent.* *Quartus* eſt anonymus autor ordinis Romani anno 730. Sed adverſus obſcurum hunc ſcriptorem multis modis excipi poſſet ſiquidem hoc tanti eſſet. *Quintus* eſt *Zacharias Papa*, anno 740. quem ordine ſequitur *Alcuinus* anno 750. Sed neuter eorum aliud quid dicit, quam ſignum in eccleſia pulſatum. *Ludgerus* obſcurus ſcriptor eſt; nec quidquam tamen de benedictione, pulſu contra tonitrua &c. *Concil. Aquiſgranenſe*, *Amalarius*, *Walafridus*, *Eulogius*, *Toletanus* uſum earum ad conventus ſacros agnoſcunt. Verba Strabi ibidem cit. ex lib. de rebus eccleſiaſticis cap. 5. manifeſtè hoc explicant: *quia eorum ſonoritate quibuſdam pulſibus excitata, ſignificantur horæ, quibus in domo Dei ſtatuta celebrantur officia*, Vide ibi reliqua. *Ido in vita Liborii* anno 900, narrat, campanas omnes pulſatas in deductione funeris. Sed non mirum ſequioribus illis ſæculis pompaticam hanc vanitatem obtinuiſſe. Quo tamen probari nequit benedictio & pulſus contra tonitrua, aliæque Romanæ ſuperſtitiones à nobis reprehenſæ. *Luitprandus Ticinenſis* anno 950. *Notgerus Leodienſis* quamvis nullius autoritatis ſcriptores, tantum inaniunt fuiſſe tunc campanas, qui ſequuntur, *Anſelmus* anno 1080. *Ivo Carnutenſis* 1100. *Rupertus Tuitienſis* 1120. *Honorius Auguſtodunenſis* anno 1120. *Hugo Dictorius* 1130. *Bernardus* 1130. *Belethus* 1200. & reliqui uſque ad finem, ad infeliciſſima tempora novitatis & corruptionis Romano-Antichriſtianæ à nobis referuntur. Concilium Colonienſe 1536. quod agmen claudit, ſollicite & non ſine fluctuatione loquitur: *Quamvis etiam patres aliò reſpexerint, ut dæmones tinnitu campanarum Chriſtianos ad preces concitantium terreantur,*

quia

quin potius (N.B.) *precibus ipsis territi abscedant.* Quo loco autem fuerint Concilii istius canones, & enchiridion Christianę institutionis in eodem Concilio editum, ex *Bellarmino*, *Sadoleto*, *in epist.* ad *Hermannum* Archiepisc. Coloniensem facile ostendi posset.

IX. *Probl. An & quo jure gaudeant præfecti tormentorum bellicorum, quod civitatum per deditionem captarum campanas templares sibi vindicant, aut saltem cives cogunt eas summa aliqua pecuniæ redimere ? Resp.* Nihil occurrit, quod prætexi possit, præter facta & mores militares: quæ an ad κακοηθείας referri debeant, ipsi viderint: Nihil saltem ex Bibliis, aut Corpore juris, aut statutis municipalibus pro ipsorum prætenso jure hactenus allatum memini.

X. *Probl. An & quando campanarum usus ecclesiasticus in Græciâ obtinuerit ? Resp. Baronius* ad ann. 866. §. 101. ex historiæ Venetæ scriptoribus observat missas eas primum ab Urso Patricio Venetiarum duce anno 866. ad Imperatorem Michaëlem; eorumque usum adhibitum Constantinopoli anno 872. teste *Sabellico Ennead.* 9. In jure Orientali Græcorum (edit. *Leunclavii*) *tom.* 1. p. 477. Balsamo in meditatione de convocatione ad ædes sacras, meminit signi aheni in ecclesiis Græcis. Sed illud ibidem à campana in ecclesiis Latinis (quas rigide perstringit) distinguere videtur pag. 478. Vixit autem Balsamon a. 1119. καμπανάριν campanilis, seu turris mentionem facit *Malaxus in histor. Patriarcharum.* Sed hæc intelligenda de Græcis ante jugum Turcicum: nam illo imposito nullus campanarum usus illis permissus: ut supra ex historiis ostendimus. *Goar* in notis ad Euchologium Grecorum p. 506. testatur, eos hodie adhuc alicubi pulsare laminas ferreas aut æreas.

XI. *Probl. An autor appendicis* (*Simon Goulartius*) *ad catalogum testium veritatis p.* 2074. *defendi possit, quod propter nugas illas campanarias Papatus, pronuntiârit dictum Papatum non tantum, erroribus & corruptelis in doctrina laborare, sed etiam magicis superstitionibus, & incantationibus horrendis, adjurationibus & præstigiis diabolicis inundatum, ac prope demersum esse*, &c. Idem quæro de *Brentio*, qui in *prolegom.* apud *Hosium lib.* 5. p. 228. *Baptismum Papisticum campanarum esse impietatem magicam*, & de *Hospinian. in tract. de Templis* p. 336. *Resp. Aff.* cum dist. de magia scil. indirecta seu interpretativa. Confer 3. *part. select. dispp. tit de Magiâ.*

XII. *Probl. An ad superstitionem, seu vanam observantiam, seu facta otiosa, referri debeat, multitudo & varietas campanarum, quibus pro varietate sacrorum, horarum, & feriarum variè utuntur in Papatu ? Resp. Aff. Hospinianus* capite cit. p. 335. Quia ratio signi ad commodiorem convocationem fidelium, sine illa multitudine & varietate haberi potest. Et si illa à reformatis retineantur, speciem referre videntur abusuum Papalium aut collusionum cum iisdem.

XIII.

XIII. *Probl. An ad sonitum campanæ, preces alligandæ; ita ut omnes quovis in loco teneantur publicè, flexis genibus, aut nudis capitibus orare? Resp.* Morem hunc in ecclesias Occidentales post annum 1200. à Papis demum introductum improbat *Hospinianus* cap. cit. pag. 336. Gregorius enim 9. ad *salve regina*, &c. canendum in Ecclesiis contra Fridricum. 2. Imperatorem pulsus campanarum instituit anno 1230. Johannes 22. anno 1325. ut quotidie ter pulsaretur, ac tum unusquisque salutationem angelicam ter recitaret, contra Ludov 4. Imperatorem & civitates ei adhærentes: inter quas Tigurum. *Calixtus* 3. anno 1457. ut in meridie campanas impellerent, ad recitandam salutationem angelicam, ut ea oratione adjuvarent pugnantes contra Turcam. Hinc in Germania nota est appellatio **Turcken-klock**. De his usibus sic Hospinianus p. 336. *Quod igitur Pentheus apud Ovidium lib. 3. Metamorph. miratur eos, qui Orgia Bacchi clamore, ululatibus, discursu, magnaque insania celebrabant & ad tympanorum tubarumque sonitum quasi in furorem agebantur, inquiens*

------ Ærane tantum
Ære repulsa valent, & adunco tibia cornu?
Et magicæ fraudes? ut quos non bellicus ensis,
Non tuba terruerit, non strictis agmina telis,
Fœmineæ voces, & inania tympana vincant?

Nos certè longe justiorem haberemus causam admirandi eos, qui cum vel primum pulsum seu sonum campanæ vespertinæ audierint, non dico in privatis ædibus, sed in ipso foro, seu sydere quodam tacti fuerint, in genua procidunt, & nescio quas preculas demurmurant. Attendant hic civitates & vici reformatorum; sicubi tales pulsus etiamnum retinentur.

XIV. *Probl. An reformatis ad campanæ pulsus meridianos ac vespertinos necessario sit orandum; & num ipsi ad ejusmodi preces externas jure cogi possint? Resp.* Neg. *Hospinianus loc. cit.* prolixè affirmantem sententiam oppugnat. Quem velim videri. Confer determinationes, & hypotheses nostras in 3. *part. select. dispp. tit. de superstitione, & de Idololatria* indirecta.

CAP. II.

De vasis, aliisque utensilibus sacris, quæ ipsâ navi templi & choro continentur.



Absolvimus nunc primæ appendicis de utensilibus templorum sectionem priorem, quæ est de Campanis, aliisque turrium si quæ sint, adjunctis & instrumentis. Accedimus nunc ad utensilia, quæ ipsa templi navi, & choro continentur. Sunt autem illa trium generum. §. 1.

I. Vasa & quæcunque alia instrumenta atque Utensilia sacra strictè sic dicta.

II. Libri sacri.

III. Vestes sacræ.

Utensilia illa in templis Papisticis ut plurima sunt, ita etiam variè dividi possunt. Divisiones aliquot in subsidium memoriæ hic studiosis nostris præformamus.

I. Ex *fine* cuique proprio, 1. *Alia* enim adhibentur ad lectiones, & conciones sacras, ut sunt ambones, pulpita &c. 2. *Alia* ad preces & gratiarum actiones, seu officia divina, qualia sunt organa, stalla & subsellia in choro &c. 3. *Alia* ad sacrificii & sacramentorum administrationem, qualia sunt altare, calix, ciborium, baptisterium, sella confessionalis, &c. 4. *Alia* ad administrationem seu executionem sacramentalium, quæ à sacramentis strictè & propriè dictis distinguuntur; qualia pseudosacra in 3. *part. select. dispp. tit. de Benedict. & sacrament.* antehac excussimus. Sunt autem instrumenta illa, vasculum aquæ benedictæ, thuribulum, aspergillus, pax, &c. omnes denique cruces picturæ, & imagines sacræ, earumque ornatus.

II. Dividuntur ex *modo* iis utendi. Sic 1. *Alia* objectivè tantùm in celebratione & executione cultus publici usum præstant; ut sunt picturæ, statuæ, cruces materiales: 2. *Alia* passivè usum præstant tanquam instrumenta magis passiva, sed tamen per modum continentis seu locantis; ut altare, thuribulum, vas aquæ benedictæ, baptisterium, capsa, seu arcula eucharistica, &c. 3. *Alia* activè suo modo, qualia instrumenta activa sunt nolæ & squillæ, organa, cornua ænea, aspergilla, muscaria flabella, &c.

III. Ex *affectione* seu *adjuncto* aliquo externo. Sic alia sunt portatilia aut mobilia; alia certo loco affixa. *Illa* sunt asinus ligneus, candelabra, thuribula, vexilla, &c. *Ista* sunt baptisterium, organum, sedilia, ambones, altaria: quamvis in casu necessitatis altaria portatilia posse haberi, ac super iis sacrificari concedant.

IV. Ex *adjuncto externo*, seu circumstantiâ loci: quod alia contineantur & adhibeantur in navi templi, ut baptisterium, vas aquæ benedictæ, &c. alia in choro, ut ciborium; alia in utroque, ut altaria, imagines, candelabra, organa.

V. Ex materia, quod alia constent ex ligno; alià ex auro, argento, ære aliisve metallis; alia ex lapidibus sive vulgaribus sive pretiosis; alia ex lanâ aut lino.

VI. Denique ex vario tempore usus eorum: quod *Alia* adhibeantur in quoti-

quotidiano cultu, ut altare, thuribulum, organum &c. alia non nisi in ubilæorum & processionum solennitatibus, ut sunt asinus ligneus, equus bayardus, vexilla, & similia processionum instrumenta, quæ tunc expediri aut ostentari solent. De quibus confer 3. *part. select. dispp. tit. de processionibus*, de jubilæis, de quadragesimâ & bacchanalibus. Ubi autores ndicantur. Pleraque autem utensilia (non omnia, ut infra videbitur) certa ordine explicant cum mysteriis *Guilielmus Durantes in Rationali*, & *Joh. Stephanus Durantes lib.* 1. Reliqua, quæ illi prætereunt, ex libris agendorum & ritualibus observari & conquiri debent; quales sunt *Pastorale*, *Missale*, *Pontificale*, *Episcopale*, &c. cum quibus conferri possunt Gavanti thesaurus sacrorum rituum, & collectanea Augustini Barbosæ.

His ita præmissis describi potest, *Utensile sacrum, esse illud, quod vel objective tantùm, vel per modum medii seu instrumenti sive passivi sive activi, sive utrisque cultui publico inservit.*

Distinguimus illud 1. tanquam vas, capsam aut arculam, ab omnibus contentis, ut sunt oleum, aqua benedicta, eucharistia, reliquiæ, &c. 2. à partibus templi, & à toto corpore templi omnia hæc vasa & instrumenta contenta continente. Quales partes sunt tum remotæ, parietes, tectum, &c. tùm propinquę, navis templi, chorus; choruli minores seu minus principales & particulares choro aut navi templi annexi, & peculia- hujus aut illius sancti cultui, aut usibus fraternitatum, aut familiarum, aut hominum privatorum viventium, aut sepulturæ mortuorum inservientes. Huc refer sepulchra, seu tumbas, & subterraneas cryptas sepulcrales.

Utensilia sunt trium generum, alia communia, & quorum aliquis in nostris ecclesiis usus esse possit: alia de quibus dubitatur apud nonnullos: alia quorum nullus in sacris usus, quæque extra omnem controversiam è templis auferenda sunt. Nos promiscuè omnia enumeramus, & sunt 1. *Ciborium* seu κιβώριον, arcula, pyxis, in qua corpus Christi asservatur, Belgicè **Sacraments-huysken**, *monstrantie* de cujus antiquitate, necessitate & usu *Joh. Steph. Durantus lib.* 1. *c.* 16. 2. *Chrismales ampullæ*, seu vascula tria quorum unum contineat oleum infirmorum; secundum oleum ordinandorum; tertium oleum confirmandorum. Porro de vasculorum istorum antiquitate, & usu, deque triplici oleo, & modo illud consecrandi, eoque ungendi. *Joh. Steph. lib. cit. c.* 20. cum quo conferenda *pastorale*, & *Pontificale*, & controversiarum scriptores in quæst. de confirmatione, ordinatione, extrema unctione, deque cerimoniis & ritibus. 3. *Labrum seu vas aquæ benedictæ*, quod in templorum vestibulis collocatum est, ut aspergantur ingredientes; quod alii situbam, amulam, aquimanile, χέρνιβον, περιρραντήριον appellant. De his vocibus, deque vasum istorum anti-

quitate; & usu videndus autor cit. *cap.* 22. ubi etiam de aquâ benedictâ; de quâ prolixè *Gretserus in tract. de benedictionibus.* 4. *Aspergilla*, quibus uti solent ad aquam hanc spargendam. 5. *Thymiaterium*, seu thuribulum est vas in quo thus adoletur. De cujus ut & thurificationis antiquitate, necessitate, aut usu sacro, more suo θεολογεῖ seu μυστηριολογεῖ *Joh. Steph. Durantus c.* 9. & ante eum ipsius *Homerus Durantes lib.* 4. *tit. de sancta thurificatione.* De ordine & modo in thurificatione servandis, *Gavantus tom.* 1. *ad rubricas missalis part.* 1. *tit.* 4. 5. 6. 7. Disputat pro eadem thurificatione *Bellarminus lib.* 2. *de Missa c.* 15. 6. *Capsæ reliquiarum*: quę vel fixæ vel portatiles, seu mobiles. De his confer Arnoldi Rayssy hierogazophylacium, aliosque libros & disputationes Pontificiorum, cum nostrorum itinerariis & topographis. 7. *Sella confessionalis.* 8. *Tabella sacra pacis*, seu instrumentum pacis (Belgicè **de Pais**) quod populo osculandum datur, ad implendum Apostolicum præceptum de osculo pacis *Rom.* 16. 1 *Cor.* 16. Tabellam hanc sacram introductam volunt, tanquam cautelam contra fraudes, quas invicem osculantes committebant. *Baronius ad annum* 45. §. 26. *Gavantus tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 10. §. 3. 8. 9. Porro de osculo pacis in Romanâ ecclesiâ usitato, deque cerimoniis eo pertinentibus. *ibid. Gavantus.* Antiquitatem, usum & mysterium hujus antiquitatis, & in alium quem proximum seu analogicum mutati ritus (qui tamen omittitur in missis pro defunctis, & in die Veneris, & sabbatho ante pascha, & tempore jejunii) describunt & probant *Belethus & Durantes lib.* 2. *cap.* 54. Cum quibus conferatur *Gabriel Albaspinus* de veteribus ecclesiæ ritibus observation. lib. 1. cap. 17. Nos *supra lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 8. aliqua de osculo pacis attigimus. 9. *Coronæ*, flores, ramusculi; quibus præsertim altare ornetur. Gavantus tom. 1. 79. Conferri potest *Paschalii tract.* de coronis. 10. *Imagines*, & cruces. 11. *Asinus ligneus*, Draco Georgii, equus bayardus, gigas Christophorus, infernus, vexilla, totusque adeo apparatus processionalis. De quo vide disp. nostram de processionibus & autores ibi citatos. 12. *Tumbæ* seu monumenta extantia, aut cippi sub quibus sepulta, aut quibus continentur ossa sanctorum, aut vulgarium fidelium. 13. *Subsellia*, *ambones*, *pulpita*, pro lectoribus, cantoribus, concionatoribus, auditoribus. 14. *Lucernæ & candelabra.* 15. Organa, cum cornibus aliisque instrumentis Musicis. 16. Baptisterium. 17. altare, de quo *Missale part.* 1. *tit.* 20. & *Gavantus* ad ejus rubricas; *Joh. Steph. c.* 15. aliique autores infra citandi. Ad apparatum altaris & sacrificii missatici pertinent, *Muscaria* seu flabella, quibus abigantur muscæ aliaque animalcula, ne incidant in calicem: De iis *Joh. Steph. Durantus c.* 10. *Patinæ* seu disci, quibus imponitur corpus Christi: de quarum antiquitate, materiâ,

iâ, formâ, uſu, myſterio, *Joh. Steph. c.* 11. Quibus junge & alia tem-lorum vaſa; *ſcyphos, Metretas, hydrias, Phialas, pugillares*, ibidem ex)nuphrio recenſita. *Corporalia* ſeu pallæ ſunt lintea, quibus in miſſæ ce-ebratione ſuperponitur corpus Chriſti. De quorum materiâ, formâ, ſu, myſterio, & antiquitate vide *Joh. Steph. c.* 1. & *Durantem lib.* 4. *part.* . *rubricâ* 3 Quomodo pallæ vox diſtinguenda ſit, & ſignificet parvam allam lineam, à corporali diſtinctam, aliaque ad noviſſimos & emenda-iſſimos ritus ſpectantia docet *Gavantus tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 1.

Affectiones & requiſita communia horum utenſilium miſſalium ſunt uo menſura & nitor ſeu munditiеs. De utriſque *part.* 5. *tit.* 19. ubi eadem pera omnia utenſila enumerat, ex quo (ut faſtidium evitemus) eorum omina ſimul & ſemel ordine alphabetico hic exhibemus. Sunt autem *bacus* ſeu credentia. *Acerra* ſeu navicula incenſi. *Ænea vaſa*, pro ablutione alicium. *Altare* majus. *Altare* minus. *Arcula ad ſputum* excipiendum. *aldachinum* ſeu Umbella. *Burſa corporalium. Calices Candelabra Conopeum abernaculi majoris. Corporale, Cruces* in altari collocandæ. *Gradus* altaris. *amuli* ſeu urceoli vitrei aut cryſtallini, cum operculo. *Inſtrumentum ad oſtias* conficiendas. *Lampades Vitreæ. Lintea* ad manus extergendas. *Ma-utergium Mappæ altaris. Mappæ pro communione. Navicula incenſi*, ſeu cerra. *Pallium* quod ante altare tenditur. *Patina Pelvicula Similarum. Pul-nar pro Miſſali Purificatorium. Pyxis* pro cuſtodia euchariſtię, de qua odo diximus. *Scabellum* altaris. *Tapetia* ad inſternendum ſolum. *Sup-edaneum altaris. Tabella pacis:* de qua modo diximus. *Tabella ſecretarum. abernaculum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ. Scopula. Tela ſtragula altaris. Thu-bulum. Tintinnabulum. Vas hoſtiarum. Vas pro abſtergendis calicibus. Velum alicis. Velum pixidis*, ſeu ciborii. *Velum pro portandâ ſanctiſſima euchariſtia. lum ſubdiaconale. Umbella* quæ ſuper altare ponitur. *Umbella*, (ſeu bal-chinum) quæ defertur ſuper euchariſtiam in proceſſionibus. *Urceoli*, u hamulæ. Subjicimus nunc aliquot problemata. §.2.

I. *Probl. An omnia utenſilia ſint ſacra & conſequenter veneratio religioſa t, adoratio ipſis deferenda. Reſp. Aff.* Pontificii, apud *Feuadentium in eomachia Calviniſtica. p.* 335. Et *Gavantus tom.* 1. *part.* 5. *p.* 327. „ Cę-terum ea debet eſſe reverentia erga ſacram ſupellectilem, tamquam di-vino ſervitio mancipatam, imò tanquam ſanctimoniæ participem, quæ nimirum eſt ſanctitatis inſtrumentum; unde & ſancta ea vocatur ſæpè n Scripturis ſacris, Pontificiis legibus, Patrumque monumentis, ut ni-hil ejuſdem non modò negligatur, verùm etiam exquiſita cura & diligen-ia colatur. Non enim, ut ait *ſanctus Hieronymus Epiſtolæ ad Theophil. A-exandr.* inania ea ſunt, & quæ quaſi ſenſu carentia ſanctimoniam non

„ habere dicuntur; ſed ex conſortio Corporis & Sanguinis Domini ſub-„ limi majeſtate ſunt veneranda.

Eſt autem ſanctitas illa partim ſignificativa, partim operativa per modum impetrationis, & inſtrumenti moralis; cujus fundamentum ſtatuitur myſtica benedictio, ſeu conſecratio ex inſtituto divino ab eccleſiâ per miniſtros peracta. De quâ putatitiâ ſanctitate agimus, in *diſp.* de benedict. & ſacramentali; ubi *Zwarez* aliique autores citantur. Porro conſequentia, & adjuncta hujus ſanctitatis deſcribit *Gavantus loc. cit.* quod plurima circa ea prohibeantur. 1. Non poteſt omnis ſupellex tangi à quocunque. Nec à quocunque ablui poteſt. 3. Aqua ablutionis in ſacrarium projicienda. 4. Quæ amplius uſui eſſe nequeunt, in profanos uſus non eſſe detorquenda, ſed comburenda, & cineres in ſacrarium redigendos. 5. Non poſſunt alienari aut vendi, niſi in certis quibuſdam caſibus. 6. Denique non debent immediatè aut primum lavari, ab eo, qui non eſt in ſacris: nec eodem in vaſe aut cum aliis linteis & vaſis profanis. Vide leges mundationis ſacræ apud *Gavantum loc. cit. p.* 323. *uſque* 328.

II. *Probl. An ergo aliqua utenſilia retineri in templis noſtris, & ad uſus noſtros eccleſiaſticos adhiberi poſſint? Reſp.* 1. de ſellis, pulpitis, ambonibus, campanis, candelabris, non minus id affirmari poteſt, ac de templis; idque his conditionibus.

1. Ut abſit opinio neceſſitatis, aut ſanctitatis, atque adeo myſticę ſignificationis aut efficaciæ.

2. Ut abſit omnis forma & figura externa, aut addita ſculptura aut pictura, quæ aliquam ſuperſtitionem Papalem reſipiat. *Reſp.*

II. De calicibus, patinis, ampullis, menſis, in uſum adminiſtrationis cœnæ dominicæ convertendis, dubitari poſſet. Procul omni dubio libere & tutò ea alius in uſus impendi poſſunt: ut etiam docet praxis noſtrorum, & nominatim reformatio Caſemiri in Palatinatu; quæ à *Judoco Coccio* tanguntur *tom.* 2. *Theſauri lib.*6. *art.* 10. Si tamen aliquid iſtorum viſum fuerit publice adhibere, id fiat ſervatis conditionibus modo expoſitis. Quibus addimus & hanc tertiam: ne ibi tanquam immobilia & fixa inſtrumenta, aut quorum quotidianus uſus eſt, perpetuò in templis proponantur & oſtententur: quaſi vani ornatus cauſa ſupellex illa templaris inſtructa, & oculis omnium expoſita eſſe debeat; aut ſymbolizatio aliqua cum vaſis ſacris V. T. aut vaſis Papiſticis affectari videatur. Notum eſt quomodo ante paucos annos novitates menſæ perpetuo in quâque eccleſiâ ſtratæ eccleſiis alicubi obtruſæ, collocationem earum in modum altaris imò & transformationem in altaria, una cum candelabris, crucibus & imaginibus, & reliquarum Papalium ceremoniarum κακοζηλία (inter quas genu-

genuflexio ad mensam seu altare) moliti fuerint. De quibus *Confer 3. part. select. disp. tit. de superstitione.*

III. *An altaria retinenda; aut restituenda, ubi diruta sunt? Resp.* 1. Quod ad prius tutissimè & prudentissimè, primo mutationis ac reformationis impetu diruuntur & expurgantur una cum imaginibus, aliisque idololatriæ instrumentis. Ubi autem initio aut per errorem, aut per negligentiam, aut alia quapiam de causa hoc factum non est: perpetuo annitendum, ut opus reformationis completum sit. *Apoc.* 3. *v.*2. *Hebr.*6 *v.* 1. *Reg.* 18. 4. Confer *disp.* nostram de *idolatriâ indirectâ. Resp.* 2. Quod ad posterius; nullo modo hoc admittendum. Hoc enim esset priorem caritatem deserere, à perfectiori reformationis statu ad imperfectiorem contendere. Quidquid nuper pro altarium reductione nonnulli male-reformati ex antiquitate, aut potius ex papalibus Theologis conquisiverunt non tantum ibidem solidè refutatum, sed jam ante abunde protritum ab antagonistis Papatus, inter quos *Plesseus in libro de Missâ*, *Chamierus in Panstratiâ*, *Molineus in novitate Papismi*, & in tractatulo peculiari, quem de altaribus edidit, una cum epistola Nysseni de euntibus Hierosolymam. *Zepperus lib.* 1. *Polit. Eccles. c.* 12. Adde *Rittershusium lib.* 1. *lection. sacrarum c.* 9. Sed de altaribus *cap. sequ.* pluribus agemus.

IV. *Probl. An retinendi cerei ad eucharistiæ administrationem, aut aliâ occasione in templis mediâ luce accensi. Resp. Eckhardus in Fasciculo c.* 21. *q.* 4. cereos accensos ad classem rerum mediarum referendos contendit, nos cum *Beza ibid. cit.* aliisque reformatis à κακοζηλίᾳ illa Papistica & Gentili abstinendum censemus. Rationes *Eckhardi*, & Pontificiorum apud *Joh. Steph. Durantum lib.* 1. *c.* 8. & *Coccium tom.*2. *Thesauri lib.* 5. *c.*10. à nostris satis dilutæ sunt. Qnomodo antiqui patres à luminaribus de die accensis abhorruerint, constat ex *concil. Eliberino can.* 37. Et *Lactantio lib.* 6. *cap.* 2. Et *Hieronymo* adversus *Vigilantium*. Primæ reformatæ ecclesiæ in Belgio, ab abusibus Papisticis, in missa, in baptismo, in exequiis funeris in festivitate paschali, Martini, Ttrium Regum, &c. tam procul recedere voluerunt, ut in hunc finem omnes conciones vespertinas abolendas judicarent. Vide constitutiones ecclesiastic. *Synodi Dordrac. anno* 1575. Quod consilium eorum petulanter exagitandum non est; ut majori cum colore quævis indirecta superstitio defendatur.

V. *Probl. An organa retinendâ? Resp.* de iis actum est *supra lib.* 2. *tract. cap.*3.

VI. *Probl. Quid de baptisteriis statuendum? Resp. Coccius tom.* 2. *l.* 5. *art.* 11. pro iis contendit. In constitut. Episcopalibus Angliæ anni 1604. præscribitur ecclesiis & capellis, ut baptisterium, ex Lapide in

loco

loco antiquitus usitato statuatur. Nos tutiorem & simpliciorem censemus praxim Palatinatus (quam tangit ibid. *Coccius*) & aliarum & nostrarum ecclesiatum in Belgio, quæ baptisteriis ejusmodi posthabitis, baptismum nihilominns commode & decorè administrant.

VII. *Probl. An ciboria in templis reformatorum relinquenda? Resp.* Non magis quam altaria, vasa aquæ benedictæ, cruces, imagines, &c. Nullum enim usum potest habere in nostro cultu publico. *Deinde* videtur adhuc grata aliqua retineri memoria horrendæ artolatriç, & institutionis atque usus ciboriorum in Papatu; de quo *Zepperus lib.* 1. *Polit. Eccles. cap.* 12. *Denique* occasio superstitionis absque necessitate, aut honesto aliquo usu imperitis Pontificiis objicitur. Ab illis enim tanto sacrario religiosam venerationem, & adorationem subinde deferri nemo dubitabit, qui didicerit Pontificios in Gallia (ut memini me alibi legisse in scripto quodam summi Theologi & Papatus Antagonistæ Petri Molinæi) ciborio vacuo, cum ex domo ægrotantium illud refert sacerdos, genuflecti non minus quam cum Deo panuaceo instructum ad ægrotum defertur.

Hinc judicent cordati, an zelus ille sit reformationis, aut pietatis, aut prudentiæ spiritualis, quo quis zelatur (*Judic.* 6. 30. 31.) pro ciborii salure, & conservatione in templo reformato; cum Magistratus (penes quos & jus & potestas est) illud ex publico templo expurgare conatur.

Addere possemus nunc aliquot problemata, quæ de capsis, calicibus, aliisque vasis inter Pontificios agitari solent, quç imprimis apud *Gavantum* & *Barbosam*, etiam aliqua ex parte apud *Ledesmam* in *Theologia Morali* de Sacramentis occurrunt: sed ἅλις δρυός.

CAP. III.

De Altaribus.

§. 1. EGimus de Utensilibus Templorum: restat paulò explicatior disquisitio de Altaribus, quam cap. prçced. in transitu attingebamus. I. Præmissâ ergo descriptione altaris. II. Inquiremus, an quis ejus usus sit in cultu Novi Testamenti.

I. *Altare* dictum ab altitudine, quod à terra exstaret. gr. θυσιαστήριον à θυσία & θύω. Synonimum ejus est ara (gr. βωμός): quod *Varro* ab *ansâ*, quia à sacrificantibus aras teneri necesse esset; alii ab ἄρα 1. *supplicatio*, *imprecatio*, deductum volunt; alii ab *areâ*: Quò facere videtur, Quod Virgilius lib. 1. Æneid. scopulos summo æquore vix exstantes Italis *aras* dici refert, & *Varro lib.* 1. *do re rusticâ cap.* 54. aram vocat aream planam & editam,

tam, ubi reponantur racemi. Et observat *Scaliger in notis ad Ausonium*, & ex illo *Joh. Ludov. de la Cerda in Æneid.* 1. aram quamvis crepidinem seu eminentiam significare. Illustris est locus apud Tertullianum de pallio: de *qualibet margine vel ara medicinas moribus dicere*; hoc est, de quolibet ediiore loco, ut sunt aræ, & margines, sive crepidines viarum. Vide locum llum à magno philologo *Salmasio* pluribus ita illustratum; ut minime opus sit cum Turnebo legere *imagine* pro *margine*, aut cum aliis, *area* pro *ara*.

Differre *aram* ab *altari* notatum ab Isidoro lib. 2. differentiarum, differ. 127. quod *altaria Deo ponuntur, ara etiam defunctis*. Adde, etiam hominibus viventibus. *Servius* hanc differentiam sic effert, quod altaria duntaxat diis superis, aræ etiam inferis consecrarentur. Utrique voci Latinæ & Græcæ respondet Hebræa מזבח *misbeach*, à זבח 1. *sacrificavit*, *mactavit*. Quam etiam retinent dialecti & filię Hebraismi, Chaldęa, Syra, Arabica: mutatâ more suo literâ *Zain* in *Daleth*. Psalterium Æthiopicum aliam planè vocem adhibet. *Psal.* 26. & 43. & 84. & 118.

II. Sumitur vox *altaris*, vel impropriè vel propriè. *Impropriè*, *primo* Christus dicitur altare. *Hebr.* 13. *v.* 10. voce typi translatâ ad significandum antitypum: haut aliter ac voce *agni*, *pascha*, &c. Quomodo nostri rectè locum illum explicandum docent, & contra glossam Pontificiorum pro altari suo missatico, (quidquid eam recoquat *Corn. à Lapide in comment.*:) satis superque vindicârunt. Inspiciant ipsi suum angelicum Doctorem in comment. ad loc. cit.; cujus verba infra §. 3. exhibemus. *Bellarminus lib.* 1. *de missâ cap.* 14. haut obscurè dat manus, loco huic non fidens. Confer & *Apoc.* 6. *v.* 9. & 8. *v.* 3. *Secundo* apud scrriptores ecclesiasticos, mensa domini altare, uti cœna domini sacrificium appellatur, idque per συγκατάβασιν quam, ut antagonistis Gentilibus exprobrantibus quod Christianis nulla essent altaria, nulla sacrificia, occurrerent. Non intellexisse illos sacrificium propitiatorium, eique inserviens altare, propriè dictum, ad oculum demonstratum est, à missæ Papisticę antagonistis, inter quos *Plessęus in libro de eucharistiâ*, *Molineus in novitate Papismi*, *Chamierus in Panstratiâ*. *Tertio*, apud eosdem crux, quę instrumentum passionis Christi pro peccatis oblati, altare dicitur. Quam appellationem etiam nonnullis nostrorum per allusionem ita usurpatam, in *disp. de cruce* docuimus esse catachresticam, nec posse loco *Hebr.* 13. *v.* 10. aptari. Quod etiam confirmant annotationes ad publicationem Belgicam. *Quarto*, apud eosdem per metonymiam metaphoricam verus & illibatus cultus, & orthodoxa ecclesia Chistianorum hæresi & schismati opposita designari solet: ut cum dicunt, *altare contra altare erigere*; allusione factâ ad verum cultum

veteris teſtamenti, cujus pars neceſſaria atque teſſera erat ſacrificium, & altare Domini. Et hanc phraſin *Jeſai.* 19. *v.* 19. invenimus: ubi dicitur temporibus Meſſiæ ſeu novi Teſtamenti fore domino altare in Ægypto; hoc eſt, veram religionem & eccleſiam inter Gentiles propagatam. *Quinto*, metaphoricè ut hominem fidelem, templum domini phraſi ſcripturæ 1 *Cor.* 3. *v.* 16. ſic & fidele cor ejus altare nonnullis ſcriptoribus ſubinde dici memini: quod offerat domino hoſtias ſpirituales *Hebr.* 13. *v.* 15. cum *Hoſe.* 14. 3. Vide *infra* §. 2. citatos *Origenem lib.* 8. *c. Celſum*, & *Clementem Alexandr.* 7. *Strom.* Alias hujus vocis acceptiones, quas enumerant *Durantes in Rationali lib.* 1. & ex ſcholaſticis *Brulifer ad Magiſtrum lib.* 4. *diſt.* 10. 10. *qu.* 1. ſtudio hic prætereo, quippe barbaricam iſtius ſæculi philologiam ſapientes. *Sexto*, altare propriè ſignificat utenſile ſeu inſtrumentum ſacrum divinitus præſcriptum, cui oblata aut offerenda Deo ad cultum ipſius inſtitutum imponebantur. Et hâc ſignificatione à nobis hic accipitur.

Altaris hujus conſideranda, origo, materia, forma, diſtinctio, uſus, oppoſitum. 1. *Origo* ejus eſt ſtatim à lapſu, cum cultus Dei inſtitutus propter interventum peccati, & mediatoris inter Deum & nos ad reconciliationem ac ſalutem, mutatus fuit: tum interius, per introductionem requiſitæ fidei de remiſſione peccatorum per mediatorem, & reſipiſcentiæ: tum exterius, per requiſita ſacrificia, alioſque ritus mediatorem adumbrantes, uſque ad tempus correctionis: & poſt illud per requiſitos ritus, mediatoris ejuſdem mortem, ſatisfactionem, & noſtri cum illo communionem commemorantes & obſignantes. Colligitur autem ejus origo ante Moſen ex *Geneſ.* 9. & 22. & per primam atque evidentem conſequentiam ex *Geneſ.* 4. ubi de ſacrificio Abelis coll. cum *Hebr.* 11. *v.* 4.

2. *Materia* ejus non ſemper una fuit: ſed terra, lapides, ligna, æs, aurum: uti colligitur ex *Exod.* 20. & 27. & 30. & 1 *Reg.* 7.

3. *Forma* & figura generalis fuit, quod à terra exaltatum eſſet: *Specialis*, tempore Moſis fuit altitudo ejus trium, longitudo quinque, latitudo quinque cubitorum, hoc eſt, quadrata ſuperiori & inferiori ex parte: ad hæc cavum erat: inſuper ſuperius atque inferius apertum: præterea in ſuperiori parte ad quatuor partes totidem prominebant cornua: ad hæc additum erat cribrum reticularum; denique duobus lateribus affixæ erant duæ anſæ, quæ vectes excipiebant. An autem omnia altaria jam inde poſt lapſum uſque ad Moſem, eandem formam habuerint, ſcriptura non indicat: nec eſt certa ratio illud credendi: cum in tabernaculo cum utenſilibus, & templo omnia eodem numero, & formâ fuerint: uti hiſtorię, philologiæ, & architecturæ ſacræ ſtudioſi ex utrorumque collatione facile deprehendent. Et hæc de

de Formâ ſpeciali altaris ſacrificiorum. *Forma* altaris thymiatis tempore Moſis hæc fuit: longitudo unius, altitudo duorum cubitorum; prominentibus amiculis linteis in modum coronæ circumornata, adjunctis anſis aureis.

4. *Distinguitur* in altare incenſi, & ſacrificii: quorum illud erat in ſanctuario, iſtud in atrio. Illius fabrica, diſtincta forma, & diſtinctus uſus deſcribitur *Exod.* 30. cum 37. iſtius *Exod.* 27. cum 38. An autem ad eſſentialia cultus ceremonialis jam inde ab Adamo ad Moſen, duplex & diſtinctum hoc altare neceſſariò requiſitum fuerit, ſcriptura non ita determinat. Interim malumus inclinare in partem negantem & dicere, hanc diſtinctionem, & quidni totum illum ritum thymiamatum pertinuiſſe ad cultus œconomici integritatem, ſeu τὸ bene eſſe, aut ad ejuſdem accidentalia, periſtatica, mutabilia, ambulatoria, particularia, πρόσκαιρα; non vero ad eſſentialia, univerſalia, perpetua & immutabilia, uſque ad tempus correctionis. Variaſſe autem non parum in particularibus & periſtaticis, ex collatione facile conſtabit, e. gr. ſacerdotium uni familiæ Aaronicæ fuit alligatum, poſtea altare uni loco, feſta anniverſaria conſtituta, &c. circumciſio jam inde ab Abrahamo introducta: quę antea in eccleſiâ Dei non obtinebant.

5. *Uſus* altaris unius fuit ad thymiamata Deo offerenda: alterius ad hoſtias; ex *Exod.* 30. & 27. cum *Levitic.* 1. *v.* 8. 9. &c. Hujus etiam acceſſorius quis uſus innui videtur *Exod.* 21. *v.* 14. coll. cum 1 *Reg.* 2. 28. ut ſcil. eſſet aſylum.

6. *Opponuntur* altari domini omnia pſeudo-altaria, *primo*, Gentilium tum antiquorum, tum hodiernorum. Illa diis & deaſtris non tantum & hominibus mortuis, ſed & ſubinde vivis conſecrabantur: ſic Romani Imperatores decernente ſenatu, aris, pulvinaribus, faſtigiis, flamine, radiato capite honorabantur. Fiebant & aræ ſine nomine, ac Deorum ignotorum *Actor.* 17. *v.* 23. cum quo confer *Laertium in Epimenide*, & *Pauſaniam* in Atticis. Deos illos Romani vocabant *novenſiles*, teſte *Cincio apud Arnobium lib.* 3. Erat autem totus cultus eorum, ſpecialiter ſacrificia à mimicâ dæmonum profecta, in dęmonas tendebant, ſive directè ſive interpretativè. 1 *Cor.* 10. *v.* 20. ubi dicitur, idolis oblata, dęmonibus oblata eſſe. Hiſtoriæ, topographiæ, poëmata, aliique Gentilium libri perſtepunt ſacrificiis, altaribus, &c. Unde lux aliqua inferri poteſt locis ſcripturæ, quæ altarium & ſacrificiorum meminerunt. Si quis immenſę illius farraginis antiquitatum compendium aut manuductionem quærat, is adeat collectanea antiquitatum, Græcarum, Romanarum, Orientalium; imprimis Gul. Stuckium de ſacrificiis.

Secundo Altaria Jeroboami, in Dan & Bethel 1 *Reg.* 12. & 13.

Tertio, altare Samaritanum in Templo Garisin.

Quarto Judęorum in Templo Heliopolitano in Ægypto.

Quinto altare ad modulum Damasceni Hierosolymis à rege Achaz erectum, præter & contra altare Domini. 2 *Reg.* 16. *v.* 14. 15.

Sexto, altare Rubenitarum, quod speciem & occasionem mali habebat; quamvis ad illegitima sacrificia, aut cultum quem alienum illud non erexissent, *Josuæ* 22.

Septimo, Altaria omnia ab idololatris in Juda, & à Baaliticis in decem tribubus, præsertim in lucis & excelsis erecta, ut super iis suffitus seu incensa, & hostias etiam humanas offerrent. 2 *Reg.* 17. *Ezech.* 16. Hic queritur de altaribus dirutis in Israële sub Achabo 2 *Reg.* 19. cum *Rom.* 11. *quomodo potuerint dici altaria domini*, *& non fuerint pseudo altaria. Resp.* tutissimè, meo judicio, dici potest, fuisse altaria à Prophetis eminenti potestate ac ministerio instructis extraordinariò contra altaria Jeroboami, & Baalitica illic erecta, quomodo simile quid ab Eliâ factum 1 *Reg.* 18. *v.* 23. 30.

Octavo, omnia altaria sub novo Testamento: de quibus nunc disquirendum.

§. 2. *Quæstio* est, *an in cultu divino quis usus sit altarium tempore novi Testamenti. Resp.* Nos absolute negamus: idque argumento à remotione rei, ad remotionem instrumenti proprii. Nulla sunt sacrificia externa, nulla thymiamata propriè dicta sub novo Testamento: ergo nullum altare seu nullus ejus usus: quippe, quod erat vel ad sacrificia, vel ad thymiamata ordinatum & appropriatum instrumentum. Jam vero sublata esse sacrificia & thumiamata cum toto cultu ceremoniali per mortem Christi, & nunc observationem eorum esse mortiferam constat ex *Gal.* 4. & *Coloss.* 2. coll. cum *Hebr.* 9. & 10. Estque hæc fides & causa communis Christianismi contra Judæos adventum Messiæ negantes, & perpetuitatem legis ceremonialis asserentes. Adversarii Pontificii ad imitationem Gentilium proram & puppim religionis constituunt in sacrificio & altari, nostrisque odiose exprobrant (apud *Corn. à Lapide* in *Hebr.* 13.), quod ubi rerum potiuntur, omnia altaria sustulerint, etiam quæ mille annis in rerum naturâ fuissent. Sed illis jam incumberet probare sacrificium missaticum, & consequenter altare missaticum. De missâ alibi agendum: itaque illud nunc transmitto & à nostris, præsertim supra citatis, solidè disputata hic præsuppono. Tantum peto, ut altaria sua probent, contra præjudicium scripturæ, & primæ antiquitatis. Scriptura nullibi meminit altaris aut altarium in cultu Christiano post abolita sacrificia Mosaica, adhibitorum, aut adhibendorum. Atqui non est credendum ἀκρόπολιν religionis & ὄργανον ὀργάνων sacrorum (siquidem

tale

tale est altare secundum Pontificios) illic fuisse præteritum. Quin contra ex scripturâ colligimus ministerio altaris successisse ministerium prædicationis Euangelii 1 *Cor.9. v.13.14.* Insuper cum mensâ Domini seu eucharistiâ non consistere sacrificium seu altare, nec unum esse alterum, aut alterum ab altero includi, sed excludi: uti constat ex oppositis his attributis. *Primo* super altari tanquam proprio instrumento sacrificatur: super mensâ editur. *Secundo*, super altari datur & offertur: super mensâ recipitur. *Tertio*, ad mensam sedent aut accumbunt. (*Math.26. v. 26.*) qui eâ utuntur: ad altare standum erat. *Quarto*, mensa convenit eucharistiæ à Christo institutæ: altare tempore novi Testamenti, convenit sacrificio idololatrico, hoc est, dæmonum 1 *Cor.* 10. 21. Quod si excipiant, illa fuisse Gentilium sacrificia & altaria, quæ non tollunt Christiana: reponimus, hoc ab Apostolo fuisse dicendum, & altare Christi altare dæmonum opponendum. Sed adversariis affirmantibus, non nobis probatio ex scripturis incumbit.

Ex primâ antiquitate ecclesiasticâ, sufficit altaribus opposuisse, quod Gentiles exprobarent, Christiani profiterentur & gloriarentur, non esse ibi alia. Sic *Cecilius* apud *Minutium in Octavio*: *cur nullas aras habent, nulla templa*? Adhoc objectum exipit *Joh. Stephanus Durantus lib.* 4. *de ritibus ecclesiæ cap.* 25. „mentiebatur impius Cæcilius, mentiuntur im„pii sacrilegi hæretici. Templa & altaria tum habebanr Christiani, ut „ex canonibus apostol. Clemente, Tertulliano & aliis apparet. Verum „quia propter tyrannidem imperatorum Christiani ubique ferè in cavernis, „cryptis, & cuniculis rem divinam faciebant, pagani eos nullas aras, nulla „templa habere credebant. *Resp.* sed cur *Minutius* cum ad alia objecta Paganorum, quæ mendacia erant, ex professo responderet, hoc quod dicitur, non respondit? Cur mysteria & altaria in cryptis non pandit & professus est, quò adversariis suis justè occurreret: sicuti *Justinus Martyr* & *Tertullianus in apolog.* pandit clandestina Christianorum sacra? Cur *Origenes lib.8. c. Celsum*, Celso objicenti, quod Christiani odissent altaria; respondet quod pro aris & delubris piorum mentes essent. Et *Clemens Stromat.* 7. apud Christianos altare esse cœtum orantium, & sanctum altare esse animam justam. Cur *Ireneus lib.* 4. *cap.* 34, cum dixisset Deum velle nos munus ferre ad altare; mox addit, illud altare esse in cœlis. Cur *Tertullianus c. Judæos c.* 5. *& lib.* 3. *c. Marcionem c.* 32. locum *Malach.* 1. *v.* 11. exponit de sacrificiis spiritualibus in novo testamento offerendis? Cur denique *Arnobius lib.* 6. ad objectum impietatis crimen à Gentilibus, quod altaria non fabricarent, non aras, respondet categoricè, Christianos censere, *sacrificia nulla omnino esse facienda*? Addimus ex abondanti testimo-

 nium

nium Chrysostomi, qui homili 16. in Acta ex professo probat nulla ab euangelii promulgatione sacrificia fuisse in ecclesiâ, & inter alia in hæc verba: οὐδαμοῦ θυσία, οὐδαμοῦ περιτομὴ, *nusquam sacrificium, nusquam circumcisio*, & paulò post, οὐδαμοῦ ναοὶ, οὐδαμοῦ θυσία, *nusquam templa, nusquam sacrificium.* Non arbitror hic exceptioni locum esse, quod tempore Chrysostomi propter persecutionem in cryptis mysteria & utensilia missatica abscondita essent; atque ideo Gentiles mentirentur, Christianis non esse sacrificia nec circumcisionem. *Chrysostomus* est qui loquitur, non mendax Gentilis.

§. 3. *Videamus nunc*, quomodo altaria sua probent.

1. *Object.* est, Noach primus, deinde Isaac, Abraham & Jacob altaria ædificasse leguntur. Et Moses *Exod.* 25. & 27. & 29. Salomon 1 *Reg.* 7. Hoc est argumentum Durantis lib. 1. Rationalis cap. de altari: ubi addit hæc verba: *Ab his quidem antiquis patribus altaria modernorum* (Papistarum scil.) *sumserunt exordium.* Idem argumentum habet *Joh. Stephanus Durantus cap. cit.* ubi addit exempla *Josuæ* 8. *Judic.* 6. 1 *Sam.* 8. & 13. 2 *Sam.* 24. 1 *Reg.* 18. *Ezræ* 3. 1 *Machab.* 4. Eandem viam calcat *Gavantus part.* 1. *thesauri sacr. rituum tit.* 19. *pag.* 71. sed qui unico exemplo Noachi contentus est: *patet*, inquit, *altaris usus in scripturis* à Noë, qui primus ædificavit altare; & in novo testamento &c. *Resp.* Sed cur pariter circumcisionis usus in novo testamento ex scripturis non probatur, atque adeo totius legis cerimonialis, contra *Galat.* 4. & 5. *Coloss.* 2. *Hebr.* 9. & si talibus argumentis fides nostra probatur, quomodo contra Judęos ceremonialis legis abrogationem defendent?

2. *Object.* ex 1 *Cor.* 9. *v.* 11. Sic *Joh. Stephanus Durantus*, & *Gavantus loc. cit. Resp.* Hoc non dicitur de ministris novi testamenti, sed de sacerdotibus Mosaicis, ut patet ex verbis sequentibus: vers. 16. *ita jussit dominus annuntiantes euangelium, vivere ex euangelio.*

3. *Object.* Ex *Matth.* 5. & 23. ita Joh. Steph. Durantus: *In novo quoque testamento altarium usus probatur. Resp.* Luditur amphibolia. Si τὸ (*in*) nihil aliud diceret, quam in libro seu textu aliquo novi testamenti probari usum altarium, sub veteri testamento, etiam illo tempore, quo Christus hæc loquebatur; conceditur. Tunc enim adhuc obtinebant sacrificia legis Mosaicę, circumcisio, agnus paschalis, aliaque festa, quæ ipse Christus cum discipulis servavit: Nec jure abolitus fuit usus ceremoniarum, nisi in morte Christi *Coloss.* 2.

4. *Object.* ex *Hebr.* 13 *vers.* 10. Sic *Joh. Steph. Durantus*, *Gavantus*, *Corn. à Lapide in comment.* ad locum. *Resp.* De uno altari loquitur apostolus, quod est Christus; non de multis: qualia probanda sunt Papistis.

Adde quod verſ. 11. & 12. & poſtea verſ. 15. ſe explicet apoſtolus: *offeramus &c. ſacrificium laudis.* Et verſ. 16. *talibus enim ſacrificiis delectatur Deus.* Atqui ad hæc ſacrificia laudis, & operum miſericordię, non requiritur materiale aliquod altare. Ut breves ſimus, Thomas Doctor ipſorum angelicus de Chriſto aut de cruce interpretatur. *Iſtud*, inquit, *altare vel eſt crux Chriſti in quâ Chriſtus pro nobis immolatus eſt: Vel ipſe Chriſtus in quo & per quem preces noſtras offerimus. Et hoc eſt altare aureum*, *de quo dicit Apoc.* 8. Sic gloſſa ordinaria exponit de *Corpore Chriſti*; de quo, inquit, Judei comedere non poſſunt. Nec mirum Chriſtum hic dici *altare:* eo modo, quo alibi dicitur *verum tabernaculum* Hebr. 8. v. 2. & *templum* Joh. 2. Quo reſpiciens Origenes: *Omnibus iſtis templis præſtantius ſacroſanctum iſtud & nitidiſſimum ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti corpus lib.* 8. contra Celſum. *Altare noſtrum*, inquit Ireneus lib. 4. cap. 34. *eſt in cœlis.* Breviter ipſe Bellarminus loco Hebr. 13. non auſus fuit confidere.

5. *Object.* ex antiquitate & patribus. Hic farraginem citationum exhibet, *Joh. Stephanus Durantus. Reſp.* 1. Contra canones Apoſtolorum, Clementem, Dionyſium Areopagitam, qui in primâ acie collocantur, exceptio communis eſt, quòd ſcripta illa ſint ſuppoſititia: uti alibi probatum. Vide *Coci cenſuram*; aut *Riveti criticum.* 2. ad reliqua teſtimonia reſpondetur, antiquiſſimæ antiquitatis ſcriptores, Ireneum, Originem, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Arnobium, nec altaria agnoſcere, nec vocem uſurpare: uti modo indicatum. Poſterioris antiquitatis ſcriptores uſque ad Auguſtinum incluſè vocem quidem metaphorice uſurpare de menſâ domini, quæ tunc non erat altare, aut quid altari forme, ſed menſa, & quidem lignea, mobilis ſeu portatilis, in medio templi poſita: uti colligere eſt ex *Auguſtino c. literas Petiliani lib.* 2. *cap.* 47. & *tract.* 26. *in Johannem*, & *in lib. de culturâ domini*, & *epiſt.* 50. *Theodoret. lib.* 3. *hiſtor. c.* 12. & *lib.* 5. *c.* 18. *Athanaſ. epiſt. ad ſolitar. vitam agentes. Optat. Milevit. lib.* 6. in principio. *Prudent. in martyrio Laurentii*, *Euſeb. lib.* 10. *c.* 4. *Sozomen. lib.* 7. *c.* 24. *Theodor. lib.* 5. *cap.* 18. qui tres meminerunt cancellorum, quibus ſepta erat menſa. Quamvis autem menſam cœperint ſubinde nomine altaris inſignire, ad Gentiles tanto melius alliciendos, aut ſaltem à religione Chriſtianâ minus abalienandos (quippe qui nullam putabant eſſe religionem, ubi non eſſet altare) minimè tamen intelligi voluerunt altare propriè dictum, in quo ſacrificium propitiatorium propriè dictum offerretur; ſed altare metaphoricè ita dictum, propter dona, eleemoſynas, oblationes fidelium, quæ menſæ illi imponebantur, vel ad eam offerebantur, quæque erant tanquam ſacrificia euchariſtica. Evincitur hoc ex collatione di-

ctorum *Cypriani lib. 1. epist. 9.* ejusdemque serm de elemosynâ, & ex *Dist.* 21. can. *cleros*, & Causâ 13. quæst. 2. & *Theodoreto lib. 4. histor. eccles. c.* 19. Quæ omnia fusius inculcantur à scriptoribus nostris contra missam, *Plesseo*, *Molineo*, aliisque.

Ita refutatis altaribus, sponte concidunt ineptę quæstiones, & determinationes, in rubricis missalis Romani, & apud *Biel in canonem missæ lect.* 13. & *Gavantum loc. cit.* apud quem alii complures autores citantur: e. gr. *Quod* altare debeat esse lapideum, ex constitutione Sylvestri *de consecrat. dist.* 1. *c. Altaria.* *Quod* ab episcopo sit consecrandum *can. nulla*, *de consecr. dist.* 1. *Quod* à Deo angelus custos detur altari consecrato, *in Prato spirituali cap.* 4. & 10. Hoc mirandum esse notat ibidem *Gavantus. Quod* tabula lapidea debet esse inclusa, vel superposita tabulæ ligneæ, vel alterius materiæ, *Azorius lib.* 10. *cap.* 27. *qu.* 2. *Quod* vestiendum sit linteis, seu sindonibus, & quidem tribus; quibus quartum vestimentum accedit, dictum *corporale. Quod* pallio quoque ornandum sit. *Quod* duo candelabra, & crux in eo collocanda. De posteriori disputant, *an* hoc sit de præcepto.

Agitantur & hæ quæstiones, & videtut lis adhuc sub judice esse.

An in altari, in quo continuò in tabernaculo clausum servatur corpus domini, collocanda sit crux cum crucifixo in medio altaris ante ipsum tabernaculum.

Pręterea, *an* in altari, cujus icon, seu tabula picta, seu statua, est ipsamet Christi crucifixi imago, debeat item collocari altera crux cum imagine crucifixi inter ipsa candelabra.

An possit adhiberi lumen sebaceum, seu ex sevo.

An sufficiat unicum lumen. Sed nugatum satis. Hoc saltem constabit conferenti *Biel*, *Durantem*, *Gavantum*, aliosque rituales & determinationes SS. congregat. rituum, altaria Papistica, à mensis & dictis altaribus antiquorum toto cœlo distare.

Profligato hoc artolatriæ & missæ Papalis fulcro, instrumento, symbolo; quæritur.

An sepositâ tam crassâ idololatriâ, aliquis altarium in cultu divino & ecclesiis sit usus, adeoque sint retinenda ac relinquenda, Immo & introducenda ubi antehac sublata fuerunt. Resp. prius aff. Lutherani; posterius novatores, aliqui ex ordine hierarchico, dicti in Angliâ Ladenses à *Gul. Lad*, seu *Laud*, archiepiscopo Cantuarensi. Illorum defensio exstat apud *Eckhardum in fasciculo controversiar. cap.* 21. *qu.* 7. & *Himmelium in collegio irenico disp.* 8. Sed posterior tolerantiam eorum potius petere videtur, quam approbationem: saltem testimonia ex *Bezæ resp. ad acta colloq. Mompelgard. p.* 40. & *in*

n colloq. Mompelg. p. 500. 414. 424. *Hospinian. lib. 2. de templis c. 6. p.* oo. ibidem pro adiaphoro hoc allegata nihil aliud efficiunt. Novatorum uorundam in Angliâ praxis & contentiosa defensio altarium istic quasi ostliminio restituendorum, aut saltem mensæ in formam & modum alris collocandæ, ac solenniter consecrandæ, & parieti templi ad orientem ffigendæ, ne amplius esset mobilis aut portatilis, insuper cancellorum aut athrorum circumposito septo separandæ, cum genuflexione ad altare aut d mensam altari-formem omnibus templum ingredientibus extorquendæ, iaque quamplurima Papistico-formia, postmodum emergentia ostendeınt; non intendisse illos alicujus adiaphori aut ritus post introductam formationem sub Eduardo VI. & reginâ Elizabetha residui, sive usum ve tolerantiam; sed magnis passibus alio contendisse. Illis ergo nihil hic eculiariter opponendum censeo, præter ea quę Pontificiis opponi solent: ræsertim cum pereruditi & orthodoxi theologi Anglicani, qui cætera se tibus & regimini ecclesiæ Anglicanę juxta reformationem sub Elizabeıâ conformabant, aliqui etiam ex illis in munere episcopali constituti rant, fervori illi altarico (ita loquar) aliisque deformantibus innovatioibus reclamârint, quales *Usherus* archiepiscopus Armachanus, *Williams* oiscopus Linconiensis, *Dr. Prideaux*, *D. Ward*, *Dr. Brownrig*, *D. Featlii*, *r. Hacket*, qui anno 1641. ad mandatum aut ad postulatum Dominoım (Angl. *Lords*) cum Londini convenissent in ædibus Episc. Linconinsis, inter alias innovationes in recepta ecclesiæ Anglicanæ doctrinâ & sciplinâ notabant subtit. *Innovationes in disciplinâ*, artic. 1. *& seqq.* Convertendo sacram mensam ad modum altaris. Inclinando ad eam versus orientem multoties tribus vicibus; sed usualiter in qualibet motione, accessu, & recessu in templo. Ponendo in pluribus ecclesiis candelabra super altari ita dicto. In faciendis canopiis super altari ita dicto, cum traversis & cortinis ad utrumque latus, & ante. In compellendo communicantes, ut compareant ante septum, ibique cœnam recipiant. In promovendis seu formandis crucibus & imaginibus, super vestimento altaris ita dicti. Ne quid dicam de illis theologis, qui ritibus & Hierarchiæ nglicanæ non ita applaudebant. Inter quos anonymus quis anno 1637. ovæ deformationis specialiter quod ad altaria, autores, originem, proressum detexit, atque unà communi consensu scripturæ, primæ antiquiatis, propriæ reformationis & ecclesiæ Anglicanæ usque ad novos hos eformatores exclusè, altaria subruit. Titulus libri vernaculi (qui utiliter tiam Latinè edi potuisset) est *A Quench-coale*; & opponitur potissimum criptis novatorum deformantium *Richardi Shelford. Edmondi Reeve, Joh. ocklington* & anonymi autoris *Carbonis ex altari*: qui in defensione suâ

Bbbbbb ipsos

ipſos Papiſtas ineptis, abſurdis, & periculoſis aſſertionibus ac probationibus ſuperare velle videntur. Horum primi motores aut commotores fuerunt *Wilh. Laud*, *Rich. Montacutius*, *Math. Wren*, *Johannes Coſens*, &c. quibus accedebat exercitus ſacerdotum ad talia paratus. De quibus conſulendus autor libri vernaculi tit. *Ladenſium* αὐτοκατάκριτις (qui erat *Andr. Bayllius* theologus Glaſcuenſis) & tractat. lat. Honorii *Reggii*, & hiſtoriæ rerum in Angliâ & Scotiâ jam inde ab anno 1638. geſtarum. Conſtitutiones & canones eccleſiaſtici in conventu Epiſcoporum anno 1640. concepti & à Sereniſſ. Rege Carolo I. eodem anno 13. Jun. approbati cap. 7. duas cautelas introducendæ tunc ſituationi menſæ ſub orientali feneſtrâ templi addunt: quarum *prior* eſt, Quod ſituatio in ſe & ſuâ naturâ ſit indifferens: *altera*, quod hæc ſituatio non implicet, quod menſa ſit, aut debeat cenſeri verum & proprium altare, ſuper quo Chriſtus iterum realiter ſacrificaretur: ſed quod ſit, & poſſit inter nos appellari altare, eo ſenſu quo eccleſia primitiva eam appellabat: & non aliter. Hæ quidem cautelæ ſubſerviebant ſcenæ, quæ tunc agebatur; ad tanto facilius corroganda Epiſcoporum ſuffragia pro Ladenſi illâ innovatione in collocandis menſis illic locorum, ubi antehac ſtabant altaria, ſub regno Elizabethę diruta. At Capys & quorum melior ſententia menti, iſtis cautelis & proteſtationibus ad conſenſum adduci non potuerunt: uti colliges ex modo relatâ notatione innovationum in doctrinâ & diſciplinâ eccleſiæ Anglicanæ anno ſequenti 1641. Quin & ipſe doli fabricator *Epeus* in Oratione habitâ in Camerâ ſtellatâ pag. 47. jam tum innuere cœperat, quo hæc innovatio tenderet: „ Altare, inquit, eſt locus maximus reſidentiæ Dei in terris, immo majus „ pulpito. Quia illic eſt, *hoc eſt corpus meum*. Sed in pulpito eſt ad ſummum „ ſolummodo, *hoc eſt verbum meum* Jam vero major reverentia indubiè de- „ betur *corpori Domini quam verbo Domini*. De quo antehac monui in 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de ſuperſtitione app.* 4. §. 4. Quod ad genuflexionem ad altare ſeu menſam, eam ex profeſſo examinavi in 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de ſuperſtitione in appendice.* Hic ergo volens prætereo.

§. 4. Sed quia nonnulli putant, nimis ſtrictam ſeu præciſam fuiſſe reformationem, ſecundum quam Principes & Magiſtratus reformati imagines & altaria ex templis expurgarunt: operæ pretium erit, digitum ſaltem intendere ad apologiam, quæ pro hoc facto noſtrorum inſtitui poſſet, occaſione ita ferente.

I. *Rat.* Quia Deus ipſe exſertè jubet altaria & ſtatuas ſine ſuo mandato factas, ſubrui, *Deuter.* 12. & probat zelum Aſæ, Hiskię, Joſiæ. Jam hoc applica ad altaria Papiſtica.

II. *Rat.* Quia ſacrificium miſſaticum auferendum eſt: ergo & altaria

aria auferenda, juxta regulam: acceſſorium ſequitur ſuum principale.

III. *Rat.* Quia altaria nullum uſum habent, in agendis ſacris; quod per nductionem probatur: *Non in* verbi prædicatione, quia hic inſerviunt pulpita & ſedilia: atqui altaria ſunt neutra. *Nec in* baptiſmi adminiſtratione: uod concedunt. Nec in lectione, cantu, precibus: uti omnes hoc facilè oncedent. *Nec* in ſacrificiis & ſuffitibus, ſeu thymiamatis: quia nulla unt; ut nec ulli ſacerdotes ſeu miniſtri altaris ſub novo Teſtamento: Non ntis ergo nulla eſt affectio, nulla cauſa, nullum inſtrumentum. *Nec* in diſtributione cœnæ: quia ſcriptura docet, menſam ejus inſtrumentum eſſe *Math.*26. cum 1 *Cor.*10. *v.*21. Atqui ratio dari non poteſt, cur menſa ſit rejicienda, eique altare ſive ſubſtituendum ſive adjungendum. Jam vero ut erba otioſa, ſic & facta atque inſtrumenta otioſa ſtudioſe, præſertim in ultu Dei, cavenda ſunt.

IV. *Rat.* quia altaria in Papatu ſunt idolothyta & horrendæ idololatriæ icata ac propria inſtrumenta; conſequenter ſunt ſpecies mali, occaſio & auſę mali, multo magis quam excelſa ſub veteri teſtamento, quæ dirutis ltaribus ſupererant. Ea tamen Deus volebat tolli. Quanto magis altaria. Conferri poſſunt deductiones rationum, quas habes in 3. *part. ſelect. diſp.* it. de idololatriâ indirectâ, & de Cruce, & *in tractatu contra Confraternitates Marianas*; & apud noſtros paſſim, diſputantes pro tollendis imaginibus; inter quos *Scultetus*, in defenſione germanicâ, & altera latinâ, ut x concione latinè edita cum curriculo vitę ipſius,

V. *Rat.* Quia quidquid adiaphori, aut uſus tolerabilis in initio reformationis, aut nunc alicubi prætendatur: negari tamen nequit, quin plus amni, periculi, ſcandali, metuendum, quam ędificationis ſperandum; & ix caveri poſſe; ut ſucceſſu temporis, & præſcriptione aliquâ adiaphorum non fieret neceſſarium aut ſaltem utile; & tolerantia non degeneraret in pprobationem. Prętat ergo præſumtum uſum omittere. Quod ad antecedens, in pleriſque deformationibus, ut & hoc in caſu, & in caſu imaginum, ita ſe rem habere, docuit experientia. Quod nemo, qui origines errorum, & hiſtoriam eccleſiaſticam tum antiquam, tum novellam modo inſpexerit, ignorare poteſt. Juniores inſpiciant modo in unâ hac controverſiâ le Miſsà originem & progreſſum erroris in *Chemnitii Examine Concil. Trid.* ut in *Perkinſi probl. catholico.*

VI. *Rat.* Quia non neceſſarium onus & miniſtris & auditoribus imponitur, monendi de diſtinctione inter hæc altaria & Papiſtica. Quid opus ſt fieri per plura, quod per pauciora fieri poteſt; & quidem longè tutius. Hoc argumento noſtri, inter alia, imagines è templis tollendas probant; ubicunque ſcil. legitima poteſtas & potentia adeſt.

VII. *Rat.* Quia ſi quis altaria non tantum retinere ſed & reſtituere vellet; jam ædificaret, quod reformatio deſtruxit; refigeret ſalutaria axiomata & ſtudia heroum iſtorum, qui glaciem fregerunt, & quorum plerique theologi crucis fuerunt, non pauci uſque ad ſanguinem decertârunt. Quin immo illorum reformatio haut obſcurè notatur, cum *Grotio in Pietate Ordinum Hollandiæ*, τῷ *Exceſſit medecina modum.* Ipſi etiam apoſtoli tacitè taxantur; quod altaria Ethnicorum non Chriſtianizârint.

VIII. *Rat.* Quia pari ratione, reformationis noſtræ decreta & praxis Eccleſiaſtica circa expurgationem imaginum, crucis, candelarum, veſtium ſacrarum, exorciſmi, aliorumque rituum & ſacramentalium Papatus, refigi & antiquari deberent, aut poſſent; eaque omnia retineri aut reſtitui. Quod abſurdum, inutile, periculoſum.

IX. *Rat.* Quia metuendum eſt, ne ut in his, ſic in quamplurimis aliis per totum Decalogum, nimia συγκάταβασις, & ἀνθρωπαρέσκεια, & fuga omnis moleſtiæ, difficultatis, ac contradictionis, & accepti ſcandali plebis (quod prætexi ſolet) tandem rebus hujus ſæculi, & hominum, imprimis potentiorum arbitrio, & bene factorum benevolentiæ miniſtri doceantur velificari. Par enim utrobique eſt ratio: & hominum tepor, ἀπραξία, δυςπραξία, doctrinæ decalogicæ ἀκρίβειαν ſollicitare ſolet, inſuper aliquos Doctores tentare atque ad partes trahere: Quod ubi ſemel admiſſum, aut ſuſque deque habitum fuerit, ad plura & majora per eaſdem conſequentiarum & prætextuum ambages ibitur; atque his præſtructis fidei hypotheſes, & conſectaria luxabuntur; tandemque ipſa fidei arx invadetur: dum *Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.* Nemo enim repente factus eſt peſſimus. Sic ex praxi quæſitis exceptionibus & carnalis prudentiæ diſtinctionibus, veritas & autoritas præceptorum Decalogi adulteratur. Circa hæc καπηλεύοντες, etiam illibatis ſacratiſſimæ fidei dogmatis non parcent. Qui enim ex ambitione, aut avaritiâ, aut αὐθαδείᾳ, aut pravâ æmulatione, aut contentione, aut quâcunque animi levitate, aut innovandi pruritu, conſcientiam ſuam mutuò dat, & ex unâ divini verbi parte naſum facit cereum; quidni & ex aliâ quâcunque facturus eſſet? Et ratio in propatulo eſt: Quod connexa ſint fides & caritas, per quam illa ἐνεργεῖται; & repulſa bonâ conſcientiâ ad fidei naufragium via complanetur. 1 *Timoth.* 1. 19.

X. *Rat.* Quia metuendum eſt, ne excelſis illis idololatriæ, in quâcunque reformatione ſive relictis, ſive per rimam quam illapſis, & patrocinio eorum ſemel ſuſcepto partim ab ignorantibus aut imprudentibus, partim ab hominibus, qui in divinis ſic ſatis moderati ſunt, & tepent, contra in humanis conſtitutionibus, moribus, ritibus promovendis & cuſtodiendis præ aliis fervent; ne inquam, ebrietas accedat ad ſitim, hoc eſt, ne

ne tolerantia, & τὸ adiaphorum, aut ἐυταξία quę prætexitur, tandem in necessitatem, & consuetudo ac præscriptio praxios in adamantinam legem Persarum ac Medorum degeneret; & sic tota libertas tum professionis, tum conscientiæ, quæ primum concedebatur, sensim sine sensu tandem evanescat; servitute omnia occupante; silentio per ecclesiastica aut politica decreta imposito, etiam ministris ad abjurationem aut subscriptionem adactis. Methodi seu mavis μεθοδείας sciographiam, si desideras, accipe hanc ex exemplo Papatus, & novæ ac nuperæ deformationis, quæ alicubi jam inde ab anno 1635. obtigit, descriptam.

1. *Propter* homines, & præjudicatam consuetudinem, ἡττήματα aliqua ex Ethnicismo aut Papismo relicta tolerantur. Quod quidem ut ad tempus, vel illo in statu rerum fiat semper & ubique non est illicitum; dum abest potestas aut potentia ea tollendi: modo agnitio defectuum continuetur, & quævis opportunitas observetur, quâ tolli possint, quæ hactenus ob defectum potestatis & potentiæ tolerari debuerunt.

2. *Postea*, his ita transactis ac positis, difficultates, ac quorundam mala gratia, aut multorum turbatio & scandalum in tollendis defectibus magisque accurandâ reformatione nimis metuuntur; aut saltem, siquidem revera non ita metuenda sint, justus metus & prudentia longè prospiciens prætexitur: cum non raro, si non plerumque quidam Diotrephici φιλοπρωτεύοντες, potius metuant, ne ipsorum aut ignorantia, aut negligentia & tepor, aut servilis ἀνθρωπαρέσκεια, hâc in parte patescat; & ex collatione cum præsente aliorum prudentiâ, zelo, ejusque felici successu, luminibus ipsorum obstruatur, & existimationi quid decedat: cui retinendæ & amplificandæ, etiam cum jacturâ Ecclesiæ, unicè student.

3. *Impedimentis* hisce, dum zelum aliorum aliquamdiu sufflaminant, & conatus sistunt; plebei magis defectibus illis assuescunt, ac securè cohabitare discunt, ac si lege seu ordine statuti essent: insuper Doctores multi rectè sentientes, dum putant frustra verba fieri de malo benè posito, quod hoc tempore loco moveri nequit, dissimulant & conticescunt; sufficere putantes, si in arcanis sapientiæ suæ hæc servent.

4. *Ita*, Prophetiâ & fideli instructione passim apud complures, immo & plerosque cessante; opinio necessitatis hujus defectus partim ad esse, partim ad benè esse apud plebem succrescit: & apud nonnullos Ecclesiasticos tanquam adiaphorum adoptatur.

5. *Motâ* super his controversiâ, Diotrephici ἰδιογνώμονες ne in aliquo ab aliis videantur edocti, aut moniti, aut excitati; ambitiose cum meliora monentibus pro dicto suo adiaphoro contendunt: quin insuper excogitatis quibusvis exceptionum ac distinctionum commentis dicto suo

adiaphoro utilitatem, & ædificationem, aut sacrum ac mysticum quid attribuunt.

6. *Proximè* sequitur, ut non tantum mordicus pro retinendo dicto adiaphoro, ubi nunquam sublatum fuit, sed & reducendo ubi sublatum fuit, immo & alienis ecclesiis obtrudendo digladientur. Exemplum habes in Ecclesiâ Scoticâ, cui anno 1618. quinque ritus, à primâ reformatione istinc exulantes, & anno 1638. non tantùm Anglicani ritus in Angliâ jam inde à reformatione sub Reginâ Elizabethâ obtinentes, sed & alii plures sunt obtrusi.

7. *Postremò*, agmen claudit dicti illius adiaphori (nunc facti sacri aut quasi sacri) devotissima devotio; & necessaria observatio per potestatem ecclesiasticam aut politicam sancita; satellitio censurarum, anathematum, persecutionum munita, omnibusque ministris in idem jurare, aut solenni formulæ alicui subscribere coactis.

§. 5. Objectiones vulgò accersuntur à consuetudine; à majoribus, ab antiquitate; ab ecclesiæ aut Doctorum autoritate; à canonibus aut decretis; à facto, hoc est, à relictis aut toleratis illis defectibus, nec antehac reformatis aut expurgatis; à potestate, autoritate, & injunctione ecclesiæ; ab autoritate & injunctione Magistratus; denique à reformatione ad perfectionem satis productâ, cujus tota causa per novam & accuratiorem in dubium traheretur. Hæc ferè loca inventionis, unde pro pręteritis, aut neglectis, aut non animadversis, aut irreptitiis defectibus argumenta, contra meliora & salubriora consilia, contra majorem zelum & prudentiam, contra meliorem ædificationem in doctrinâ, ritibus, regiminis, adferri solent. Sed hæc loca in apologiis pro reformatione contra Pontificios (qualis *Juelli apologia pro Ecclesiâ Anglicanâ*), & in *Wittakeri* examine 10. rationum *Campiani*, & quindecim notarum ecclesiæ *Bellarmini*, & in scriptis *Riveti* contra *Grotium*, satis superque dejecta & protrita sunt. Confer quę supra *lib. 2. tract. 1. disputabamus de Ritibus*. Rationes *Henrici Eckhardi* in *Fasciculo controvers. theologicar. c. 21. qu. 7.* solidè ab *Henr. Altingio in syllabo controversiar. Exegesi Augustanæ confessionis* subjecto *part. 2 quæst. 3.* & in Problematicâ, loco 14. probl. 22. & à *Nic. Arnoldo* theologo Franequerano in *Scopis dissolutis*, solidè refutatæ sunt. Non est ergo, quod hic actum agam: autores illos inspiciat modo, si cui forte argumenta pro altarium conservatione aut novâ ædificatione objici contingeret. Similia pro retinendis crucibus, cereis, imaginibus vestibus exorcismis, &c. adferri solita, ibidem profligantur. Nos istiusmodi idolothyta (ita loquar) in genere redarguimus *in 3. part. select. dispp. tit. de Idololatriâ* & de *superstitione*: in specie vero cruces, exorcismos, genuflexionem ad mensam, ibid. *tit. de Staurolatriâ*, de *Exorcismo*, de *superstitione* in appendice.

Quod

Quod ad innovationes quorundam in Angliâ, videtur illis occasionem aliquam dedisse nimia illa pro ritibus quibusdam, & Episcopali potestate, ac pro autoritate antiquorum Doctorum & Conciliorum contentio:ne meliora monentibus & suspirantibus, vel tantillum viderentur concedere. Quo factum ut nonnullis Papisticis hypothesibus in fervore contentionis, non raro accederent, aut easdem saltem in medio relinquerent, ac susque deque haberent. In *Rich. Montacutio* alibi hoc ostendimus. Inter alios vir multæ lectionis & eruditionis *Lancelotus Andrewes* Episcopus Wintoniensis in opusculis posthumis à *Gul. Laudo* tunc Episcopo Londinensi, & *Johanne* Episcopo Eliensi anno 1629. editis, in stricturis ad *lib.* 1. Cardinalis *Perroni cap.* 18. nimium sibi & Pontificiis hâc in parte indulsisse videtur. Circa quæst. de Altaribus negat num. 6. differentiam esse in ecclesiâ Anglicanâ. Quæ ratio? Quia si *eucharistia consideratur ut sacrificium (in repræsentatione fractionis panis, & effusionis vini), aptè vocatur altare: quod rursum æque aptè* vocatur mensa, si *eucharistia consideretur ut sacramentum; quod nihil aliud est, quam distributio & applicatio sacrificii*, &c. Citat ibidem *Augustinum qui homil.* 46. de verbis Domini secundum Johannem, vocat *mensam*; quam alibi vocat *Altare.* Augustino adjungit Nyssenum. Et scripturam, quæ *Malach.* 1. *v.* 7. Altare vocat *mensam*, & rursum Hebr. 13. dicit *habemus Altare.* Sed ex quibus scripturis probabitur eucharistiam considerari debere ut sacrificium? Et quid hinc infertur? quia Altare metaphoricè vocatur *mensa*, *Malach.* 1. & vice versâ mensa metaphoricè dicitur *Altare* Hebr. 13. (quod tamen negamus: vide supra); Ergone mensam in V.T. ad sacrificia peragenda altari substituere licebat; & in N.T. ad cœnę distributionem mensæ substituere licebit Altare, aut aliquid *βωμοειδὲς*? Ergone æque ad eucharistiâ celebrationem adhibere licebit Altare ac mensam? Ergone, si *conveniat nobis* (cum Pontificiis) *circa materiam de sacrificio, non erit differentia circa Altare*? uti *Androsius* ibidem respondet Perrono. Certè aliter judicabatur sub Reginâ Elizabethæ; cum altaria tollerentur, & mensæ substituerentnr. Quod archonte in Ecclesia Anglicanâ *Wilhelmo Lado* (de quo papaturiente vide inter elegantissimas epistolas Anglicas *Josephi Halli decad.* 3. *epist.* 5 inscriptam W. L.) mensæ mutabantur in *Altaria θυσιαστήρια, βώμους*, aut in *βωμοειδῆ*: id ad innovationes merito referebant Cl. *Usherus*, aliisque supra citati. Preces sanctorum tropicè dicuntur incensa & thymiamata: ergone in precibus publicis altare incensi cum thuribulo & suffitu adhibebimus, loco suggesti, super quo aut in quo stantes ministri ordinariò publicas preces Deo offerunt.

CAP.

CAP. IV.

De 1. Candelabris, Cereis, Lampadibus. 2. Thuribulis. 3. Libris. 4. Vestibus sacris.

§.1. DE *candelabris*, *cereis*, *lampadibus* per diem in templo, ad religionis & cultus divini executionem lucentibus, peculiariter nihil hic dicendum. Si in vespertinis, nocturnis, antelucanis conventibus & exercitiis sacris ea adhibeantur: non repugnamus. Jus naturale & ratio naturalis hoc suadet: & præit exemplum apostolicum *Act.* 20. *v.* 8. Sed extra illos casus, plane hoc otiosum est & vacuę observationis, immo & superstitionis; sapitque κακοζηλίαν ceremoniarum Judæis usque ad tempus correctionis præscriptarum. Vide de lampadibus in sacrario lucentibus *Exod.* 27. *v.* 20. *Levit.* 24. *v.* 2. Nec minus collusio est cum Gentilibus, quorum sacra & festa, ellychniis aut lampadibus celebrata vide apud Hospinianum lib. de festis Judæorum & Ethnicorum, ludos decennales fol. 169. *b.* Et de festis Christianorum fol. 40. & seq. ubi de festo purificationis Mariæ substituto Gentilium festo Proserpinæ; & de consecratione cereorum. De cereorum origine, antiquitate, materia, numero, benedictione, forma, figurâ, accensione, situ, mysticâ significatione & operatione, exstinctione, &c. videat, qui istarum rerum curiosus est; instar omnium *Gavantum tom.* 1. *thesauri parte* 1. *tit.* 20. *& part.* 2. *tit.* 2. 4. 12. De ceroferariis seu acolythis eorumque ordine, staturâ, processione seu incessu, gestu, candelabrorum apprehensione & manutenentia, *part.* 2. *tit.* 2. *pag.* 106.

Peculiaris superstitionis est cereus paschalis, de cujus benedictione & mysteriis *Hospinianus de festis fol.* 67. & *Gavantus part.* 4. *tit.* 10. & candelæ perpetuo lucentes ante imagines B. Virginis: lampas ardens ante unumquodque altare, & plures ante altare majus, *Gavant. part.* 1. *tit.* 20.

§.2. *De Thuribulis*, & de thurificatione seu incensatione ejusque origine, antiquitate, modo, ordine, mysticâ significatione & operatione, &c. Idem *Gavantus tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 4. *&* 7. Ubi & de thuriferario. Idem pag. 117. iconem exhibet ordinis in incensatione altaris servandi.

§.3. *Libri* sunt Missale, Pastorale seu rituale, Pontificale, Ceremoniale, Episcoporum, Euangeliarium, Lectionarium, Breviarium, Psalterium, Hymnarium, Antiphonarium, Graduale, Processionale, Octavarium, liber Exorcismorum: quibus in celebratione missarum, in lectionibus, in hymnodiâ, in processionibus, in celebratione sacramentorum & festorum, in benedictionibus, in exorcismis seu adjurationibus dæmonum

utuntur. Nolo affirmare, omnes hos libros in singulis templis parochialibus, aut in singulis sacellis, aut in domibus & bibliothecis singulorum parochorum & vicariorum haberi æque ac in singulis cathedralibus, aut curiis, aut bibliothecis episcoporum: sed hoc solummodo, eos libros esse authenticos, aut quasi authenticos; secundum quos omnia in cultu Papali aguntur aut agi debent.

Vestes sacræ Pontificiis sunt; *Alba. Amictus. Annulus. Baculus pastoralis.* §. 4. *Caligæ. Casula. Chirothecæ. Cingulum. Dalmatica. Gremiale. Manipulus. Mitra. Planeta. Pluviale. Sandalia. Stola. Subbirretum mitrale. Superpelliceum. Tunicella subdiaconalis.* Et hæ quidem vestes episcopales & sacerdotales, quæ ad celebrationem missarum requiruntur. Quarum explicatio simplex & mystica ex *Durante lib.* 3. & *Gavanto part.* 1. *tit.* 8. *&* 2. *tit.* 1. aliisque ritualibus aliquoties jam indicatis, haberi potest. Vestes aliis in pompis & solennitatibus requisitas, ut & Pontificis, Cardinalium, Monachorum (quarum mentio in Ceremoniali, Pontificali, Episcopali, Barbosæ collectaneis) studio nunc prætermus: forte infra part. 2. lib. 4. ubi de Papa, Cardinalibus, regularibus seu monachis, eorumque affinibus ςινοβίοις, confratribus, equitibus sacris agendum erit, ἐν παρόδῳ eas attingemus. Adscribo hic versiculos, quibus glossatores juris mysteria baculi pastoralis episcoporum complecti voluerunt

In baculi formâ, præsul, datur hæc ibi (forte leg. *tibi*) *norma,*
Attrahe per primum, medio rege, punge per imum.
Attrahe peccantes, rege justos, punge vagantes,
Attrahe, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Perstringimus nunc seqq. quæst.

I. *Quæstio, An sub* N. T. *ministri peculiari vestium apparatu in sacris peragendis uti debeant? Resp. Aff.* Pontificii, & quidem tam rigidè, ut unius solummodo spontaneam omissionem letalem esse determinent, idque de communi Doctorum sententiâ, teste *Gavanto part.* 2. *tit.* 1. *pag.* 93. Nos neg. 1. *quia* hoc esset refodere cultum œconomicum seu ceremonialem, cujus observatio morte Christi abolita est *Coloss.* 2. *Galat.* 4. cum *Hebr.* 9. 2. *Quia* ecclesia apostolica, & antiqua post-apostolica, illum vestium apparatum non adhibuit: nedum, ut ejus observationem sub mortali (ut phrasi ipsorum utar) universæ ecclesiæ imponeret, uti à missæ antagonistis (inter eos *Mornæo Plessiaco lib.* 1. *de missâ cap.* 7.) hoc probatum est? 3. *Quia* mystica sanctitas istarum vestium significativa, aut operativa, quæ jactitur, nulla est. Nulla enim earum est consecratio, aut reconsecratio. Quia nullum verbum divinum mandati & promissionis, ostendi potest. Nam quod ex V. T. *Exod.* 39. adferri solet de vestibus sacerdotalibus,

id non magis ministris sub N. T. applicari potest, quam Ephod, Urim & Thumim, 12. lapides pretiosi, arca fœderis ejusque portatio, sacrificia & ignis sacrificiorum, mensa panum propositionis, abstinentia à mortuo & mortuorum sepulturâ, à viduâ in uxorem ducendâ, &c.

II. *Quæst. An decori causâ, ad ministros in sacris occupatos magis præ cæteris hominibus conspicuos ab aliis separatos, eminentes, venerabiles reddendos, aut ad majorem agendis sacris venerationem conciliandam, vestimenta & hæc aliaque insignia aliqua adhiberi possint? Resp.* 1. Mera sapientia humana, quæ stultitia coram Deo. Illis imaginationibus, si in celebratione & exercitio cultus divini, locus concedatur, quis erit finis, quis modus? Nam, τὸ εὐσχημόνως & εὐτάκτως, quod hoc in casu ex 1 *Cor.* 14. allegari solet, ex sensu & intentione allegantium, sive ecclesię sive Magistratui jus divinum permissivum tribuit, pro arbitrio quævis imponendi *præter* verbum Dei: si modo non sint *contra*: uti hanc distinctionem pro traditionibus suis adhibent Pontificii. Eos ubi solidè refutaverint, videbunt in cassum pro præsumto suo decoro laborari. *Resp.* 2. Ministri dum in pulpito concionantur, & precantur, dum cœnam distribuunt, dum baptizant & soli loquantur, satis per auditum & aspectum populi, ab aliis distinguuntur.

III. *Quæst. An, ubi ex Papatu in Ecclesiis non-Papalibus, usus distinctæ alicuius vestis ministrorum adhuc remansit, tolerari possit? Resp.* Aliud est aliquid tolerare, cum deest potestas & potentia tollendi aut omittendi: & aliud de novo hæc paramenta assumere aut introducere, ubi omissa, aut abolita fuerunt: & aliud ea urgere, & invitis ecclesiis ac ministris obtrudere, sub pœnâ depositionis, aut excommunicationis. Si potestas & potentia adest antecessoribus in ecclesiâ tollendi, cur pro prætextu tolerantiæ diutius & tantopere pugnatur? cur prætextu adiaphori, scandali, dissensionis, distractionis, non necessariæ fratrum vexationes non præveniuntur? Sed de hoc aliisque ritibus supra *lib.* 2. *tract.* 1. *c.* 6. 7. Ubi c. Sandersonum disputatur, atque unâ autores indicantur, qui omnia exceptionum & distinctionum effugia accuratissimè excusserunt.

IV. *Quæst. An ministri extra cultum publicum certo vestimenti genere in vitâ & conversatione communi, ab aliis quibuscunque civibus & incolis distingui debeant? Resp.* In quem finem? An ut, si agant & loquantur ea, quæ viros Dei minimè decent, ab omnibus etiam peregrinis & ignotis dignosci & deprehendi possint? An vero, si agant & loquantur, ut viri Dei, omnibus spectatoribus innotescat hæc à viro Dei tam bene gesta & dicta esse. An vero, ut autoritas & veneratio ipsis concilietur. In sæculo & vitâ communi, juxta cum aliis Christianis civibus ministri simplicitatem & decorum servare debent; exemplo Apostolorum: de quorum cingulis, pœnulis,

 semi-

semicinthiis, vestimentis legimus; non de peculiari formâ, figurâ, materiâ colore vestium, quibus ab aliis civibus distinguerentur. Quod autem in sæculo aliqui hominum ordines & status, ab aliis per vestimenta aut insignia aliqua distinguantur (ut e. gr. cohortes prætoriæ, aut legionum milites, ministri regum ac principum, Academici doctores & studiosi, &c.) id sæculare est, & pertinet ad hoc sæculum. Jam vero, peculiaris vocatio & functio ministri non est sæcularis, nec de sæculo, nec in sæculo, nec circa sæculum, aut circa symbiosim civilem, quà talem.

Non memini decretis aut canonibus reformatarum ecclesiarum ministris formam vestium præscriptam esse: aut diversam à communi materiam: ut scil. pænulati essent, ubi alii cives palliati; aut soli palliati, ubi alii pænulati; aut soli palliati, ubi omnes alii togati; aut soli capuciati, ubi omnes alii pileati; aut vice versâ. Sed sufflaminasse aliquando scandalosam novitatem ac vanitatem in peregrinis vestibus affectandis, disco ex canonibus ecclesiarum Hungaricarum *Helveticæ confessionis* 1642. in 8. ubi *classe* 3. *can.* 51. arceri volunt *sumtuosas vestes & peregrinum habitum.* Et class. 4. can. 8. cujus tit. *De moribus & habitu studiosorum.* „ Quia scholæ „ sunt ecclesiæ seminaria, ex quibus Deus in suam messem operarios evoca„ re solet, studiosos quoque ipsos oportet, &c. in externo quoque habitu „ pietate, &c. præ se ferre, &c. *At vero vestem militarem, dissectos pileos,* „ *cothurnos rubros, vel alius splendidioris coloris (præterquam nigros) Turci-* „ *cam rasuram, & id genus alia sibi usurpantes, armaque importunè gestan-* „ *tes*, &c.

CAP. V.

De Cœmeteriis.

Quæcunque ad Templa pertinent, sunt vel ejus partes propriè dictæ: vel intus contenta, aut exterius apposita utensilia: vel externa quævis adjuncta, sive continua, sive contigua, sive quâcunque ratione propinqua & vicina. De duobus prioribus egimus. §. 1.

Tertii generis sunt 1. Cœmeteria & ossaria. 2. Capellæ seu Sacella. 9. Sacristiæ, & Cubicula quęvis templo annexa. 4. Ædes Pastorales, seu Sacerdotales, aut aliæ quævis Clericales. 5. Scholæ & Bibliothecæ. Nos reliquis omissis, de solo Cœmeterio hic acturi sumus. Definimus autem ex sensu Romano; quod sit *locus sacer sive separatus, sive templo proximus & continuus, ad sepulturam mortuorum consecratus.*

I. Dicitur *Cœmeterium*, ex uſu antiquæ eccleſiæ: de quo infra dicemus. Synonyma ſunt, *ſepulcretum, polyandrion* (poliantron, ſive antropolin ſcribit Durantes lib. 1. cap. 5.) *ſepulcrum*, *Mauſoleum*, *dormitorium*, *tumulus*, *monumentum*, *ergaſtulum*, *ſarcophagus*, *piramis*, *buſtum*, *urna*. Sic quidem φιλολογεῖ Durantes loc. cit. qui hic diſtinguenda confundit: quaſi quis dicat idem eſſe ſalicetum cum ſalice, pomarium cum arbore & pomo, arcam aut capſam, cum domo aut atrio aut cubiculo, in quo repoſita eſt. Nec minus feliciter philologiam ſuam ibid. depromit circa vocum iſtarum notationem. Ex una noſce omnes: *Cimiterium*, inquit, *dicitur à cimen quod eſt ſtatio, ibi enim dulciter defunctorum oſſa quieſcunt, & ſalvatoris adventum exſpectant. Vel quia ibi ſunt cimices*, id eſt, *vermes ultra modum fetentes*. Belgis appellatur **Kerck-hof**, id eſt, *ager ſeu area templi*.

II. Dicitur *locus ſacer*; quia pertinet ad religionem, & religionis ceremoniis conſecratus eſt. Sanctitatem illam probare conatur Henricus *Spondanus* Epiſc. Appamiarum in Galliâ in tractatu, cui tit. fecit: *cœmeteria ſacra*. Summa rationum huc redit. 1. *Quia* ſepultura eſt religioſa, quippe faciens ad *ſalutem animarum* lib. 1. part. 2. cap. 4. (ſic habet lemma capitis illius:) quod tamen cum cautelâ diſtinctionum ſic explicat p. 183. 184. *Etiamſi nec privatio ſepulturæ, quoad reſurrectionem, aliquid defunctis incommodet, nec exhibitio per ſe & ſimpliciter ſumpta opituletur ad ſalutem; nihilominus (ut idem loquitur) & hujuſmodi humanitatem culpandâ irreligioſitate negligi, & ſi religio eſt, ut fidelium corpora ſepeliantur quoquo modo, non poſſe etiam non eſſe ut ſepeliantur in locis ſacris apud memorias ſanctorum, quo illorum patrocinio & orationibus ſubleventur. Sed de hoc poſteà.* 2. *Quia* in fidem reſurrectionis ſepulcris committuntur fideles defuncti: ergo ad religionem pertinent. 3. *Quia* multis cum religioſis ceremoniis peragitur: Ergo. Sunt autem illæ ceremoniȩ, quarum probationem lib. 1. part. 3. molitur, *cerei*, *lampades*, *incenſa ſeu thymiamata, cruces, hymni, preces & ſupplicationes, miſſarum ſolemnia, agapæ ſeu epulæ ferales*, *eleemoſynæ*. Et hȩ quidem communes; quibus aliæ complures ſpeciales pro perſonarum & locorum circumſtantiis addi ſolent: imprimis ſi magnatum, qui habent unde exſolvere queant, funera curanda. 4. *Quia* cura ſepulcralis clericis ſeu religionis miniſtris tributa fuit. Ibid. *lib. 1. part. 2. cap* 9. 5. *Quia* officium ſeu miniſterium hoc ſepeliendo ad cultum Dei pertinet; & religio ſeu pietas peculiariter illo oſtenditur, & Deus promeretur. Vide *Serrarium in Tobiæ cap.* 1. Et *Spondanum lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 4. & 5. Hinc etiam in ſacris & religioſis confraternitatibus numerantur, quæ Romæ erectæ dicuntur *Confraternitates mortis*, & *miſericordiæ*; in Galliâ, *caritatis*. Vide *Spondanum lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 9. 6. *Quia*, ſimonia committitur, ſi ematur aut vendatur terra benedicta, aut ſacrȩ ceremo-

niæ

niæ fidelium ſepulturis communiter deſtinatæ, aut ipſum officium eccleſiaſticum, aut quidquid fieri ſolet per modum ſuffragii & ſpiritualis auxilii. c. *abolendæ*, *Extrav. de ſepult.* &c. Vide *Spondanum p.* 224. Et Caſuiſtas in voce, *Simonia.* 7. *Quia* ipſum cœmeterium ſacri templi pars, aut quaſi pars eſt: ſaltem debet illi eſſe contiguum; de quo mox dicemus. *Durantes* antiquam theologiam Papalem de cœmeterii ſanctitate ſic proponit: „ Locorum autem orationi dicatorum alia ſunt ſacra, alia ſunt ſancta, alia „ religioſa. Sacra ſunt quæ per manus Pontificum rite dedicata & Deo ſan„ ctificata ſunt, quę variis nominibus appellantur, prout ſub titulo de ec„ cleſia promiſſum eſt. Sancta ſunt loca emunitatis ſive privilegiata ſervi„ toribus & miniſtris eccleſiarum deputata, de quibus videlicet ſub inter„ minatione certè pœne vel à jure vel per ſpeciale privilegium interdicitur: „ ne quis illa violare præſumat, ſicut ſunt atria eccleſiarum Chriſti, qui„ buſdam locis clauſtra, infra quæ ſunt domus Canonicorum, in quibus „ reis cujuſcunque ſceleris confugientibus, ſi ſe ibi receperint, ſecuritas præ„ ſtatur. Et ſecundum ſtatuta legalia porte & theatra civitatum. Religioſa „ ſunt ubi cadaver hominis integrum vel etiam caput tantum ſepelitur: quia „ nemo poteſt duas ſepulturas habere. Corpus vero vel aliquod aliud mem„ brum abſque capite ſepultum non facit locum religioſum. Sed & ſecun„ dum legalia inſtituta cadaver Judæi vel gentilis vel infantis nondum ba„ ptizati, locum in quo ſepultum eſt religioſum facit; ſecundum religio„ nem tamen Chriſtianam & Canonicam doctrinam ſolum Chriſtianis „ cadaver locum facere religioſum. Et non quod quicquid eſt ſacrum eſt „ religioſum & non è contra.

111. Additur in definitione, quod ſit *locus, aut ſeparatus, aut templo* [p]*roximus aut contiguus.* Sic enim hodie fieri neceſſe eſt: quamvis olim (fa[t]ente *Joh. Steph. Duranto lib.* 1. *c.* 23.) longè alia conſuetudo in antiquâ [e]ccleſiâ obtineret. Rationes has adducunt apud *Durantem cap. cit.* „ Sed cuncti debent circa eccleſiam ſepeliri, puta in atrio aut in porticu, aut in exedris ſive voltis eccleſiæ exterius adhærentibus, aut in cœmeterio. Dicunt enim quidam quod locus 30. pedum circa eccleſiam debet ad hoc conſecrari, alii vero ſolam circuitionem quam facit epiſcopus dedicans eccleſiam ad hoc ſufficere dicunt. Auguſtinus dicit in libro de cura pro mortuis agenda in fine quod ſepeliri apud martyrum memorias id homini defuncto prodeſt, ut commendans eum etiam in martyrum patrocinio affectus pro illo ſupplicationis augeatur. Vide & Spondanum lib. 1. part. c. 14. p. 284. ubi ſic loquitur: *Quod eos doceret Chriſtiana pietas, ſeſe* [s]*ic ratione participes fore ſacrificiorum & precationum quæ in eis fierent, &* [m]*eritis Sanctorum, quorum reliquiæ illic quieſcerent adjutum iri.* Nimirum

quæ de ſepultura in templis habet jus Canonicum, Cœmeteriis applicari debent: Sic autem *Lancelottus in Inſtitutionibus Juris Canonici lib. 2. tit. de ſepulturis*: „ Tractemus nunc de ſepulturis, quæ quidem per fideles non „ niſi in ſacris, & religioſis locis ideo conſtituuntur, & quod minus ibi „ ſpiritibus vexantur immundis, & quod ſanctorum illorum commendan- „ tur patrociniis, quorum nomini Eccleſia, in qua corpora conquieſcunt, „ eſt conſecrata. Accedit quod defunctorum proximi ad ſacra loca veni- „ entes, ſepulturamque conſpicientes, ſuorum recordantur, & pro iis pias „ preces fundunt. Sed de hoc mox & infra in problematis aliquid dicetur.

IV. Denique dicitur, ad *ſepulturam conſecratus*. *Conſecratio* cœmeterii eſt vel prima dicta communi nomine *conſecratio*: vel iterata ſeu reſtituta; quę *reconſecratio* dicitur: vel propriè dicta *reconciliatio*.

I. *Conſecratio* eſt per quam ritè purgatur, benedicitur & ſanctificatur, & corpora ibi quieſcentia mereantur in die judicii adipiſci vitam ęternam. Hanc deſcriptionem colligo ex formulâ orationis, quæ habetur in *Pontificali pag.* 148. & in *Rituali tit. de Benedictionibus*, ſubtit. Ritus benedicendi novum cœmeterium pag. 261. „ Purgetur † benedicatur † & „ ſanctificetur † huc cœmeterium, ut humana corpora hic poſt vitę cur- „ ſum quieſcentia, in magno judicii die ſimul cum felicibus animabus me- „ reantur adipiſci vitæ perennis gaudia, &c.

Hujus autem conſecrationis conſideranda ſunt, 1. Ritus & modus, 2. Conditiones & requiſita. 3. Cauſæ & neceſſitas. *Modus* eſt per aquę benedictæ ſparſionem, purificationem, & conſecrationem. *Ritus* vide in *ordine Romano*. Et in *Pontificali fol.* 147. Ubi etiam picturis additis choragium hoc exponitur. Et in *Rituali* p. 261. Et apud *Spondanum* p. 296. 297. Neque enim libet hæc nunc deſcribere. 2. *Conditiones* & requiſita ſunt: ut fiat ab Epiſcopo; aut à ſacerdote per delegatam ab Epiſcopo poteſtatem; uti innuitur in Rituali loc. cit. 3. *Cauſas* & neceſſitatem hujus conſecrationis exponunt, *Spondanus* p. 295. 297. Et Canoniſtę, ac cum iis *Tholoſanus lib. 2. ſyntagm. c.* 13. Et ex Ritualibus *Durantes loc. cit.* Et *Pontificale*: inter quas illa excellit, quod contra incurſationem dæmonum (qui circa cadauera & ſepulcra graſſari ſolent) cœmeteria hâc benedictione muniantur. Porro conſecratio ſeu benedictio cœmeterii eſt gemina: unæ quę fit in dedicatione ipſius eccleſiæ per circuitus extra eccleſiam, & cœmeterii aſperſiones: altera quę fit ſeorſim ante aut poſt dedicationem eccleſiæ. Hanc diviſionem deſumo ex *rubricâ primâ Pontificalis*.

II. *Reconſecratio* eſt, quando cœmeterium dudum conſecratum, iterum conſecratur. Quam quadruplici in caſu templo neceſſariam eſſe docent Canoniſtæ & rituales (in Papillâ oculi loc. cit.) & conſequenter cœmeterio. Caſus illos *cap.* ſequenti indicabimus.

III. *Reconciliatio* (quæ & expiatio, luſtratio, purgatio dici poſſet) cœmeterii eſt, quando à pollutione ſeu profanatione aliqua de novo purgatur, ut denuo ſacrum ſit, & ſepulturis inſervire poſſit. Nam mortui ante factam reconciliationem illic ſepeliri non poſſunt. Eſt autem ea reconciliatio vel cœmeterii ab Epiſcopo, aut ſacerdote delegato antehac conſecrati; vel non conſecrati. Diſtinctio hanc analogicè deſumta ex diſtinctione reconciliationis eccleſiæ: quæ exſtat in *Pupillâ Oculi part. 9. cap. 1.* Porro polluitur cœmeterium ſeminis aut ſanguinis effuſione; item ſepulturâ hæretici aut excommunicati. De quo dubia, controverſiæ variæ inter ipſos à Canoniſtis & Ritualibus agitatæ: quorum aliqua infra notabimus.

Cœmeterii ſacri (uti loqui amant) jam deſcripti ſunt hæc attributa. I. §. 2. Quod ſit neceſſarium, ſeu admodum utile, & quidem non ſine myſterio ſpirituali. *Neque vero (*inquit Hoſius c. Brentium cap. 90. fol. 117. 6.*) Deo tantum precibus & ſacrificiis placando, verum & corporibus hominum ſepeliendis templa ſunt & cœmeteria conſecrata, quod qui corpora ſua viventes Deo templa dicaſſent, eos mortuos, non niſi in ſacris locis recondi, æquum eſt putatum.* Vide reliqua quæ ibi prolixè diſſerit. Neceſſitatem ſepulchri publici aut communis propter cauſas politicas, quas allegat *Tholoſanus* §. 4. à præſumtâ hâc religioſâ neceſſitate diſtinguo, & libenter admitto.

II. Quod privatis oratoriis non concedantur cœmeteria. De Capellis, neque eccleſiis regularium quę ſint exceptiones aut diſtinctiones, infra in problematis notabimus.

III. Quod varia eorum ſint privilegia: quę notata vide apud Canoniſtas & ex iis apud *Spondanum p.* 293. 294. Inter quæ eminent jura aſyli ſeu refugii: quæ tamen contraxit Gregorius 14. ut videre eſt apud *Zypæum lib. 3. Juris canonici novi tit. de Immunitate Eccleſiæ p.* 383. De quo alibi. Quibus adde communia privilegia omnium bonorum eccleſiaſticorum (de quibus ſupra *lib. 4. tract. 2.*) & utenſilium ſacrorum: quod ſcil. non poſſint alienari; nec in profanos uſus impendi, aut in eos converti, nec oneribus & ſervitutibus politicis gravari; nec vendi aut emi, &c. Vide *Tholoſanum loc. cit.* Et conſer *Zypæum lib. 3. juris Pontificii novi tit. de Immunitate eccleſiæ*, &c.

IV. Quod claudi debeat, & ab aliis locis diſterminari debeat muro vel alio quo ſepto: Quæ clauſura ejuſque inſtauratio præſtanda eſt à parochianis; niſi de tractatu aut tranſactione ad alios ſpectet *Zypæus lib. 3. p. 379.*

V. Quod publicentur & profanentur ſemine, ſanguine, ſepulturâ quorundam cadaverum, (uti modo dictum eſt.) Et non poſſint ibi ſepeliri mortui antequam reconcilientur. Quæ prohibitio etiam valet cum eccleſia et cœmeterium interdicto ſubjacet. *Tholoſan. cap. cit.* §. 9. & tunc ſepeliri poteſt in monaſterio proximo.

Cœme-

§. 3. Cœmeteria dividi possunt, vel in partes integrantes; vel in species; seu mavis, in individua. I. Partes integrantes, in quas dividi possunt, vel majores, vel minores. *Illa* sunt, partes orientales, australes, occidentales, boreales. Inter quas orientalis vulgi opinione potior seu dignior: quia choro seu parti templi orientali adjacet. Sunt autem partes majores subinde muris distinctæ: & tum oritur quæstio, An unum, an vero duo sint cœmeteria. *Minores* sunt, vestibulum, & ossarium. De ossariis seu ossuariis observandum, ea colligendis effossis ossibus & craniis nunc destinata, olim introducta esse cum superstitiones crescerent circa translationes & venerationes ossium ac reliquiarum: ut bene observat *Hospinianus lib.* 3. *de templis cap.* 3.

II. Species sunt, ordinarium, & extraordinarium seu miraculosum. *Ordinarium* secundum divisiones templorum dividi potest in publicum, & privatum. *Illud* est cathedrale, collegiatum, parochiale. *Istud* est, regulare, aut capellare. Subdivisio in subterraneum & superterraneum hujus loci non est: quia nullum hodie, quod sciam subterraneum in Papatu. Sed de hoc thes. sequenti. *Miraculosum* est 1. Romanum, dictum *campus sanctus*, quod constat terrâ ex agro figuli effosâ, ubi corpora peregrinorum 24. horarum spatio consumuntur. De quo *Francisc. Georgius Venetus tom.* 6. *problem. sacrorum sect.* 4. *fol.* 370. b. *Binsfelsius de confession. maleficarum dub.* 4. *conclus.* 2. *pag.* 134. ubi dicit se vidisse. *Cornelius A Lapide in Math.* 27. *v.* 8. dicit sibi relatum esse à parocho istius ecclesiæ. Mysterium in eo quærit, sed dubitans: *Hâc forte de causâ & hoc symbolo carnes sepultorum intra* 24. *horas consumuntur.* Confer ejusdem commentaria in *Act.* 1. *v.* 18. 19. De Hakeldama sive agro figuli in Judęa vide *Adrichomium in descriptione terræ sanctæ num.* 216. *p.* 173. 2. *Campus sanctus* Pisis: in quem illata terra sancta à triremibus Pisanis tempore belli sacri sub Friderico Barbarossa ex Judæâ redeuntibus. *Fr. Schottus & Hieronymus ex Capugnano in Itinerar. Italiæ.* 3. *Campus* sanctus Parisiis, in via S. Dionysii la Trinité. Sic *Cornmannus in Templo naturæ p.* 318. Forte idem est hoc cœmeterium cum eo, cujus meminit *Berthorius in dictionario morali*, & ex eo *Bungus de mysteriis* „ *numerorum p.* 355. Subjiciam, inquit, tandem miraculo Cœmeterii Inno„ centium Parisiensis confirmatum fuisse, numerum Novenarium morti „ dissolutionique obnoxium esse: sic enim proditum est, & quotidiè experi„ mento comprobatur, cadavera quæ illuc fuerint illata, intra Novem dies „ adeo computrescere, quod in pulverem reducantur, & ossa nuda extra„ hantur, aliique in eisdem sepulchris sepeliantur. 4. *Calvaria* Chamberii in Sabaudiâ, quæ triduo cadavera absumit. *Delexius J. C. in chorographiâ Sabaudiæ.* 5. *Cœmeterium* Ursulæ & SS. Virginum Colonię, quod nulla cada-

cadavera recipit. *Baronius in notis ad martyrolog. Romanum* 21. Octobr., aliique à nobis cit. in 3. *part. select. dispp. tit. de Ursulâ & 11000. virginibus.* 6. *Denique* ad cœmeteria miraculosa refer sepulcra in templo Franciscanorum Chambrerii in Sabaudiâ, quæ infernè cancros nutriunt: ut ex *Delexio modo cit.* refert *Cornmannus loc. cit.* Idem de variis sepulcris, notavit nonnulla, sed magnam partem fabulosa, in libro de Miraculis mortuorum *part.* 4. *cap.* 114-148. Sed illa propriè hujus loci non sunt. Agimus enim hic non tam de sepulcris, & sepulturâ, quam sepulchretis.

Conferri possunt cum cœmeteriis Papatus, *tum* antiqua Ethnicorum, Judæorum, Christianorum; *tum* hodierna. Ethnicorum, Judæorum, Mahumedistarum, Christianorum in Oriente & Occidente. §.4.

I. *Antiquorum Ethnicorum* sepulcreta quod ad materiam, figuram & formam externam, omniaque adjuncta & requisita descripta vide apud antiquarios: imprimis scriptores de funere quales *Meursius*, *Gutherius Kirchmannus*, aliique à *Spondano p.* 22. 23. citati: inter quos, vel ipsius judicio, excellere videntur *Claudius Guicherdus*, (sed qui Gallicè scripsit,) & *Kirchmannus.* Addi potest *Forcatuli Necyomantia*; & *Rosini* ac *Demsteri antiquitat. Romanar. lib.* 5. Inter omnes videntur Ægyptii hic præivisse, in condendis sepulcris, in condiendis corporibus; quos & alii imitati sunt. Hinc pyramides & mausolea, aliaque loca edita & eximia, ubi cadavera reponebant. De quibus *Spondanus* p. 56. 57. & autores ibid. citati: quibus addo *Cornmannum* in utroque tractatu modo cit.; & commentatores in Martialem; imprimis *Maximil. Sandæum theol. symbolicæ lib.* 6. commentatione 2. ubi supra omnes alios diligentissimè collegit, quæ de Ægyptiis aliisque omnibus pyramidibus & obeliscis observari possent. Hæc ita scribebam anno 1646. Postea prodiit diu exspectatus Oedipus Ægyptiacus *Athanasii Kircherii*, ubi pyramides aliaque admiranda Ægyptiaca plenissimè describuntur. Quod ad religionem cœmeteriorum & sepulcrorum apud Gentiles, notavit de eá maximè necessaria *Spondanus lib. cit.* cum quo conferri possunt *Tholosanus*, aliique Jurisconsulti: Operosè omnia ex Jure explicuit *Gutherius de jure manium lib.* 2. *cap.* 1.-15. Quando, quomodo, per quem, quæ incipiant, & desinant esse loca religiosa, quæque religionem illam privilegia consequantur.

II. *De antiquorum Judæorum* sepulcretis ante eversam Hierosolymam, consulendi scriptores antiquitat. sacrarum & Judaicar., & tract. de Republicâ Hebræorum, in *Bibliothecâ* nostrâ indicati. Aliqua huc facientia enotavit *Spondanus lib. cit.*

III. *De antiquorum* Christianorum cœmeteriis. Idem *Spondanus*, & autores ab illo citati (*part.* 1. *cap.* 6. p. 65. 66. 67.) inter quos eminet *Onuphr.*

Panuinus in tract. de ritu sepeliendi & cœmeteriis antiquorum. Conferri potest *Joh. Steph. Durantus loc. cit.* & *Justellus in notis ad codicem* canonum Ecclesiæ Universæ *can.* 113. p.200. Dicebantur ergo antiquis κοιμητήρια, tralatâ, ut opinor, voce à locis publicis apud Cretenses, in quibus peregrini dormire solebant, teste *Athenæo lib.* 4. *c.*5. Quomodo vox ecclesiæ ex usu civili ad sacrum traducta est. Mortui enim in Domino dicuntur κοιμᾶν *dormire*, *Actor.*7. 1 *Cor.*15. *Thessal.*4. & in versione gr.70. *Jes.*57. *Daniel.*12. Occurrit autem hęc vox in *concil. Laodic. c.* 9. apud *Eusebium l.* 7. *Hist. Eccles. c.* 10. *Cassiodor. lib.* 5. *histor. tripart. c.* 3. *Pontium in actis passionis Cypriani.*

Synonyma ejus sunt *areæ, arenariæ, cryptæ, catacumbæ seu catacumbæ, martyria.* Uti observat *Joh. Lodovic. de la Cerda in Adversar. sacris c.*88. §.8. 9. & 86. §. 10. p.123. & probat *Spondanus* p.277. Erat autem usus eorum non tantum ad sepulturam, sed etiam ad sacra peragenda. Ibi enim conveniebant, synodos congregabant, sacramenta ministrabant, hymnos canebant. Uti colligitur ex *Eusebii lib.6. c.*13. & 7. c.16. & 9. c.2. & *Athanasio in apologiâ pro fugâ.* Quibus adde, siquidem tanti sit, dictum *Clementem lib.6. constitut. Apostolic. c.* 29. Hinc Cœmeterium notat oratorium *lib.* 5. *histor. tripart. c.*3. Adeo ut non minus apud Christianos cœmeteria templis originem dedisse videantur, quam apud Gentiles: quarum celeberrima templa mortuorum sepulturas fuisse, observatum est ab *Arnobio lib.6. Cyrillo Alexandrino lib.*1.*c. Julianum, Clemento Alexandr. in protreptico ad Gentes, Theodoreto serm. de martyrio:* qui videndi. Sed prudenter postea oratoria à cœmeteriis distincta sunt, multaque in eam rem decreta facta: ut videre est apud *Joh. Steph. Durantum loc. cit.*

Periergiæ & otiosæ circa cœmeteria observationes paulatim accesserunt, ut ornatus, lucernæ (*Spondan.* p.322.) concursus ad ea, & celebratio memoriæ martyrum, convivia seu agapæ, pervigilia (quę tamen prohibita aut reprehensa esse notat *Spondanus* p.280.282.283.) Unde cum tempore plures ac majores abusus, postquam mutato more in oratoriis sepulturas affectabant. De quo vide *Spondanum* p.285.

Divisio cœmeteriorum apud antiquos institui potest, 1. In conjuncta cum oratoriis & in separata: quæ posteriora ne quidem in ipso Papatu defierunt; uti colligo ex divisione, quam habet liber Ritualis anno 1385. editus à *Joh. de Burgo tit. Pupilla oculi* fol. 203. 2. In superterranea, & in subterranea. De qua divisione *la Cerda cap.* 86. *Spondanus p.* 277. *Joh. Steph. Durantus p.* 219. 280. Romę sexaginta cœmeteria enumerat *Onuphrius libr. cit.* Inter subterranea celebre fuit cœmeterium Priscillæ, quod subterraneam urbem vocari posse, dicit *Baronius.* Quem vide ad ann. 110.

Et

Et *Spondanum loc. cit.* Et *Corn. à Lapide in Hebr.* 11. *v.* 38. Imprimis *Bosium in tract. cui tit. Roma subterranea.* Reliquiæ ejus etiam hodie ab antiquitatum curiosis indagatoribus lustrari solent.

IV. *Gentilium* hodiernorum cœmeteria ex novi orbis aliarumque Gentium historicis notat *Spondanus l.* 1. *part.* 1. *c.* 7. §. 2.

V. *Judæorum* cœmeteria quære apud *Buxdorfium in synagogâ Judaica c.* 35. Cum quo confer librum *ritualem Judæorum de officiis defunctorum tit. Mahzor*, partem aliquam à *Genebrardo Hebr. & Lat.* editum. Adde *Cl. Hottingeri tract. de cippis* Hebræorum a. 1661. editum.

VI. *De Muhammedistarum* cœmeteriis extra urbes, deque ritu sepeliendi, scribit *Lonicerus tom.* 1. *Chronici Turcici lib.* 2. *cap.* 19.

VII. *De Cœmeteriis* apud hodiernos Christianos in Oriente, vide notata à *Spondano. In occidente* apud illos qui extra communionem Romanam constituti, *Spondanus* ibidem nonnulla recitat. Sed præstat ipsos reformatos scriptores audire, *Hospinianum scil. lib.* 3. *de Templis cap.* 1. Et *Zepperum in politiâ ecclesiastic. lib.* 1. *cap.* 15.

Subjicimus nunc aliquot problemata, ad uberiorem explicationem, & ἐπίκρισιν. Sunt autem duum generum: alia quæ inter partes agitantur: alia de quibus inter ipsos Pontificios disquiritur. *Prioris generis sunt ista.* §. 5.

I. *Probl. An cœmeteria sint sacra, sancta, religiosa? Resp. Aff.* & probare conatur *Spondanus lib.* 1. per totum. Vide imprimis *part.* 2. *c.* 9. ubi ipsi ex Gentilium sententiâ (quam non improbat) sancta sunt ossa, urna, sedes, tumulus, lapides, cineres, manes, &c. Sed nequid illi affingere videamur, exhibemus ex syllabo operis (in præfat. ad lectorem) lib. 1. „ Jure, inquit, *Di*-„ *vino, Naturali, Gentium, Civili*, & *Canonico*, Sepulturam & Funus adnu-„ merari inter præcipua Religionis, sacrarumque Ceremoniarum offi-„ cia. Adeoque Sepulchra ipsa & Cœmeteria, habita semper fuisse sacra & „ religiosa, apud omnes gentes omnium quotquot unquam fuerunt *Religio*-„ *num*: videlicet

„ Legis Naturæ;
„ Gentilium, *sive* Ethnicorum;
„ Judæorum;
„ Christianorum;
„ Hæreticorum, *simul &* Schismaticorum;
„ Mahometanorum;

„ Idem ferme in earum singulis, etiam extra communem rerum ordinem, „ veluti *Cœlesti calculo* confirmatum esse.

Rationes ipsius supra enotavimus; quæ vel inspectę evanescunt. Sed excipiat quis, ipsos reformatos à Spondano citatos (quibus addo *Hospinia*-

 num

*num p.*407. & *Zepperum p.* 186.) , & Jureconsultos communiter hic religiosi & sacri aliquid agnoscere. *Resp.* Jurisconsulti aut historicè referunt, quid antiquo jure Gentilium Romanorum statutum sit; aut vocem hanc eodem modo usurpant, quo de portis ac mœnibus, quæ ipsis sacra sunt, id est, inviolabilia. Quod ad Theologos nostros modo cit. Illi ex formulâ suæ theologiæ nullum hic agnoscunt actum religionis formaliter & propriè ita dictum, seu elicitum, sed tantum imperatum: quomodo *Jacobi* 1. *v.ult.* ubi religio dicitur esse visitatio pupillorum & viduarum, &c. Ad hæc nullum cognoscunt relativam aut formalem locorum istorum sanctitatem inhærentem, aut adhęrentem: non magis quam in templis; uti supra dictum est. Quod Jureconsulti Gentiles dixerunt per illationem cadaveris religiosum reddi locum, id à Christianâ religione abhorreret, si propriè sumatur, & Gentilium superstitiones nimis apertè refert. Vide quę supra ex *Durante* citavimus.

II. *Probl. An verba Polani in syntagmate lib.* 10. *c.* 14. *p.* 658. *C. edit. in fol. tanquam commodè dicta defendi possint? Resp.* Vix videtur. Potius ergo corrigenda. Nam non tantum religiosa facit cœmeteria & sacra, hoc est, inviolabilia (quomodo JCC. hoc accipiunt); quia corpus mortui illatum est: sed peculiari ratione distingui vult à sepulcretis infidelium, & sic sacra esse dicit, *propter corporum, quæ sanguine Christi sunt redemta & sanctificata & spir. s. templa fuerunt, dignitatem.* Sed quæro *qualis illa sit sanctitas interna & inhærens, an vero externa, adhærens & relativa.* Posterior proculdubio intelligenda esset. Atqui ea multis modis refellitur. 1. *Quia*, ex scripturâ nullam talem sanctitatem ipse ibidem, aut quisquam alius, non dico, probavit, sed nec probare conatus est, 2. *Quia* illa sanctitas esset aut operativa, aut saltem mysticè & symbolicè significativa, aut obsignativa, per modum signi aut instrumenti moralis, aut per modum medii impetrativi. Atqui nihil tale dici potest. 3. *Quia* si nec ipsa templa, nec utensilia templorum in N. T. sacra sunt, aut propriè dici possunt (uti supra probatum est), multo minus cœmeteria. Templa enim sunt vasa seu propria loca continentia sanctam Dei ecclesiam istic convenientem, & sacra exercitia illic à sanctis & fidelibus peracta: quod de cœmeteriis dici nequit. 4. *Quia* tum multò magis sacræ erunt vestes, spondæ, lecti, stragula, domus, scholæ, curiæ, xysti, porticus, castra, naves, currus, pulpita, sedilia, plateę, civitates, quin & patibula cum areis patibularibus, ubi fideles supplicio affecti, aut sepulti, omniaque alia loca continentia, communia aut propria, proxima aut remota, quin ipse aër ambiens, & locus terræ sustinens, & quod tegit omnia cœlum: quia scil. continent aut contingunt sanctos, hoc est, fidelium ipsas personas & integra composita; quę pro-

proprie templa sunt spiritus sancti, cum cadavera tantum æquivocè & homonymiâ κτ᾽ μνήμην talia dici possint. 5. *Quia* sequeretur multò magis sacra esse lintea sepulcralia, loculos, sandapilas, immo & sacrum esse munus vespillonum & pollinctorum, sacra esse ipsorum instrumenta, quæ sepeliendis & defodiendis corporibus adhibere solent. 6. *Quia* explicari deberet, an & cur cœmeterium aliquod privatum vacuis sepulcris, & cineribus in elementa redactis, ossibusque in ossarium illatis aut in elementa sua iam resolutis, adhuc sacrum sit propter templa spir. s., quæ nulla illic sunt? Præterea explicandum esset, quamdiu sanctitas illius loci post dissipata aut ablata inde cadavera durare debeat; An usque ad finem mundi propter memoriam depositi illic aliquando, templi spir. s.? An vero post cœmeterium pollui cœptum, & aliis usibus dicatum? 7. *Quia*, hâc ratione & fundamento sanctitatis cœmeterialis concesso, non video quomodo dextrè superstitiones Pontificiæ circa ossa sanctorum defunctorum, aliasque reliquias quarumcunque rerum, quę viva corpora sanctorum contigerunt, refutari possint, & de putatitię sanctitatis ac religiositatis possessione deturbari, 8. *Quia* simili ferè consequentia hæc sanctitas probari videtur, qualis illa: Pretiosi & digni in oculis domini sunt sancti viventes & morientes: ergo & ipsorum cadavera non tantum, sed & cadaverum receptacula sunt sancta, hoc est, terra mortuorum, ᾅδης, magna mater, &c.

III. *An cœmeteria proximè templis aut in ipsis templis constituenda? Resp. Aff.* praxis & doctrina Pontificiorum, idque propter religionem: ut scil. post mortem in loco religioso quiescant, ubi viventes religionem exercuerunt: utquè devotionum ibi exercitarum tanto melius participes sint: ut per consecrationem, & per reliquias ac memorias sanctorum illic quiescentium, tanto melius tuti sint, ne corpora incursentur & infestentur à dæmonibus. Vide has rationes apud autores supra cit. Nos contra Neg. esse hoc necessarium in se, aut illo fine 1. *Quia* rationes omnes à Canonistis allatę sunt ἄλογοι & ἀνακόλουθοι. 2. *Quia* aliud docet praxis Ecclesiæ in V. & N. T. Vide *Genes.* 23. *Josua.* 24. & *Luc.* 7. ibidemque commentatores. 3. *Quia* idem suadet doctrina & praxis antiquæ ecclesiæ, quam vide apud *Ioh. Stephanum Durantum loc. cit.* & *Hospinianum lib.* 1. *c.* 2. 4. *Quia* ratio & necessitas naturalis, ob sanitatem viventium, ejusmodi sepulturas dissuadet: uti Medici hoc in casu consulti optimè docebunt, quam otiosè si non superstitiosè fœtore cadaverum lædantur, aliquando & enecentur viventes, qui in templis quotidie conveniunt. Notarunt hoc scriptores Theologi & Politici: inter quos *Hospinianus p.* 407. „Quod certè Templa plerumque febricitantibus, aut prægnantibus, aut quavis infirmitate laborantibus noxia sunt & contagiosa, non ego superstitiosa hominum levium

 persua-

„ persuasioni totum tribuerim: se tum confuso indiscretæ turbæ ac multi„ tudinis halitui, tum etiam maximè sepulchrorum in iis existentium fu„ nesto fœtori. *Keckerm. system. Politici lib.* 1. *cap.* 13. 5. *Quia* olim jure civili prohibitum intra urbem sepelire: ut constat ex legibus XII. tabul. & Principum rescriptis, quæ notata vide apud *Gutherium lib.* 2. *de Jure manium cap.* 33. & *Tholosan. lib.* 33. *syntagm. c.* 23. 4. 5. 6. ubi addit mores Græcorum, aliarumque Gentium. Nos notatis prædictis autoribus adjicimus Constitutionem III. Theodorici Gothi Romanorum Regis apud Goldastum tom. 3. Constitut. Imperalium p. 27. *Qui intra urbem Romam cadavera sepelierit, quartam partem patrimonii sui fisco sociari cogatur: si nihil habuit, cæsus fustibus civitate pellatur.* 6. *Quia* olim Christiani ethnicis objiciebant, quod templa eorum celeberrima essent sepulcra. *Cyrillus l.* 10. *c. Julianum*, *Tertullianus de spectaculis c.* 13. *Clemens Alexandrin.*, *Arnobius*, *Eusebiuss*, &c. Notarunt hoc *Justellus ad canones Ecclesiæ Universæ p.* 200. *Heraldus ad Minutium p.* 70. *Hospin. p.* 407. 7. *Quia* hac ratione ipso facto non satis longè receditur ab omni Gentilium, & Pontificiorum superstitione, ejusque specie & occasione. In quem finem Pontificii cœmeteria in templis aut propè templa constituant; modo dictum est, Confer *disp. de Idololatria indirecta*, *& de superstitione.* 8. *Quia* Theologi reformati passim necessitatem aut utilitatem introductæ hujus observationis repudiant, & ad origines atque incrementa superstitionum referunt *Zegedinus loc. comm. de Morte tab.* 4. *p.* 257. & *p.* 261. *Aretius part.* 1. *problem. tit. de sepultura*, ad finem *p.* 341. edit. in 8. *Martyr. class.* 3. *loco de sepult. Danæus part.* 3. *Isagog. l.* 3. *cap.* 47. *Lavaterus in Josuæ* 24. Zepperus l. 1. Polit. Eccles. c. 15. p. 185. Sepulturæ *non quidem templis contiguæ, sed loca illarum vel cœmeteria extra urbes, & oppida constituta esse debebant*, &c. *Hospinianus cap. cit. p.* 406. 407. *Rivetus in epistolâ de fuga pestis*, cum aliis ipsius opusculis edita in 8. Et in *Cathol. Orthod. tom.* 1. *p.* 587. edit. in 4. 9. Quin & ipsi Pontificii ad Partes veniunt. *Durantes in Rationali loc. cit. fol.* 11. 6. *Sane non debent.* &c. *Joh. Stephanus p.* 218. 214. *Patricius lib.* 5. *de Republ. tit.* 10. Hæc cum ex sensu reformatorum ita determino: nolim tamen (ut ætas nostra calumniarum fertilis est), hinc mihi impingi, nullo modo esse tolerandam sepulturam in templis aut circa templa, dum alia loca publica aut alibi nondum constituta sunt. Multo minus velim mihi impingi, summam pietatis, & reformatæ religionis in eo consistere, ut corpora sepeliantur extra communia & publice recepta sepulcreta. Nec tamen inutilem aut importunam censeo admonitionem aut deliberationem, de aliis commodioribus locis ad sepulturam deligendis ac constituendis per eos, penes quos potestas. Saltem perpetuò & Magistratuum & fidelium quo-

quorumvis conſcientiæ informandæ ſunt, nullâ religionis neceſſitate hodiernis templis aut templorum areis ſepulturas olim alligatas eſſe, aut etiamnum poſt exterminatum Papatum alligatum aliquâ ratione manere. Ut ſaltem ſciant jus & libertatem mutandi, aliòque extra urbes, aut propè mœnia urbis, aut ubicunque commodiſſimnm ipſis viſum fuerit, transferendi, religionem ſibi integram eſſe. Confer ſupra *lib.* 3. *tract.* 2. ubi de eâdem hâc quæſtione actum.

IV. *Probl. An cœmeteria ſint conſecranda, reconſecranda, reconcilianda?* Reſp. *Aff.* Pontificii apud Joh. Steph. Durantum p. 220. Et Spondanum p. 293. 294. ubi ex ſcriptura & antiquitate hunc morem probare conantur. Confer & *Lorinum in Levitic.* 16. *v.* 16. Nos Neg. Quia nulla cœmeteriorum eſt ſanctitas, ut ſupra oſtenſum: ergo nulla opus eſt conſecratione per quam in ordine rerum ſacrarum conſtituantur? Nec valet conſequentia à typicis ceremoniis, ad ſtatum rerum ſacrarum in N. T. Quod alicubi (in Angliâ ſcil.) antehac templorum & cœmeteriorum aliqua conſecratio aut reconſecratio obſervata fuit; id ad reliquias rituum cum reformatione non plane ſublatas, aut ad novitates quaſdam poſtremis his infelicibus annis denuò introductas referimus. Vide doctiſſ. & diligentiſſ. ſcriptorem libri cui tit. Ladenſum αὐτοκατάκρισις.

V. *Probl. An polluatur & profanetur ſanguinis, aut ſeminis effuſione, aut ſepulturâ hæretici, aut excommunicati, & conſequenter purgatione & reconciliatione indigeat? Reſp. Aff.* Pontificii apud *Joh. de Burgo Pupillâ oculi loc. cit.* Et *Bochellum in decretis eccleſ. Gallicanæ l.* 3. *tit.* 19. *cap.* 29.-39. Et modum ac ritus reconciliationis exhibet *Paſtorale*, ſeu *Rituale*, & *Pontificiale* loc. cit. & *Bochellus tit. cit. c.* 38. Nos Neg. Sapit enim hoc Judaicas & Ethnicas ceremonias. Cum cœmeterium nullam habeat ſanctitatem inhærentem aut adhęrentem, non poteſt pollui & profanari, hoc eſt, non poteſt ſanctitas ipſius violari; conſequenter non requiritur ejuſdem purgatio, ſeu luſtratio, ſeu reconciliatio. Fruſtra autem *Lorinus in commentar. ad Levit.* 16. 16. hic allegat ritus V. T. Quid ni unâ operâ & conſequentiâ totam legem ceremonialem refodiat? Immo ne quidem juſta ſanguinis effuſione (1 *Reg.* 2.) loca Deo ſacrata leguntur tunc polluta & reconciliata fuiſſe. Et quidquid ſit de tabernaculo aut templo, nihil ſaltem legitur de ſepulcretis? Nedum de horridè ſuperſtitioſis conſecrandi & reconciliandi ritibus; quos habent Decreta Eccleſ. Gallic. & ritualia modo cit.

VI. *An homines extranei à fide, aut hæretici, aut excommunicati, eodem jure publico civitatis aut ſymbioſis civilis gaudentes, ſepultura & ſepulcreto à piis & fidelibus diſtingui debeant? Reſp. Aff.* Pontificii, nixi iſtis hypotheſibus:

sibus: Quod sepultura sit actus & pars religionis & consequenter sit ecclesiastica, & sic pertineat ad ecclesiam quâ talem; consequenter ad Clericos, qui sunt ecclesia repræsentativa. Quod templum & cœmeterium sit locus religiosus ac sacer. Adferunt & hanc rationem: Quod post mortem non debeant in uno ac communi loco quiescere illi, qui in vitâ & in morte non habuerunt communionem cum fidelibus. Vide *Spondanum* autoresque ab illo citatos *p.586.-600.* Accedit quod mortuos faciant subjectum excommunicationis & reconciliationis ecclesiasticæ. Vide *Zwarez tom. 5. ad 3 Thomæ disp. 9. & 35.* Quod effectus censuræ ecclesiasticæ sit privatio civilis & forensis communicationis in hâc vitâ *Zwarez ibid. disp. 15. & 16.* Nos neg. cum distinctione: quantum ad religionem & ecclesiam & jura religionis. Omnes enim illas hypotheses & rationes Pontificiorum negamus: quibus negatis corruit adversariorum determinatio. Hoc tamen monemus longe alias esse quæstiones, *An* & quo jure ob rationes politicas honore funeris & sepulcri, aut ejus aliquo gradu privari debeant homines indigni & politicè infames, & sic ab aliis honestis civibus distingui? Et an promiscuè omnes, an vero aliqui, & quinam, blasphemi, apostatæ, hæretici, Ecclesiarum turbones in omnibus politiis sint ipso jure aut facto aut utroque politicè infames, & privilegiis civicis exuti? Quarum quæstionum determinatio cuilibet politicæ potestati relinquenda est. Atque hoc ipsum est, quod putamus voluisse Danæum cum scriberet part. 3. Isagog. lib. 3. cap. 47. *Utrum autem idololatræ separatum sepulturæ locum à Christianis habere debeant argumento* 2 Chron. 28. 27. Math. 27. 7. *definiri non potest, quum hoc totum pro ratione loci ab ecclesiâ sit æstimandum, & à Magistratu politico definiendum, statuendum, ac dijudicandum.* Ubi magis prudenter & distinctè eum locutum putamus, quam Polanum loc. cit. qui absolutè vult distingui sepulturas. Ante illum de Judæis & Turcis, sed cautius, scripserat Beza homil. 17. in passionem, ad finem: *Ipse ordo aliquam locorum distinctionem ad utrorumque sepulturam postulare videtur: modo tamen adhibeatur modus, & absit omnis superstitio.* Nos velimus, ut jam diximus, hanc rem sic accipi, ut procul absit conscientia aut qualiscunque indirecta approbatio hypotheseωn Pontificiarum, quas modo indicavimus; quasque uno verbo profligamus: *Mortui non habent amplius sortem* (aut *partem*,) &c. Eccles. 9.

VII. *Probl. An reformatis competat ius sepulturæ in templis aut cœmeteriis, quæ Papatus nunc occupavit? Et consequenter, an cadavera eorum illic sepulta sint exhumanda? Resp. Neg. pr.* Pontificii; & operosè atque ex professo utrumque membrum probare conatur *Spondanus lib. cit.* Sententiæ autem suę substernit generales illas hypotheses supra indicatas & rejectas; unamque

hanc

hanc addit specialem. Quod reformati omnes sint hæretici & excommunicati: saltem ex sensu & secundum religionem Papistarum. Quod sufficit ad prohibendos eos à sepultura, & exhumandos: etiamsi reipsa non essent hæretici. Proderent alioquin inquit p. 606. religionem suam. Nos contra pr. Aff. poster. Neg. Est enim sepulturâ in loco publico, in se, per se, & formaliter opus ac privilegium politicum; quamvis usurpatione & perverso zelo fecerint illud formaliter sacrum & ecclesiasticum. *Deinde* Neg. nos esse hæreticos: de quo alibi disceptandum. *Tertio*, non sufficit qualiscunque opinio, aut error Pontificiorum de nostrâ hæresi, ut coram Deo & hominibus barbariem & injustitiam suam defendant. Debent errorem suum, & errantem conscientiam deponere; & secundum conscientiam Dei justè judicare atque agere.

VIII. *Probl. An & quomodo reformati in Papatu jus hoc suum petere, ac omni legitimo modo persequi, proque eo protestari, eodemque uti possint (siquidem per supremas potestates liceat:) mortuos suos sepeliendo, aut ignominiosè exhumatos, aut alibi humatos denuò ibidem sepeliendo. Resp. Spondanus lib.4. part.1. c.7. & part.2. c.1. 2. 3.* &c. disputat pro parte negante: hoc fulcro supposito. Quod hæretici cum catholicis in vita & in morte communionem nullam habuerint, nec habere voluerint: consequenter post mortem communionem sepulturæ, & cœmeterii nullo jure debeant postulare aut affectare. Ex reformatis Theologis *Danæus part. 3. Isag. lib. 3. c. 47.* apertè negat reformatos in templis idololatricis Papistarum sepeliendos. Huc aliquo modo trahi posse videntur, quæ *Beza* & *Polanus* modo cit. monent de distinctione seu separatione fidelium ab infidelibus, quod ad cœmeteria.

Nos quæstionem hanc multimembrem, & satis difficilem sequentibus conclusionibus determinamus, atque unâ dissidentes (uti videtur) reformatorum sententias, & praxes conciliamus.

1. *Concl.* Veri fideles nec curiosè, nec ambitiosè, nedum superstitiose laborare debent de loco sepulturæ. Hoc ipsum est, quod vult *Augustinus*, à *Durante, Spondano* aliisque Pontificiis citatus.

11. *Concl.* Distinguendum est inter jus sepulcri in se & absolutè spectatum, quale ex rei veritate & absolutè est & esse debet: & inter jus illud, ut hic & nunc applicatum & constitutum est in & cum omnibus suis circumstantiis, certa aliqua hypothesi, & communiter factis ac moribus hujus aut illius gentis, politiæ, &c. servari atque exerceri solet.

Primo Reformati jus sepulcri priori modo consideratum, hoc est, jus publicum & politicum politicè sibi vindicant, tanquam cives honesti, nulla infamia notati, nullis facinorosorum pœnis obnoxii: ut propterea honesta

ſepultura carere, aut ad loca contempta, nedum infamia & infelicia detrudi debeant. Conſiderant ergo & conſiderandum cenſent ſepulcretum tanquam locum publicum & politicè civium ſepulturis deſtinatum.

Secundo jus illud vindicant, ut uſu & praxi communi antehac in Chriſtianiſmo eccleſiaſtizatum eſt, aut Chriſtianizatum, aut eccleſiæ Chriſtianæ, ejuſque membris peculiari quadam ratione appropriatum. Chriſtianos enim & catholicos ſe profitentur, & revera ſunt; tantò magis & melius, quantò longius à communione Romanâ ſeceſſerunt. Uti hoc alibi probamus, in *Deſper. Cauſa Papatus lib.* 3. *ſect.* 3. Cum ergo eccleſiaſticè infames non ſint, nullum dubium moveri poteſt communioni eorum in ſe ſepultura publica cum aliis Chriſtianis.

Tertio, jus illud ſibi vindicant in Templis aut cœmeteriis, quatenus illa olim communibus ſumtibus tanquam loca publica à majoribus ad ſepulturas fundata ſunt, & quidem in publicum uſum populi ſeu communitatis politicæ & eccleſiaſticæ illo in loco degentis. Quo communi jure eos excidiſſe dicendum non eſt, niſi juſtè in vitâ ſuâ inde exulare juſſi fuerint, aut in vitâ aut etiam poſt mortem criminum eorum condemnati, quæ privent honore ſepulturæ.

Quarto, ſunt inter reformatos, qui peculiari quâdam ratione jus ſuum vindicant, quod majores eorum oratoria, aut capellas, aut alia quæcunque ſepulcreta ſuis ſumtibus in uſum familiæ & poſteriorum ſuorum conſtituerint. Illud jus & politicè & eccleſiaſticè quæſitum, putant ſibi ſuiſque auferre non poſſe. Nam quidquid corruptionum, & abuſuum à prima fundatione intervenerit, quidquid pſeudo privilegiorum & uſurpationum ſupervenerit, hoc ad præſcriptum juris divini, naturalis, Gentium, & antiqui eccleſiaſtici, re & jure ſuo ſalvo manente, tollendum aut emendandum cenſent, & ἤϑη ἀρχαῖα poſtliminio revocanda. Hoc modo, fine, ſenſu (& non alio) reformati alicubi in Galliâ, Germaniâ, Belgio, &c. jus ſuum repetiverunt: immo ipſo facto, non raro eo uſi ſunt, ubi per defenſionem, aut ſaltem conniventiam poteſtatis ſupremæ, aut per occaſionem & vim armorum, graſſante bello, id fieri potuit.

III. *Concl.* Nullo modo in templa aut cœmeteria in quibus Papatus etiamnum dominatur, mortuos ſuos intulerunt, aut ſaltem inferre debent, aut jus ſuum proſecuti ſunt reformati; ut ſalus mortuorum per talem ſepulturam promoveretur, ſuffragia vivorum participarent, à dæmonum incurſatione liberarentur; aut ut talis ſepultura partem faceret religionis, & per eam communicarent aut communicare viderentur cum ſacris & doctrinâ eccleſiæ Romanæ; aut fruerentur ceremoniis funeralibus, aut minimam ſuperſtitionis partem admitterent; ſed tantum ut ſe ſuoſque ab infamiâ politicâ

ticâ & ecclesiasticâ per Papistas immerito intentata, & una devoluta ad se majoribus jura ac privilegia sibi vindicarent. Ita ut *Spondanus lib.4.part.3. ap.1.* frustra excipiat reformatos in Galliâ contra conscientiam & religionem suam, libertatem sepulturæ in monumentis majorum à Regibus ibidem liquoties petiisse.

IV. *Concl.* Hinc etiam ceremonias omnes Papisticas in funere adhiberi olitas procul habuerunt: & siquidem sine illis non licuisset frui jure cœmeterii, maluerunt eo carere. Vide determinationem *Calvini in epistolis, Epist.* 74. Imprudentiam & lapsum quorundam hâc in parte, respexit forte & erstrinxit *Danæus part.3. Isagogæ lib.3. cap.47.* Quamvis (ut fatear, quod es est) rationes illic additæ absolutè omnem in templis idololatricis sepulturam condemnare videantur.

V. *Concl.* Corpora fidelium sub patibulo primum defossa, aut in templis epulta, postea tyrannicè exhumata & ignominiosè aliò translata, nostri in empla ab idololatriâ Papisticâ repurgata intulerunt: ut priori infamiæ debitum sepulturæ honorem opponerent, & actibus contrariis jus reformatorum contra Pontificiam invasionem & violationem testatum facerent. xemplum dedit Oxonium in Angliâ, ubi mutatis vicibus restitutâ reformatione sub regno Elizabethæ, ossa uxoris summi Theologi Petri Martyris apisticè temporibus Marianis exhumata, honorificè in commune & prius epulcretum reposita sunt. Alterum exemplum ante 34. aut 35. annos dedit Sylva-ducis, ubi honestæ matronę *Agnetæ Greven* ossa procurante Episcopo loci *Gisberto Masio*, ob constantem religionis nostræ confessionem, recusationem feralis viatici Papistici antehac sub patibulo defossa, ad ostulatum hæredum publicâ autoritate exhumata sunt, & Magistratu, nedrio, omnibusque civibus religionis nostræ ibidem consortibus funus onorificè deducentibus in choro magni templi juxta aut è regione sepuli dicti Episcopi *Gisb. Masii* condita sunt.

VI. *Concl.* Aliud est quęrere, an jus nostrorum intervertere, aut negare, ut impedire debeant Pontificii, & quidem iis de causis, ac eo modo, quo ctum est: Et aliud, an nostri jure illo, quod liberum ipsis relinquendum si quidem liberum relinquatur) hic & nunc uti velint, ac possint: saltem hoc expediat, & an semper ędificet. Similis distinctio locum invenit quæstione de excommunicatione. Non potuit ecclesia Romana noros excommunicare, aut extrudere, uti abunde docuimus in *Desper. cau- Papatus lib. 2. sect. 1.* Contra hoc enim nostri jure meritoque de nullitatibus protestantur. Nec tamen vellent aut deberent nostri communiois Romanæ jure uti, aut in eâ manere, aut ad eam redire, quamis ipsis hoc permitteretur: quamdiu scil. ecclesia illa ab abominatio-

nibus suis repurgata non esset, juxta *Hoseæ* 2. *vers.* 1. *Apocal.* 18. *vers.* 4. 2 *Corinth.* 6.

VII. *Concl.* Quamvis ergo absolutè & semper pro jure suo contra injustitiam Papalem protestari debeant reformati, & postulare quod ipsis debetur: non tamen tenentur, immo nec possunt jure illo promiscuè & semper uti. Omnia enim quamvis licerent, non tamen omnia conducerent. Videndum ergo quid adversarios aut amicos aut neutrales scandalizare, quid speciem & occasionem superstitionis præbere possit. Et huc applicandum illud Apostoli, *omnia mihi licent, sed omnia non conducunt*, &c. Utra autem tutior pars sit, in quam potius inclinandum, pro ratione locorum, temporum, personarum, prudenter despiciendum. Imprimis cum reformatos sive necessitate adactos, sive aliis de causis propria sua sepulcreta à Pontificiis templis & cœmeteriis distincta ibidem habere novimus. Tali enim in casu, à *Danæo* determinatum censeo, fideles illic esse sepeliendos.

IX. *Probl. An reformati ex formulâ religionis suæ sepulturas & sepulcra contemnant? Resp.* Ita calumniatur *Spondanus p.* 614. 616. Sed sibi contradicit, cum ex *Brentio*, *Calvino*, *Martyre*, *Gualtero*, &c. contrarium probat *lib.* 1. *part.* 4. *cap.* 2. Confer etiam autores supra ad *probl.* 3. à nobis citatos. Opiniones & Abusus Ethnico-Papisticos improbant reformati, non rem ipsam. Quinam autem illi abusus sint, supra indicavimus ex *Spondani lib.* 1. *part.* 3. Plures habet *Zegedinus* loco supra cit. Violatio sepulcrorum quæ à nostris commissa prætenditur, & calumniæ huic obtenditur à *Spondano p.* 654. 655. non magis religioni & ecclesię reformatæ præjudicare debet, quam Papali religioni, quidquid militari licentia per Papisticos milites aut olim aut nuper circa templa, cœmeteria, monasteria, monachos, moniales, sacerdotes, Cardinales, &c. perpetratum fuit. De quo monuimus in *Desperatâ causâ Papatus*.

X. *Probl. An ossaria, seu ossuaria in cœmeteriis sint necessaria aut per se utilia? Resp. Aff.* Pontificii. Nos Neg. Ut enim otiosè illic introducta; & superstitiosè etiamnum stabilita sunt (quippe quę respiciant translationes & cultum reliquiarum, uti hoc rectè observatum ab *Hospiniano p.* 412.) sic otiosè reformatis usque in hunc diem retinentur ubi antea fuerunt, nec minus odiosè & absurdè privatâ ædilium nonnunquam aut ignorantium aut Semi-Papisticorum autoritate & consuetudinis receptæ κακοζηλίᾳ introducuntur, ubi non fuerunt. Hinc est quod *Zepperus loc. cit. p.* 889. docet ea in totum abolenda esse. Addo ego hanc limitationem, ubi sine scandalo & turbatione fieri potest, & debita instructio atque informatio præcesserit. Quod autem nonnulli adiaphorum aliquem eorum usum ad apo-

apologiam vacuæ observationis bene positæ comminiscuntur, quasi scil. inservire debeant colligendis ex cœmeterio ossibus, ne fossionem novorum sepulcrorum impediant: id sane ridiculum est. Quid enim? an cœmeterium ab ossibus repurgari non posset, nisi crania & sceleta in aëre super terram omnium oculis exponantur, contra fundamentalem sepulturæ legem? An non hoc est violare sepulcrum (Vide *Tholosani syntag. lib.* 33. *c.* 20.)? An siquidem ex cœmeterio legi & in unum locum colligi expediat, terrâ tegi ac condi non possent? Hanc veritatem cum vestigiis reformatorum theologorum insistens liberè & simpliciter ita explico, contra livorem & sycophantiam quorundam protestor, me ideo proram & puppim religionis nostræ in eo non constituere, aut importunè ossaria ubivis destruenda suadere.

Exhibeo nunc syllabum aliquot problematum, quæ in ipso Papatu agitari solent aut possunt, nec theologiam nostram tangunt. §.6.

I. *Probl. Quinam possint habere cœmeteria?* *Resp.* solę ecclesiæ curatæ & parochiales de jure: conventuales aliæque omnes ex consuetudine & privilegio, juxta bullam Innocentii Quarti anno 1258. Quam vide in *Bullario.*

II. *Probl. An jus patronatus habeat locum in sepulcris? Resp. Neg. Lambertinus lib.* 1. *de Jure patronat. qu.* 11. *p.* 1. *artic.* 14. autor infra *part.* 2. *lib.* 3. sæpius nobis citandus. Ex illo idem repetit ac præsupponit *Spondanus lib.* 4. *part.* 3. *cap.* 2. Sed miror in templis & sacris ministeriis ac vocationibus jus illud locum magis habere, quam in sepulcris: cum illa, secundum fidem ipsorum, non minus religioni deputata sint, quam sepulcra.

III. *Probl. An privati habentes jus sepulturæ in loco sacro, possint dici habere jus dominii & propriam possessionem? Resp. Neg.* Pontificii apud *Spondanum* loco modo cit. Tantum usum eorum habent, vel quandam tolerantiam ex benignitate ecclesiæ. Rationes ibidem addit: quod jus sepulturæ pendeat ex autoritate ecclesię; & quod loca sepulcrorum per consecrationem acquirantur religioni, & consequenter secundum jus civile nullius in bonis sint.

IV. *Probl. An simonia, & sacrilegium circa acquisitionem sepulcri & sepulturæ committi possit? Resp. Aff.* Pontificii apud *Spondanum p.* 214. Quem vide, & confer cum aliis Casuistis.

V. *Probl. An cœmeteria habeant jus asyli? & an judicium de criminibus à jure asyli exclusis, ad Episcopum pertineat? Resp. Aff. pr.* Pontificii apud *Sypæum lib.* 3. *p.* 382. juxta jura antiqua: quę tamen jure novissimo constitutionis Gregorii 14. admodum limitata & contracta sunt. Rectius

 abolen-

abolenda illa jura censet *Tholosanus l.* 33. *c.* 23. Aff. post. Pontificii apud *Zyp. loc. cit. p.* 384. 385. Videat, cui vacat, ipsum autorem.

VI. *Probl. An corpora quorumvis Christianorum debeant in templo aut choro sepeliri? Resp.* Negabat olim *Durantes* loc. cit. Sed mores hodierni nunc affirmant.

VII. *An in cœmeteriis sepeliendi Christiani impii & in peccato deprehensi (quales blasphemi, raptores, non satisfacientes, in torneamento morientes, &c.) præsertim excommunicati, aut in maleficio interfecti. Resp.* Neg. apud *Durantem*: imprimis accuratè juribus allegatis tales notantur apud *Tholosan. lib.* 2. *c.* 13. Contra tamen tales post mortem absolvi (sed mediantibus illis) docet Taxa pœnitentiaria tit. de sepulturis: *Ad instantiam cognatorum defuncti excommunicati, sive violenter mortui, ut eius cadaver in terrâ benedictâ sepeliatur 6. duc.* 2.

VIII. *Probl. An qui mortem sibi consciverunt. Resp. Neg.* ibidem apud Durantem. Confer 4. *part. sel. dispp. tit.* de homicidio sui ipsius.

IX. *Probl. An cadaver occisi inferendum in cœmeterium? Resp. Neg.* Durantes.

X. *Probl. An facinorosorum suspensorum? Resp. Aff.* cum dist. apud *Durantem*, ex decreto Concil. Moguntini: *si scil. confessi sunt, aut confiteri desiderârunt, & communicaverunt*; &c.

XI. *Probl. An fœminæ in puerperio mortuæ? Resp. Neg.* nonnulli apud Durantem, allegata ratione satis stolida. Contra in mitiorem sententiam, hoc est, negantem inclinat Durantes. Moribus hodiernis in sepulcrum quidem infertur, sed complanatum, & linteo imposito notatum, nullo tumulo exstructo. Quod demum fit post quinque hebdomadas & dimidiam, quando sacra & jura funeralia cum pompa absolvuntur, ac si fœmina tunc primum sepeliretur. Confer supra *lib.* 3. *tract.* 2. ubi hunc ritum plenius referimus.

XII. *Probl. An partus extracti ex ventre; & non baptizati? Resp. Neg. Durantes.*

XIII. *Probl. An interfecti in ecclesiam portandi non sint, ne pavimentum sanguine polluatur? Resp. Aff. Durantes.*

XIV. *Probl. An quis sine simonia proprium suæ familiæ locum in communi cœmeterio acquirere possit? Resp. Aff.* canonistæ cum dist. apud *Tholosanum lib.* 2. *c.* 13. §. 4.

XV. *Probl. An quilibet possit ecclesiam vel cœmeterium in sepulturam eligere? Resp. Aff. ibid.* Salva scil. quarta parte ecclesia parochiali debita. Ibi enim erit sepultura defuncti, ubi vivens sacramenta percepit: si quidem alibi non elegerit.

XVI. *Probl. An electus locus à moriente, aliis, quam ipsi, possit concedi. Resp. Neg.* ibidem : nisi necessitate urgente.

XVII. *Probl. Ubi monachi sint sepeliendi ; & an possint eligere ? Resp. ibid. ad pr.* ubi religionem Professi sunt, vel novitiatum agunt, vel conversionem: Nisi longe ab illis locis moriantur, ut non possint transferri. Ad poster. Neg. nisi in casu modo posito. Quod si contingat eos tunc non eligere, sepeliendi sunt in cathedrali, aut in parochiali istius loci.

XVIII. *Probl. An & quomodo mulieres, servi, spurii,* &c. *eligere possint ; & si non eligant, ubi sepeliendi ? Resp.* vide minutim determinatum à *Tholosano* loc. cit.

XIX. *Probl. An cœmeterium pollutum censeri debeat, quando polluitur ecclesia ? Resp. Aff.* Pontificii apud *Joh. de Burgo* in *Pupilla oculi part. 9. c. 1.* Et *Rodericum in vasto volumine de regularibus tom. 4. p. 39.* Distinctionem adhibet *Joh. de Burgo*, si cœmeterium contiguum sit ecclesiæ : secus si remotum ab ecclesiâ.

XX. *Probl. An vice versa ? Resp. Neg.* apud de Burgo loc. cit. *Ne minus dignum*, inquit, *trahere ad se videatur magis dignum.*

XXI. *Resp. An omnis reconciliatio cœmeterii polluti debeat fieri ab Episcopo. Resp. Neg.* ibidem : Quia est reconciliatio major, & minor : quarum illa fit ab episcopo ; ista à simplice sacerdote.

XXII. *Probl. An uno cœmeterio polluto aut violato, alterum etiam violatum sit. Resp. Neg.* ibidem : quando sunt plura cœmeteria : quæ esse censetur, quando inter ea est paries medius : licet ibi non sit porta.

XXIII. *Probl. An cœmeterium una cum templi consecratione consecrari possit : an vero seorsim consecrandum ? Resp.* Pontificale in medio hoc relinquit, tanquam adiaphorum : quamvis posteriorem morem præferat.

XXIV. *Probl. Agmen claudat illustris quæstio, Quomodo cœmeterium, & per quos sit mundandum ab herbis in eo crescentibus ; & quid iis demessis aut evulsis faciendum ? Resp. Pr.* determinatur ad *Bochellum* tit. cit. Poster. ibidem cap. 27. Esse comburendas ; non vero bestiis in pabulum concedendas. Mysticam & mirabilem sapientiam ! Moribus tamen hodiernis obtinet, ut vaccæ aut oves custodis seu æditui in cœmeteriis pascantur : quod genus privilegii apud Belgas nostrates in proverbium abiit.

CAP.

CAP. VI.

De Encœniis.

§. 1. VOx encœniorum significat. 1. dedicationem seu consecrationem aut reconsecrationem Templi, aut sacelli. 2. solennitatem seu festum anniversarium in memoriam dedicationis celebrandum.

Dedicationem Templorum in Papatu observari solitam supra attigimus. Modum dedicationis leges in Pontificali; & in *Durantis Rationali lib.* 1. *cap.*6. qui ibidem *cap.*7. agit de dedicatione altarium. Si quis libris illis destituatur, videat eundem compendiose repetitum ab *Hospiniano in libro de festis Christianorum* sub finem fol. 161. 6. Ubi & originem istius ritus indicat: atque una differentiam inter dedicationes jam inde à tempore Constantini, & deinceps apud antiquos usurpatas, & inter dedicationes Papisticas. Templa dedicanda esse probat *Gavantus lib.* 1. *thesauri sacr. rituum* seu *commentarii in rubricas Missalis part.*4. *tit.* 16. *pag.* 293. 1. *ex* autoritate Apostolicâ: ubi testem laudat Radulphum propos. 17. sed non indicat: quæ, qualis, & ubi habeatur autoritas Apostolica 2. *quia* Constantinus edixit, ex *Eusebio lib.*4. 3. *quia* Athanasius docuit, Apolog. 1. 4. *quia* Augustinus habuit in eâdem sermonem. 5. *quia* canones Felicis IV. & Gregorii I. exhibiti in decreto Gratiani, *De consecrat. dist.* 1. *cap.* 17. *solennitates* præcipiunt. 6. *quia* suadet hoc exemplum Christi concurrentis ad encœnia & dedicationem Templi Hierosolymitani. Quę ratio à jure canonico loc. cit. adfertur. Quam eandem pro dedicationibus & festis encœniorum notant commentatores Pontificii in *Joh.* 10. & 1 *Machab.*4. Ad quam mox infra respondebimus.

Thomas 3. *part. quæst.*85. *art.* 3. ad quartum: „ Ideo, inquit, consecratur „ ecclesia, quia sancta est ecclesia, sponsa Christi, & cum Octavâ celebratur, „ &c. ad denotandam gloriosam resurrectionem futuram ejusdem. *Durantes loc. cit.* probat exemplo dedicationis tabernaculi per Mosen, Templi per Salomonem, statuæ per Nebucadnezarem: adjecto ad finem eleganti hoc epiphonemate: *Si igitur illi, qui umbræ legis deserviebant hoc faciebant, quanti magis nos, quibus veritas patefacta est, & gratia & veritas per Christum data est*, &c. Quomodo differant *consecratio*, *reconsecratio*, *reconciliatio*: & quibus in casibus illa aut ista sit necessaria determinatur à Canonistis ad *dist.* 1. *de consecr. cap.* 17. Et compendio à *Vallensi in paratilis Decretal. lib.* 3. *tit.* 40. imprimis etiam à *Durante loco cit.* & *Piasecio in praxi Episcopali part.* 1. *cap.* 2. *artic.* 4. *Durantes* singulorum rituum consecrationis, mirabiles

biles & mysticas, more suo, significationes enarrat. Operosas illas ἀδολεχίας non vacat nec lubet exscribere.

Quæritur 1. *A quo consecratio facienda?* *Resp.* Praxis communis, & Canonistarum determinatio tribuit ordinario seu episcopo, aut alicui ab Episcopo ad id delegato. Audi *Durantem loc. cit.* „Secundo notandum „est quod solus Pontifex potest ecclesias & altaria dedicare: quoniam ge-„rit imaginem & figuram summi Pontificis Christi spiritualiter dedicantis, „sine quo non possumus in gratiâ stabiliri. Unde ipse ait, sine me nihil „potestis facere. Et Psalmus, Nisi dominus ædificaverit domum, &c.

Quæritur 2. *An dedicationes Papisticæ ab omni superstitione reformari, & à nobis usurpari possint?* *Resp. Neg.* Quia dedicatio sacra, & alia, quam ædificii alicujus separatio, designatio, & actualis applicatio ad usus illos, ad quod conditum, paratum, datum, constitutum est, mera est chimærica & superstitiosa. Quæ in antiquâ ecclesiâ facta sunt, toleranda potius videntur; quam approbanda, laudanda, affectanda, imitanda. Quia nos vestigia terrere debent. Apostolica ecclesia humanis illis inventis & ceremoniis usa non est: nec etiam antiqua post-Apostolica. Credendum est à quibusdam de plebe antea in Gentilismo consecrationibus & lustrationibus assuetâ, hæc inde in ecclesiam primum illata esse, uti & plerasque alias ceremonias ac superstitiones: & cum Doctores vix ea dedocere aut abolere possent, quamvis initio satis acriter se opponerent (uti videre est in *Tertulliano de Idololatriâ & de Coronâ militis*); tandem animi quâdam mollitie molestiam illam refugientes, & adhibitâ carnali sapientiâ cœperunt rituum loco non movendorum sed tolerandorum, usum quem seu utilitatem comminisci; eorundemque mutationem, transformationem, & inflexionem ad Christianismum: ut scil. fidei veritati & Christianæ pietati nihil detraherent; & nihilominus συγκατάβασιν suam ad alliciendos, Gentiles, & ad pacandos multos Christianos in istis adhuc Gentilizantes ostenderent. Sic ars scil. arte delusa fuit: quasi vero ipsi delusissent Gentilismum, cum potius Gentilismus Christianismum eluserit; per συγκαταβάσεις ac mixturas istas symbolizationem cum Gentilismo & mundi paulatim in ecclesiam introducendo. Has adulterationes Doctorum quorundam sive imperitia sive oscitantia non parum auxit: qui præcepta & exempla ceremonialium consecrationum, lustrationum, aliorumque rituum ex V. T. allegant, ad observationem eorundem aut similium ecclesiis Christianis N. T. imponentiam. Quasi scil. ceremoniarum observatio per mortem Christi non fuisset abolita.

Encænia describuntur, quod sunt *festa certo die quotannis* memoriam dedicationis templi aut sacelli illa die factæ, celebranda. De quibus hæc observanda. §. 2.

1. *Quod* ſub præcepto obſerventur ab omnibus qui ad templum illud pertinent.

2. *Quod* encęnia templi cathedralis ab omni clero totius diœceſis celebrari debeant.

3. *Quod* feſtis encæniorum ſeu dedicationis eccleſiæ, datæ ſint *octavæ* ut & feſtis patroni principalis loci; & patroni titularis. Quid ſit octava, & quæ ejus origo, qui uſus, quę myſteria, compendio diſces ex præfat. Gavanti ad Octavarium Romanum: quod à Papa & SS. congr. Cardinal. approbatum, publicis atque autenticis Romanæ eccleſiæ libris *Pontificali*, *Cærimoniali*, *Miſſali*, *Rituali*, *Breviario*, ex decreto *Concil. Trid.* reformatis proximè adjungi poteſt.

4. *Quod* octava & feſtum dedicationis eccleſię præſtantiora ſint octavâ & feſto cujuſque ſancti. Sic *Gavantus tom. 2. theſauri ſacrorum rituum ſect. 3. cap.* 8.

5. Celebratio encæniorum fit per concomitantiam, comeſſationum, compotationum, ludorum, deliciarum publicarum nundinationum; quæ acceſſoria ipſum principale ſeu τὸ religioſum ita texerunt & abſorpſerunt, ut *in religione Romano-feſtali* vix quidquam religionis compareat. Hilaria illa breviter deſcripſit Hoſpinianus loco cit. & Nageorgus, cujus verſus ibidem exhibentur.

Probatur autem hoc feſtum Encæniorum cum octavâ, ſeu per octo dies celebrandum, ex 1 *Machabæor.* 4. coll. cum *Johann.* 10. *v.* 22. Sic *Durantes lib.* 7. *Rationalis cap.* 49. *Gavantus loco modo cit. & in præfat. ad Octavarium. Hugo* Cardinalis in *Johann.* 10. Inter recentiores commentatores Jeſuita *Bonartius* in *Eſter.9.exc.*2.Nos ad hoc argumentum reſpondemus.

Reſp. 1. Judæ Machabæi factum non facere regulam, nec obligare nos ad imitationem. Nulla enim illi poteſtas feſti anniverſarii celebrationem eccleſię imponendi. Quia nullus legis divinę ductus, nulla extraordinarii doni & miniſterii prophetici directio aderat.

Reſp. 2. Quin præter & contra exempla prophetarum talis anniverſaria ſolennitas inſtituta fuit. In dedicatione tabernaculi *Exod.* 40. nullum feſtum à Moſe fuit celebratum. Multo minus anniverſaria ejuſdem celebratio ſancita. In dedicatione Templi per Salomonem Prophetam θεόπνευστον, extraordinario feſtum lætitiæ ſeu euchariſticum fuit celebratum 1 *Reg.* 8. ſed anniverſaria ejuſdem celebratio in memoriam dedicati templi non fuit præſcripta, nec à poſteris, qui extraordinarii doni & miniſterii prophetarum (*Jeſaiæ*, *Jeremiæ*, &c.) ductu & directione fruebantur, unquam obſervata. Tempore Nehemiæ muri Hieroſolymæ ſolenniter dedicatio facta *Nehem.* 12. *v.* 30. 31. ſed nullum feſtum

festum fuit institutum in memoriam dedicationis illius quotannis celebrandum.

Resp. 3. Dato, non concesso, debitè à Juda Machabeo fuisse dedicatum altare, & festum per octo dies celebratum, tanquam extraordinariam solennitatem eucharisticam, ejusdemque festi anniversariam celebrationem institutam: quid hoc ad ecclesiam, & templa sub Novo Testamento? ubi templis sacris & solenniter consecratis, aut reconsecratis, purgatis, lustratis nullus est locus: quia nec ceremoniali pollutioni atque immunditiæ.

Resp. 4. Exemplum Christi *Joh.* 10. quo nonnulli maximè nituntur ad ceremonias & traditiones suas ecclesiasticas nobis obtrudendas, ad hanc rem non facit. *Quia* negamus ex *Joh.* 10. evinci posse à Christo festum illud religiosè observatum. Quæ enim consequentia? tempore illorum encæniorum ambulabat Christus in porticu Salomonis: ergo probabat & celebrabat dicta encænia, à Judâ Machabeo præscripta. Quid si reformatus quis ambulet in cœmeterio aut circa templum Papisticum, dum festum corporis Christi, aut Petri ad cathedram, aut immaculatæ conceptionis Mariæ, &c. celebratur; ergone inde colligendum festorum istorum institutionem ab illo probari, eademque ab eodem religiosè celebrari. Multis & variis observationibus adfuit aut coexstitit Christus: quas ideo non probavit, nec ipse observavit. Exemplo sint traditiones majorum, quas commemorat *Math.* 15. & *Marci* 7. Idem dicere possem de vasis secundum purificationem Judæorum *Johann.* 2. *v.* 6. Et de palmis gestandis in festo tabernaculorum ac hauriendâ aquâ ex fonte Siloah ad dona spiritus impetranda, uti morem hunc referunt Thalmudici in Codice de festo tabernac. cap. *chelil;* & ex iis *Tremellius in notis ad Joh.* 7. *v.* 37. 38. Et post eum *Mornæus Plessiacus in meditatione* ad dictum textum, 2. parti meditationum Gallicarum insertâ.

Resp. 5. Dato, Christum ad festum illud ascendisse? quis dicet eum, illud celebrasse, & exemplo suo ad similes humanorum institutorum observationes nos obligasse. Paulus, aliique Apostoli ad festa per mortem Christi jam abrogata ascenderunt, non ut religiosè illa observarent (contra *Gal.* 4. *v.* 9.) sed ut occasionem captarent Christum coram multitudine prædicandi. Et tale quid de Christo *Joh.* 10. observant, *Calvinus, Pelargus*, &c.

Resp. 6. Et quidquid Christus in encæniorum observatione præstitisset; nihil tamen hinc infertur ad cultum Novi Testamenti, qui nulli templo alligatus est; quique à dedicationibus, & festis dedicationis absolutus: juxta illud *Joh.* 4. *v.* 21. *venit hora*, &c.

Supra *lib.* 2. *tract.* 2. *Sandersono* pro humanis ceremoniis & traditionibus alleganti exemplum Christi *Joh.* 10. satis respondimus.

Quæstiones sint, I. *Quæst. An Encœnia à reformatis abolenda; an vero ab iis retinenda & celebranda ? Resp. Aff. ipr. Neg. poster.* Quia toto genere mala sunt, & pars superstitiosi cultus Romano-Papalis. Rationes omnes peti possunt ex 3. *part. selectar. dispp. tit. de quadragesimâ & Bacchanalibus:* quæ analogicè huc applicandæ.

II. *Quæst. An Encænia repurgata à superstitione & idololatrico cultu Papatus, inter reformatos retineri, & ab iis celebrari poßent ? Resp.* 1. *Neg.* quia resectis missis, processionibus, cultu sanctorum sive titularium sive tutelarium, & omnibus officiis divinis (uti vocant) Papalibus; manet nihilominus idololatria & superstitio indirecta seu interpretativa; omnisque occasio & species mali & scandalum nostris, mediis Pontificiis datum: uti hoc *disp.* citatâ *de Bacchanalibus*, & *disp. de Idololatriâ* ac *superstitione* probatum est. Solennia tum & anniversaria hilaria, quæ multi, aut plerique ex plebe nostrâ, (nimium sæpe conniventibus aliquibus ministrorum,) pertinebant, ad encæniorum celebrationem: quomodo ad festa Gentilium, sacrificia, epulæ, ludi & spectacula. Qui ergo ludis, spectaculis, similibusve festi partibus aut appendicibus solenni & anniversaria die indulget; is tantundem facit, ac si vesceretur idolothytis: de quibus Apostolus 1 *Cor.* 8. & 10. Uno textu prætensa illa repurgata encænia profligari poterunt 1 Corinth. 10. v. 7. *Ne igitur idololatræ estote, sicut quidam eorum: ut scriptum est, sedit populus ad edendum, ac bibendum & surrexit ad ludendum. Resp.* 2. Reformatio & abolitio differunt. Illa adhibetur circa illa quæ à Deo instituta & per se utilia aut necessaria sunt, sive in religione ac pietate, sive in vitâ communi. Sic e. gr. baptismus, munus pastorale, precatio, ecclesia instituta, ejusque regimen & disciplina, &c. reformanda ac purganda sunt ab humanis abusibus & corruptelis: non tollenda. Et in vitâ communi, Magistratus & judicia, conjugia, mercatura, &c. In his enim valet vulgaris regula: *Tollatur abusus & maneat rerum substantia.* Sed missa, imaginum Dei fabrica ac cultus, extrema unctio, caput seu monarcha ecclesiæ universalis in terris, exorcismus infantum baptizandorum, invocatio & canonizatio sanctorum, religiosus cultus reliquiarum, &c. non sunt reformanda & à corruptelis purganda; sed tollenda. *Erasmus, Cassander,* aliique ipsorum imitatores stimulante timore hominum, & consulente sapientiâ carnali atque ἀνθρωπαρεσκείᾳ, excogitatis commentis omnia excusare & benignè interpretari voluerunt, & quidem invito Papatu: ut scil. (quæ tamen ipsi maluissent non esse) forma & hypotyposis Papatus in doctrinâ, ritibus, regimine retineri posset. Sed quantum profecerint, & quem pacis fructum hoc suo conatu tulerint, experientia nos docuit. Non oportet nos sapientiores esse Christo & Apostolis, qui emendationem prædicare

dicare & introducere non potuerunt, ut non sequerentur divisiones, separationes, & contentiones. De Cassandri ejusque imitatoris Grotii frustraneis epithematis, & coloribus, videndus eximius theologus *Andr. Rivetus.* Sed forte quis objiciat: si templo seu loco repurgato ab idolis & instrumentis idololatricis, uti licuit sub V.T. quidni etiam temporibus & solennitatibus; modo recidatur cultus idololatricus. *Resp.* Est dispar ratio: quia templum erat necessarium, ad cultum Dei, & divinitus ad id ordinatum: retinebatur ergo, quod Deus ordinaverat & fecerat; expurgabatur, quod homines fecerant. Sed aliter se habent dedicationes & anniversaria encænia sub N. T. quæ homines præter & contra Dei mandatum, ecclesiis celebranda imposuerunt: quibus præsertim in ἀκμῇ Papatus, memoriam primæ missæ in templo dedicato peractæ celebrabant. Unde Belgis festum encæniorum dictum fuit **Kerck-Misse** & contractè **Kermis**.

III. *Quæst. Quid ergo agendum reformatis circa relicta illa Encæniorum excelsa? Resp.* Magistratus, quibus potentia & potestas præsto est, eorum celebrationem impediet. Ministri, ad hoc pietatis officium hortabuntur Magistratus suos. Privati fideles abstinebunt. Quod si Magistratus sit Pontificius, aut neutralis, aut Libertinus, aut professione quidem reformatus, negligens tamen & tepidus hâc in parte: ministri nihilominus exemplo suo, & fidelibus monitis oves sibi commissas, ab ejusmodi idolothytis, non cessabunt abducere. *Si fornicaris tu Israel, ne delinquat Juda.* Hos.4. v.15.

Sicut in casu cujuscunque vacuæ observationis, levitatis, luxus in vestibus, conviviis, &c. fieri solet. Ministris præivit Apostolus 1 *Cor.* 10. & 11. *Tit.* 1. & inter antiquos Doctores *Tertullianus de Idololatriâ*, & de Coronâ militis, aliique in *dispp. de Idololatriâ*, cit. Adeo ut paradoxum esset, si ministris silentium imponeretur, & τὸ *noli me tangere*: quando Magistratus tolerat, aut permittit, aut etiam probat bacchanalia, encænia, Marinalia, lusus aleæ, usuras mordentes (nominatim trapeziticas), Marianas aliasque Papistico-religiosas confraternitates, otiosa monachorum collegia, similiaque Gentilismi, aut Papatus, aut mundi excelsa. Confer *part.* 4. *selectar. dispp. tit. de Foro poli & soli.* Forte quis excipiat,

I.ª *Except.* Si Magistratus esset perfectè reformatus, hoc est, talem reformationem in doctrinâ, in ritibus, in regimine & disciplinâ profiteretur ac defenderet, qualis e. gr. obtinet in Galliâ, aut in Belgio, aut in Germaniæ partibus Belgio nostro vicinis; videtur contra sentiendum saltem contra loquendum non esse: sive publicè sive privatim, ad conscientiarum ex verbo Dei informationem. *Resp.* Præsupponi videtur, privilegium aliquod per perfectam reformationem, ejusque professionem & defensionem acquiri Magistratui, excelsa Papatus, aut Gentilismi, aut mundi permit-

tendi (cum adest potestas & potentia tollendi); aut etiam probandi, fovendi, promovendi: Quod λίαν μέγα ἄιτημα scripturis probatum velim. Si Jurisconsultus erubescit loqui sine lege: multò magis erubescat theologus loqui sine scripturâ 1 *Petri* 4. *v*. 11. Ego contra assero, perfectam reformationem ejusque professionem & defensionem docere & specialiter obstringere Magistratum ad excelsorum abolitionem, non permissionem; multo minus approbationem ac defensionem. Qui enim cessant, aut insuper pro cessatione & opinione suâ pręfractè contendunt, audiant censuram perfectæ suæ (ita dictæ) reformationis *Apocal*. 3. *v*. 2. *Non enim inveni opera tua plena in conspectu domini*. Et 2 Paralipom. 15. v. 17. *Excelsa quidem non amota sunt ex Israele.*

II. *Except*. Magistratus est, de talibus Gentilismi, aut Papatus, aut mundi excelsis, ita dictis, determinare: an permittenda, aut observatio eorum retinenda, & si abolita fuerint, reducenda. Quâ determinatione habitâ, aliter sentiendum aut saltem loquendum non est. *Resp*. 1. Quæ sit aut non sit ejus potestas in determinandis rebus ad religionis & pietatem pertinentibus, supra lib. 1. explicuimus. *Resp*. 2. Quid in foro poli & conscientiæ cuilibet Christiano, aut ecclesiis Christianis licitum sit; primo, antecessorio, publico, directivo judicio judicatur ab iis, quibus claves regni cœlorum à Christo commissæ *Math*. 16. & 18. *Joh*. 21. cum 2 *Cor*. 5. *Hebr*. 17. *v*. 17. *Malach*. 2. *v*. 7. *Resp*. 3. Etiam cum Magistratus decernit talia idolothyta permittere, ac defendere immo & ecclesiæ aut subditis observationem earum imponere; licitum est ministris non tantum conscientias suorum informare, ut abstineant; sed etiam Magistratuum, ne ultra permittant aut defendant, neve ecclesiis aut subditis suis observationem eorundem imponant. *Ambrosium* permissionem cultus Gentilis, quam Symmachus postulabat, dissuadet, in epistolis c. Symmachum? Amphilochius Iconii Episcopus, imperatorem Theodosium judicio suo Arrianis libertatem conventuum & exercitii concedentem hortatus est, aut potius tacitè corripuit: absque præjudicio potestatis politicæ; & absque aliquâ ejusdem usurpatione. Ministri reformati suis in casu conscientiæ dissuadent sparsionem florum in processione & hostiæ (quam corpus Christi appellant) circumgestatione, illic locorum, ubi Magistratus omnibus civibus hoc imponit. Non arbitror novellam & parasiticam quarundam pseudodoxiam, crimina Catilinaria, rebellionis, turbatæ pacis publicæ, læsæ majestatis, affectatæ hierarchiæ Papalis, usurpatæ potestatis publicæ fidelibus illis ministris impacturam. Nisi eâdem calumniandi methodo Christo, Prophetis, Apostolis, tot sanctis martyribus ecclesiarum doctoribus eadem crimina impingere velint.

III.

III. *Except.* Quod ſi ea quæ Magiſtratus permittit, aut etiam probat, per miniſtros fidelibus diſſuadeantur, tanquam jure divino, in foro poli ſeu conſcientiæ illicita: haut parum laborare poſſet exiſtimatio magiſtratus, & autoritas ejus vileſcere. *Reſp.* 1. Quod ſi hoc fieret, eſſet per accidens. Nec operis, nec operantis hic finis eſt. Conſcientias ex verbo Dei informare & diſſuadere malum, eſt per ſe bonum, eſt utile, eſt neceſſarium, à ſupremo legiſlatore & domino miniſtris ſub pœnâ damnationis impoſitum *Ezech.* 3. *v.* 18. 1 *Tim.* 4. *v.* 6. 7. 2 *Tim.* 4. *v.* 2. Quod ſi inſtructionem aut hortationem tale quid, quale prætenditur, ſequeretur, hoc ſibi imputare deberent, non verbo Dei, aut ejus fideli diſpenſationi. *Reſp.* 2. Propter metuenda incommoda, per accidens eventura; non eſt omittendum bonum & neceſſarium per ſe. Alioquin Magiſtratui ſcortationibus, rixis, ebrietati, fœnori, peculatui, ſacrilegio, perfidiæ, perjurio, blaſphemiæ, latrociniis, &c. indulgenti, nulla fraterna & paterna monitio, nulla unquam correptio adhibenda eſſet; & ſic hâc in parte infeliciores eſſent quibuſcunque plebejis, etiam latronibus, homicidis, furibus, proditoribus, aliiſque facinoroſis, & crucis candidatis; quibus incarceratis quaſi cornucopia inſtructionum, correptionum, hortationum nocte dieque per miniſtros impendi ſolet.

IV. *Except.* Inveteratæ conſuetudini prudenti συγκαταβάσει aliquid potius indulgendum videtur, quam ob rem tantillam, populum jam illi aſſuetum inſtructionibus & dehortationibus obtundere. *Reſp.* 1. Chriſtus non dixit, ego ſum conſuetudo, ſed *ego ſum veritas.* Quid non poſſet prætextu conſuetudinis defendi, aut excuſari? De conſuetudine, vide ſupra *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 8. *Reſp.* 2. Tolerantiâ in eccleſiis noſtratibus, apertè & liberè primum convenientibus, & proximè ſuccedentibus, ſic uſi ſunt miniſtri; ut tamen non deſtiterint tum hortatu tum exemplo ſuo homines ab excelſis Bacchico-Papalibus abducere. Si planè ceſſet omnis privata & publica inſtructio, homines tolerantiam paulatim interpretarentur approbationem tanquam adiaphori: poſtea feſti encænialis utilitatem, ſi non neceſſitatem imaginarentur: Et conſequenter miniſtris imponeretur ſive directè, ſive indirectè, ſive politicâ, ſive eccleſiaſticâ, ſive utraque autoritate perpetuum ſilentium, & τὸ *noli me tangere.* Hâc methodo uſus eſt Satan in traditionibus, ritibus, moribus, ex Gentiliſmo in eccleſias traductis, & ſub novitate Papatus 13. 14. 15. ſæculis, aut poſt exortam anno 1517. pertendentem reformationem, lege ſtabilitis. Conſulantur ſcriptores noſtri de origine & progreſſu errorum, quales Perkinſus in problemate catholico, *Bullingerus de origine errorum*, *Mornæus Pleſſiacus in Myſterio iniquitatis*, *Chemnitius in Examine Concilii Tridentini*; & particulares diſputationes de Miſsâ, de imaginibus, de cruce, de

pur-

purgatorio & indulgentiis, de Festis, de Templis, de monachatu, de cœlibatu sacerdotum, de curâ defunctorum, de invocatione sanctorum, de cultu Angelorum, de potestate Papæ, &c. *Resp.* 3. Aliud est non nisi cum prudentiâ instructiones illas publicè privatimve proponere, (quamvis Apostolus velit importunè opportunè instructiones admoveri 2 *Tim.* 4. *v.* 2.): & aliud plane cessare. Illud suadeo: istud minimè. *Resp.* 4. Aliud est querere de momento & pondere alicujus erroris aut abusus; & aliud an sit error aut abusus. Plerumque ab heterodoxis & novaturientibus, determinatio posterioris secundum scripturas, peculiari quadam sophisticâ abductione, ad quæstionem de pondere, & necessitate, offuscatur: insuper veritatis ἀκρίβειαν sectantes, stolidæ præcisitatis, Pharisaismi, & nescio cujus hypocriseos insimulantur. Quasi majoris momenti & magis necessariis ac fundamentalibus veritatibus secundum pietatem primò studendum non sit; & reliqua nihilominus non omittenda. Grande nefas est celebrare missas, pro vivis & defunctis, aut festum corporis Christi celebrare: ideo tamen adiaphorum & licitum non est festa Martini, trium regum, Bacchanalium, & similium, celebrare, aut confraternitates Marianas retinere; quamvis interpolatas. De quibus in 3. *part. selectar. dispp.* & infra *part.* 2. *lib.* 4. *tit. de confraternitatibus.*

III. *Quæst. Quandoquidem consuetudo tyrannica tam difficulter abolitionem patitur, an substitutione publicarum nundinarum cum armilustrio, seu civium armatorum processione res & nomen encæniorum* (Belgicè **Kerck-Misse**) *commodissime & expeditissime aboleri posset?* *Resp.* Sic videtur: præsertim in civitatibus, quæ libertatibus istarum nundinarum in encęnia incidentium, aut cum iis junctarum semper gavisæ sunt. Et tale quid alicubi feliciter tentatum civitates omnes imitati possent: sive diem mutando, & nomen in publicis diariis seu ephemeridibus *magnarum & universalium nundinarum* substituendo: sive servato eodem die solas nundinas & solennitates politicas retinendo; resectis omnibus Papistica encænia redolentibus: sive nundinas antehac encęniorum accessorium transferendo ad alteras anniversarias nundinas, quæ præter annuas encęniales certo mense ac die istic haberi solent: ut binæ illæ in unas colliquescant. Sed prudentia justorum facile rationem inveniet, quâ salvis jure, ordine, & more, usibus & emolumentis politicis, exemplo Hiskiæ & Josiæ, hæc aliaque excelsa tolli possint. Talis enim *reformatio meritò perfecta* reformatio dici potest, aliisque ad imitationem proponi; quippe judicio Dei per omnia probata 2 *Reg.* 18. *v.* 3. 4. 5. 6. Non itidem illa, quę e.gr. pinguia illa Bacchico-Papalia festa Martini, trium (uti vocant) regum, cœnæ domini (belgicè **de witten Donderdagh**) purificationis Mariæ, (belgicè **Vrouw Lichtmisse**), Dominicæ *Lætare* seu diei *Rosæ* (belgicè **de dagh van de Roos**) Kalendarum Maji, Dominicæ Palmarum

rum bacchanalis, studiosè juxta cum Papistis observat & celebrat. Nec etiam illa, quæ collegia otiosorum monachorum aut canonicorum, sed sine Missis, Litaniis, horis canonicis, sive votis cœlibatus, paupertatis, non possidendi proprii, &c. sine ullis laboribus aut officiis ecclesiasticis, fovet, promovet, propagat, mordicus & hostiliter tuetur.

Ne autem novaturientibus aut encæniorum zelotis, peregrina & nova quædam adferre videamur, indicemus reformationis nostræ theologos contra Bacchanalia testantes, in 3. *part. select. dispp. tit. de Bacchanalibus.* Quibus nunc addimus nonnullos encænia, seu anniversaria dedicationis festa exsertè improbantes, hâc communi ratione, quod in V.T. talia festa instituta & servata non sint: cum tamen dedicatio templi peracta esset 1 *Reg.* 8. *Ezra* 6. & 8. Sunt autem *Hospinianus* de festis in appendice ad finem; *Aretius* 3. *part. problematum*, titulo de encæniis, *Lavaterus in comment. ad* 2 *Paralip.* 7. *Synodi Zuydhollandicæ Goudana* anno 1589. & *Woerdana* anno 1604. declarant se optare, ut encænia abrogentur. Et *quia hoc nondum fieri poterat* (propter publicas nundinas, illis conjunctas) *homines præmonendos contra ἀταξίας*, Et à Magistratibus petendum, ut à diebus dominicis celebratio eorum removeatur.

Lutherus in exhortatione ad Nobilitatem Germaniæ tom. 1. Jenensi German. *fol.* 306. (apud *Theod. Thummium Theol. Tubingensem in explicatione decalogi anno* 1626. *pag.* 131. „Omnia, inquit, festa cuperet abolita, „excepto die dominico, quia degenerârunt in abusum, ut ea fere otiando, inebriando, ludendo & omnis generis peccatis transigamus: ita ut „Deum diebus feriatis plus quam aliis ad iram provocemus. Accedit „damnum externum, quod vulgus hominum impeditur in laboribus suis „manuariis, & plus insumit diebus feriatis illis, quam profestis. *Imprimis è medio tollenda essent aut abolenda encænia*; quæ nihil aliud sunt, „quam tabernæ mundanæ, & occasio ludendi, ut Dei indignatio in nos & „animarum condemnatio augeatur. Neque quidquam prodest, quod dicunt quidam, *ea omnia orta & profecta esse ex bono initio*, & bonum „opus esse, &c.

Ne pars paginæ hujus vacua appareret; petiit typographus, ut aliquid vacuo illi implendo suppeditarem. Putavi itaque non importunè, dissertationes meas de superstitione circa altaria & mensam contra Ladum & Ladenses, *quarum exemplaria ita postulanti eruditiss. & piissimo Jac. Ushero Archiepiscopo Armachano cum aliis plerisque diatribis meis miseram anno* 1638. *&* 1639. *ejusdem testimonio, tanquam coronide, ornari posse. Sic ergo ille per virum eruditissimum & scriptis notum, intimæ apud ipsum admissionis Arn. Bootium Batavum, Dublino scribebat* 4. *Maji* 1640.

„ Quod autem ſubvereris, ne minus gratum nobis fuerit, quod Montacu-
„ tium ſubinde perſtrinxiſti: tantum id abeſt, ut potius ſummum inde gau-
„ dium ceperimus: cum protervus iſte prævaricator vix poſſit pro merito ſatis
„ aſpere tractari ab hominibus noſtrarum partium, in quos non minus in-
„ ſolenter ac petulanter paſſim invehitur, quam ipſi Jeſuitę ſolent; ſicuti
„ contra effuſum in adverſarios favorem ubique præ ſe fert, ac pertinaciſſi-
„ mos ipſorum propugnatores vix unquam ſine prolixa honoris præfatio-
„ ne nominat. Quare multum lætati ſumus, clar. Rivetum quoque, in Apo-
„ logia pro B. Virgine, eum pro merito aliquoties excipere. Omnino enim
„ dignus eſt, in quem omnes Reformati inſurgant, ac quem veluti putri-
„ dum ac cadaveroſum membrum à reliquo corpore, quantum in ipſis eſt,
„ abſcindant. Sed & in eo tibi favemus utroque pollice, quod novitium
„ illum morem incurvandi ſe ad altare palam damnaſti; quum iſta cære-
„ monia neſcio quam idololatriæ ſpeciem præ ſe ferat, ideoque omnibus
„ bonis hic ſummopere diſpliceat; & fere non ab aliis uſurpetur, niſi qui
„ tempori velificantur, atque iis placere per omnia ſtudent, à quibus ad
„ dignitates & opes promoveri ſperant.

FINIS.



IN-

INDEX LOCORUM
S. SCRIPTURÆ,

Qui in Partis Primæ Libris duobus posterioribus vel explicantur vel vindicantur ab Adversariis.

INDEX SACRÆ SCRIPTURÆ.

F I N I S.



IN-

INDEX RERUM & QUÆSTIONUM MAXIME OBSERVANDARUM

In primæ Partis Politicæ Ecclesiasticæ *Libris duobus Posterioribus.*

B.

Con-

L.

L.

Libri

Mar-

Missa

Puer

Se-

FINIS.

ERRATA.

Præter omiſſa, currente prælo, & commiſſa, quæ Æquus Lector facilè feret vel auferet, nonnulla paullò graviora ſic corrigantur.

Pag.	*Lin.*	*Lege*
22	27	*Deut.* 21.
47	3	ſciendi.
144	30	quod quidem ad.
148	14	Imperatoriam.
161	17	hic.
200	26	poſt vide punctum.
201	5	per delegatum.
207	27	tibi lege cibi.
	ibid.	generationis.
213	4	parentes non debent, dele non.
261	30	aliique.
	34	editis.
271	33	*Elmenhorſtius.*
310	17	dele. Ad cujus.
311	14	cur à Paulo.
	33	dictas.
321	19.20	dele has duas regulas.
372	20	ſui.

Pag.	*Lin.*	*Lege.*
376	30	Janſenizantium.
392	36	Reſponſo.
393	1	Theologi.
397	36	hiſtoriarum part. 1.
398	27	Crocium.
423	1	& minoris.
455	22	1653.
490	7	diſſertationibus potius cognoſce.
516	6	præſidio.
517	13	ſolent.
523	9	Synodi Zuydhollandicę anno 1636.
528	20	ſuperſtitionem.
535	30	eaſdem.
	31	in epiſtolâ Zwickii, quæ exſtat in.
537	12	ἀλόγως.
570	20	farinæ.

Mendas reliquas typotheticas ipſe benevolus Lector emendabit.